00048710

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 18 July, 2018

17.4.1256 Dx. e. 1.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI,

DOCTORIS THEOLOGI IN ACADEMIA FRANCOFVRTANA SENIORIS

ET

SOCIETATIS SCIENTIARVM REGIAE BEROLINENSIS MEMBRI,

3292

PANTHEON AEGYPTIORVM,

SIVE

DE DIIS EORVM COMMENTARIVS,

48710

CVM

PROLEGOMENIS

DE RELIGIONE ET THEOLOGIA AEGYPTIORVM.

Vol I.

PARS I.

LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE ROYAL ASIATIC SOCIETY

Dx. e. 1

Francofurti ad Viadrum,

SVMPTIBVS IOAN. CHRIST. KLEYB.

MDCCL.

00048710

PRAEFATIO.

Non eſt, Lector beneuole, quod multis tempora tua morer. Rationes grauiſſimae, ſed quas commemorare, mihi, et forte etiam Tibi, moleſtum eſſet, ſubito me impulerunt, et invitum quodammodo adegerunt, vt obſeruationes has de Diis Aegyptiorum, deque ipſorum Religione et Theologia, diu preſſas et neglectas, nunc demum abſolutas, ac pro virili expolitas, inque ordinem redactas, luci publicae exponerem. Qua in re id potiſſimum negotii datum mihi eſſe credidi, vt doctrinas Aegyptiorum priſcas et

genuinas, ex ſcriptoribus optimis, quanta potui induſtria eruerem, easque ab additamentis et interpolationibus Graecorum recentioribus ſollicite ſecernerem. Erat id vtique nonnihil laborioſum et difficile; ſed et fructum promittebat tanto vberiorem, quem me conſecutum quoque eſſe ſpero. Deinde vero, in id etiam ſedulo incubui, vt nomina Deorum Aegyptiorum, aliaque, quae Aegyptiis propria fuiſſe nouimus, non ex peregrino, Hebraeorum, Arabum, aut etiam Graecorum, ſermone, qui multorum mos eſt; ſed ex auita Aegyptiorum dialecto, cuius reliquiae ampliſſimae et copioſiſſimae, in lingua ita dicta Coptica, hodieque ſuperſunt, diligenter explicarem ac illuſtrarem. His itaque ſubſidiis inſtructus, in ſtudio, multis ceteroquin, magnisque difficultatibus impedito, progreſſus paulatim feci non poenitendos, eosque me feciſſe, cum aliquo certitudinis ſenſu intellexi. Tuum vero erit, Beneuole et candide Lector, arbitrari, num quid ſpei et opinioni meae, euentus reſponderit.

[illegible]

PRAEFATIO.

Commentarius meus de Diis Aegyptiorum, quandoquidem Bibliopola, vir honeſtus, mihique amiciſſimus, magnopere me vrſit, vt aliquid ſaltem illius, Nundinis nunc inſtantibus, publici iuris facerem, in duas Partes diſtribuendus fuit. Pars prima, quae iam tibi offertur, operis huius libros duos priores complectitur, quorum ſumma capita et argumenta ipſis his libris praefixa videbis. Acceſſura his erant, Prolegomena paulo prolixiora, de Regione et Theologia veterum Aegyptiorum, in quibus, de idololatriae in illa regione initiis, de indole porro atque natura illius idololatriae, ac denique de modo tradendi doctrinam Theologicam, Aegyptiorum Philoſophis vſitato, non perfunctorie diſputatur; verum, quoniam imminebant Nundinae Lipſienſes, quibus Commentarium meum ſe publicaturum eſſe, promiſerat Bibliopola, operae vero typographicae, aliis negotiis diſtractae, votis noſtris ſatisfacere non poterant, oportuit illa in Partis ſecundae editionem reiicere. Ne vero neſcias Lector, quaenam ſint argumenta

Cap. II. *De Typhone, malo Daemone, eiusque Cognominibus, Baby, Seth, Apopi.*

Cap. III. *De Nephthy, Typhonis vxore, et Thueri, pellice eiusdem.*

Cap. IV. *De Canobo, et Menuthi, illius vxore.*

Cap. V. *De Thot, Hermete, ſeu Mercurio Aegyptiorum.*

Cap. VI. *De Aeſculapio Aegyptiorum.*

Cap VII. *De Beſa, Paamyle, et Palmyte, Aegyptiorum Diis.*

Omni vero ope et contentione annitar, quod et Bibliopolae, viro optimo pollicitus ſum, vt Pars ſecunda, quae libros tres poſtremos continet, primam quantocyus ſubſequatur. Et quia, dum in pertexendo Commentario meo totus occupatus ſum, facile animaduerti, me ne ſic qui-

quidem omnia, quae ad Religionem et Theologiam Aegyptiorum veterum, ab omni parte recte cognoſcendam faciunt, exhaurire potuiſſe; ſed multa etiamnum ſupereſſe, quae vberiorem et diſtinctam magis explicationem deſiderant, illis etiam, ſi lectori cordato, conatus meos non improbari didicero, poſthaec manum diligentem admouebo. Inter ea locum primum tenebit *Aegyptus antiqua ſacra*, ſiue Diſſertatio de Templis Deorum, per totam Aegyptum conſtructis, et ſacris inibi fieri ſolitis. Excipiet eam *Explicatio Tabulae Bembinae*, vel, vti nuncupari aſſolet, *Iſiacae*, quae potiora Aegytiorum Feſta, per annum celebrata, *in imagine* repraeſentat, *cuius* ſpecimina dedi, in Miſcellaneorum Berolinenſium Tomis, VI. et VII. illique ſubiiciam peculiare de diebus Feſtis Aegyptiorum Schediaſma, cuius pariter ſpecimen quoddam exhibui, in Miſcellaneorum illorum Tomo VII. Et ſi Deus longiorem vitae et valetudinis vſuram clementer in-

dulſerit, his denique addam, Syntagma *de Sacerdotibus Aegyptiorum, eorumque variis ordinibus.* Quibus omnibus rite expoſitis, et in idonea luce collocatis, Religio et Theologia veterum Aegyptiorum quantum id Monumenta huius rei antiqua, quae aetatem tulere, permittunt, ſatis cognita nobis et perſpecta dici poterit. De erroribus typographicis, qui, quod vehementer doleo, in partem primam ſatis numeroſi irrepſerunt, aliquid adhuc dicendum eſſet. Verum me quidem, qui a loco impreſſionis tam longe abſum, lector aequus facile excuſatum habebit. Ceterum operam dabo, vt omnia in fine Partis ſecundae, diligenter et ſollicite annotata deprehendantur. Dabam Francofurti ad Viad. pridie Dominicae Iubilate, Anni MDCCL.

CON-

CONSPECTVS
ARGVMENTORVM ET CAPITVM PARTIS PRIMAE.

LIBER I.

DE PRIMIS RERVM OMNIVM PRINCIPIIS, SECVNDVM AEGYPTIOS, DIISQVE NATVRAE SPIRITVALIS.

Cap. I. *De Athor, quam Graeci Venerem interpretantur.*

Cap. II. *De Phtha, Aegyptiorum Vulcano.*

Cap. III. *De Neitha, eorundem Minerua.*

Cap. IV. *De Cnuphi, ſiue Agathodaemone.*

Cap. V. *De Tithrambone, et Thermuthi, Aegyptiorum Hecate.*

LIBER

CONSPECTVS.

LIBER II.

DE SOLE, NVMINIBVSQVE AB AEGYPTIIS AD SOLEM RELATIS.

Cap. I. *De Oſiride, ſiue Sole.*

Cap. II. *De Ammone, Aegyptiorum Ioue.*

Cap. III. *De Somo, Aegyptiorum Hercule.*

Cap. IV. *De Horo, Aegyptiorum Apolline.*

Cap V. *De Serapi, ſiue Sole Aegyptiorum infero.*

Cap. VI. *De Harpocrate, Sole, ſub tempus Solſtitii hyberni renouato.*

Cap. VII. *De Mendete, Eſmuno, et Antaeo, Aegyptiorum Pane.*

DE

DE
DIIS AEGYPTIORVM
LIBER I.
qui eſt
de Diis gentis huius ſpiritualibus, inuiſibilibus et aeternis.

CAPVT I.
De Athor Aegyptiorum Dea, quam Graeci Venerem interpretantur.

§. I.

Ea fuit Theologiae Aegyptiacae, quae vulgo tradi ſolebat, indoles, ea cultus Diuini, quem Niligenae Numinibus ſuis offerebant, ratio, tale ſolennium celebritatum ab illa gente in Deorum ſuorum honorem inſtitutorum ingenium, vt qui haec omnia oculo tantum fugitiuo ac veluti curſorio contempla-

Aegyptii coluerunt etiam Deos inuiſibiles, naturae ſpiritualis, de quibus hoc libro agitur.

tur, neque fracto exteriori cortice in medullam intimam perrumpit, imaginari ſibi perquam facile poſſit, populum ob rerum diuinarum ſcientiam olim perceIebrem, cuius Sapientiam admirandam, tota Vetuſtas, et ipſa adeo S. Scriptura praedicat, nihil coluiſſe niſi Deos materiales, viſibiles, totam rerum adſpectabilium naturam, Coelos, Terram, Solem, Lunam ac Aſtra, Nilum denique et quaecunque exiſtimabant fertilitatis terrae ſuae cauſas efficientes proximas. Et certe fuerunt ſemper et olim et nunc viri longe eruditiſſimi, qui hoc ipſum, quod ſibi primum perſuaſerant, etiam aliis adductis argumentis valde ſpecioſis demonſtrare anniſi ſunt. At enim ſuſpicionem talem, in gentem ab ipſis fere incunabulis perpolitam, et quae ſcientiarum omnium mater quodam ſuo iure dici poteſt, praeter omne eius meritum cadere, Liber hicce, vt ſpero, palam faciet, praecipue cap. III, et de eodem argumento etiam quaedam diſſeremus in Prolegomenis de Theologia antiquorum Aegyptiorum. Liber enim hicce noſter primus Doctrinam vetuſtorum Aegypti Philoſophorum, de Spiritu aeterno, inuiſibili, omnipotenti, nullis ſenſibus, ſed ſola tantum mentis acie percipiendo, explicabit. Vt vero doctrinam hanc tum ordine quodam perſpicuo tradamus, tum methodo quoque illorum Philoſophorum tanto magis attemperemus, dicendum nobis erit I. de Athor, ſiue Venere; II. de Phtha, ſiue Vulcano; III. de Neitha, ſiue Minerua; IV. de Cnuphi, ſeu Agathodaemone; V. de Tithrambone, vel Nemeſi, id eſt ſcelerum et criminum vindice. Capite hoc primo agemus nunc de Dea Athor, ſiue Venere, de reliquis vero diſſeretur capitibus inſecutis.

Illis tamen praemit- §. 2. Ordior ab Athor ſiue Venere, eo quod Veteres Aegyptiorum Sapientes, illam per σωματοποιΐαν finxerunt primum rerum omnium principium.

Equi-

tenda Athor Graecis dicta Venus.

Equidem Numen hoc vetuſtiſſimum multa denſaque hactenus caligine obrutum jacuit, paucis profecto vel de nomine notum, quod cordatus quisque non inuitus fatebitur; verum operam dabimus diligentem, vt ope bonorum et fidei non ſuſpectae monumentorum, ac cumprimis veteris Aegyptiorum ſermonis, qui in Coptica lingua magna ex parte adhuc ſupereſt, Numen hoc ex tenebris in lucem protrahamus, et quae qualisue fuerit, demonſtremus.

De Numine Athor Veterum teſtimonia.

§. 3. Et primo quidem in dubium a nemine vocari poterit, fuiſſe aliquod vetuſtioribus Aegypti incolis Numen, magna veneratione cultum, ab ipſis quidem vocatum ATHOR, quod vero Graeci, qui omnia diuerſarum gentium Numina ad Theologiam ſuam referre atque accommodare ſolent, Venerem interpretati ſunt. Docet hoc ORION, Grammaticus non incelebris, cuius teſtimonio auctor ETYMOLOGICI MAGNI ſaepius vtitur, qui et haec ex eo excerpſit in voce 'Αθὺρ.' 'Αθὺρ ὁ μὴν, καὶ τὴν Ἀφροδίτην Αἰγύπτιοι καλᾶσιν 'Αθώρ· Καὶ μῆνα γε τὸν τρίτον τᾶ ἔτας ἐπώνυμον ταύτῃ πεποιήκασιν: ἄτως 'Ωρίων. *Athyr eſt nomen menſis. Aegyptii etiam Venerem vocant Athor, et ab eadem tertium anni ſui menſem denominarunt.* Equidem praeter hunc Orionem, non ſuccurrit quisquam alius, qui rem eandem verbis diſertis ita tradiderit; ſed adſunt tamen alia, quae, vbi cum teſtimonio Orionis, et inter ſe comparantur, dubitationi locum nullum relinquunt. Faciunt ad rem hanc verba HESYCHII ſequentia: Ἀθὺρ μὴν καὶ βᾶς παρὰ Αἰγυπτίοις. *Athyr. Ita Aegyptiis dicitur et menſis quispiam et bos.* Quod ad menſem attinet, idem iam vidimus tradere Orionem. Et eſt ſane res notiſſima, tertium anni Aegyptiaci Menſem, Niligenis dictum fuiſſe *Athyr*, quippe quod Veteres, Graeci et Romani, perſaepe teſtantur. In Coptorum libris nomen hoc ſemper ſcribitur *Athor*,

 Ἀθώρ,

Ἀθὼρ, idque nos monere ORION non neglexit. *Venerem*, inquit, *Aegyptii vocant Athor*, *et ab ea tertium anni ſui menſem denominarunt*. Quando vero HESYCHIVS addit, Aegyptios bouem pariter dixiſſe Ἀθύρ, (*Athyr*) id non de boue naturali; ſed de noſtra tantum *Athor* intelligi poteſt. Nam Simulachrum huius Deae, ſumma Aegypttorum religione conſecratum, fuiſſe bouem foeminam, vel vaccam, docebimus §. 15 huius capitis. Sed omnium optime * HERODOTVS, ſcriptor antiquitatis vltimae, obſeruationem ORIONIS de *Athor*, teſtimonio ſane egregio confirmat. Scribit is namque Lib. II, cap. 41, vrbem eſſe in Praefectura Proſopitide, cui nomen fuerit Ἀτάρβηχις, *Atarbechis*, quod ego, vti ** alio loco iam monui, interpretor *Aphroditopolin*, id eſt *Veneris vrbem*. Interpretationis huius argumentum inuictum, HERODOTVS ipſe mihi ſubminiſtrat, quando l. c. de vrbe illa hoc commemorat. Ἐν δὲ αὐτῇ Ἀφροδίτης ἱρὸν ἅγιον ἵδρυται· *In illa ſacroſanctum Veneri Templum eſt*. Vrbem hanc Strabo, de eadem plane loquens, Lib. XVII, p. 552, (Edit. Caſaub. de an. 1587) appellat Ἀφροδίτης πόλιν. Nempe HERODOTVS dederat noibs ipſum patrium vrbis illius nomen Ἀτάρβηχιν, vel, *** vti ſcribendum eſſe cenſeo,

Ex Scriptoris huius teſtimonio colligere datur, diu ante Herodotum, cultum τῆς *Athor*, apud Aegyptios receptum fuiſſe. Verum id aliis quoque argumentis probari poteſt. In ERATOSTHENIS catalogo regum Thebaeorum in Aegypto, trigeſimus primus vocatur *Penteathyris*. Id vero Aegyptiorum ſermone audit Π-ϨΟΝΤ ⲁⲑⲱⲣ (vel ⲉⲭⲱⲣϩ) *P-Hont Athorb*, quod ſignificat *Summum Sacerdotem Veneris*. Hunc vero exitu Iſraëlitarum ex Aegypto antiquiorem facit MARSHAMVS in Canone Chronico.

** In Exercitat. de Remphah, p. 77.

*** Ibidem.

cenſeo, Ἀτάρβηχιν; STRABO vero ſecutus, Scriptores graecos nomen Aegyptiacum interpretatur cum illis Ἀφροδιτόπολιν, non male. Ἀτάρ enim, vel, vt ſcribit ORION Ἀθὼρ, eſt ſecundum interpretationem Graecorum *Venus*. ⲂⲀⲔⲒ porro, (*Baki*) ſermone Aegyptiorum auito et Coptico *vrbs* dicitur, ex quo patet, Ἀτάρβηχιν eſſe Ἀφροδιτόπολιν, *Veneris vrbem*.

§. 4. Sic igitur ORIONIS teſtimonium extra omnem dubitationis aleam collocauimus. Habuerunt Aegyptii omnino Numen ſancte cultum, quod ex vernaculo gentis huius ſermone depromtum, Graeci modo ἀτάρ, modo Ἀθύρ, modo etiam Ἀθώρ ſcribere ſolent, quodque ipſi *Venerem* interpretantur. Hic vero cogitandum non eſt de *Venere* Graecorum, fabulis Poëtarum tantopere celebrata, e ſpuma maris orta, Vulcani vxore, meretricum et libidinum infandarum patrona. Sunt hae fabulae Graecorum, ſucceſſu temporis a poëtis paulatim in Theologiam eorum inuectae, ſed Aegyptiis, et in vniuerſum Orientalibus peregrinae. Aliud omnino fuit Numen illud religione Orientalium conſecratum, quod Graeci, vbi de eo verba faciunt, *Venerem* nuncupare conſueuerunt, quia viſi ſibi ſunt, inter Numen illud, ſuamque Venerem, aliquam conuenientiae ſpeciem deprehendiſſe. Quoniam vero rationes ſunt, ob quas Numen illud etiam ad *Iunonem* ſuam referri poſſe putent, hinc eſt, quod in eorum libris, * nunc quidem *Veneris*, nunc vero etiam *Iunonis* nomine deſignari videamus. Et quando Numen iſtud *Veneris* nomine inſigniunt, vt id tamen a Graecorum Venere, libidinum Prae- *Quo ſenſu Athor Numen Venus dicatur.*

A 3 ſide

* Loca Veterum, quae id docent, pluſcula, congeſſi in Diſſert. ea de re, quae extat in Miſcell. Lipſ. Vol. VI, pag. 50, 51.

ſide diſtinguant, ſolent eam cognominare * *Venerem Coleſtem*, aut ſimpliciter ** *Coeleſtem*. Eaque ſine dubio ratio eſt, quod Scriptores iidem graeci, vbi de Venere Aegyptiorum, ſiue *Athor*, ſermonem iniiciunt, eam *Iunonem* quoque, aut *Coeleſtem* itidem nuncupare ſoleant. Conſtat, veteres de *** *Iunone Aegyptiorum* paſſim loqui; et HERODOTVS tamen, qui celebriora in Aegypto templa omnia perreptauit, et in rationes ſacrorum gentis huius diligentia ſcrupuloſa inquiſiuit, conceptis verbis teſtatur, Aegyptiis *Iunonem* incognitam plane eſſe Lib. II, c. 50. Haec inter ſe conciliari alia via non poſſunt, quam dicendo, HERODOTVM loqui de Iunone Graecorum, quam Aegyptii vere ignorabant, alios vere de Iunone Orientalium, quae cum Venere confundi conſueuit. Licet hinc non inuita Minerua concludere, ea omnia, quae de Iunone Aegyptiorum in Veterum libris obuia ſunt, ſpectare ad noſtram *Athor*, quam communius *Venerem* interpretari ſolent. Eandem *Venerem*, *Coeleſtem* ab Aegypti incolis nuncupari, ſcribit AELIANVS de Anim. Lib. X, c. 27, vt nimirum ſic eam a vulgari Venere Graecorum diſcernere doceat.

Quidnam Orientales per Venerem ſuam vel Iunonem intellexerint.

§. 5. Quid vero Orientalium Philoſophi et Theologi, per illam ſuam *Iunonem*, ſiue mauis *Venerem Coeleſtem*, deſignare proprie voluerint, quamque vim ac virtutem illi attribuerint, dictu tanto difficilius eſt, quod magnus in hac re Veterum inter ſe diſſenſus non poſſit non obſeruari. Multi Venerem hanc nihil aliud

* ** Vide Miſcellanea Lipſ. Vol. VI, p. 52, 53.

*** MANETHO Sacerdos Aegyptius, apud PORPHYRIVM de Abſtin. Lib II, p. 223, Edit. Lugdun. DIODORVS p. 13 et 14. HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I, cap. 11, et alii.

aliud re ipſa fuiſſe volunt, quam * Lunam, Numen a cunctis gentibus ſumma religione cultum. Alii potius augurantur, Orientales in Venere ſua ** *Planetam* inprimis *Veneris* cultu religioſo veneratos fuiſſe, cui ante omnes, Arabes magnopere deditos fuiſſe, conſtat. His, quae iam dudum viri omni doctrina egregie ornati multis perſecuti ſunt, nunc non immorabimur. Non tamen praetermittere poſſum, quod MACROBIVS antiquitatis omnis, ac Theologiae cumprimis Veterum indagator diligentiſſimus, ad argumentum praeſens ſpectans memoriae prodidit Saturnal. Lib. I, cap. 21. *Phyſici*, inquit, *terrae ſuperius hemiſphaerium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt, inferius vero hemiſphaerium terrae Proſerpinam vocauerunt. Ergo apud Aſſyrios, ſiue Phoenicas, lugens inducitur Dea: quod Sol annuo greſſu, per duodecim ſignorum ordinem pergens, partem quoque hemiſphaerii inferioris ingreditur — et cum eſt in inferioribus, et ideo dies breuiores facit, lugere creditur Dea, tanquam Sole raptu mortis temporalis amiſſo, a Proſerpina retento. — Simulachrum huius Deae in monte Libano* (loquitur de celebri Venere Aphacitide) *fingitur capite obnuto, ſpecie triſti — Quae imago, praeter quod lugentis eſt, vt diximus Deae, terrae quoque hyemalis eſt* etc. Quae ideo potiſſimum hic adſcripſi, quod ſimilia prorſus de Venere ſua memoriae quoque prodiderint Aegyptiorum Sacerdotes, quod infra pluribus perſequemur §. 14.

§. 6. Verum enim vero illud ante omnia obſervare hic operae pretium eſt, Orientales plerumque in Venere **Orientales per Vene-**

* Vide SELDENVM de Diis Syris Syntagm II, cap. II, IV; et VOSSIVM de Idol. Lib. II, cap. XXI, XXII.

** Vide et hic SELDENVM Synt. II, c. IV; RELANDVM de Relig. Mohammed. p. 155, 156; et HIERONYMVM in vita Hilarionis Opp. T. IV, Part. II, col. 82.

rem deſi- gnarunt et- iam totam rerum o- mnium Na- turam.

Venere ſua Coeleſti, vel Iunone colere voluiſſe totam quodammodo rerum Naturam, aut naturae magnam Parentem. Ex illorum certe ſententia, PLVTARCHVS in vita Craſſi p. 553, fin. de Dea Syrorum Hierapolitana, hunc in modum diſputat: Ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι, καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν. *Quam Venerem quidam, alii Iunonem, nonnulli eam, quae incunabula et ſemina omnibus ex humido praebuit, cauſam et naturam arbitrantur eſſe, et quae principium omnium bonorum, quae in homines redundant, ipſis commonſtrauit.* Rem hanc ipſam, etſi paucioribus ſignificat PTOLEMAEVS in Tetrabiblo, et Paraphraſtes eius PROCLVS Lib. II, pag. 97, loquens de Populis Syriae, Phoeniciae, Aſiaeque minoris: *Earum incolae fere vbique Stellam Veneris,* (τὴν ♀) *quaſi Deorum matrem, ſupplices venerantur, variis indigeniſque nominibus inditis.* Inter nomina indigena, quibus Dea illa a Syris colebatur, ponendum vtique nomen apud gentes illas inclytum *Atergatidos,* de qua ſimilia notauit SIMPLICIVS in Ariſtotelis Lib. IV, Auſcultat. Phyſ. p. 150 a. Edit. Ald. Διὸ καὶ τὴν Συρίαν Ἀταργάτην (ita legendum) τόπον θεῶν καλοῦσι, καὶ τὴν Ἶσιν οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς πολλῶν θεῶν ἰδιότητας περιεχούσας. *Idcirco etiam Atergatiden, Syrorum Deam, vocant* * *locum Deorum, vti et Aegyptii Iſin ſuam, eo quod plurimorum Deorum proprietates in ſe comprehendant.* Egregie his concinunt, quae APVLEIVS de Iſide Aegyptiorum, quam et *Venerem coeleſtem* appellitat, ex arcana gentis illius Theologia memoriae prodidit. Eam namque in principio Lib. XI ſic alloqui-

* ORPHEO, aliiſque vetuſtis Graecorum Theologis, *locus Deorum* et *Mater Deorum,* idem ſignificant.

alloquitur: *Seu tu coeleſtis Venus, quae primis rerum exordiis ſexuum diuerſitatem generato amore ſociaſti.* Apud eundem vero in ſequentibus Iſis ipſa de ſe haec praedicat: *En aſſum — rerum natura parens, elementorum omnium domina, ſeculorum progenies initialis, ſumma Numinum, regina Manium, prima Coelitum, Deorum Dearumque facies vniformis.* Quibus poſtremis verbis, auctor inprimis eruditus id videtur voluiſſe ſignificare, quod vetuſtioribus Theologis per *locum* et *Matrem Deorum*, ſubinnuere placuit. Sed de Iſide ſuo loco plura. Vetuſtiſſimae huius Theologiae veſtigia ſatis luculenta paſſim apud antiquos, tum Philoſophos, tum Poëtas, Graecorum et Romanorum reperiuntur. Inde ſine dubio arceſſenda eſt ea *Veneris* interpretatio, quae apud CICERONEM occurrit de Nat. Deor. Lib. II, cap. 27: *Quae autem Dea ad res omnes veniret, Venerem noſtri nominarunt.* A quibus non abludunt illa OVIDII Faſtor. Lib. IV, v. 91, ſeqq.

Illa (Venus) *totum digniſſima temperat orbem:*
Illa tenet nullo regna minora Deo:
Iuraque dat Coelo, terrae, natalibus vndis,
Perque ſuos initus continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum numerare) creauit,
Illa ſatis cauſas arboribusque dedit.

A pluribus hic iam congerendis, ne taedium lectori pariam, libenter abſtineo. Colligere ex his vnusquisque per ſe iam ſatis poterit, quaenam fuerit vetuſtiorum in Oriente Theologorum, de Numine illo, quod Graeci *Venerem* interpretantur, doctrina, et quid ipſi eo Numine deſignare et venerari voluerint, etſi priſca illa doctrina pedetentim labentibus ſeculis adulterata, corrupta, et in ſenſum alienum detorta fuerit.

 §. 7. Ve-

Athor Aegyptiis Noctem deſignat.

§. 7. Verum nunc iam propius ad *Venerem* Aegyptiorum, patrio ipſorum ſermone *Athor* dictam, accedamus. Vbi ante omnia de vera nominis huius etymologia nos ſollicitos eſſe oportet. Ea namque feliciter eruta, viam ad reliqua facilem et planam nobis aperiet. LA CROZIVS ὁ μακαρίτης, cuius exquiſita eruditio, et magna in his rebus peritia, omnium ore celebratur, aliquando ad me ſcribens, ſuſpicabatur, nomen Ἀθὼρ Aegyptiis deſignaſſe *Planetam Veneris* Theſ. Epiſtol. Tom. III, p. 159. Et ego quoque, in literis ad eundem, alia occaſione ſcriptis, a tali ſententia tum quidem me non alienum oſtendi Tom. I, p. 177. At vtrique noſtrum eo tempore in mentem non venerat luculentum Teſtimonium * ACHILLIS TATII, in Vranolog. Petavii p. 136, ex quo clare et certo conſtat, Aegyptios Planetis alia longe nomina indidiſſe, quam Graecos. Qualenam gens haec Planetae *Veneris* tribuerit; id quidem ignoramus, nomen enim hoc, vitio librarii, vt credere par eſt, excidit. Sed iſtud tamen ex teſtimonio illo certo ſcitur, Aegyptios Planetam hunc non *Veneri*; verum alii cuipiam Numini attribuiſſe. Ne ſimus iuſto prolixiores, miſſis aliis, quae de nomine Ἀθὼρ dicta forte ſunt, aut dici poſſent, noſtra ſententia, Ἀθὼρ, literis Aegyptiorum, quas nunc Copticas vocant, expreſſum, erit ⲉϫⲱⲣϩ id eſt *nox*, qua quidem voce Coptis nihil eſt familiarius et frequentius, eaque in libris eorum, editis manuque exaratis, ſexcenties occurrit. Litera ſecunda huius vocis, ϫ, ab Aegypti incolis hodieque, vt *th* blaeſum Anglorum, vel vt *g* Gallorum ante *e*, aut *i*, pronuntiatur, cumque in Alphabetho Graecorum non occurrat litera, ſonum hunc plene exprimens, ab illis vel per ϑ, vel per γ, vel alio etiam modo efferri

* Verba huius auctoris dedi & nonnihil excuſſi, in *Remphah illuſtrato*, p. 39, 40.

ſerri ſolet. Vix igitur vox Aegyptia ⲈⲬⲀⲒⲢⲌ melius quam *Athorh*, literisque graecis Ἀθὼρ, ſcribi potuit, eàque de cauſa, ſcriptionem iſtam huius vocis, ab ORIONE nobis ſuppeditatam, reliquis, de quibus §. 3, 4 dictum, omnino praeferendam eſſe cenſeo. Vt autem rationes, quae apud me effecerunt, vt hanc vocis Ἀθὼρ originationem veram et certam iudicem, ordine exponam, oſtendam primo, gentes fere omnes cultiores, interque illas, Graecos quoque antiquiores, ac denique ſigillatim Aegyptios, *Noctem*, tanquam Numen potens et magnum, eximia veneratione coluiſſe, et idem illud Numen, *Veneris* etiam nomine a Graecis deſignari conſueuiſſe.

§. 8. *Noctem* inter praecipua gentium Numina locum ſemper habuiſſe, et a populis cultioribus pro-medum omnibus impenſa religione cultam fuiſſe, vix probatione eget. Ex Phoenicum Theologia haec affert EVSEBIVS Praeparat. Euang. Lib. I; c. 10: Εἶτα φησι γεγενῆσθαι ἐκ τῆ Κολπία ἀνέμε καὶ γυναικὸς αὐτῆ Βααὺ, τῆτο δὲ νύκτα * ἑρμηνέυειν, αἰῶνα καὶ πρωτόγονον, θνητὲς ἄνδρας, ὅτως καλεμένες. *Deinde ſcribit* Sanchuniathon Phoenix, *ex Kolpia vento, atque vxore eius Baau, quod interpretantur Noctem,* ** *iterum vel Aeona, ac Primogenitum, mortales vtrumque procreatos.* En igitur *Noctem* principium rerum creatarum, in Theologia Phoenicum! Nomina in Fragmento hoc commemorata Κολπία et Βααὺ, eſſe hebraica, קול פי יה, *vox oris Dei*, et בהו *inane*, atque ex hiſtoria creationis Moſaica deſumta, dudum viri erudititiſſimi animaduerterunt. Vide ſis, HVGONEM GROTIVM in notis ad Lib. I, de

Nox Theologis Phoenicum Numen erat magnum, Principium rerum creatarum.

* Melius forte legeretur ἑρμηνεύει, et ſic latine verti.

** In Theologia Orphica *Phanes* et πρωτόγονος vnum ſunt. *Phanes* vero eſt αἰών, *aeuum*. Id enim Aegyptiis ſignificat ⲪⲈⲚⲈⲌ *Phaneh*. Hinc Orphei *Phanes*.

de verit. Rel. Chriſt. p. 239, Edit. Pariſ. et BOCHARTI Geogr. Sac. Part. II, Lib. II, c. 2. Traditionem hanc SANCHVNIATHONIS, ſiue is ſcriptor genuinus ſit, ſiue minus, ex priſca et genuina Phoenicum Theologia dimanaſſe, iure ambigi non poteſt. Nam ex EVDEMO Peripatetico antiquo, Ariſtotelis auditore et diſcipulo, qui ipſe MOCHVM ſcriptorem gentis Phoeniciae peruetuſtum ſecutus eſt, ſimilia fere quod ad rem, etſi aliis verbis concepta, de Phoenicum Theologia affert DAMASCIVS, in eximio fragmento libri *de Principiis*, quod beatus WOLFFIVS Hamburgenſis, in Anecdotis Graecis Tom. III, edidit, vbi p. 260 haec occurrunt: Αἰθὴρ ἦν τὸ πρῶτον καὶ ἀὴρ, αἱ δύο * αὗται ἀρχαί. ἐξ ὧν γεννᾶται Οὐλωμὸς ὁ νοητὸς θεός. *Aether erat primum atque aër, duo Mochi principia, ex quibus gignitur Vlomus, Deus intelligibilis*, ſolo nempe intellectu percipiendus. Quod in hiſtoria Moſaica Gen. I, 2 dicitur רוח אלהים, *Spiritus Dei*, vel, vti verba verti etiam poſſent, *Ventus Dei*, id SANCHVNIATHON, ſiue quisquis eſt, appellauit קול פי׳ *vocem oris Dei*, vel vti graeca translatio habet *ventum Kolpia*. MOCHVS vero id ipſum vocat *aetherem*. Vocem Moſaicam בהו *inane* retinuit SANCHVNIATHON, idque in graeca verſione effertur Βααῦ, eam vero vocem vertit νύκτα, *Noctem*, ſecitque eam vxorem *Kolpia*. Hanc vero MOCHVS vocat *aërem*. Ex *Kolpia* et *Nocte* ſecundum SANCHVNIATHONEM, naſcitur Αἰών, *aeuum*, ſecundum MOCHVM vero, ex *Aethere* et *Aëre* producitur *Vlomus*. Et quis in hoc *Vlamo* non illico agnoſcat Hebraeorum עולם, id eſt αἰῶνα, *aeuum*? Adeo igitur, etſi verbis inter ſe differant SANCHVNIATHONIS et MOCHI, Phoeni-

* Legendum videtur αὐτοῦ, *ipſius*, nempe *Mochi*. Et ſic verti.

Phoenicum θεολογούμενα, in re ipſa bene et amice concinunt, nobisque *Noctem*, vt principium rerum exiſtentium, et Venerabile Orientalium Numen, repraeſentant. Plura ex Phoenicum Theologia hic non addo.

§. 9. Sed plura vtique dabit nobis Graecia, quae temporibus antiquiſſimis, ex praeſcripto Orphei, vti auguror, et aliorum huius generis Theologorum, qui ex fontibus Orientalium ſua deriuauerant, Templa *Nocti* non infrequentia conſecrauit. Vetuſtiſſimum Deae huius *Noctis* Oraculum Delphicum memorat *auctor argumenti Pythiorum Pindari*, p. 85, Edit. Pauli Stephani. Pauſanias Megaris in Graecia obſeruat τὸ τῆς νυκτὸς καλούμενον ἐπιμαντεῖον; *illud, quod Noctis appellatur, Oraculum.* in Atticis, p. 97, fin. Edit. vltimae. Et eodem quoque teſte, in Templo Dianae Epheſiae viſendum erat Sacellum *Noctis.* in Phocic. p. 897. *Graeci etiam Noctem coluerunt, vt Numen.*

§. 10. Vt vero diſtinctius intelligatur, cuiusnam indolis Numen illud fuerit, quod antiquior Graecia paſſim, ſub *Noctis* nomine venerari conſueuerat, conſulere oportet Poëtas Graecos, ac inprimis eorum Theogonias et Coſmogonias. HESIODVS de ea ita canit in *Theogonia* v. 123. *Nox Graecis quoque erat Principium rerum creatarum.*

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο.
Ex Chao vero, Erebus et nigra Nox editi ſunt,
Ex Nocte porro Aether atque Dies prodierunt.

Idem in Oper. & diebus v. 17.

Τὴν δ' ἑτέρην προτέρην μὲν ἐγείνατο νὺξ ἐρεβεννή·
Alteram vero (contentionem) *priorem genuit Nox obſcura.*

Iungen-

Iungendus huic ARISTOPHANES, qui Philoſophorum de origine rerum placita hunc in modum refert in *Auibus*, p. 573, Edit. Genev.

Χάος ἦν καὶ νὺξ ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον. καὶ Τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' ἐδ' ἀὴρ, ἐδ' ἐρανὸς ἦν. ἐρέβες δ' ἐν ἀπείροισι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠὸν
Ἐξ ἐ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός.

Chaos erat et Nox, nigerque Erebus primum et ingens Tartarus.
Terra vero nondum erat, neque aër, neque coelum: in immenſis autem ſinubus Erebi,
Nox alas nigras habens primum omnium parit ouum ſubuentaneum,
Ex quo reuoluto certo tempore emerſit gratus amor.

Comico huic alium adiungimus, ANTIPHANEM, ex cuius *Theogonia*, nunc deperdita, haec refert IRENAEVS contra haereſ. Lib. II, c. 14, init. edit. vltimae Pariſ. *Antiphanes in Theogonia, de Nocte et ſilentio Chaos emiſſum dicit, dehinc de Chao et Nocte cupidinem, et ex hoc lumen, dehinc reliquam ſecundum eum primam Deorum geneſin.* Pertinet itaque *Nox*, ſecundum vetuſtos Theologos, ad primam Deorum principum geneſin. Neque cogitare hic licet, eſſe hanc tantum fictionem arbitrariam Poëticam, nam Poëtas id deſumſiſſe ex antiquiſſimorum Graeciae Philoſophorum et Theologorum placitis, liquet abunde ex illis ARISTOTELIS Metaph. Lib. XII, cap. 6: ὡς λέγεσιν οἱ θεόλογοι, οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες, ἢ ὡς οἱ φυσικοὶ, ἦν ὁμε πάντα χρήματα. *Vt dicunt Theologi, qui omnia ex Nocte producunt, vel,*

vt

vt Phyſici, omnia erant mixta. Et poſt pauca: οὐκ ἦν ἄπειρον χρόνον χάος ἢ νύξ. *Non potuit per tempus infinitum perſeuerare Chaos vel Nox.* Vnde etiam ſatis aeſtimare quiuis poteſt, quidnam Graecorum et Poëtae et Philoſophi per *Noctem* ſubinnuere voluerint. Certe eam conſiderari voluiſſe, vt Principium rerum exiſtentium, ea quae attulimus, abunde probant. Ea quoque cauſa eſt, cur Poëtae Deam hanc appellare ſoleant * antiquam, vel omnibus priorem.

§. II. Nuſpiam vero frequentior *Noctis* mentio occurrit, quam apud *Orphicos*, qui illam inter Principia rerum omnium pariter ponunt, quod ex PROCLI in Timaeum Platonis Commentario, ex eiusdem porro Libris de Theologia Platonica et ex DAMASCII Fragmentis Libri de Principiis, a Wolffio editis, plus ſatis perſpici poteſt. Doctrinam ea de re Orphicam paucis hunc in modum exponit TIMOTHEVS Chronographus, apud SYNCELLVM, et EVSEBIVM in Chronico graeco Scaligeri p. 4, et ex eo SVIDAS in voce Ὀρφεύς. Ex eo paucula haec excerpamus. Ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη τῷ κόσμῳ ὁ αἰθὴρ ὑπὸ θεοῦ δημιουργηθείς. ἐντεῦθεν δὲ κἀκεῖθεν τοῦ αἰθέρος ἦν χάος καὶ νὺξ ζοφερὰ, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα, σημαίνων, τὴν νύκτα προτερεύειν. *Ab initio apparuit in mundo aether a Deo productus. Inde vero ex Aethere natum eſt Chaos et Nox caliginoſa, haec vero omnia, quae erant ſub Aethere, obtexit, quo innuere voluit Orpheus; Noctem aliis rebus eſſe priorem.* Additur ibidem ex ORPHEO, cunctis adeoque Nocte ſuperiorem fuiſſe Opificem ſupremum et incomprehenſibilem. Vera tamen et genuina

Eadem de Nocte doctrina quoque fuit Orphicorum.

* ORPHEVS, vel quisquis eſt auctor carminum ipſi tributorum, in Voto ad Muſaeum v. 24. ARATVS in Phaenom. v. 407, et ad illum THEO vetus interpres graecus.

nuina antiquiſſimi huius Graecorum Theologi doctrina de rerum origine ab omnibus non eodem modo referebatur. Nam Peripatetici quidem, hanc Theologiae Orphicae indolem eſſe aſſerebant, *Noctem* praecedere res cunctas, neque illa antiquiorem aut priorem fuiſſe Mentem diuinam, cuncta creantem et ordinantem. Ita DAMASCIVS *de Principiis* in Anecdotis graecis WOLFFII Tom. III, p. 256, cuius verba latine conuerſa hic exhibeo. *Illa vero Theologia, quam* Eudemus *Peripateticus ad Orpheum, tanquam auctorem aperte refert, intelligibile omne* (vel mentem diuinam) *ſilentio praetermiſit. Omnium vero rerum initium et originem ex Nocte deduxit.* Secundum Pythagoraeos vero et Platonicos, in θεολογυμένοις ORPHEI, ad *Noctem* accedit aliud Principium, illa prius, Mens nempe Diuina aeterna, quae mediante et interueniente Nocte, omnia produxit. Et Platonicis his vehementer profecto fauent *Poëmata* illa *Orphica*, quae ſub nomine ORPHEI a veteribus Grammaticis, Hiſtoricis, Philoſophis cum maxime, et ſaepe etiam a Chriſtianis, in teſtimonium aduocantur, quorumque fragmenta, ex variis ſcriptoribus collecta, ediderunt H. STEPHANVS, in *reliquiis Poëſeos Philoſophicae*, et AND. CHRIST. ESCHENBACHIVS in *Epigene Orphico;* ſed quibus permulta etiamnum addi poſſunt. Extabat in Orphicis illis Poëmatibus, Dialogus *Noctis* et *Iouis*, ſiue *Opificis* et *Creatoris*, de quo conſuli poteſt ESCHENBACHIVS in *Epigene*. p. 79, etc. In illo Opifex mundi *Noctem* ſic alloquebatur:

Μαῖα θεῶν ὑπάτη, νὺξ ἄμβροτε, πῶς τάδε φράζεις,
Πως χρὴ μ' ἀθανάτων ἀρχὴν κρατερόφρονα θέσθαι;
Πῶς δέ μοι ἕν τε τὰ πάντ' ἔςαι καὶ χωρὶς ἕκαςον.

Nutrix

Nutrix Deorum ſumma, Nox immortalis, quomodo
haec dicis?
Qua ratione oportet me Deorum immortalium origi-
nem prudenter conſtituere?
Et qua ratione efficiam, vt omnia ſint vnum, et eorum
tamen quodque ſeorſim exiſtat?

Reſpondet tum Nox:

Αἴθερι πάντα πέριξ, ἀφάτῳ λάβε, τῷ δ' ἐνὶ μέσσῳ
Ὀυρανὸν, ἐν δὲ τε γαῖαν ἀπέιριτον, ἐν δὲ θάλασσαν
Ἐν δὲ τε τέιρεα πάντα τάτ' ὀυρανὸς ἐςεφάνωται.

Omnia aethere immenſo circumda, et in eius medio
Loca cœlum, in hoc vero terram interminabilem,
et mare
Et aſtra omnia, quibus cœlum eſt coronatum.

Ex his intelligere licet, qualisnam fuerit ORPHEI de *Nocte* doctrina, eaque; ſi operae pretium eſſet, ex * PROCLI in Timaeum Commentariis, pluribus illuſtrari poſſet. Verum difficile non eſt, coniectura aſſequi, Peripateticos Poëmata haec contemſiſſe, iisque, tanquam a diſcipulis Pythagorae confictis, Orpheoque falſo ſuppoſitis, fidem omnem denegaſſe.

§. 12. Ab ORPHEO tanto libentius nunc ad ipſos Aegyptios tranſeo, quandoquidem ex conſenſu totius antiquitatis certum eſt atque exploratum, Poëtam illum Theologum, in Aegypto, a ſacerdotibus ſcientiis ipſorum arcanis imbutum initiatumque, poſtea, quae a Sacerdotibus Aegyptiis didicerat, Graecis tradidiſſe. Dubitare hoc nos non ſinit, eum etiam hanc ſuam de *Nocte* doctrinam ex diſciplina Theologica *In Theologia Aegyptiorum Nox erat Numen pariter, rerum omnium Principium primum.*

* Vide v. g. in Lib. II, p. 99. et 101. in Lib. V, p. 293. etc.

gica Aegytiorum hauſiſſe. Et ſane aliunde etiam nobis conſtat, *Noctem*, vt ſummum potentiſſimumque Numen, Aegyptiorum filiis in veneratione ſumma fuiſſe, et de ea, praeſertim in doctrina ſacerdotum arcana, tradita fuiſſe non pauca, aliorum Orientalium placitis, de quibus vidimus, conſona. Extat eam in rem locus obſeruatione noſtra hic non indignus apud THEONEM *Smyrnaeum*, de Muſica cap. 47. p. 164. Ἐν δὲ αἰγυπτιακῇ ϛήλῃ, φησὶν Ἔυανδρος εὑρίσκεσθαι γραφὴν Βασιλέως Κρόνου καὶ Βασιλίσσης Ῥεάς

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ. ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ, ΠΝΕΥΜΑΤΙ, ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩ, ΗΛΙΩ, ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗ, ΚΑΙ ΓΗ, ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ, ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ * ΕΡΩΤΙ ΜΝΗΜΕΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΑΡΕΤΗΣ ΒΙΟΥ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ.

In Columna quadam Aegyptiaca, ait Evander reperiri hanc Inſcriptionem:

ANTIQVISSIMVS OMNIVM REX OSIRIS. DIIS IMMORTALIBVS, SPIRITVI, ET COELO, SOLI, ET LVNAE, ET TERRAE, ET NOCTI ET DIEI, ET PATRI EORVM QVAE SVNT, QVAEQVE FVTVRA SVNT, AMORI, MONVMENTVM HOC POSVIT VIRTVTIS IPSIVS ET VITAE AB IPSO ORDINATAE.

Inſcriptio haec, quod diſſimulare non poſſum, quoad genium ſtylumque, in quibusdam non Aegyptiorum, ſed

* Ita recte et opportune correxit REINESIVS in Syntagm. Inſcription. p. 210, quem in verſione ſecutus ſum.

ſed *Graecorum* redolet, neque intercedo, ſi quis eam per Graecos, ſaltem adulteratam eſſe, ſuſpicetur. Id tamen ex priſca et genuina antiquorum Aegyptiorum Theologia omnino petitum eſt, quod in hac Inſcriptione * octo memorentur primarii Aegyptiorum Dii, et inter illos *Nocti* quoque ſuus aſſignetur locus. Ad *Noctem* Aegyptiorum referre quoque oportet, quae de Σκότῳ *Tenebris*, in Aegyptiorum Theologia vetuſta tradita fuiſſe diſcimus. Nam id, quod lucem, ſiue Mundum hunc creatum, ordinatum, et diſpoſitum anteceſſit, Veteres modo dicunt *aërem*, modo *Noctem*, modo *Tenebras*. Quid vero de hiſce Tenebris in arcana, paucisque cognita Aegyptiorum Theologia fuerit traditum, doceat nos DAMASCIVS de *Principiis* in Anecdotis WOLFII Tom. III, pag. 260 **. *Αἰγυπτίȣς δὲ ὁ μὲν Εὔδημος ȣ̓δὲν ἀκριβὲς ἱστορεῖ· οἱ δὲ Αἰγύπτιοι καθ' ἡμᾶς γεγονότες Φιλόσοφοι, ἐξήνεγκαν αὐτῶν τὴν ἀλήθειαν κεκρυμμένην, εὑρόντες ἐν Αἰγυπτίοις δή τισι λόγοις, ὡς εἴη κατ' αὐτȣ̀ς, ἡ μὲν μία τῶν ὅλων ἀρχὴ Σκότος ἄγνωστον ὑμνȣμένη, καὶ τȣ̃ το τρὶς ἀναφωνȣμε:ον. Aegyptiorum ſententiam Eudemus non accurate ref rt. Philoſophi vero Aegyptii, qui noſtra aetate vixerunt, veram vetuſtiorum Aegyptiorum doctrinam, hactenus abſconditam, in lucem protraxerunt. Nam in libris quibusdam Aegyptiacis inuenerunt, unum*

 rerum

* Deorum octo primorum ab Aegyptiis cultorum, meminit etiam HERODOTVS Lib. II. c. 46. et 145. Totidem ſaepius numerantur in verſibus Orphicis, quos inter locum quoque habet *Nox*. Vide THEONEM loc cit. EVSEBII Praepar. Euang. L. III, c. IX. Adde MEVRSII Denarium Pythagoricum p. 94. 95. Nempe et hoc ab Aegyptiis traxerunt Orphici, ut permulta alia.

** In WOLFII Anecdotis verba hæc vitiis nonnullis ſcatent. Citauit eadem ipſa CVDWORTHVS ex Codice MS. longe correctius, in *vero Syſtemate intellectuali* p 337. Edit. Anglic. Eum igitur hic ſemper ſec itus ſum.

rerum omnium Principium, Tenebras videlicet incognitas, ſacris ipſorum hymnis celebrari, idque ter repeti. Extat et alius DAMASCII huius locus, in eundem ſenſum conceptus, quem ex libro eius inedito produxit STEVCHVS EVGVBINVS, et ex hoc CVDWORTHVS in Opere cit. p. 354, (non, vt vitioſe editum eſt, 414.) Edit. Londin. Πρώτην ἀρχὴν, σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκότος ἄγνωστον, τρὶς τοῦτο ἐπιφημίζοντες. *Primum rerum omnium principium eſſe Tenebras, quae omnem intellectum atque cognitionem ſuperant, quarum laudes hymnis ſacris ter repetunt.* Non dubito, quin haec ex bonis ac antiquis monumentis depromta fuerint, certe Scholam Orientalium, non Graecorum, ſapiunt, et Damaſcius, qui ea approbare non poterat, etſi ex libris antiquis excerpta, non diſſimulanda tamen eſſe putauit. Neque vero tamen haec doctrina ante Damaſcii aetatem ita abſcondita erat, atque incognita, quia illique etiam ab antiquioribus mentionem iniici videamus. Etenim de Aegyptiis PLVTARCHVS obſeruat, quod eorum haec ſit doctrina, ὅτι τὸ σκότος τοῦ φωτός ἐστι πρεσβύτερον *, *Tenebras eſſe luce antiquiores* Sympos. Lib. IV, p. 670. Idcirco iidem, teſte AELIANO de Animal. Lib. XI, c. 10, credi volebant, in Apide ſuo, Tauro ſacro, conſpici aliquod Symbolum, quo innueretur, τοῦ φωτὸς εἶναι τὸ σκότος πρεσβύτερον, *tenebras anteceſſiſſe lucem.* Doctrinam paulo obſcurius traditam, vt vidimus, DAMASCIVS ex antiquioribus libris, et arcana Theologia, nonnihil diſtinctius explicuit; ſed ceteroquin res ipſa Aegyptiorum Sermonibus ita erat celebrata, vt SIMPLICIVS in Ariſtotelis Phyſ. Auſcult. Lib. VIII, p. 268, a. cenſuerit, verba illa MOSIS Gen. I, 5: *Vocauitque Deus lucem diem, tenebras vero*

* Id eſt, quod dixit ORPHEVS § II. allatus, τὴν νύκτα πρεσβυτέραν, *noctem eſſe aliis rebus priorem.*

vero noctem: ſic fuit veſpera, et fuit mane diei primi, tranſlata fuiſſe ex Aegyptiorum fabulis, quibus perhibetur, Tenebras eſſe priores luce. Poteſt autem ex hoc SIMPLICII teſtimonio etiam id confirmari, quod diximus, in hac doctrina Aegyptiorum, vocem *Noctis* et *Tenebrarum* unum idemque ſignificare.

Probatur Noctem Aegyptiorum nullam aliam eſſe quam Athor.

§. 13. Verum quaerat quis, vtrum ea quae de *Nocte*, magno Orientalium ac ſigillatim Aegyptiorum Numine, huc vſque diſputata fuerunt, recte etiam, et ex mente Aegyptiorum, ad illud Numen, quod ipſi patrio ſermone *Athor* dixerunt, Graeci vero *Venerem* interpretati ſunt, transferri et applicari queant. Id igitur nunc inprimis oſtendendum, et idoneis rationibus conſtituendum mihi reſtat. Et primo quidem ſupra iam ad liquidum perduximus, Orientales pleroſque nomine *Veneris*, quemadmodum Graeci loquuntur, intellexiſſe fere, aut totam rerum Naturam, aut Naturae parentem, adeoque rerum, quae exiſtunt, Principium. Vide §. 6. Tale vero Numen eſſe *Noctem* Theologiae Aegyptiorum, modo nunc et ſatis prolixe probauimus. Nihil igitur Aegyptiorum Theologi dixerunt de ſua *Nocte*, quod non in eorundem *Athor*, ſiue *Venerem*, ex indole Theologiae ipſorum, quam optime quadret. Sed poſſumus praeterea adferrere, noſtram in rem, teſtimonia Veterum, quibus, ſi recte explorentur et explicentur, dari nihil diſertius poteſt. Audiamus HESYCHIVM, ex cuius Lexico quantiuis pretii, in voce Σκοτία, haec pro noſtra ſententia adducere poſſumus. Καὶ Ἀφροδίτης Σκοτίας ἱερὸν κατ' Αἴγυπτον. *Eſt quoque Veneris tenebricoſae Templum in Aegypto.* Oſtendimus autem §. 12 luculenter, in Theologia Aegyptiorum priſca, *Tenebras* et *Noctem*, rem vnam eandemque deſignaſſe. Eſt igitur profecto perinde, ac ſi HESYCHIVS ſcripſiſſet: *Aegyptii Templa erexerunt Veneri, Veneri illi, quam et Tenebras et Noctem vocant.* Meminerunt Deae huius Ae-

gyptiorum *σκοτίας*, *tenebricoſae*, praeter Heſychium, Scriptores quoque alii, interque hos DIODORVS SICVLVS, verum is eam non *Venerem* appellat; ſed *Hecaten*. Verba eius haec leguntur Lib. I, p. 87, Edit. Wechel. *εἶναι δὲ λέγουσι πλησίον τῶν τόπων τούτων καὶ Σκοτίας Ἑκάτης ἱερὸν, καὶ πύλας Κωκυτοῦ καὶ Λήθης διειλημμένας χαλκέοις ὀχεῦσιν*. *Dicunt etiam in vicinia eſſe fanum Hecates tenebricoſae*, (vel nocturnae) *et* * *Cocyti Lethesque portas, aeneis vectibus obſtructas*. Nempe vnum idemque Numen Graeci, prout id ad rem ſuam facere vident, nunc *Venerem*, nunc *Hecaten* vocant, nunc alio etiam modo interpretantur, quod neminem in rebus hiſce pauliſper exercitatum fugere poteſt. Neque omnino male *Athor*, Dea noctis, vel *Nox*, a Graecis comparatur cum Hecate, cuius Sacra ſunt nocturna, vnde VIRGILIVS Aen. IV, 609:

Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes.

et APVLEIVS Metamorph. Lib. XI, poſt init. *Siue tu Ceres, ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina*, quae quam accommodata ſint Templo Deae *Athor*, de quo loquuntur DIODORVS et PLVTARCHVS, a me hic adducti, loca ipſorum vnumquemque ſatis docere poſſunt. Sed citra omnes ambages et clare inprimis, id quod dixi, teſtatur auctor Hymnorum ORPHEO tributorum, qui in *Suffimento Noctis* ita canit:

Νύκτα

* PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 362 commemorat in Vrbe Memphi has ipſas *aereas portas Cocyti et Lethes*. Ex iis vero, quae de portis his illic narrat, videtur omnino ſequi, eum loqui de Templo Serapidis antiquiſſimo Memphitico, in quo ſepeliebatur Apis, teſte PAVSANIA, in Atticis, p. 42. Ibi itaque etiam *Athor*, *Dea tenebricoſa* Sacellum ſuum habebat.

Νύκτα Θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
Νὺξ γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσωμεν.

Canam Noctem, Deorum pariter atque hominum genetricem
Nox origo rerum omnium, quam et Venerem appellabimus.

Ecce tibi *Noctem*, Numen tale omnino, quale perhibet Theologia Aegyptiorum, eamque conceptis verbis Poëta docet, appellari quoque *Venerem*. An pluribus opus eſt? quae ceteroquin ex huius ipſius Poëtae carminibus addi poſſent. Denique et hoc non immerito vrgendum eſſe exiſtimo, quod Graeci tradant, *Venerem* Aegyptiorum, proprio ipſorum ſermone *Athor* dici. *Athor* vero Aegyptiis dici *Noctem* certum eſt. Vide §. 7. Neque puto, aliam nominis huius, ex lingua Aegyptiaca, originationem, aeque expeditam et commodam produci vnquam poſſe. Eſtne igitur, ut dubitemus amplius, ratio vlla iuſta?

§. 14. Haec igitur fuit antiquiſſima priſcorum Aegyptiorum de Numine ſuo *Athor*, ſiue *Venere* doctrina, quod vel ex eo clare liquet, quia eadem ipſis cum cultioribus Orientis gentibus aliis fuit communis, et, quod inprimis attendi meretur, quia continet reliquias ipſius traditionis Moſaicae de Coſmogonia, lapſu temporum tantummodo incruſtatas, ſemperque magis ac magis corruptas. Vide §. 8. An non res ipſa clare loquitur, antiquiſſimis hiſce Orientalium notionibus, procedente demum tempore, nouas notiones de his rebus, per Philoſophos et Phyſiologos ſequiores ſenſim inuectas, ſucceſſiſſe, et ſic antiquiores paulatim obliteratas, ac tandem obliuioni traditas fere fuiſſe? Accidit hoc quoque Aegyptiis. Illi itaque ſepoſita antiquiſſima ſuorum de *Athor* doctrina, quae ſane erat valde abſtractiua et Metaphyſica, pedetentim *Noctis* notio-

Aegyptii ſequiores, per Noctem intellexerunt, Solis in haemiſphaerio inferiori moram, aut Lunam, aut etiam noctem naturalem.

notionem, ad alias quoque res, et ad vſum magis popularem, translatam atque applicatam voluerunt. Videntur autem ex Theologis ſequioris aeui, quidam per ⲈⲬⲰⲢϨ, *Noctis* Numen, populo adorandam obtuliſſe, Noctis Praeſidem, *Lunam*, quae a poteſtate, quam noctu exercet, *Nocturnae*, *Noctilucae*, aliisque nominibus, idem ſignificantibus, paſſim ornari ſolet. Pari ſane ratione, magnus *Seldenus*, nomen *Veneri Vraniae* ab Arabibus tributum, ac HERODOTO memoratum Lib. III, cap. 8, *Alilat* interpretatur, *de Diis Syris* Syntagm. II, cap. II, pag. 253. اللات enim Arabibus dicitur *Nox*, eratque magnum Gentis huius Numen, poteſtque Nomen iſtud denotare *Noctilucam*, vel * *Dominam* et *Reginam noctis*. Mihi tamen, vt, quod res eſt, dicam, veroſimilius videtur, *Noctis* nomine, a Sacerdotibus Aegyptiis deſignatum fuiſſe ** illum Naturae Statum, quo Sol, relicto haemiſphaerio noſtro, menſibus autumnalibus et hybernis, inferius percurrit, eoque noctis tenebras vehementer auget. Nam ad huiusmodi in natura rerum conuerſiones, et reuolutiones, ceu effecta illuſtriora Numinis inuiſibilis et benefici, accommodatam inprimis fuiſſe religionem, et Aegyptiorum, et in vniuerſum Orientalium, mihi quidem certum et perſuaſum eſt. In Aſſyriorum et Phœnicum Sacris ad illam ipſam Naturae reuolutionem, de qua hic loquimur, quotannis reſpici conſueuiſſe, ex MACROBIO ſupra iam docuimus §. 5. Illis quae auctorem hunc illic tradere intelleximus, gemina plane ſunt, quae de Aegyptiis literis prodidit PLVTARCHVS, de Iſ. et Oſir. pag. 366:

Menſe

* Vide et Celeberrimi MILLII Diſſertatt. Selectt. Num. IV, §. II, p. 99, Edit. primae.

** Illum ipſum Naturae Statum, IVLIANVS Imp. Orat. V, p. 173, appellat σκοτεινὴν δύναμιν, *poteſtatem tenebrarum.*

*Menſe * Athyr periiſſe Oſiridem dicunt, quando — Nilus recedit, et ſolum nudatur. Quando autem nox ſit longior, ac tenebrae creſcunt; lucisque ſuperatur et tabeſcit vis: tunc Sacerdotes cum alios tetricos ritus peragunt, tum bouem auratum, nigro byſſino amictu tectum, oſtentant in luctu Deae, bouem enim Oſiridis ** et terrae ducunt imaginem.* Verba haec tanto libentius hic deſcripſi, quum manifeſto de *Athor*, ſiue Aegyptiorum *Venere*, et *Nocte* agant. Illius enim ſimulacrum fuiſſe bouem foeminam, ſiue Vaccam, oſtendetur §. 15. Et ſolennitas illa lugubris, quam deſcripſit PLVTARCHVS, ingruit in menſem *Athyr*, qui ab *Athor*, ſiue Aegyptiorum *Venere* nomen accepit. Vide §. 3. Sed diffiteri tamen nequeo, ea, quae ſcribit auctor laudatiſſimus, referenda eſſe ad annum gentis Aegyptiae fixum, qui tempore Auguſti Imp. introduci demum coepit, cum vetuſta gentis huius Sacra, ad annum antiquum vagum pertinerent, adeoque menſes omnes ſucceſſiue percurrerent. Sed in viam redeamus. Ea, quae modo dicebamus, inſigniter illuſtrat HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I, c. XI, vbi ait. Δοκεῖ παρ' Αἰγυπτίοις Ἀθηνᾶ μὲν, τὸ ἄνω τοῦ Οὐρανοῦ ἡμισφαίριον ἀπειληφέναι· τὸ δὲ κάτω Ἥρα. *Videtur apud Aegyptios Minerua quidem ſuperius Coeli hemiſphaerium ſorte accepiſſe, Iuno vero inferius.* Docebant igitur Aegyptii, inferius hemiſphaerium tenebricoſum ſorte datum fuiſſe *Iunoni*, illam vero eſſe ipſiſſimam *Venerem*, ex eorundem placitis manifeſtum fecimus §. 4.

 Vnde

Reſpondet is, in anno Aegyptiorum fixo, qui hic intelligitur, noſtro fere *Nouembri*.

* Ita verba auctoris huius vertenda eſſe, alio loco iam monui in *Remphah* p. 57, et in Miſcellan. Berolin. Tom. VII, p. 389, (not. i.)

Vnde clare perſpicitur, regnum inferioris hemiſphaerii, vel *Noctis*, fuiſſe attributum Deae *Athor*, ſiue *Veneris*. Haec doctrina de *Athor*, ſatis videtur eſſe vetuſta in Aegypto, eaque, vt mihi perſuadeo, omnium antiquiſſimae, de qua §. 12 dixi, primo ſucceſſit. Coniicio porro, factum hoc eſſe Seculo circiter quarto, poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto. Fuerunt inter Aegypti Theologos, alii quoque, qui acceptionem *Noctis*, in Theologia populari, quae cultum publicum reſpicit, ſtrictius adaptarent ad noctem naturalem, quae nempe quotidie, poſt occaſum Solis, terram tenebris obtegit. CHAEREMON certe, gente Aegyptius, et Deorum illic ſacerdos, apud PORPHYRIVM in *Epiſtola ad Anebonem* (praefixa IAMBLICHI de Myſteriis Aegyptiorum libro) pag. 7, 8 aſſerere non dubitat, in Theologia Aegyptiorum, referri omnia ad viſibiles Naturae effectus, *ad Stellas, earumque conſpectus, occultationes, occurſusque, ad Lunae porro, modo creſcentis, modo ſeneſcentis, varietatem, ad Solis etiam curſum, nocturnumque aut diurnum hemiſphaerium.* Addi poteſt, quod in Inſcriptione Aegyptiaca, quam ex THEONE deſcripſi §. 12. inter octo primores Aegyptiorum Deos, numerentur *Nox* et *dies*, vbi apparet, vti diem, ita etiam noctem naturalem intelligi debere. Cum ex hiſce temporum, diei etiam noctisque, viciſſitudinibus, ingentia in creaturas commoda redundent, mirum non eſt, et ingenio potius coecae Gentilitatis mirifice conuenit, quod illa Noctem quoque naturalem religioſe colere inque ea beneficia Creatoris venerari voluerit.

De Simulacris Deae Athor.

§. 15. Numen hoc *Noctis*, cuius et nomen et poteſtatem explicuimus, per totam Aegyptum, Templa habuit complura, celebria, a multis frequentata, cultu eius et laudibus perſonantia, de quibus forte in peculiari aliquo Commentario olim plura dicemus.

Simula-

Simulacrum Deae huic in Templis conſecrari ſolitum erat Vacca, et plerumque naturalis viua, ſolenni Aegyptiorum more, qui animalia volebant eſſe *μεμήματα* quaedam, imagines aeterni Numinis viuas, quibus virtutes et effectus illius, aliquo modo adumbrarentur. Tale Simulacrum PLVTARCHVM commemorare, quae ſaltem eſt mea coniectura, monui §. 14. Sed ne ad coniecturas nudas res haec redire cuipiam videatur, confirmemus eam teſtimoniis, omni exceptione potioribus. Refert autem AELIANVS de Anim. Lib. XI, c. 27, vicum eſſe Nomi Hermopolitani, Chuſas nomine, quem ob ſitus amoenitatem laudat, deque eo addit: Ἐν ταύτῃ σέβουσιν Ἀφροδίτην, Οὐρανίαν αὐτὴν καλοῦντες, τιμῶσι δὲ καὶ θήλειαν βοῦν. *In hoc vico colunt Venerem, quam Coeleſtem vocant. Venerantur vero etiam religioſe vaccam.* Nam in Templis ſolebant Aegyptii ſemper alere animalia, Diis ſuis conſecrata, quae tanquam viuas illarum effigies adorabant. Id circa AELIANVS ibidem haec adiicit: *Et ipſam quoque Iſin Aegyptii bubulis cornibus et fingunt et pingunt.* Hanc nempe rationem reddit, cur Aegyptii vaccam diuinis honoribus afficiant. Adhuc clarius id docet STRABO. Lib. XVII, p. 552. Οἱ δὲ Μωμεμφῖται τὴν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερά, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἄπις, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. *Momemphitae Venerem colunt, et* (nempe in eius honorem) *alitur vacca Sacra, ſicut Memphi Apis, et Heliopoli Mneuis.* Locus hicce luculentus, vſum talium Simulacrorum viuorum ſatis nobis explicat. Sunt et eiusdem haec verba, p. 556: Εἶθ' ὁ Ἀφροδιτοπολίτης νομὸς, καὶ ἡ ὁμώνυμος πόλις, ἐν ᾗ λευκὴ βοῦς ἱερὰ τρέφεται. *Sequitur Nomus Aphroditopolites* (quaſi dicas, *Veneri dicatus*) *et vrbs Nomo cognominis* (Aphroditopolis) *in qua vacca candida ſacra alitur.* Hinc iam lux in HESYCHIVM redundat, qui

alicubi

alicubi obſeruat, Aegyptios et Menſem quendam, et bouem quoque, nempe foeminam, dixiſſe *Athyr*, vel, quod idem eſt, *Athor*. Vide §. 3.

Praeter Athor, alia quoque Venus peregrina Graecorum, in Aegyptum introducta eſt.

§. 16. Praeter hanc genuinam et auitam Aegyptiorum *Athor*, introducta quoque veluti furtim fuit, *Venus* alia, quam HERODOTVS iam Lib. II, c. 112, *peregrinam*, et Strabo p. 555. *Deam graecam* nuncupant. Eiusdem generis fuit illa *Venus aurea*, cuius tanquam ex HOMERO, meminerunt DIODORVS SICVLVS in ſine Lib. I, p. 88, et IVSTINVS MARTYR in Cohortat. ad Graecos p. 27; cum tamen HOMERVS, Venerem appellans *auream*, Iliad. Γ. *v.* 64, ad Aegyptiorum res haud reſpiciat, neque etiam, aut vetus *Scholiaſtes* ad illum locum, aut EVSTATHIVS ad eundem pag. 384, Edit. Rom. opinioni tali faueat. Verum haec, et ſimilia plura, a praeſenti meo inſtituto aliena, libenter hic omitto.

CA-

CAPVT II.

De Phtha, Aegyptiorum Deo, quem Graeci Vulcanum interpretantur.

§. 1.

Quae capite antecedenti, de *Athor*, id eſt *Nocte*, Aegyptiorum Numine, quod Graeci interpretantur *Venerem*, diſputaui, apud lectorem hiſtoriae Philoſophicae non imperitum, ſuſpicionem excitare poſſunt, vetuſtos Aegyptiorum Philoſophos, et Theologos, qui *Noctis tenebricoſae* Numen tam impenſa religione coluerunt, difficulter ab Atheiſmi crimine abſolui poſſe. Ex illis enim ſponte conſequitur, Aegyptios, *Noctem* ſuam vel *Tenebras*, quae a *Chao* Philoſophorum non differt, pro primo veroque principio rerum omnium, ipſorumque adeo Deorum haberi voluiſſe. Vide cap. I, §. 12. Ad quod accedit, quod ORPHEVS, qui in Aegypto Scientiis Sacris imbutus, et initiatus, ea deinde, quae a Sacerdotibus Aegyptiis acceperat, in Graecia magno cum ſucceſſu aliis tradidit, rerum omnium origines a ſola *Nocte* ſecundum quoſdam deduxerit, nulla omnino Mentis aeternae mentione facta. Vide ibidem §. 11. Non equidem ignoro, doctiſſimum CVDWORTHVM poſt STEVCHVM EVGVBINVM, in Syſtemate ſuo intellectuali, *Tenebras* Theologiae Orphicae, et Aegyptiacae, explicare de aeterno incomprehenſibilique Deo. Verum profecto, quae locis modo citatis ea de re ex monumentis optimis attulimus, tali explicationi locum omnino nullum relinquunt.

Ex doctrina Aegyptiorum de Athor ſequi videtur, eos Atheiſmo non parum fauiſſe.

§. 2. Si etiam audimus, virum quondam incomparabilem, MAT. VEYSSIERE LA CROZE, Atheiſmus Philoſophorum Aegyptiorum, alio praeterea argumento probari poteſt, quod ipſe ſic exponit in

Idem La Crozius quondam ex alio ar-

gumento concluſit. in Tomo III. Theſauri Epiſtolici p. 194: *Certum eſt, ſententiam Philoſophorum Sinenſium, eandem eſſe, atque Aegyptiorum veterum, a quibus certo ſcio, eos ante multa Secula dogmata fere omnia hauſiſſe. Sic autem* THEONOE, *Aegyptia*, PROTEI *filia, in Helena Euripidis v. 1020, Tom. II, Edit. Barneſ. pag. 288.*

— ὁ Νȣ̃ς
Τῶν κατθανόντων ζῆ μὲν ȣ̉, γνώμην δ' ἔχει,
Ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

— *Mens*
Defunctorum non viuit quidem: ſenſum tamen habet
Immortalem, refuſa in immortalem aetherem.

Et, quae in Epiſtola La-Croziana ſequuntur, plura, quae breuitatis ſtudio omitto. Nemini obſcurum eſſe poteſt, auctorem verſuum horum, id voluiſſe, animam hominis eſſe ex aethere, et poſt hanc vitam in aetherem refundi, ita vt per ſe amplius non ſubſiſtat, etſi ſenſus illius, quem habet aether, tanquam eius particula, particeps quoque ſit. Neſcio tamen, num ex ſolis hiſce verſibus, id quod volebat vir praeſtantiſſimus, citra dubium tuto colligi queat. Quem enim latere poteſt, Poëtas Tragicos, vti et Comicos, et in genere omnes, ſententias aut ſuas, aut aliorum etiam Philoſophorum, illis tribuere, orique illorum veluti ingerere, quos in ſcenam producant? Sententia haec Euripidis, amice conſpirat cum doctrina Pythagoraeorum arcana, quorum magna erat illo tempore exiſtimatio et fama. Nihil itaque mirum eſt, quod EVRIPIDES, qui non ſecus ac Tragici reliqui omnes, Dramata ſua ſententiis Philoſophicis perquam libenter ornabat, et illo loco oſtendere voluerit, quantum in ſcientia Philoſophica profeciſſet. At nondum ex eo conficere licebit, ſacerdotes quoque Aegyptios, dogma tale in ſcholis ſuis tradidiſſe, et

calcu-

calculo ſuo comprobaſſe, quamuis et hos ſapientiae addiſcendae cauſa adiiſſe Euripidem, teſtetur DIOGENES LAERTIVS Lib. III, §. 6. Quin imo, ſi credimus * viro cuidam erudititiſſimo, et in his rebus magnopere exercitato, credibile non eſt, Sacerdotibus Aegyptiis tale quid in mentem veniſſe, verum doctrinae talis origines in ſola Graecia nobis quaerendae erunt. Verum enim vero, ſi memoria mecum repeto, quae apud Veteres, ea de re, paſſim, et ſatis clare, aut memoriae prodita, aut ſubindicata legi, non poſſum non in ſententiam doctiſſimi La Crozii pedibus ire, eamque hic teſtimoniis quibusdam non idoneis confirmabo.

Sententia illa viri docti pluribus confirmatur.

§. 3. Qui hanc, quam dixi, Aegyptiis ſigillatim tribuat doctrinam, auctorem habeo non ſpernendum, AENEAM GAZAEVM, in Theophraſto de animarum immortalitate (Magna Biblioth. Patrum Pariſ. T. XII.) pag. 622. *Aegyptiis ſane videtur eadem anima, cum hominem, tum vero bouem, et canem, et auem, et piſcem induere — donec tandem peragratis omnibus, eo rurſus, vnde erat digreſſa, recurrat.* Nemo eſt, qui non illico perſentiat, tangi in his ab Aenea Gazaeo celebratum apud Veteres Metempſychoſeos dogma, quod ab Aegyptiis ad alias gentes perueniſſe, teſtantur HERODOTVS Lib. II, cap. 123, et plurimi alii. Quid autem illud ſit, vnde anima primum erat digreſſa, et quo, poſt varias praecedentes metempſychoſes, vltimo tandem recurrit, auctor noſter non quidem diſtincte explicuit; ſed dubitare tamen non licet, quin intelligat Naturam, ſiue Eſſentiam Diuinam, ſupremum Aetherem, totius mundi animam, ex qua, etiam ſecundum Aegyptios, animae

mae

* Mr. Warburton, dans les Diſſertations ſur l'Vnion de la Religion, de la Morale, et de la Politique de Mr. Silhouette, Tom. II, Diſſert. XI, p. 151 etc.

mae in corpora demittantur, et in quam, abſoluto toto Metempſychoſeos curriculo, tandem redeant, et veluti refundantur. Docet hoc PORPHYRIVS Scriptor pereruditus, et rerum Aegyptiacarum inſigniter peritus, de Abſtinentia, Lib. IV, p. 372, Edit. Lugdun. Verba eius latine conuerſa adſcribo. *Cognouerunt Aegyptii, diuinitatem non ſolum hominem permeare, neque animam* (nempe diuinam) *in ſolo homine in terra habitare; ſed eandem propemodum per omnia animalia pertranſire.* Nempe Anima, ſecundum Aegyptios, erat τὸ θεῖον, *Diuinitas*, vel *Eſſentia diuina*, quae a ſede ſua veluti delapſa, aliquamdiu per homines et animalia tranſibat, donec ad priſtinum locum rediret. Eodem ſpectant illa SERVII in Virgilii Aen. L. III, 67. *Aegyptii periti ſapientiae, condita diutius reſeruant corpora, ſcilicet, vt anima multo tempore perduret, et corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat. Romani contra faciebant, comburentes cadauera, vt ſtatim anima in generalitatem, id eſt, in ſuam rediret naturam.* Vbi intelligi Animam diuinam Mundi, quae eſt animarum *generalitas*, et *natura*, ex qua digrediuntur, et in quam redeunt, quiuis facile videt. De Aegyptiorum vero ſententia, teſtari etiam poteſt precatio illa vetuſta, quam in Aegypto, vnus ex eorum numero, qui corpora defunctorum condiebant, nomine defuncti, ad Deos fundere jubebatur, quamque ex Aegyptiaco ſermone, in graecum ab EVPHANTO conuerſam, affert PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. IV, pag. 379. Ὦ δέσποτα ἥλιε, καὶ θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες, προσδέξασθέ με, καὶ παράδοτε τοῖς ἀϊδίοις θεοῖς σύνοικον. *O Domine Sol, reliquique Dii, qui vitam hominibus largimini, recipite me, et tradite Diis aeternis, vt cum illis vna habitem.* Habent verba haec, quod lectorem incautum decipere poſſit, ideoque verba haec ex ſenſu, quem iis Aegy-

ptii indebant, et ex toto doctrinae eorum nexu, diiudicare oportet. Simili ratione, haec EPICHARMI, apud PLVTARCHVM de conſolat. ad Apollonium p. 110. *Quae quondam erant concreta, nunc viciſſim ſunt ſecreta, rediit quodque ad originem vnde venerat, terra in terram, ſpiritus vero ſurſum profectus eſt*, poſſent, ſi ſolorum verborum ratio haberetur, cum illis Salomoneis componi: *Reuertitur puluis ad terram, vnde fuit, Spiritus autem reuertitur ad Deum, qui eum dederat.* Eccleſ. XII, 7. Sed ſi auctorem huius ſententiae, ſi doctrinam ſectae, cui is deditus fuit, propius contemplemur, apparebit mox, verba haec nobis offerre impietatem pantheiſticam Scholae Pythagoraeorum. Etenim inter arcanas PYTHAGORAE et PLATONIS doctrinas, refertur et haec, *animam interitus expertem eſſe, eamque, cum exit, peruenire in cognatam ſibi animam Mundi*, teſte PLVTARCHO de placitis Philoſoph. Lib. IV, c. VII, p. 899. Id vero plane eſt ἐμπιπτειν εἰς τὸν αἰθέρα, *in aetherem refundi*, vt ſupra §. 2, aiebat Theonoë Euripidea. Epicharmum vero diſcipulis Pythagorae annumerari voluiſſe, et arcana eius placita verſibus ſaepe complexum fuiſſe, quod et aliunde ſcimus, perhibet IAMBLICHVS de vita Pythagorae p. 214, 215. Ed. Küſt. An non Stoici genuinis Philoſophiae ſuae filiis promittebant, fore, *vt aliquando digni futuri eſſent Deorum conuiuae.* Ita EPICTETVS in Enchiridio cap. XXI, vbi vtitur locutione, ſcripturis noſtris Diuinis non inuſitata. Sed quomodo ipſe hic auctor mentem ſuam ſuper hac re explicat? Id operae pretium erit cognoſcere, ex Maioribus eius Diſſertationibus Lib. III, cap. XIII, p. 293, vbi hunc in modum ſcribit. *Cum vero ea, quibus opus eſt, Deus non ſuppeditat, receptui canit, januam aperit, teque venire iubet. Quo? Non in malam rem; ſed eo vnde ortus es, ad amica*

et cognata, ad elementa. Quantum in te fuit ignis (mentem his deſignat) *ad ignem redit; quantum terrae, ad terram; quantum venti, ad ventum, & quantum aquae, ad aquam.* Hoc modo Dii, ſecundum Stoicos, hominem, animamque eius recipiunt. Sic Anima cum illis vna habitat. Et plane id ipſum quoque innui, in antiqua illa Aegyptiorum precatione, vel illa, quae hic diſputata ſunt, dubitare me nullo modo ſinunt, quibus etiam alia, niſi id nimis longum foret, adiici poſſent. Et profecto, quod Commentarius noſter planum faciet, Aegyptii alios Deos non agnoſcebant, praeter Solem, Lunam, Aſtra, Elementa corporum, et aetherem igneum, omnibus coelis ſuperiorem, veram animarum originem, ad quam vinculis corpuſculi ſoluti, rurſus adiungebantur. Ex eo diuinare licet, quid nam hoc ſibi velit, *recipi a Sole, aliisque Diis, vitae auctoribus, et tradi Diis aeternis, ad habitandum ſemper cum illis.*

Deos vulgo adoratos in Aegypto, fuiſſe pure materiales, teſtatur Chaeremon Sacerdos.

§. 4. Dum beati, mihique ſemper venerandi La Crozii veſtigia lego, ſentio, me a ſcopo propoſito, paulo longius digreſſum eſſe. Ex diuerticulo igitur in viam redeo. Dixi nempe, videri Aegyptios, ſi doctrinam eorum de *Athor*, ſeu *Nocte*, meditate expendas, omnia in hoc mundo, ex ſola materia deduxiſſe, qui eſt Atheiſmus craſſus et turpis. Ipſa quoque gentis huius Numina, ex Nocte nempe progenita, fuiſſe materialia, mundi nempe corpora et elementa, teſtimoniis et copioſis et fide dignis confici facillime poteſt. Ex iis quaedam, ad rem noſtram inprimis facientia, hic adſcribemus. Ipſe acutiſſimus CVDWORTHVS, quamuis labori nulli pepercerit, vt Theologiam Aegyptiorum ab iſta labe perpurgaret, vel inuitus tamen nobis largitur, CHAEREMONEM Stoicum, cuius accurationem veritatisque ſtudium PORPHYRIVS commendat, de Abſtin. Lib. IV, p. 371. quemque ἱερογραμματέα, *Scribam Sacro-*

Sacrorum in Aegypto nuncupat, apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. V, c. 10. Aegyptiis tribuere materialiſmum Atheiſticum. Vide *Syſtema* eius *intellectuale* p. 317. Edit. Anglic. Verba CHAEREMONIS a PORPHYRIO allata, in Epiſtola ad Anebonem, quae IAMBLICHI de Myſteriis Aegyptiorum libris praemiſſa extat, p. 7. ita ſonant: *Chaeremon, aliique multi, nihil quidquam agnoſcunt, ante mundum hunc adſpectabilem, nec alios Aegyptiorum, in ipſis ſcriptorum ſuorum exordiis, ponunt Deos, praeter vulgo dictos Planetas, et Zodiaci ſigna, et ſtellas, ſimul cum his in conſpectum venientes, et ſectiones Decanorum et horoſcopos. — Quippe videbat enim, qui Solem vniuerſi architectum eſſe dicerent, ab illis non ea tantum, quae ad Oſiridem Iſidemque pertinent, ſed etiam quicquid ſacrarum fabularum erat, partim in ſtellas — partim in Lunae — varietatem, partim in Solis curſum, vel in nocturnum aut diurnum hemiſphaerium, vel in Nilum fluuium, cuncta denique in res naturales, nihil in naturas, corporea mole carentes, viuentesque, conferri.* Alia, quae ibi ſequuntur, ne prolixior ſim, malo nunc omittere. Quis negauerit, haec eſſe inprimis luculenta? præſertim ſi memoria repetierit, ea a Sacrorum in Aegypto Scriba, qui ſe rerum Aegyptiacarum oppido peritum oſtendit, profecta eſſe, et praeterea huic a PORPHYRIO adiungi *multos alios.* Quando vero vir ille doctus, qui CHAEREMONEM de materialiſmo Aegyptiorum teſtari, nobis largitur, ſibi nobisque perſuadere annititur, id eſſe vnicum alicuius momenti teſtimonium, quod de tali Aegyptiorum Theologia extet, in eo ab eius ſententia diſcedere cogor. Sunt omnino alia, eaque nec pauca, nec ponderis leuiſſimi, quae teſtimonium CHAEREMONIS maiorem in modum confirmant. Eorum nonnulla adferemus.

Teſtimonium Chaeremonis aliunde etiam illuſtratur.

§. 5. Non abs ratione vrgere hic mihi liceret, quod, cum teſte HERODOTO, Lib. II, c. 46 et 145. Dii Aegyptiorum primores fuerint numero octo, oſtendi poſſit, octo illos Deos principes, fuiſſe materiales, *ignem, aquam, terram, coelum, lunam, ſolem, diem, noctem.* Verum quando neſcius non ſum, diuerſa de octo Diis Aegyptiorum praecipuis extare veterum iudicia et teſtimonia, et praeterea de hoc argumento alio loco agere conſtitui, id nunc tacitus praetermittam. Videamus igitur, qualemnam Aegyptiorum Theologiam mente ſua conceperit EVSEBIVS, omnis antiquitatis ſcrutator, non diligens magis, quam iudicioſus, et inprimis peritus. De ea is ita loquitur Praeparat. Euang. Lib. III, c. 9. *Ea porro Aegyptiorum doctrina fuit, ex quibus, vti ſuam Orpheus Theologiam hauſerat, ita Mundum vtique Deum eſſe voluit, ex pluribus Diis, tanquam ſui partibus (nam ipſas quoque mundi partes, Deorum in numero ab ipſis repoſitas fuiſſe, antea demonſtrauimus) compoſitum et conſtitutum.* An non diceres, Spinozam ſua ab hiſce Aegyptiis mutuatum eſſe? Sed audiamus * auctorem eundem, de hac ipſa re, alio loco, Lib. I, cap. 6. ita ſcribentem: *Phoenices quidem et Aegytios, omnium primos, Soli, Lunae, ac Stellis, diuinitatem tribuiſſe, vulgatum eſt, iisdem ſolis rerum omnium ortus interitusque cauſam aſſignaſſe.* In hoc Theologiae Aegyptiacae compendio, nulla mens aeterna diuina vſpiam comparet. Sola materia Principatum obtinet. Non aliter de Theologia Aegyptiorum iudicat DIOGENES LAERTIVS in Prooemio hiſtoriae de vitis Philoſophorum §. 10. *Aegyptiorum de Diis Philoſophia talis eſt. Materiam* (Athor) *fuiſſe principium rerum: ex ea deinceps*

* Addi poterit locis hic citatis, alius auctoris eiusdem, valde memorabilis, ſed paulo prolixior, Lib. III, c. 4.

ceps quatuor elementa diſcreta, perfectasque quasdam animantes: Solem ac Lunam Deos eſſe, alterumque Oſirin, alterum Iſin appellatos. Vnum praeterea adſcribam ex PLVTARCHO locum, qui legitur in eius Sympoſiac. Lib. VIII, c. I. p. 718. Verba illius graece appono, quia manu medica indigent. Ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν· ἀνάπαλιν δὲ οὐκ ἂν οἴονται θνητὸν ἄνδρα θηλείᾳ θεῷ, τόκου καὶ κυήσεως ἀρχὴν παράσχειν; διὰ τὸ τὰς * θυσίας τῶν θεῶν ἐν ἀέρι καὶ πνεύμασι, καὶ τισὶ θερμότησι καὶ ὑγρότησι τίθεσθαι. Quae ſic verto: *Aegyptii omnino Deo mari cum mortali foemina concedunt conſuetudinem: viciſſim vero non exiſtimant, marem hominem foeminae Deae partus foetusque principium poſſe praebere, eo quod eſſentias Deorum, in aëre, ventis, coloribus certis, humoribusque locent.* Non inficias eo, Scriptorem hunc in libro *de Iſide et Oſiride*, nonnunquam his contraria adſtruere, verum id non facile quemquam morabitur, qui cogitauerit, quam varia, ſibique aduerſantia, auctor ille ſaepius de rebus Aegyptiorum referat, quique id inprimis animo ſuo reuoluerit, Philoſophum noſtrum, librum *de Iſide et Oſiride* inſcripſiſſe *Cleae*, quam p. 364. ait eſſe *Thyadum Delphicarum Principem, et a Patre ac Matre Oſiriacis conſecratam Sacris.* In illius ergo gratiam, omnia vndecunque conquiſiuit, ſaepenumero inuita veritate, vnde placitis et religioni Aegyptiorum, aliquam ſublimitatis, ſapientiae, et ſanctitatis ſpeciem conci-

* Sic nullo plane ſenſu legitur, in Editionibus, quas euolvi, Baſileenſi, Stephaniana, et Pariſienſi, graeco-latina, pro quo citra dubium legendum οὐσίας, et ita verti. Eodem plane, vt hic correximus, modo; PLVTARCHVS ſcribit de Is. et Oſir. p. 366 extrem. ὅτι γῆς οὐσίαν καὶ ὕδατος θεοὺς τελέους νομίζουσι

liare poſſet. Alia huius generis *; quae adferri poſſent adhuc, praeterire ſatius nunc puto, ne taedium lectori moueam, vtque ad praecipuum capitis huius argumentum procedere poſſim.

Vetuſtiores tamen Aegyptiorum Philoſophi, a Diis materialibus diſtinguebant Spiritum infinitum.

§. 6. Si omnia et ſingula, quae pro firmanda ſententia ſua CVDWORTHVS in medium attulit, quaeque dictis a me e diametro aduerſantur, curate expendere vellem, opus ad id eſſet peculiari et prolixa Diſſertatione. Verum nunc id potius agam, vt ſententiam, quam praeſtantiſſimus ille vir, pro virili ornauit, cum ea, quam ego hic adſtruxi, amice conciliem. Nam, etſi argumentis omni exceptione maioribus confici poſſit, Numina, quae Aegyptus coeca, magna quondam religione coluit, *Oſirin*, *Iſin*, *Bubaſtin*, *Horum*, *Harpocratem*, *Athor*, *Ammonem*, *Anubim*, et reliqua fuiſſe materialia, Coelum, Terram, Aquam, Solem, Lunam, Aſtra, horumque in mundo effectus adſpectabiles, et conſpicuas in natura rerum viciſſitudines, negari tamen quoque non poteſt, vetuſtiores gentis illius Philoſophos, materiae, et toti rerum naturae praefeciſſe Mentem infinitam, aeternam, ex cuius ſapienti conſilio, potentique nutu, operationes reliquorum Deorum, quos vulgus adorabat, penderent,. Mentem, quae omnia decerneret, omnia ordinaret, omnia gubernaret. Qua in re conuenientiam multiplicem et notabilem, inter doctrinas Aegyptiorum, et Stoicorum placita, non poſſum non agnoſcere. Doctrinam Stoicorum de origine rerum, haud ita pridem ** Vir quidam merito ſuo celeberrimus, accurate et fideliter delineauit, ex

* Quaedam his addita videri poſſunt, in Obſeruatione noſtra de eodem argumento, in Miſcellan. Lipſ. Vol. VI, p. 253, 254.

** BRVCKERVS in Hiſtoria Philoſ. Tom. I, p. 921 etc.

ex cuius delineatione huc tranſcribam, quae ad inſtitutum meum facere ſentio.

I. *Antequam aliquid eſſet, Chaos erat, ſiue Status rerum confuſus, et tenebricoſus. Status ille rerum exhibebat materiam, quae eſt rerum omnium qualitatibus indutarum, ſeminaliumque rationum, receptaculum, et Eſſentia, ſiue Natura, ſuo principio quaſi grauida.*

Haec eſt, vt id addam, Aegyptiorum *Athor.*

II. *Chaos illud ordinatum, inque adſpectabilem formam emergens, mundus eſt et Natura.*

III. *Eſt vero Natura, ſiue Mundus, totum illud, ex quo conſtant, quodque comprehendit omnia.*

IV. *Totum hoc, in quo omnia continentur, et vnum eſt, et partes ſunt omnia illius atque membra.*

Hanc Aegytiorum doctrinam, ſupra ex EVSEBIO deſcripſi §. 5.

V. *Sunt vero in hoc vno et toto Principia, quae ab elementis diſtinguenda ſunt, duo, efficiens et patiens. Et patiens quidem, materia eſt, qualitatis exſors, efficiens autem, ratio, quae in ipſa eſt, ſiue Deus.*

VI. *Cauſa efficiens, ſiue Deus, eſt puriſſimus ac liquidiſſimus aether ignisque artificialis, habitans in extrema Coeli circumferentia, in qua diuinum omne fixum locatumque eſt.*

Iſta autem omnia cum Placitis Aegytiorum veterum mirifice conſonare, ex iis, quae et ſuperiori et hocce cap. diſputauimus, magnam partem intelligi potuit. Vnum hoc ſupereſt, vt luculentius et diſtincte probem, Aegyptios, quod et fecerunt Stoici, cum Nocte vel materia, in ipſo adeo Chao, coniunxiſſe Principium actiuum, Mentem, quae primum res

 omnes

omnes inter ſe commiſtas ſecreuit, deinde corpora formauit, ac abinde toti rerum Naturae praeeſt, omnia decernendo, omnia gubernando. In eo igitur euoluendo nunc verſabitur opera noſtra.

Doctrina haec Aegyptiorum, ex quibusdam eorundem placitis illuſtratur.

§. 7. Quae veteres ex doctrina Sacerdotum Aegypti, de Κνὴφ ingenito referunt, ad hoc meum argumentum, quod nunc perſequor, ſpectare, merito cenſeri poſſunt, et a CVDWORTHO opportune obſeruata ſunt, p. 352. Edit. Londin. (non, vt vitio editum eſt, 412.) Verum eo de Numine ſententiam meam cap. IV. Libri huius exponam pluribus et accurate. Eodem referri debere videntur haec HORAPOLLINIS, qui Hieroglyphic. Lib. I, c. 13. aliquid de Aegytiis memoriae prodidit, quod cordati et periti iudices, et me non monente, cenſebunt ſingulare, ac gentis illius Philoſophis proprium fuiſſe. Verba haec ſunt. Θεὸν ἐγκόσμιον σημαίνοντες - - - ἀστέρα ζωγράφουσι, ἐπειδὴ πρόνοια Θεοῦ τὴν νίκην προστάσσει, ἣ τῶν ἀστέρων, καὶ τοῦ παντὸς κόσμου κίνησις ἐκτελεῖται: *Deum in mundo praeſentem ſignificaturi, ſidus pingunt, quod Dei prouidentia victoriam decernit atque imperat, qua ſiderum, orbisque vniuerſi motus peragitur* Ecce tibi HORAPOLLINEM, Deum tanquam Mentem, a Mundo diſtinguentem, et Diis materialibus, qui mundum conſtituunt, praeficientem, in qua ſententia is quidem vbique deprehenditur. Sed iuuat tamen huic eius loco ſubiungere obſeruationem acutam viri docti, cuius diligentiae, poſtremam editionem auctoris illius debemus IO. CORN. de PAVW. *Haec notes. Totum hoc vniuerſum circus eſt, in quo immenſa corpora coeleſtia, cum omnibus aliis inter ſe curſu certant. Huic certamini praeeſt Deus* ἐγκόσμιος, *qui victores declarare, et victoriae praemia diſtribuere, poteſt ſolus. Illa autem ſpes victoriae eſt, quae facit, vt ſidera & orbis vniuer-*

vniuerſus, in partibus ſuis, celerrime, et abſque vlla intermiſſione ſe continuo moueant. Hoc ſibi volunt illa, de quibus alii, quantum memoria repeto, ne bilum: Quare notandum eſt, vt dixi, hoc Aegyptiorum dogma ſingulare. Aegyptiorum quoque inſtitutioni deberi mihi perſuadeo, quod, teſte CICERONE de Nat. Deor.. Lib. I. c. 10. *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quaeſiuit, aquam dixit eſſe initium rerum: deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* Thaletem hunc diſciplina Aegyptiorum vſum fuiſſe, veteres magno conſenſu affirmant. Sed hanc ſigillatim eius doctrinam, *aquam eſſe initium rerum*, dimanaſſe ex fontibus Aegyptiorum, et videri Thaletem ab his eam accepiſſe, conceptis verbis monet SIMPLICIVS in Ariſtot. de Coelo Lib. II. p. 127. a. Et haec doctrina pertinet ad reliquias hiſtoriae et Coſmogoniae Moſaicae Gen. I, 2. antiquitus apud Aegyptios et Phoenices conſeruatae, de quibus aliquid diximus cap. I, §. 8. 12. vnde tandem Graeci quoque traditionem eandem acceperunt.

§. 8. Verum rem iſtam paulo altius ab origine repetamus. Extat apud auctorem *recognitionum Clementinarum* * Lib. X, c. 30. hocce Doctrinae Orphicae de origine mundi compendium. *Orpheus dicit, primo Chaos fuiſſe ſempiternum, immenſum, ingenitum, ex quo omnia facta ſunt: hoc ipſum Chaos non tenebras dixit eſſe, non lucem; non humidum non acidum; non calidum non frigidum; ſed ** omnia ſimul miſta, et ſemper vnum fuiſſe informe; aliquando tamen, quaſi ad oui immanis modum, per immenſa*

Et ex Theologia veterum orphicorum, cum qua Aegyptiaca concinit.

* In COTELERII Patribus Apoſtolicis Tom. I, p. 589.

** Haec erat communis doctrina vetuſtiorum in Graecia Phyſicorum, teſte ARISTOTELE, cuius verba adduxi cap. I, § 10.

ſa tempora effectum. peperiſſe, ac protuliſſe ex ſe, duplicem quandam ſpeciem, quam illi maſculo-foemininam vocant, ex contraria admiſtione huiusmodi diuerſitatis ſpeciem concretam: et hoc eſſe principium omnium, quod primum ex materia puriore proceſſerit, quodque procedens diſcretionem quatuor elementorum dederit; et ex duobus, quae prima ſunt, elementis, fecerit coelum, ex aliis autem terram; ex quibus iam omnia participatione ſui inuicem naſci dicit et gigni. Fabulae iſtius, rudi admodum penicillo adumbratae, his videtur fuiſſe ſenſus: Ab omni aeternitate Mentem cum Materia coniunctam fuiſſe, in aliquo immenſo Chao; Mentem vero Chaos ſenſim in formam oui redegiſſe, atque tum virtutem ſuam explicuiſſe atque manifeſtaſſe, elementa diſcernendo, et ex illis cuncta creando: habuiſſe autem Mentem naturam Maſculo-fœmininam, id eſt, in ſe habuiſſe rationes Naturae totius, et qua agit, et qua patitur. Sine dubio et hic occurrunt reliquiae traditionis Moſaicae de creatione mundi. Tota haec fabula, de quo ambigi non poteſt, orta eſt ex his Moſis verbis Gen. I, 2: ורוח אלהים מרחפת על פני המים *Et Spiritus Dei incubabat ſuper faciem aquarum.* Vbi Critici obſervant, per vocem מרחפת denotari talem agitationem, qualem columbae perficiunt, dum ouis ſuis ad excludendum pullos incubant. Hinc *Ouum* vetuſtiſſimorum Philoſophorum, ex quo cuncta prodiiſſe docebant, nempe per virtutem Spiritus Diuini incubantis, de quo conſuli poteſt TH. BVRNETII Theoria Telluris Sacra Lib. II, cap. 10. Inprimis veterum ſermonibus celebre vehementer fuit *Ouum Orphicum*, de quo praeter auctorem, modo laudatum, paſſim etiam diſſerit ESCHENBACHIVS in *Epigene Orphico.* Orpheum vero Ouum ſuum ab Aegyptiis mutuatum eſſe, vel ex eo intelligitur, quod tota eius Sapientia ex fontibus Aegyptiorum profluxerit, idque etiam

EVSEBIVS

EVSEBIVS confirmat, etſi is fabulam iſthanc, quod nemini mirum videri debet, additamento aliquo recentiori auctam hunc in modum referat Lib. III, c. XI, p. 115. *Aegyptii Opificem Vniuerſi, quem Kneph appellant, humana ſpecie configurarunt — Hunc porro Deum ex ore ouum edidiſſe narrant, ex eoque alium ſatum eſſe Deum, qui ab ipſis Phtha, Vulcanus a Graecis nominetur. Ouum autem illud mundum interpretantur, eique Numini ouem conſecrarunt.* EVSEBIVS hic, vti dixi, priſcum nobis et genuinum dogma Sapientum Aegypti; ſed acceſſione noua, a Pythagoraeis et Platonicis Graeciae Philoſophis interpolatum, obtulit. Nam *ouo Orphico*, ex quo proceſſit Principium Maſculo-fœmininum, quod ab Aegyptiis dicitur *Phthas*, aliud ſuperaddidit Principium, Ouo prius, nempe *Kneph*, qui fuerit veri mundi Opifex. Sed et hic tamen latet verum, quod paucis eruemus, monſtrabimusque. *Phthas & Kneph* Aegyptiis antiquis vnum idemque ſignificant. Sunt duo nomina, quae diuerſa tantum Attributa vnius Spiritus infiniti noſtrae menti obiiciunt, quod cap. IV. huius Libri planum faciemus. Quod Veteres Aegyptii de vno Spiritu infinito intellectum volucre, quod eſſet in Chao, illudque mouiſſet & diſpoſuiſſet, & tamen eodem, vtpote ſibi voluntatique ſuae ſubiecto, prior, id recentiores illi Philoſophi, de quibus dixi, explicuerunt de duobus Spiritibus, a ſe inuicem diſtinctis. Geneologiam integram & plane nouam huiusmodi Deorum, quibus originem debet mundus materialis, contexuit IAMBLICHVS de Myſteriis Aegypt: Sect. VIII. c. 3. in quibus *Kneph*, ſecundum quoſdam, vel vti in Codicibus vulgatis editum eſt, *Emeph*, et denique *Phthas*, ſiue *Vulcanus* locum quoque habent. Sed de his plura monebimus cap. IV. Candide fatetur IAMBLICHVS, ſe genealogiam illam depromſiſſe ex libris Hermeticis, quorum fides omnis, apud peritos ha-

rum rerum iudices, iam pridem decoxit, et qui nonniſi ex Philoſophorum Pythagoraeorum recentiorum, vel etiam Chriſtianorum Gnoſticorum, cerebro, in lucem exierunt; ſed addit tamen. Deos iſtos ſic enumerari *κατ' ἄλλην τάξιν, ſecundum alium* (non conſuetum, ſed recentius conficтum) *ordinem.* Vetus Philoſophia Orphica, quae a priſca Niligenarum Sapientia non differt, Principium agnoſcit unicum, *ἀῤῥενόθηλυ*, *maſculo-foemininum*, a quo omnia ordinata ſint et condita. Aegyptios illud Principium, quod ex ouo primum prodiit, lingua ſua dixiſſe *Phtha*, illudque Graecos interpretari *Vulcanum*, ex EVSEBIO intelleximus. Et profecto Aegyptios de *Vulcano* ſuo, ſiue *Phtha*, perhibuiſſe, quod ſit *ἀῤῥενόθηλυς*, *maſculo-foemininus*, conceptis verbis teſtatur HORAPOLLO Lib. I. cap. 12. Quod ſi autem praeterea antiqua Aegyptiorum monumenta, et linguam gentis illius priſcam, ad eruendam Numinis illius poteſtatem et naturam, in conſilium adhibuerimus, dubium, vt ſpero, ſupereſſe nullum poterit, quin Aegyptiorum Maiores, per *Vulcanum* ſuum, Mentem illam deſignare voluerint, cuius voluntate, Mundus primum factus eſt, cuiuſque decreto, ordinatione, et gubernatione, nunc omnia in mundo fiunt. Sed id nunc paulo luculentius explicemus.

Spiritum illum infinitum, Aegyptii dicebant Phthas, quod Græci interpretuntur Vulcanus.

§. 9. Numen illud, de quo loquimur, Aegyptios ſermone patrio nuncupaſſe *Phthas*, id vero Graecos interpretatos eſſe *Vulcanum*, multi ſunt, qui teſtentur. EVSEBIVM id nos docere, modo intelleximus. SVIDAS id ita refert: *Φθᾶς ὁ Ἥφαιστος παρὰ Μεμφίταις. Phthas. Hoc nomine Vulcanus colitur Memphi*, in Aegypto. Meminit eiuſdem CICERO Lib. III. de Nat. Deorum cap. 22. *Secundus Vulcanus* * *in Nilo*

* Lege potius *Nilo natus*, et hanc eſſe ſcriptionem vetuſtam, a VICTORIO mutatam, obſeruatur in Notis GRONO-

Nilo natus, * *Phthas, vt Aegyptii appellant, quem cuſtodem eſſe Aegyptii volunt.* De eodem Auctor *Clementinorum*, Homil. IX. §. 6. p. 681. Edit. Coteler. haec habet. Αἰγύπτιοι δὲ ὁμοίως —' τὸ πῦρ ἰδίᾳ διαλέκτῳ **· Φθὰς καλέσαντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἥφαιστος. *Aegyptii ſimiliter — ignem lingua ſua Phthas appellarunt, quod idem eſt, ac Vulcanus.* Quando auctor hicce ſcribit *Phthas idem eſſe ac Vulcanum*, communem Graecorum morem ſequitur. Vbi vero addit, *Phthas* Aegyptis quoque dici *ignem*, deceptus eſt. Quemadmodum enim, neque Graecis Ἥφαιστος, neque Latinis *Vulcanus*, proprie ſignificet ignem, etſi Numen illud igni praefecerint, ita nec φθὰς Aegyptiis *ignem* ſonat, licet in Phtha naturam igneam agnouerint. IAMBLICHVS etiam *de Myſteriis Aegypt.* Sect. VIII. cap. 8. loquens de Opifice mente, cui varia ab Aegyptiis nomina tributa eſſe affirmat, de *Phtha* noſtro hac ſcribit. *Quatenus vero* Opifex Mens *perficit omnia ſumma cum veritate et arte, vocant eum Aegyptii Phtha* (ſcribendum erat *Phthas*) *Graeci vero hunc Phtha nominant Vulcanum, ſolam artem in eo conſiderantes.* Aegyptii, qui nomina gentis ſuae propria a Diis frequenter deſumere ſolebant, non raro etiam ab iſto *Phtha*, regibus ſuis cognomina indiderunt. In ERATOSTHENIS catalogo regum Thebaeorum in Aegypto, num. XXIX. occur-

GRONOVII. Aegyptii enim de Vulcano ſuo perhibebant, quod eſſet *Nili filius.* DIOGENES LAERTIVS in procemio § 1, et AMPELIVS in libro memoriali c. 9. In Libro CICERONIS citato toties id dicitur de Diis Aegyptiorum, illis nimirum, quibus Parentes nulli aſſignabuntur, et Aegypto proprii erant, et peculiares, vt mirum ſit, viros doctos in eo potuiſſe aberrare. Vide DIODORVM p. 12.

* Ita viri eruditiſſimi vocem hanc iam dudum emendarunt.

** Sic recte legit COTELERIVS pro φθαὶ, voce nihili.

occurrit Χομοεφθάς, vel, vti ſcribendum illic eſſe, *(alio loco monui, Χωμαιφθάς, quod ERATOSTENES vere prorſus et recte interpretatur *Mundum Vulcani amantem*. Num. XXXV. ibidem legitur Σιφωάς υἱὸς Ἡφαίςȣ, vbi interpretatio graeca docet, ſcribendum eſſe, vt † olim, iam correxi, Σαφθάς, nam id Aegyptiis ſonat *Vulcanidem*, υἱὸν Ἡφαίςȣ.

Spiritum illum Aegyptii agnoſcebant rerum omnium cauſam Deorumque patrem, & maſculo-foeemininum.

§. 10. Videndum nunc, quid de hoc ſuo *Phtha*, vel *Vulcano*, tradiderint Aegyptii. Vbi tamen, cum traditiones Aegyptiorum, per Graecorum vt plurimum manus, ad noſtras peruenerint, etiam atque etiam attendendum eſt, an non forte interpolatae et adulteratae ab ipſis fuerint, quod ipſos perſaepe feciſſe, in hoc commentario noſtro, non ſemel demonſtratur. Quod ſi igitur doctrinam *Orphicorum* antiquiſſimam cum illa Aegyptiorum traditione, quam ex EVSEBIO retuli, etſi pauliſper incruſtatam, (vide §. 8.) inter ſe conferamus, facile obſeruabimus, *Phthan* ex ſententia Aegyptiorum eſſe Mentem illam Opificem, quae Chaos tenebricoſum primo in formam oui compegit, deinde vero ex materia, quam Chaos complectebatur, res omnes creauit, atque ex tenebris in lucem protraxit. Ita Orientales de creatione mundi loquuntur, quod ſi ſola tantum verba ſpectes, a dictione, qua PAVLVS vtitur Hebr. XI, 3. non valde abludit. Accedit, quod ORPHEVS opificem ſuum, qui ex ouo prodiit, nobis vt maſculo-foemininum depinxerit, et quod id ipſum de ſuo *Phtha* Aegyptii pariter memoriae prodiderint, cuius fabulae, vt dixi §. 8. non alius, quam hic videtur ſenſus eſſe arcanus, quod opifex in ſe rationes habuerit rerum omnium, et totius Naturae, tum

* Annotat. ad illum Catalogum, in B. VIGNOLII Chronol. Sac. Tom. II, p. 760.
† Ibidem pag. 763.

tum qua agit, tum qua patitur, vel, quod omnia ſint ab eius decreto et voluntate. Aenigmaticus hic et ſymbolicus, de Opifice totius Vniuerſi conceptus, gentibus Orientis omnibus ſemper mirifice placuit, eiusque luculenta veſtigia, in doctrina Brachmanum Indiae, hodieque ſuperſunt, qua de re alias plura diſſerendi locus erit, Lib. II. c. VII. Ex doctrina illa Orientalium nonnunquam hauſerunt etiam Graeci et Romani, quos inter eſt IVLIVS FIRMICVS, is enim de Deo omnium ſupremo hunc in modum loquitur in Praefat. ad Lib. V. Matheſ. p. 115. *Tu omnium pater pariter ac mater: tu tibi pater ac filius, vno vinculo neceſſitatis obligatus. Conſimiliter* SYNESIVS, magnus Philoſophiae Orientalis fautor, de vno infinito Deo canit Hymno III. p. 26. Edit. Stephani.

Σὺ πατὴρ σὺ δ' ἐσσὶ μάτηρ
Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς.
Tu pater, tu es mater,
Tu mas, tu faemina.

Ceterum Opifici virtutem et poteſtatem, de qua nunc loquimur, IAMBLICHVM quoque in *Phtha* Aegyptiorum agnouiſſe, obſeruauimus iam §. 9. Quia ergo veteres Aegyptiorum Philoſophi, in *Vulcano* ſuo, cauſam rerum omnium primam, intelligentem, et efficientem, venerati ſunt; hinc eſt, quod eum, non ſecus, atque Graeci Iouem ſuum, vt patrem non modo hominum, verum et Deorum, celebrauerint. Certe in Obeliſco antiquiſſimo Heliopolitano, Romam poſtea delato, literis hieroglyphicis conſignato, cuius interpretationem Graecam, ab HERMAPIONE adornatam, AMMIANVS MARCELLINVS Hiſtoriae ſuae Lib. XVII. ex parte inſeruit, de Rameſte Heliopolitano rege legebatur p. 102. Edit. Lindenbrog. Ὃν Ἥφαιστος, ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν. *Quem Vulcanus* (Phthas) *Pater Deorum praetulit.* Eoque ſigni-

ſignificatur, ex huius voluntate et decreto, res huius mundi in vniuerſum pendere. Et pſeudo - CALLISTHENES in Fragmento *hiſtoriae de vita Alexandri* M. apud FABRICIVM Biblioth. Graec. Vol. XIV. p. 149. Deum hunc vocat προπάτορα τῶν θεῶν, *auum et progenitorem Deorum.* Non nego, CALLISTHENEM hunc pſeudonymum, Scriptorem eſſe fabuloſum, et fide indignum. Sed, ſi tamen ex eius fragmentis pauculis, quae docti nonnulli vulgarunt, tanquam ex vngue leonem diiudicare licet, dicere non verebor, eum ſe rerum Aegyptiacarum bene gnarum et peritum oſtendiſſe.

Idem in fabulis Sacerdotum dicebatur primus regnaſſe.

§. II. Ad *Vulcanum* Aegyptiorum vt redeam, perhibebant de eo Sacerdotes in Annalibus ſuis Sacris, quod omnium primus in Aegypto regnum tenuiſſet. Ita DIODORVS Lib. I. p. 13. *Sacerdotes Vulcanum primum regem dictitant.* Sic et auctor *Clementinorum*, Homil. IX. §. 6. Sed quae auctores hi et alii, de regno *Vulcani* in Aegypto, literis prodiderunt, intelligenda ſunt de regno Deorum fabuloſo et allegorico. Hoc Deorum regnum, in Dynaſtiis MANETHONIS, conficit Dynaſtiam primam, in qua regnorunt, omnium primus *Vulcanus*, deinde *Sol* *, filius eius, et ſic porro alii Dii: Diis his MANETHO cuique ſuos aſſignauit annos; ſed qui manifeſto referendi ſunt ** ad cyclos, quibus in calculis Aſtronomicis et Chronologicis, vtebantur Aegyptii, quod pulchre demon-

* Etenim apud Aegyptios, *Vulcanus* habebatur Pater *Solis*, quod hic teſtatur MANETHO; ſed et CICERO de Nat. Deor. Lib. III, cap. 21. et ARNOBIVS Lib. IV, pag. 135.

** Poteſt hic addi celeberrimi WEIDLERI Hiſtoria Aſtronomiae p 48 etc in notis, vbi rem eandem, etſi paucis, ex MARSHAMO et AFRICANO tangit. Sed VIGNOLIVS aſſerta demonſtrauit.

demonſtrauit, magnus Chronologiae veteris, ſacrae et exoticae, inſtaurator, IO. ALPH. VIGNOLIVS, in praeſtantiſſimi Operis Tomo II, p. 656. Significatur itaque Dynaſtia illa, tempori in vniuerſum, et Diis illis materialibus, quibus ordo temporum iuſtus, aequalis, et conſtans, in acceptis ferendus eſt, praeeſſe *Vulcanum*. Obſeruatu dignum eſt, quod de regno illo Deorum, eiusque duratione, praemittit MANETHO apud SYNCELLVM p. 51. Ἡφαίϛου χρόνος οὐκ ἔϛιν, διὰ τὸ νυκτὸς καὶ ἡμέρας αὐτὸν φαίνειν. *Vulcano nullum tempus deſinitum aſſignari poteſt, eo, quod ille & noctu & interdiu luceat.* Nempe reliqui Dii, qui illic enarrantur, habent ſuas periodos et viciſſitudines. Sol diei imperium conſecutus eſt, Luna noctis, et ſic porro. At *Vulcani*, Deorum ſupremi, imperium ſemper idem eſt, et immutabile.

Credebatur porro ignis eſſe ſubtiliſſimus aethereus.

§. 12. Non abs re erit, hoc loco diſquirere, quidnam cauſae fuerit, quod Graeci *Phthan* Aegyptiorum, *Vulcanum* interpretati ſint. Neque poteſt dubitari, quin ad naturam et vim ignis reſpexerint. Hunc enim in tutela *Vulcani* ſui eſſe credebant Graeci, eundemque Aegyptios in *Vulcano* ſuo conſimiliter venerari intelligebant. Ait itaque DIODORVS de *Vulcano* Aegyptiorum loquens p. 11. *Ignem porro Vulcanum per interpretationem dici, et ipſum magni Dei loco venerandum, qui multa ad cunctorum generationem et exactum incrementum contribuat.* Et p. 13. *Sunt tamen inter Sacerdotes, qui Vulcanum primum regem dictitant, ignis inuentorem, et beneficio hoc gubernacula regni conſecutum.* Addit ibidem fabulam quandam non illepidam. Paria habet auctor *Clementinorum*, excitatus iam §. ſuperiori. Sed hi, vti et alii Graeci, quod de ipſis IAMBLICHVS queritur Sect. VIII. c. 5. Theologiam ſuam patriam, cum illa Sacerdotum Aegyptiorum, nimis aperte confun-

 dunt,

dunt, et ab igne naturali, quem in *Phtha* Aegyptios veneratos eſſe, conſtat, ad artificialem delabuntur, cuius in Theologia Graecorum mythica, de *Vulcano*, ratio magis habebatur. Genuinam Aegyptiorum Theologiam multo certius redolet, quod ex MANETHONE iam obſeruauimus, *Vulcanum interdiu noctuque lucere*, id eſt, fulgere luce perpetua et non interrupta. Nempe, vt paucis dicam, *Vulcanus*, Mens quippe aeterna, Aegyptiis ignis erat ſubtiliſſimus et puriſſimus aethereus, omnibus Planetarum et Stellarum orbibus ſuperior, ex quo animas auulſas, in terram delabi, et in quem, poſt certum definitum tempus, refundi, credebant. Ita Stoici docebant. (Vid. §. 6.) Ita docebant quoque Aegyptii, et in vniuerſum Orientales, quorum hac de re doctrinam, etiam in Gnoſticorum placitis deprehendere licet.

Nomen eius Aegyptiacum, ſignificat decernentem, ordinantem omnia.

§. 13. Venio nunc tandem ad interpretationem nominis Aegyptiaci φθάς. Eſt vero interpretatio haec adeo facilis et obuia, adeo quae ſe ſponte et vltro offert, vt, qui mediocres tantum in ſtudio linguae Aegyptiaca progreſſus fecit, aberrare hic plane nequeat. Nam φθάς, vel literis Copticis ſcriptum, ϕⲑⲁϣ, ſine mutatione vllius literae qualiscunque, ſignificat definientem, decernentem, ordinantem. Quando vero Epiſtola ea de re LA CROZII τȣ μακαρίτȣ exſtat, qua ſcribens ad me, nomen φθάς interpretatus eſt, malo verbis eius, quam meis, negotium iſtud expedire. Sic autem ille in *Theſauro Epiſtolico* Tom. III. p. 155 ϕⲑⲁϣ *vero ſiue* φθάς *Iamblichi, eſt ordinator, ſiue conſtitutor rerum, vnde prouerbium* φθάς σοι λελάληκε, *ironice dictum puto de iis, qui futurorum ſcientiam ſibi tribuebant.* Et iterum p. 161. *Ipſum vero* φθάς, *nihil aliud arbitror, quam Aegyptiacum* ϕⲑⲁϣ, *conſtitutor ſiue ordinator rerum. Vide* Lucae Euang. III, 13. Actor. X, 33.

X, 33, 42. XVII, 31. *Conuenit vero ea vox cum nomine* צבאות *Ebraico; hanc enim illius vocis ſignificationem omnes interpretes agnoſcunt in libro* Iobi XIV, 10. et VII, 5. *alibique, metaphoricam tamen, vt aiunt, forte vero propriam, cum exercitus tam hebraice a voce* צבא*, ordino, dici potuerit, quam* διατάξεις*, graece a verbo* τάσσω*, ordino. Hinc intelligitur, quid ſit apud* Suidam, Φθάς σοι λελάληκεν. *Qui cuncta decernit atque ordinat, tibi locutus eſt. Prouerbium videlicet Alexandrinum in eos, qui de futuris temere pronuntiant, quaſi diceretur ironice,* ὁ πάντα διατάσσων σοι λελάληκεν. *Qui cuncta decernit atque ordinat, tibi locutus eſt.* Ex his facile iam eſt perſpicere, quidnam nomine iſto Φθάς, Aegyptiorum Sapientes ſubinnuere voluerint, quamque vim et poteſtatem Numini huic ſuo tribuerint. Admittebant quidem fatum Aſtrologicum, eique res humanas ſubiiciebant; ſed illud ipſum tamen, ex voluntate, decreto, et ordine ſupremi Numinis, Φθάς nempe, pendere volebant, qua in re doctrina eorum a doctrina Stoicorum differebat, eaque longe melior erat. Poteſt eo non immerito referri, quod Aegyptiorum fabulae allegoricae, *Vulcanum* non modo vt regem, verum etiam, vt Legislatorem nobis depingant, in EVSEBII Chronico graeco Scaligeriano p. 7. tametſi Graeci fabulam illam, mirum in modum adulterauerint. Hinc etiam videmus, Aegyptios vetuſtiores, rerum omnium euentus, *Vulcano* ſuo, vt ſupremae cauſae, in acceptis tuliſſe. In Obeliſco Heliopolitano, cuius mentionem feci §. 10. gloria geſtorum Regis Rameſtae refertur ad *Vulcanum*, vt qui *eum praetulerit*, ac veluti elegerit. Id ipſum quoque ſubindicat hiſtoria illa Seſoſtris, quam ex Diodoro Lib. I. p. 49. adſcribo. *Sunt etiam; qui ſcripſere, cum Seſooſis* (vel Seſoſtris) *naſceretur, patri eius Vulcanum in ſomno viſum praedicere, puerum iam natum totius orbis dominium ſibi vindicaturum.* Addi poſſunt, quae idem auctor refert. p. 53.

De cultu huius Numinis apud Aegyptios.

§. 14. Quamuis vero ex conſenſu Veterum in Aegypto Philoſophorum, *Vulcanus*, ſiue *Phthas*, Deorum omnium eſſet ſupremus et maximus, cuiusque imperio omnes, ipſique adeo reliqui Dei obedirent, labentibus tamen annis, honos eius et cultus, vt videtur, frigeſcere ac etiam vileſcere coepit. Niligenae, in neceſſitates vrgentes, et praeſentia commoda, vnice intenti, Deorum illorum, a quibus bona huius vitae exoptata proxime et immediate expectabant, *Solis*, *Lunae*, *Nili*, et ſimilium, cultui, totos ſe conſecrarunt, venerationem vero religioſam Mentis aeternae, in loco, coelis omnibus ſuperiori, collocatae, Philoſophis relinquendam eſſe putarunt. *Oſiris*, *Iſis*, *Ammon*, *Horus*, *Nilus*, aliique huius generis Dii, per vniuerſam Aegyptum Templa conſecuti ſunt plurima, molis ſtupendae, et magnificentiae inuidendae, quorum reliquias et rudera, etiam hodie nemo ſine ingenti admiratione contemplatur. *Vulcano* Templum quidem conſecratum etiam legimus, ſumtuoſum et impenſe ſplendidum, quod HERODOTVS et DIODORVS deſcribunt; ſed in vnica tantum vrbe Memphi, vnde eum non raro *Deum Memphiticum* κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupari videmus. In honorem reliquorum Deorum, per totum anni circulum, in cunctis Aegypti ciuitatibus, permultae celebrabantur ſolennitates religioſae et laetae, quarum non paucas commemorat PLVTARCHVS in libro de Iſide et Oſiride; at non memini, me de Feſto in honorem *Vulcani* inſtituto, aliquid vnquam literis proditum legiſſe. Idem fere dicere poſſis de *Neitha*, Aegyptiorum, vt Graeci volunt, *Minerua*, Sai in Aegypto inferiori culta, quam Sacerdotes et Philoſophi veteres, in Aegypto cum primis inferiori, eodem loco habuiſſe videntur, quo apud Memphitas, et Aegyptii ſuperioris incolas, *Vulcanus* erat. Et de hoc quidem Numine nunc dicendum mihi eſt.

CAPVT

CAPVT III.

De Neitha Aegyptiorum Deo, quam Graeci Mineruam interpretant

§. 1.

Antequam vero, quod capite ſuperiori, me ſuſpicari dixi, nunc pluribus adſtruam, Saitas in Aegypto inferiori, Numen ſuum Sacroſanctum, quod lingua patria *Neitham* nuncupabant, eodem fere loco habuiſſe, quo Memphitae, et ſuperioris Aegypti incolae, *Vulcanum* ſuum, vel *Phthan*, habuerunt, in anteceſſum ea afferemus, quae in veterum Monumentis, de *Neitha*, antiquiſſimo Aegyptiorum Numine, literis prodita inueniuntur. Sedes itaque magni huius Aegyptiorum Numinis vera et propria fuit *Sais*, urbs magna et praeſtans, non tantum Praefecturae Saiticae, verum et totius Aegypti inferioris, aliquamdiu princeps, ac regia etiam multorum, qui Aegypto imperarunt. Vrbs, pluribus quidem aliis de cauſis inclyta, ſed nulla re celebrior, quam Templo, cultuque *Neithae*, vel *Mineruae* Aegyptiacae, et Collegio perquam illuſtri Sacerdotum, cultui eiusdem conſecratorum. Etenim horum, in ipſa quoque Graecia, tanta fuit exiſtimatio, vt ex ea, ad audiendos tam laudatos Sapientiae Antiſtites, cupide confluerent, quotquot ad ſolidae eruditionis gloriam contendebant, eamque poſtea, in patriam reduces, reipſa conſecuti quoque ſunt. Ex eo *Minerua Saitica*, et *Sais* ipſa, patria quaedam illius *Mineruae*, tantum apud Graecos nominis famam adeptae ſunt; vt Graeci quidem opinarentur, verum et auitum Deae huius nomen fuiſſe *Sain*. Ita certe PAVSANIAS Scriptor inſignis, vbi de *Minerua* Thebana

Deae, quae Sai in Aegypto colebatur, & quam Graeci Minervam interpretantur, nomen erat non Sais; ſed Neitha.

 Boeotiae

Boeotiae loquitur, ſcribit, in Boeoticis pag. 734 *. Ὄγκα κατὰ γλῶσσαν τὴν Φοινίκων καλεῖται, καὶ οὐ Σάϊς κατὰ τὴν αἰγυπτίων φωνήν. *Etenim* MineruaThebana, *lingua Phœnicum dicitur Onca, non vero, vti eam Aegyptii appellant, Sais.* Pari modo ISACIVS TZEΤZA, ſecutus CHARACEM, ad Lycophronem v. III. aſſerit. Σάϊς κατ' αἰγυπτίους ἡ Ἀθηνᾶ λέγεται, ὥς φησὶ Χάραξ. *Ab Aegyptiis Minerua nuncupatur Sais, quemadmodum ** Charax perhibet.* Cum quo conſentit IO. TZETZA in Hiſtor. Chil. V. v. 657. Sed non eſt, quod quiſquam dubitare poſſit, auctores hos adductos, et qui cum ipſis ſentiant, ſibi paſſos fuiſſe imponi. *Sais* nomen eſt non Numinis cuiuſpiam, ſed vrbis, Graecorum Scriptis non parum celebratae. Numen vero, in vrbe hac ab Aegyptiis ſancte cultum, quod Graeci interpretantur *Mineruam*, ſcimus ab ipſis Aegyptiis, non *Sain*, ſed *Neitham* appellatum fuiſſe.

Id teſtimoniis Veterum probatur.

§. 2. Id, quod vldmo loco dicebam, Numini Saitico Aegyptiorum, verum auitumque nomen fuiſſe *Neith*, teſtimonio ipſius PLATONIS, diſciplina Sacerdotum Aegyptiorum imbuti, comprobare poſſum. Scribit enim is, in *Timaeo*, p. 474. Edit. Graecae Baſil. Τούτου δὲ τοῦ νομοῦ μεγίστη πόλις Σάϊς, ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ Βασιλεύς· οἷ τῆς πόλεως ἀρχηγός ἐστιν Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ. ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς εκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. *Huius Praefecturae Saiticae vrbs eſt maxima & praecipua Sais, ex qua et fuit Amaſis Rex. Numen vrbi huic tutelare eſt, quod Aegyptiace vocatur Neith. Graeci eandem Athenam, id eſt, Mineruam dicunt.* In verſione CHALCIDII pag.

* Ita viri eruditi iam dudum correxerunt, et recte omnino.

** Ipſius huius CHARACIS verba vide in notis HOLSTENII ad Stephanum Byzant. voce Σάϊς.

pag. 231. Edit. *Fabricii*, legitur *Neuth*, tanquam is in Platone legiſſet Νηὺθ. Verum ratio nulla ambigendi eſt, quin vera nominis huius apud Platonem lectio ſit Νηὶθ. Ex eo ſane nomen id habuit ARNOBIVS, apud quem Lib. IV. p. 137. Minerua ſic loquens introducitur. *Quod ſi fidem inquiris facti, Aegyptios et ego teſtes* dabo, *quorum ſunt Neith lingua, Platonis teſtificante Timaeo.* Apud HESYCHIVM ſcriptum legimus Νηίθη, in caſu tertio, addita nempe terminatione graeca. Verba eius ſunt. Νηίθη, Ἀθηνᾷ παρ' Αἰγυπτίοις. *Neithae, Mineruae apud Aegyptios.* Liquet ex his, PLATONEM, et ceteros, qui eum ſequuntur, illam Aegyptiorum *Neith* vnanimiter interpretari *Mineruam.* Et ad horum teſtimonia accedit auctoritas minime contemnenda ERATOSTHENIS Cyrenaei, qui in Catalogo regum Thebaeorum Aegypti num. XXII. nomen alicuius reginae Thebaeae Aegyptiacum Νίτωκρις, graece ſic interpretatur, ὅ ἐστιν Ἀθηνᾶ νικηφόρος, id eſt, *Minerua victrix.* Interpretationem illam * olim pluribus excuſſi, quae hic non repeto. Id ſatis omnes intelligunt, ERATOSTHENEM, Νιτ', quod a PLATONIS Νηὶθ parum recedit, vertere *Mineruam*, adeo in hac interpretatione omnes conſentiunt. Quare neſcio, quid in mentem venerit TH. HYDIO, quando in *hiſtoriae religionis Vet. Perſ.* cap. III. p. 92. negauit, *Neitham* Aegyptiorum, recte dici *Mineruam*, cum potius, ipſo iudice, ſit *Venus*, et erroris huius, quem ſibi imaginatur, culpam in latinos Platonis interpretes, qui nempe id de ſuo addiderint, reiiciendam eſſe, arbitratur. Nam an non quaeſo PLATO ipſe, et poſt eum ERATOSTHENES, et cum his tot alii, conceptis verbis teſtantur, *Neitham* Aegy-

* In *Remphah illuſtrato* p. 75, et in Annotat. ad *Eratoſthenis* Catalogum, in B. *Vignolii* Chronol. Sac. T. II, p. 755.

ptiorum haberi pro *Minerua?* Exiſtimauit nempe vir doctus, impudicam Perſarum *Anaitin*, a caſta Aegyptiorum *Neitha*, nulla re differre, cum tamen liquido demonſtrari poſſit, nullam eſſe prorſus vtriusque huius Numinis, neque in nomine, neque in re, convenientiam aut affinitatem. Eundem tamen errorem, poſt HYDIVM, errauit etiam HADRIANVS RELANDVS, Vir clariſſimus, in Diſſertat. *de veterum Perſarum lingua* voce ANAITIS pag. 123. Sed iam pergamus.

Et illuſtratur ex hiſtoria Aegyptiorum.

§. 3. Obſeruatio ERATOSTHENIS, quam modo tetigimus, nomen reginae Thebaeorum *Nit - ocris* interpretantis *Mineruam victricem*, ad indaganda alia ſimilia Aegyptiorum nomina, in quibus compoſitionis talis veſtigia manifeſta occurrunt, nos deducit. Tale nomen in ipſa hiſtoria Moſaica Gen. XLI, 45. 50. deprehendere licet. Illic enim vxorem *Ioſephi* Patriarchae, filiam *Potipherae*, magni Sacerdotis Heliopolitani, appellari videmus אסנת, vel, vti Graeci habent, *Ἀσενὲθ*, *Aſe - neth*. In nominis huius compoſitione, *Neth*, quod *Mineruam* interpretor, non longius vtique a PLATONIS *Neith* recedit, quam in *Nit - ocris* nomine, Eratoſtheniacum *Nit*. Si quid iudico, totum iſtud *Aſenethae* nomen, Coptice ſcriptum ⲤϢⲈ-ⲚⲈⲤⲦ vel, quod eodem redit ϢⲈ-ⲚⲈⲤⲦ id eſt, vti Coptorum filii pronuntiant, *Aſſcheneit*, Graecis ſatis commode reddetur Ἀθηνοσεβὴς, *Minerua cultrix*. Si haec etymologia vera eſt, quod ego opinor, poteſt ex ea ſatis colligi, quam antiquus, celebrisque tempore iam Ioſephi Patriarchae, inter Aegyptios fuerit *Neithae*, ſeu *Mineruae* cultus. Neque eſt, quod ipſa haec a me venditata cultus iſtius antiquitas, obſeruationem meam, in erroris ſuſpicionem inducere queat. Nam in hiſtoria Moſaica, exempla alia non diſſimilia occurrere, * loco alio luculenter probaui.

* De Terrâ Goſen Diſſert. VIII. §. 4.

probaui. Quod ſi autem hiſtoriae Aegyptiorum Monumenta etiam exotica adeamus, illa nobis ſuppeditabit *Nitetin*, Apriae Regis Aegyptii filiam, Cyrique vel, vt alii, Cambyſis Perſarum regis vxorem. HERODOTO initio Lib. III. Νίτητις audit, *Nit-etis*, vbi eadem nominis hujus ſcriptio occurrit, quam in ERATOSTHENIS Catalogo obſeruauimus. ATHENAEVS, vero Lib. XIII. p. 560. eadem Νειτῆτιν *Neitetin* appellat, cuius proinde ſcriptio, ad illam PLATONIS proprius accedit. Qui linguae Aegyptiacae adſuetus eſt, nullo negotio perſpiciet, nomen hoc ſic eſſe endum eſſe *Neits-teits*, vel etiam *Neit-teit*, quod ſignificat *donatam a Minerua*, vel *donum Mineruae*. Aegyptios iſtius modi nominibus impenſe delectatos fuiſſe, vel vnus ** ERATOSTHENIS Catalogus regum Thebaeorum abunde demonſtrat. *Neitetae* vero, de qua iam loquimur, nomen hoc inditum fuiſſe a *Neitha*, Saitico Numine, tanto eſt probabilius, quod ſciamus, patrem eius *Apriem*, qui in Scriptura *Pharao Hophra* audit, regem fuiſſe ex Dynaſtia Saitica, eorum regum, quibus *Sais*, vrbs ſacra *Mineruae*, ſedes erat regia: Eadem vt videtur de cauſa, *Amasidis*, regis pariter Saitaci, filius et ſucceſſor, cui Cambyſes et regnum & vitam eripuit, nomen geſſit *Pſamme-niti*, quod interpretari poſſis *virtutem Mineruae*, aut vero *eruditum a Minerua*. Eo etiam omni procul dubio ſpectat nomen *Pateneit*, Sacerdotis Saitici, cuius meminit PROCLVS Lib. I. in Timaeum pag. 31. Sacerdos hic, quem Graeci *Sonchin*

 appel-

** Nam in illo v. g. num. IX. et XXXIV. occurrit *Mares*, quod ERATOSTHENES interpretatur *donum Solis*. Num. XVII. habetur *Moſcheris*, vel melius *Moicheres*, itaque redditur *donatus a Sole*. Num. XXIII. legitur *Myrtaeus*, idque exponitur, *donatus ab Ammone*, quorum omnium rationem prolixe dedimus, in noſtris ad illum Catalogum Annotatt:

appellare ſolent, in Aegyptiorum Annalibus, ad quos PROCLVS prouocat, nomen habuit *Pateneit*, a dignitate, quam in Collegio Sacerdotum *Neithae* Saitico geſſit. Erat enim Collegii illius, *Neithae* conſecrati, Praeſes, vel Archipropheta, vti eum conceptis verbis vocat CLEMENS ALEXANDRINVS, Stromat. Lib. I. pag. 303. * Alias autem iam docuimus, *Pateneit*, ſermone Aegyptiorum priſco dici *ſummum Sacerdotem*, vel *Archi prophetam Neithae.* Sed apud Graecos etiam veſtigia nominis *Neithae* deprehendimus, cumprimis in vna ex ſeptem portis Thebarum Boeoticarum, quam in honorem Mineruae Aegyptiacae a Cadmo denominatam fuiſſe *Neitham* ** loco alio multis probauimus. Verum cum hic alia plurima dicenda nobis ſuſperſint, ad ea nunc progredimur.

Aegyptiorum Neith cum Graecorum Minerua non debet confundi.

§. 4. Ante omnia igitur id explorandum, et, quantum fieri poteſt, dilucide explicandum nobis erit, quamnam Aegyptii Numini huic ſuo, Neithae, poteſtatem atque virtutem tribuerint, quidque in illo maxime venerati fuerint. In rem vero hanc diligenter inquirentibus, PLATO, qui *Neitham* Graecorum eſſe *Mineruam* aſſeruit, obſtaculum obiicit non leuiſſimum, quodque multis fraudi fuit. Nam teſtimonio PLATONIS decepti, omnia quae Graeci de *Minerua* ſua canere et praedicare ſolent, ad *Neitham* Aegyptiorum, ſummo iure ſimiliter referri poſſe, arbitrantur. Non equidem inficias eo, Solonem, Platonem, aliosque Graeciae Sapientes, dum inter Aegyptios verſati ſunt, animaduertiſſe aliquam inter *Neitham* huius gentis, ſuamque *Mineruam* ſimilitudinem et conuenientiam, ac intellexiſſe, non eſſe aliquod Graecorum Numen, quocum melius Dea Aegyptiorum componi poſſet, quam cum *Minerua.* Sed non

* De Terra Goſen Diſſert. VIII. §. 4. pag. 94. 95. in notis.

** Miſcellan. Lipſ. Vol. VI. Part. III. p. 457.

non idcirco omnia, quae Graecorum aut Philoſophi, aut Poëtae, de ſua *Minerua* finxerunt, ad *Neitham* Aegyptiam transferri, adque illius Numen applicari poſſe vel debere, cenſenda ſunt. Et in eo toti tamen ſunt Graeci ſequiores, ac praeſertim Philologi noſtri recentiores, quoties de *Minerua* Aegyptiorum diſſerere in animum inducunt. Sed omnium aliorum in eo argumento conatus, longe poſt ſe reliquit Vir ſua ceteroquin laude digniſſimus, et cui certe meliores litterae plurimum debent, qui in notiſſima *hiſtoria Coeli*, gallice ſcripta, id virium omnium niſu efficere conatus eſt, vt nobis Theologiam veterum Aegyptiorum, ex lingua hebraica, et ex Graecorum Mythologia, quam tamen etiam ad ſcopum ſibi plane peculiarem, artificio mirifico ſemper contorquet, ceu ex genuinis fontibus erutam, nouoque habitu amictam, nobis ſiſteret. Eius rei ſpecimen ſatis amplum, ex iis, quae de *Neitha*, ſiue *Minerua* Aegyptiorum, docere nos voluit, capere inprimis licet. Nihil fere illic occurrit, quod vlli veterum vnquam dictum, aut auditum ſit, omnia ſoli imaginationi auctoris nonnunquam nimis ingenioſi, ſupra modum viuae et fertili, & fictionibus eius amoenis, in acceptis ferenda ſunt. *Quae omnia, ſi minutatim* perſequi, et ad veritatis iuſtam lancem expendere vellem, ea profecto Diſſertatio vna non caperet.

§. 5. Vt tamen intelligatur, quam nullo ſucceſſu fabulis Graecorum, Mythologia Aegyptiaca accommodetur, et iſta ex lingua hebraica adiuuetur, ea tantum delibabo, quae de cultura olearum in Aegypto, ad *Neitham*, ſeu *Mineruam* gentis illius relata, Vir ingenioſus obſeruat. Nam quicquid ea de re Graeci in gratiam ſuae *Mineruae* fingunt, id omne multo rectius *Neithae* Aegyptiorum conuenire aſſeverat. Et longe maximum quidem ac firmiſſimum *Id ipſum pluribus oſtenditur.*

huic

huic ſententiae praeſidium, eruditus auctor, * ex nomine vrbis *Sais*, quae cultui *Mineruae* Aegyptiorum tota erat dedicata, conciliare nititur. *Sais* enim, vel *Saith*, hebraice זית, *oleam*, deſignat. Neque diſſimulabo, caſu fortuito hic contigiſſe, vt vox, qua vſi ſunt genuini Aegypti incolae, ad ſignificandam oleam, a vocabulo hebraico parum, aut nihil differat. Non nego, ** *Saith* Aegyptiis *oleam* vere dictam fuiſſe, etſi auctor ingenioſus ad vocem hebraicam tantum, qua hebraicam, mentis ſuae aciem direxerit. Quaero autem, an ex hac qualicunque conuenientia ſoni, inter nomen vrbis *Sais*, et nomen *oleae* hebraicum, tuto concludi poſſit, Sain oleis abvndaſſe, et harum laetam propagationem, in laudibus *Neithae*, vt quae illic religioſe coleretur, poſitam fuiſſe? Non ſane opinor, niſi id aliunde probari recte et legitime queat. Equidem, ſi viro docto auſcultamus, *** *incolae vrbis Sais, culturae olearum vnice dediti erant.* Idem *Numini Neithae grates ſolenniter perſoluebant, quod eius beneficio, oleas diligenter colendo, ſibi in rerum omnium abundantia viuere liceret. Feſtis ac ſacrificiis animum quoque gratum Numini teſtabantur, quod tam excellenti oleo ſe beaſſet.* Ex quibus quaeſo commentariis hiſtoricis omnia haec facta decerpta eſſe credemus? Profecto, ſi, quod res eſt, dicere volumus, ſola vox hebraica זית, quia *oleam* ſignificat, et, quia aliquam cum nomine vrbis *Sais* ſoni conuenientiam prae ſe fert, imaginationi incaleſcenti viri politiſſimi, obtulit Saitarum oleas, torcularia, oleumque exquiſitum, et inſtituta ob iſta beneficia,

* Praeiuit tamen hic viro acutiſſimi ingenii, STEPH. GVICHARTVS in libro, quem inſcripſit *l' harmonie Etymologique des langues.* Vide pag. 241. 973. &c. Edit. Paris. 1618. Ita poſt eum etiam alii.

** Obſeruaui id in Diſſert. III. de *Terra Goſen* §. 6.

*** *Hiſtoire du Ciel* Tom. I. p. 185. Edit. Paris 1739.

ficia, in honorem Neithae, Feſta atque ſacrificia. Nam ſi genuina hiſtoriae et Geographiae veteris Monumenta conſulas, non ſine admiratione intelliges, oleas in vniuerſum raras fuiſſe in Aegypto, in agro vero Saitico, vti et Aegypto tota inferiori, eas plane cultas non fuiſſe. Teſtatur id STRABO, qui itineribus Aegyptum totam emenſus erat Lib. XVII. vbi de Praefectura Heracleopolitica ſic ſcribit p. 556. *Sola Praefectura Heracleopolitica oleas perfectas et fructiferas profert, ac, ſi quis bene colligat, oleum etiam optimum fit. — At Aegyptus reliqua olea caret, exceptis hortis* (regiis nempe) *qui circa Alexandriam ſunt, qui oleas quidem ferre poſſunt, oleum vero non ſuppeditant.* Nihil diſertius dici ſane potuit. Inde eſt, quod HOSEAE cap. XII. 1. dicatur *oleum deportatum iri in Aegytum*, vbi KIMCHIVS obſeruat, *oleum venire Aegypto ex terra Iſraël.* Ex eo etiam intelligitur, quamobrem, qui paluſtria in Aegypto inferiori, non ita procul a Sai, incolebant, oleo vterentur ex ſilicypriis, vel ſeſamo confecto, teſte HERODOTO Lib. II. cap. 94. quia nempe oleo carebant oliuarum. Pluresigitur eandem ob cauſam erant ſpecies olei factitii, quibus vtendum erat incolis, vt defectum olei genuini compenſarent, de quibus PLINIVS Lib. XV. c. 7. His vnicum hocce tantum addo teſtimonium * Auctoris anonymi in *Expoſitione totius Mundi* p. 7. vbi haec de Aegypto legas: *Et fructum feret omnia, ſine oleo,* id eſt, vti in notis bene explicatur, *omnis generis frugum frugifera eſt, oleo tantum excepto.* Equidem ignarus non ſum, THEOPHRASTVM hiſtor. Plantar. Libr. IV. c. 3. in Thebaide ſuperiori, circa Abydum oleas agnoſcere; verum hoc, vt aliquid prorſus ſingulare, obſeruare hic iubet. Καὶ γὰρ ἡ ἐλαία περὶ τοῦτον τὸν τόπον ἐστί. *Etenim in hac quidem Aegypti regione*

* In HVDSONI Geographis minoribus Tom. III.

gione dantur oleae. Et quam non longe, quæſo, a Sai Abydus diſtat? In Aegypto inferiori oleae nuſpiam colebantur, et ſic in hodiernum vſque diem rem ſe habere,** ex peregrinatorum relationibus notum et tritum eſt. Satis igitur liquere arbitror, nullam circa Sain proueniſſe olearum copiam, neque ab illis vrbem hanc nomen trahere potuiſſe. Et ſi vel hoc concederem, nihil tamen ex eo in *Neitham* redundare poſſet lucri, neque iſthoc argumento, conuenientiam *Neithae* Aegyptiorum cum Athenienſium *Minerva* demonſtrare liceret. Oleam Athenienſes quidem in tutela *Mineruae* ſuae, donum quippe eius præſtantiſſimum, eſſe perſuadebant;* at non Aegyptii, quorum Mythologiam hic quidem a fabulis Graecorum diſtuliſſe, fatetur DIODORVS SICVLVS, etſi ipſe Graecus, et praeter morem Graecorum. Verba eius ex Lib. I. p. 15. appono. Τῆς ἐλαίας τὸ φυτὸν Ἑρμῆν εὑρεῖν, ἀλλ᾽ οὐκ Ἀθηνᾶν, ὥσπερ Ἕλληνες, φασίν. *Aegyptii aiunt, oleam inuentam a Mercurio, non vero vt Graeci, a Minerua.* Cumque Sai præter *Mineruam*, cultus quoque fuerit *Mercurius*, teſte LACTANTIO Lib. I. c. 6. huic vtique, non illi, pro oliuarum apud ſe creſcentium copia, ſi qua cœlitus donati fuiſſent, grates perſoluiſſent Saitae. Haec vero non ideo, paulo prolixius diſputaui, vt de laudibus, auctori praeſtantiſſimo *hiſtoriae Coeli* debitis, quicquam detraherem: nam merita eius cum cordatis omnibus libenter agnoſco et colo; verum, vt hoc exemplo antiquitatum Aegyptiacarum ſtudioſos moneam, inſigne eſſe inter fabulas Graecorum de Diis ſuis, & Theologiam Aegyptiorum mythicam diuortium,

** Vide *les noueaux Memoires des Miſſions* Tom. II. Part. II. pag. 135. 136. et PAVLI LVCAE relationem itineris in Orientem ſuſcepti tertii Part. II. p. 254. qui tamen de hodierno ſtatu loquens, tantum audiendus eſt.

tium, & neminem in illuſtranda hac poſtrema, eximium quid praeſtiturum, niſi fontes genuinos adeat, illosque ab adulterinis ſollicite diſcernat.

Aegyptii Neitham fingebant naturae eſſe Maſculo-foemininae, quod illa cum ſolo Vulcano commune habuit.

§. 6. Ipſi igitur Aegyptiorum Theologi, de *Neitha* ſua, fabulam hanc allegoricam ſpargebant, quod illa etſi Dea, natura tamen prædita eſſet maſculo-foeminina. Verba HORAPOLLINIS, quibus hoc docet, ita ſe habent Hieroglyph. Lib. I. c. 12. *Δοκεῖ γὰρ ἀυτοῖς ὁ κόσμος συνεςάναι ἔκ τε τȣ̃ ἀρσενικȣ̃ καὶ θηλυκȣ̃.* Ἐπὶ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς * τὸν κάνθαρον, ἐπὶ δὲ Ἡφαίςȣ τὸν γῦπα γράφȣσιν. Οὗτοι γὰρ μόνοι θεῶν παρ' ἀυτοῖς αρσενοθήλεις ὑπάρχȣσι. *Etenim Aegyptiis mundus videtur conſtitutus eſſe ex rebus tum naturae Maſculinae, tum foemininae. Mineruae autem appingunt ſcarabaeum, Vulcano vero vulturem, quod hi ſoli ex Diis, apud ipſos mares ſint ſimul ac foeminae.* Fluxiſſe hoc ex genuina et non adulterata Aegyptiorum Theologia, quilibet illico ſentit, idque ex iis, quae cap. II. §. 8. 10. de *Phtha* ſiue *Vulcano* Aegyptiorum obſeruauimus, poterit illuſtrari. Non equidem diffiteor, ſomnia haec Aegyptiorum, & Orientalium in vniuerſum, de Diis Maſculo-foemininis, in Graecorum ſe pariter Theologiam inſinuaſſe; verum qui loca veterum hanc in rem, liberali manu, ab optimo et meritiſſimo IO. ALB. FABRICIO, in Cod. Apoc. Vet. Teſt. Vol. I. pag. 361. 362. congeſta, attente penſitare volet, mihi non grauate largietur, Graecos conceptus tales non admiſiſſe, niſi ſero, poſtquam Placita Pythagoraeorum et Platonicorum abſtruſa atque metaphyſica praeualere vbique, et cum dogmatibus Theologiae Orientalis ſociari coeperunt. Illud vero ſingulare profecto, et Aegyptiis proprium conſendum eſt, quod *Vulcanus* et *Minerua*, et hi quidem ſoli, crediti

* Sequor hic emendationem editoris nouiſſimi, cuius vide in auctorem hunc notas p. 295.

diti fuerint Maſculo-foeminini, quod HORAPOLLINEM affirmare vidimus. Vbi tamen non negligenda erit annotatio Editoris poſtremi, qui docte obſeruat, etiam alios Deos, ex ſententia Aegyptiorum, habitos fuiſſe maſculo-foemininos. PLVTARCHVS certe de Luna, id ex Aegyptiorum doctrina tradit in libro *de Is. et Oſir.* p. 368. *Ideo Lunam matrem mundi appellant, & naturam ex vtroque mixtam ſexu* (*φύσιν ἀῤῥενόθηλυν*) *aſſignant ei, quod impleta et grauida facta a Sole, rurſum a ſe in aërem emittat ac diſſeminet genitabilia principia.* Tangit rem eandem SPARTIANVS in vita Antonini Caracallae cap. 7. *Vnde quamuis Graeci, vel Aegyptii, eo genere, quo foeminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, myſtice tamen Deum dicunt.* Significatur his verbis, Aegyptios *Lunam* partim venerari vt Deam, partim vero etiam, vt Deum marem. Sed in eo auctor hic deceptus eſt, quod aſſeruerit, *Lunam* Aegyptiis dici genere foeminino. Nam vice verſa, ſermone Aegyptiorum, non ſecus atque noſtro Germanico, Luna ſemper effertur nomine generis maſculini ⲠⲒ-ⲒⲞϨ, *Pi-iotz*, ſic ipſi lunam appellant. Rectius omnino id obſeruatum videas ab AMMONIO in Ariſtotelem *de interpretatione* pag. 15. Καὶ γὰρ εἰ ἀῤῥενικῶς Αἰγύπτιοι τὴν σελήνην ὀνομάζειν εἰώθασιν, ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν γῆν, οἶμαι αὐτὴν παραβάλλοντες, οὐχ' ὑπὸ ἡλίου μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῆς φωτιζομένην. *Etſi enim Aegyptii nomine maſculini generis Lunam nominare conſueuerint, id tamen, vt puto, ideo faciunt quia illam conſiderant in ratione ad terram, quae non tantum a Sole; ſed et ab ipſa Luna illuminatur.* Itaque praeter *Vulcanum* et *Mineruam*, Aegyptii *Lunae* etiam attribuerunt naturam Maſculo-foemininam. Ea de cauſa vir doctus, verba HORAPOLLINIS, οὗτοι μόνοι τῶν θεῶν παρ' αὐτοῖς ἀῤῥενοθηλεῖς ὑπάρχουσιν, ſic latine reddenda eſſe contendit. *Hi*

enim

enim primarii ſunt inter Deos, quos Aegyptii cenſent maſculo-foemininos Nempe *Vulcanus* et *Minerua* Numina dicuntur Maſculo-foeminina, quia illa, vtpote opifices, rationes totius Naturae, et agentis, et patientis, in ſe habent, quod de *Luna* dici non poteſt. Nam dum agit in terram, quo nomine natura ipſi tribuebatur maris, eo ipſo patitur a Sole, vnde actiuitatis illius ratio, non in ipſa, ſed in Sole, quaeri debet. Vide AMMONIVM loc. cit. Aegyptii igitur ſolos, *Vulcanum* et *Mineruam* habebant, agnoſcebantque pro Numinibus Maſculo-foemininis, eo quod illos ſolos venerarentur, vt principia rerum omnium actiua; ſed a quorum ordinatione et diſpoſitione eſſet tamen etiam, quicquid in rerum natura ſe habet paſſiue. Ex hac Aegytiorum doctrina procul dubio defluxit illud Pythagoraeorum ſcitum, Monadem, numerum primum, eandemque rerum omnium principium, Monadem inquam, eſſe Maſculo-foemininam, quam in rem multa coaceruauit MEVRSIVS in Denario Pythagorico, cap. III. quae apud ipſum legi malo.

§. 7. Hanc, quam dixi, fuiſſe veram antiquam Aegyptiorum de *Neitha* ſua doctrinam, luculenter inprimis teſtatur celeberrima illa Inſcriptio, in adyto Deae huius Saitico inſculpta, quam PLVTARCHVS de Is. et Oſir. p. 354. nobis conſeruauit. Τὸ δ' ἐν Σάει τῆς Ἀθηνᾶς, ἥν καὶ Ἶσιν νομίζουσιν, ἕδος, ἐπιγραφὴν ἔχει τοιαύτην, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω ἀπεκάλυψεν. *Quod Sai eſt Mineruae, quam eandem cum Iſide arbitrantur, fanum, hanc habet inſcriptionem: Ego ſum omne, quod extitit, eſt et erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Ex hac namque Inſcriptione, dummodo genuina ſit, intelligitur, qua ratione *Neitha* dicatur Dea Maſculo-foeminina, quia nimirum rationes omnes totius rerum naturae

Neithae conuenientia cum Vulcano, probatur etiam ex celebri Inſcriptione Saitica.

in ſe continet, eoque natura ipſa, nemini penitus et ab omni parte cognita dici recte poteſt. Diffiteri tamen nolo, * fidem huius Inſcriptionis, mihi non ſine praegnanti cauſſa ſuſpectam videri. Etenim non eſt ex veteribus quisquam, qui illius meminerit ante PLVTARCHVM, cuius tempore vera notitia literarum hieroglyphicarum iam dudum interciderat. PLATO, qui in Aegypto ipſe peregrinatus erat, multa in Dialogo *Timaeo*, de Sai vrbe, de *Neitha* Deo, deque ſacerdotibus, illi conſecratis, refert. Ibidem confabulationis bene longae Solonis, cum ſacerdotibus Saiticis, memoriam conſeruauit. Solonis eiusdem, vti et Pythagorae, Platonis, Eudoxi, aliorumque in Aegyptum profectiones, ac inſtituta cum Prophetis illius regionis, colloquia, Graeci crebris ſermonibus celebrarunt; ſed de Inſcriptione illa, memoratu, ſi quidquam aliud, digniſſima, altum ſemper, vsque ad ſeram Plutarchi aetatem, eſt ſilentium. Ea etiam, quae in Inſcriptione illa de *Peplo Mineruae* legas, *meum peplum nemo adhuc detexit*, calamum non Niloticum, ſed Atticum plane ſapiunt. Manifeſte nimis deſignatur hic peplus ille decantatus, Mineruae Athenienſis, qui ex vrbis illius inſtituto, in Panathenaeis anno quouis quinto oſtendebatur, vt ** viri eruditiſſimi multis docuerunt. Et mihi quidem videtur tota haec dictio, non ita obſcure alludere ad hiſto-

* Dudum iam haec ſcripſeram, cum librum CVDWORTHI ſaepius in hoc meo Commentario citatum, verſione latina, notisque doctiſſimis a Venerando Gottingenſium Cancellario, MOSHEMIO donatum, euoluere licuit. Nec ſine voluptate deprehendi, in notis Venerandi viri p. 398. quod et ipſe fidem Inſcriptionis huius in dubium vocauerit, etſi aliis hanc in rem argumentis vſus fuerit.

** Vide VIRGILII Cirin in Catalectis SCALIGERI p. 15. et ad illum locum notas SCALIGERI et LINDENBROGII.

hiſtoriam Stilponis Philoſophi, inter Graecos non incelebrem, de quo, cum aliquando per iocum ambiguo ſenſu aſſeueraſſet, Mineruam non eſſe Θεὸν *Deum*, quippe quae eſſet *Dea* foemina, Theodorus Atheus dixiſſe fertur: πόθεν δὲ τῦτ' ἤδει ὁ Στίλπων; ἢ ἀνασύρας (ſubintellige τὸν πέπλον) αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο; *Vnde hoc nouerat Stilpo? vtrum Minerua eſſet Deus, vel* Dea, *An forte reducto Mineruae peplo verenda eius conſpexit?* apud DIOG. LAERTIVM Lib. II. §. 116. Sed bene eſt, quod Inſcriptionem eandem, nonnihil pleniorem, et ad ingenium Theologiae Aegyptiacae, nonnihil magis accommodatam, exhibeat PROCLVS Lib. I. in Timaeum p. 30. Αἰγύπτιοι ἱςορῦσι, ἐν τῷ ἀδύτῳ τῆς θεῦ, προγεγραμμένον εἶναι τὸ ἐπίγραμμα τῦτο. Τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, καὶ τὰ γεγονότα, ἐγώ εἰμι. Τὸν ἐμὸν χιτῶνα ὐδεὶς ἀπεκάλυψεν, ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο. *Referunt Aegyptii, in Adyto Mineruae Saitico, legi hanc Inſcriptionem foribus inſculptam. Quae ſunt, quae erunt, quaeque fuerunt, ſum ego. Tunicam meam nemo reuelauit. Fructus quem peperi, fuit Sol.* Iſta Inſcriptio iis verbis concepta eſt, vt a genuino Aegyptiorum Propheta proficiſci potuerit, nihil enim in illa a genio, placitis, ac ſtylo etiam, Theologiae Aegyptiacae recedit. Quod ſi vero etiam largiar, Inſcriptionem iſtam confictam fuiſſe ab homine, qui ſcientiam hieroglyphicorum, diu iam amiſſam, ſatis ſero, ſibi fidentius arrogauit, quod ſane vero ita diſſimile non eſt, aſſeuerare tamen nullus dubito, redolere eam auitam et genuinam Aegyptiorum Theologiam, et ex illius placitis deriuatam eſſe. Illuſtris eruditione CVDWORTHVS, qui in hac ipſa Inſcriptione Saitica, cauſae ſuae praeſidium non vltimum, idque iure merito, collocat, pag. 342. ſyſtem. intellect. Ed. Anglic. opportune eam in rem adfert locum IAMBLICHI de Myſter. Aegypt. Sect. VIII. c. 5.

dignum, qui et hic repetatur. Ὑφηγήσατο δὲ καὶ ταύτην τὴν ὁδὸν Ἑρμῆς. ἡρμήνευσε δὲ Βίτυς προφήτης Ἄμμωνι Βασιλεῖ, ἐν ἀδύτοις, εὑρὼν ἀναγεγραμμένην ἐν ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν, κατὰ Σάϊν τὴν ἐν Αἰγύπτῳ, τότε τοῦ Θεοῦ ὄνομα παρέδωκε, τὸ διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. *Mercurius etiam hanc viam* (qua nempe adſcendendum eſt a cauſis materialibus et naturalibus ad cauſſam ſpiritualem, mentem aeternam) *tradidit, eamque Bitys Propheta, inuentam in Sacrariis vrbis Sais in Aegypto, literis hieroglyphicis ſcriptam, regi Ammoni expoſuit, vt et Dei illius* (Opificis) *nomen, quod totum mundum peruadit.* Deus qui totum mundum peruadit, vel permeat, eſt Spiritus Mundi, de quo loquitur etiam HORAPOLLO L. I. c. 64. Huius Dei nomen, de quo Libri huius cap. IV. §. 6. dicemus, Bitys Propheta Aegyptius, aliis quoque memoratus, in Sacrariis Saiticis repererat, eoque ſatis docet, Sacerdotes Saiticos, hieroglyphicorum illic repertorum auctores, doctrinam de Spiritu, totum mundum permeante, et omnia efficiente, ſollicite tradidiſſe. Et ad quemnam Deum Sacerdotes hi doctrinam hancce ſuam referrent, niſi ad *Neitham*, Numen ſibi vnice cultum et carum? Annon igitur probabili ratione concludere nobis licebit, Deum illum, qui mundum peruadit, eſſe *Neitham*, Numen Maſculo-foemininum, etſi fatendum vtique ſit, nomen huius Numinis, quod Bitys expoſuit, a Neithae nomine diſtinctum eſſe. Sed, vti dixi, de eo nos alibi. Eandem doctrinam aſſecutus eſſe videtur APVLEIVS, quando Iſin, quae certo reſpectu a Neitha non differt, quod ex PLVTARCHO etiam audiuimus, appellat *rerum naturam parentem* Lib. XI. Metam. p. 259. vel, vt in Codice MS. Bibliothecae Bodleianae Oxonii aliquando ſcriptum inveni, *naturae parentem.* Id clarius nobis vetuſtiſſimam Aegyptiorum Philoſophiam repraeſentaret, quamuis tamen etiam

lectio

lectio vulgata ſatis bene ſe habeat. Verbo tantum adhuc monebo, Phoenices etiam Mineruam coluiſſe vt opificem, teſte IVLIANO Imp. Orat. IV. p. 150.

§. 8. Nempe, quod iam ſemel iterumque dixi, eadem de *Neitha*, mente aeterna, ac opifice, tradebant Prophetae Saitici, quae Memphitae et Thebaei de *Vulcano*; Poteſt hoc ex Inſcriptione *Neithae* Saitica, nouo etiam argumento confirmari, quandoquidem in illa Sol *Mineruae* huius, id eſt *Neithae*, fructus appellatur. Ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο. *Fructus, quem ego peperi, fuit Sol.* Haec vero erat de *Vulcano*, Solis genitore, Aegyptiorum traditio, quam * alio loco expoſui. Eandem ob rationem *Vulcanum* Niligenae venerabantur, vt ** *patrem, auum, et progenitorem Deorum omnium.* Quod quomodo intellectum vellent Prophetae Aegyptiorum, ex antiquiſſima doctrina ORPHEI, *** antehac iam a me deſcripta, omnium optime intelligi poteſt. Doctrinam ea de re Aegyptiorum, quae etiam ad *Neithae* Numen applicanda erit, etſi recentiorum Philoſophorum additamentis nonnihil incruſtatam, IAMBLICHVS nobis exhibet de Myſter. Sect. VIII. c. 4. *Sed nec omnia naturalia eſſe* (vel ex cauſis naturalibus corporeis vnice pendentia) *dicunt Aegyptii: nam vitam animalem et intellectualem a naturali diſcernunt, non ſolum in mundo, ſed etiam in nobis; mentem & rationem per ſe exiſtere credunt, et ſic cuncta fieri exiſtimant. Atque eorum, quae ſunt in geneſi, primum et praecipuum patrem* (προπάτορα) *affirmant eſſe Opificem. Quin etiam vim vitalem, tum ſupra coelos, tum in coelis, agnoſcunt: item purum intellectum collocant ſupra mundum — neque ſola ratione haec ſpeculantur, ſed etiam per religioſas operationes,* (διὰ τῆς

Et ex eo, quod praedicetur cauſa efficiens Solis.

* Lib. I. c. II. §. 11. (not. *).
** Ibid. §. 10. *** Ibid. §. 8.

τῆς ἱερατικῆς θεουργίας) *hortantur adſcendere — ad Deum ipſum opificem.* Hic in breui compendio exhibentur, quae alias* de *Phtha*, ſiue *Vulcano*, cui haec proprie competunt, paſſim et ſparſim obſeruaui, et quae de *Neitha*, vti ex dictis liquet, conſimiliter dicenda veniunt.

Mineruam ſuam Aegytii reuerebantur, vt ſapientiam diuinam.

9. Non praetermittenda eſt ratio, ob quam Graeci *Neitham*, cum Ἀθηνᾷ, *Minerua* ſua, conferri quam optime poſſe augurarentur, eamque idcirco *Mineruae* nomine inſignirent. Et videtur vix alia, aut certe melior comparationis huius ratio dari poſſe, quam ſapientia, quam in *Minerua* ſua Graeci colebant, et quam Saitas pariter in *Neitha* venerari intelligebant. Neminem fugit, Graecos *Mineruam* honoraſſe, tanquam ſapientiam et prudentiam Iouis, aut Deorum. Eam igitur non ex copula maris cum foemina editam eſſe fingebant; ſed ex cerebro Iouis proſiluiſſe. Fabula haec Graecorum quidem eſt, non * Aegyptiorum, qui *Mineruam* ſuam non *Ioue*; ſed ** *Nilo* genitam, in ſacris commentariis perhibebant. Sed rem, ſub cortice fabulae graecanicae latitantem, videntur omnino etiam Aegyptii agnouiſſe. Negare non poſſum, in fabulis Aegyptiorum vulgatis, parcam et raram *Neithae* mentionem fieri, forte quia ſaepius ſub generaliori Iſidis nomine ipſa venit intelligenda, forte vero etiam, quia Aegypti incolae effectus naturae adſpectabiles laetos, et viciſſitudines in

Hoc etiam vltro agnoſcit PROCLVS magnus ceteroquin Theologiae Graecae et Aegyptiae conciliator L. I. in Timaeum * pag. 30.

† CICERO de Nat. Deor. Lib. III. c. 23. *Secunda Minerua orta Nilo, quam Aegyptiis Saitae colunt.* Sic et ARNOBIVS p. 135. 137. et L. AMPELIVS Lib. memoriali cap. 9. Alibi autem iam monuimus; locutione hac id ſignificari, Numen tale eſſe Aegypto proprium, et illi parentes nullos aſſignari.

in rerum natura ſpectandas, in quibus celebrandis fere tota verſabatur Theologia veterum Aegyptiorum, cum maxime autem popularis, non immediate ad *Neitham*, naturae parentem, verum ad alios minores, ſenſibus nempe obnoxios Deos, *Solem*, *Lunam*, *Terram*, *Nilum*, *Aërem*, ſimilesque referri ſolebant. Sed ambigi tamen non poteſt, *Neitham* Aegyptiis deſignaſſe ſapientiam & prudentiam, vel mentem aeternam, omnia in mundo ſapienter ordinantem et decernentem. Satis id teſtatur, celebris illa Inſcriptio Saitica, de qua §. 7. dictum fuit. Idem ex PROCLO, Commentatore Platonis inclyto, et veterum traditionum Aegyptiacarum, quales nempe aetate illa ſupererant, induſtrio indagatore, colligi aliqua ratione poteſt. Is enim, vbi de *Neitha* Platonis diſſerit, eamque inter et *Mineruam* Graecorum, comparationem aliquam inſtituit, Lib. I. in Timaeum p. 30. ex PLATONE obſeruat, Deam vtramque eſſe φιλόσοφον, et πιλοπόλεμον, *ſapientiae et bellorum Patronam*. Et *Mineruam* quidem Atticam, habitam fuiſſe φιλοπόλεμον, *bellorum Patronam*, vulgo notum eſt. Satis id declarat fabula illa trita, quae eam ex cerebro Iouis armatam prodiiſſe fingit. Declarant idem quoque ſtatuae et ſimulacra, quae eam nobis totam armatam, caſſide tectam, thorace indutam, cum haſta et clypeo repraeſentant, * qualis ab Aegyptiis, ſculpi certe fingique non ſolebat, quicquid etiam nuper † vir eruditus nobis perſuadere annifus fuerit. De *Neitha* Aegyptiorum res eſt dubiis ma-

* Extat quidem in VAILLANTII *Aegypto Numiſmatica* p. 214. Nummus Saitarum, percuſſus Hadriano Imp. qui Mineruam exhibet Stolatam, in capite galeam gerentem, manu vero ſiniſtra haſtam tenentem: ſed hanc Mineruam eſſe Graecam, non Aegyptiam, declarat ſatis noctua, quam dextra manu prae ſe fert.

† *Hiſtoire du Ciel* Tom. I. p. 184. 185.

gis expoſita. Verò tamen ſimile eſt, Reges Dynaſtiae Saiticae, cum eſſent ſaepenumero bellis implici, quidam etiam rerum bello geſtarum gloria clari, proficiſcentes in bellum, patrio Numini, *Neithae*, ſupplicaſſe, & tutelae eius ſe commiſiſſe, felices etiam ac proſperos in bello euentus, ipſi in acceptis tuliſſe, ſicuti fere Seſoſtris omnia ad *Vulcanum* ſuum referre conſueuerat, teſte DIODORO SICVLO p. 49. 53. Sed reginam tamen quandam Thebaeorum, in Aegypto ſuperiori, multo antiquiorem, eundem honorem *Neithae* habuiſſe, teſtatur nomen, quod ab illa ſibi impoſuit *Nitocris*, quaſi dicas *Mineruam victricem*. Vide §. 2. Obſeruatione hanc in rem et illud dignum eſt, quod cum *Scarabaeus* ſymbolum *Mineruae* vel *Neithae* priſcis Aegyptiis fuerit, §. 6. animal idem emblematice quoque deſignarit *militem*, ideoque milites Aegyptii, in annulo, ſcarabaei imaginem gerere ſoliti fuerint. Docet hoc AELIANVS de Anim. Lib. X, c. 15. et PLVTARCHVS de Is. & Oſir. p. 355.

Et eadem de cauſa, vt opificem, et artium Praeſidem, quod etiam de Vulcano Aegyptii praedicabant.

§. 10. Sed *Neitham* ab Aegyptiis Praeſidem habitam fuiſſe ſapientiae, eoque potiſſimum Graecos Deam hanc dixiſſe *Mineruam*, vel eam cum *Minerua* ſua comparaſſe, ambigi non poteſt. Hinc enim ſine dubio eſt, quod aliquis ex regibus Saiticis, *Pſammeniti* nomen geſſerit, quod reddi poſſe *eruditum a Minerua*, monuimus §. 3. Sic nempe innuebatur, a *Neitha* ſapientiam expectandam eſſe. Nec omittendum, quod PROCLVS in Timaeum, de *Minerua* Aegyptiorum obſeruat p. 30. Verba latine a me verſa breuitatis ſtudio hic appono. *Eſt igitur Dea haec quaedam Opifex, inuiſibilis ſimul & viſibilis, cui coelum quidem ſortito obtigit; ſed quae tamen generationes ſpecierum irradiat — ideoque cumprimis virtus conſtituta eſt, quae cuncta mouet.* De *Minerua* Aegyptio-

gyptiorum id ipſum praedicat hicce auctor, quod * Poëta de Spiritu Mundi.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monſtra ſub aequore Pontus.

Quia porro Graeci *Mineruam* ſuam, vt ſapientiam, omnisque ſapientiae fontem, coluerunt, in illius quoque tutela eſſe voluere artes, quippe quae ſapientiae et ingenio debentur, ac ſigillatim lanificii et textrinae inuentionem ad eam retulerunt, quod oppido notum eſt omnibus. Neque negauero, Aegyptios in honorem *Neithae* ſuae ſimilia tradidiſſe, etſi ex monumentis certis atque indubiae fidei id huc vsque recte colligere non potuerim. De lanificio tanto magis dubito, quod ſacerdotes lanam, tanquam impurum quoddam naturae excrementum, auerſatos eſſe fciam. Illud vero non vsque adeo a vero abludere videtur, lini textrinam Aegyptios ad *Neitham* ſuam, tanquam inuentum eius, retuliſſe. Sacerdotes eius erant, et toties dicuntur, *linigeri*, quinimo Iſidi ipſi nomen idem ſaepius tribui, ignotum non eſt. Et eodem pertinere videtur, quod EVSTATHIVS obſeruat in Iliad. A. p. [illegible] Edit. Rom. Πρώτη δέ τις Αἰγυπτία γυνὴ καθεζομένη ὕφανεν· ἀφ᾽ ἧς καὶ Αἰγύπτιοι Ἀθηνᾶς ἄγαλμα καθημένης ἱδρύσαντο **. *Omnium prima mulier quaedam Aegyptia ſedens texuit, vnde et Aegyptii ſimulacrum Mineruae ſedentis dedicarunt.* Sedentis ergo habitu Aegyptii veteres repreſentabant ſuam *Neitham.* Quae forſitan ratio fuit,

E 5 quod

* Virgil. Lib. VI. Aen. 726.

** In graeco eſt πρώτη, quod ſignificat, vti hic in verſione expreſſi, *prima.* Sed poteſt etiam eſſe nomen proprium. *Prote quaedam, mulier Aegyptia.*

quod Graeci quoque olim Mineruam ſuam eodem corporis ſitu fingerent, pingerent, ac ſculperent, quod de vetuſtioribus eius ſimulacris ſtudio obſeruat STRABO Lib. XIII. p. 413. Edit. Genev. Quomodo iam in his *Minerua* cum *Vulcano* conueniat, dicat pro me PROCLVS in Theol. Platonica Lib. V. cap. 297. vbi ex antiqua fabula memorat, *Prometheum artes procurare, easque animabus dediſſe, a Vulcano vero, et Minerua, accepiſſe.* Et certe in libris ſacerdotum Aegyptiorum ſacris tradebatur, Ἥφαιστον ἄρξαι φιλοσοφίας, *Vulcanum principia ſapientiae vel Philoſophiae primum docuiſſe, quam deinde profeſſi fuerunt Sacerdotes et Prophetae,* ita DIOGENES LAERTIVS in Prooemio §. I.

> *Aegyptii recentiores Neithae haemiſphaerium ſuperius, ac in eo ſigillatim ſignum arietis, conſecrarunt.*

§. II. Quae hucuſque perſecutus ſum, ſpectant ad Theologiam Aegyptiorum de *Neitha* antiquiſſimam. Secundum illius placita, Dea haec erat aeterna Mens, quae materiam inertem diſpoſuit, exque ea omnia creauit, quae etiam de rebus omnibus prudenter decreuit, omnia ſapienter ordinauit, atque cunctis rebus prouidet. Sequiores gentis *huius* Theologi, ſiue quod notionem illam huius *Numinis* generaliorem, quam expoſui, ad quaedam magis ſpecialia extendere vellent, ſiue quod *priſcam* rerum Theologicarum doctrinam paulatim mutarent, inque ea nonnulla pedetentim innouarent, in *Neithae* Saiticae tutela Zodiacum *ſigillatim* eſſe voluerunt, ac nominatim quidem, primum Zodiaci ſignum, ſignum, quod appellamus, arietis, Numini huic conſecrarunt. Tangit hoc HORAPOLLO Lib. I. cap. II. *Videtur apud Aegyptios Minerua quidem ſuperius Coeli hemiſphaerium occupaſſe, Iuno vero inferius.* Ideoque primum hemiſphaerii huius ſuperioris ſignum ipſi videtur fuiſſe ſacrum. Diſcimus id ex PROCLO Lib. I. in Timaeum p. 30. vbi ſic: Καὶ γὰρ τῶν ζωδίων, ὁ κριὸς ἀνεῖται τῇ θεῷ, καὶ αὐτὸς ὁι σημερινὸς (lege

ὁ ἰσημερινὸς) κύκλος. ὃ δὴ μάλιστα καὶ ἡ κινητικὴ τοῦ παντὸς ἵδρυται δύναμις. *Inter ſigna Zodiaci, aries Deae huic conſecratus eſt, et ipſe circulus aequinoctialis, ideoque cumprimis virtus conſtituta eſt, quae cuncta mouet.* Inde igitur ſine dubio eſt, quod Saitis, *Neithae* cultoribus, aries, vel ouis ſacra eſſet; tanquam viuum Mineruae ſimulacrum. STRABO Lib. XVII. p. 559. Τιμῶσι Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται. *Saitae ouem colunt, quemadmodum Thebaei.* Verba haec CLEMENS ALEXANDRINVS repetit in Protreptico p. 25. Ed. Pariſ. Thebaei in ſuperiori Aegypto arietem, vel ouem, colebant in honorem *Ammonis*, *Iouis* ſui, vt cum Graecis loquar, eidemque primum ſignum Zodiaci, quando Sol arietem ingreditur, dedicatum volebant, qua de re plura dicentur Lib. II. cap. II. Hoc ipſum plane Saitae reſpectu Numinis ſui *Neith* obſeruabant. Et quoniam Aegyptiis, ſignum arietis, annorum initium erat Aſtronomicum, ad quod in magna ſignorum omnium reuolutione, Sol rediturus eſſet, videntur illi eo ipſo ſcientiam hanc ſuam Mineruae, a qua eam accepiſſent, conſecrare voluiſſe.

§. 12. Poterimus nunc Deae huius *Neith* nomen Aegyptiacum interpretari, verumque eius ſenſum eruere. Nam nomine hoc, ſine dubio, gentis illius ſacerdotes, doctrinam ſuam de illo numine, quam explicuimus, declarare et exprimere voluerunt. Quia vero in hoc argumento plures video virium ſuarum periculum feciſſe, eorum coniecturas, inprimis, quia aliqua ſpecie ſe commendant, ſilentio praeterire, nefas duco. Vir quondam magni nominis, et ſtudio literarum Orientalium percelebris, EVS. RENAVDOTIVS exiſtimabat aliquando *, vocem Νηΐθ, Aegyptiis *Nomen Neith Aegyptiacum explicatur.*

* *Memoires de Literature de l' Academie des Inſcriptions de Paris.* Tom. II. p. 273. Edit. Paris.

gyptiis ſignificare *Deam*, illique nomen hoc ita impoſitum fuiſſe, quemadmodum apud Graecos *Minerua* nonnunquam *Dea* per excellentiam dicta fuerit. Et verum eſt, ⲚⲞⲨϮ (*Nuti*) Aegyptiorum ſermone dici *Deum*. Verum fateri etiam oportet, nomen hoc, vtpote appellatiuum, commune eſſe Numinibus Aegypti omnibus, cum tamen Νηὶϑ nomen fuerit proprium, quo Numen illud ab omnibus aliis diſcernere voluerunt Aegyptii. Itaque de alia omnino nominis huius originatione cogitandum nobis erit. Talem nobis ſuppeditat vir linguae et Antiquitatis Aegyptiae longe peritiſſimus LA CROZIVS, qui in *Theſauro Epiſtol.* Tom. III. p. 155. Νηὶϑ, inquit, *eſt nomen foemininum, quod certo ſcio,* ⲚⲀⲎⲦ, *fuiſſe in Maſculino, miſericordem, et* ⲚⲀⲎϴ, *in foeminino.* Et iterum p. 161. Νηὶϑ *enim eſt* ⲚⲀⲎⲦ *vel* ⲚⲀⲎϴ, *quo nomine idem Aegyptiace in Pſalmis et alibi, ac miſericors, latine ſignificatur, quae Numinis aeterni proprietas, lumine naturali etiam * apud ethnicos innotuit.* Eadem etymologia et mihi, antequam iſta legerem, in mentem venerat, verum cum deinceps cogitatis hiſce diutius immorarer, alia ſe obtulerunt, quae mihi quidem et ſcriptioni graecae nominis νηὶϑ, et rei ipſi quoque magis ſatisfacere viſa ſunt.

Significat idem, quod Phthas, decernentem, ordinantem.

§. 13. Audiamus nunc quoque veteres. Eos inter eſt PLVTARCHVS, qui nobis aliquam nominis νηὶϑ originationem ſuggerere velle videtur. Verba eius ſic ſe habent in libro *de Iſide et Oſir.* p. 376. *Iſidi ſaepe imponunt nomen Mineruae* (nempe *Neith*) *id vero nomen tale quid ſignificat:* Veni a me ipſa: *quo ſigni-*

* Hoc cognomine Venus celebrabatur a Cypriis et Chalcedonenſibus. Ita HESICHIVS in ἐλεήμων.

ſignificatur *, *eam a ſe ipſa moueri*. Sciendum autem ⲚⲎⲒ (ⲛⲏⲓ) Aegyptiis dici *venire*; an vero ⲚⲎⲒⲐ (Νηιθ) lingua illa ſignificare poſſit, eam *quae a ſe ipſa venit*, vel procedit, ex paucis linguae huius reliquiis, quae hodie ſuperſunt, vix certo diiudicare licuerit. Id tamen ſatis apparet, quosdam ex ſacerdotibus illius gentis, nomen hoc ita interpretatos fuiſſe, et interpretationem hanc ex antiqua Theologia, de qua dixi §. 10. 11. illuſtraſſe. Venit alia in mentem interpretatio, quae mihi quondam magnopere placuit, ſed quam nunc lectorum eruditorum iudicio, totam permitto. Obſeruaui autem, Coptos interpretes N. Teſtamenti, vocem πάλαι, *olim*, quaſi dicas, *ab antiquo* vertere nonnunquam ⲤⲈ ⲐⲚⲈⲤ, Matth. XI, 21. Luc. X, 13. Nonnunquam iidem particulam hanc πάλαι etiam transferunt ⲤⲈ ⲬⲈⲚ ⲌⲎ, *a principio*. Hebr. I, 1. Vnde ſatis certo apparet, ſermone Aegyptiorum, ⲤⲈ ⲐⲚⲈⲤ, ſignificare id, quod eſt *ab antiquo*, aut, quod eſt *a principio*. Sequitur hinc ⲚⲈⲤ, quod eſt vocis huius primitiuum, vel radix, innuere rem *antiquam*, vel id, quod aliis prius et antiquius eſt. Hinc iam addita litera ſeruili, eſt ⲚⲈⲤⲦ, *Neit*, vel ⲚⲈⲤⲐ, *Neith*, *antiquus, et antiqua*. Deus ipſe Daniel: VII, 9. 13. 22. ſe appellat עתיק יומין, *antiquum dierum*, ſimileque Nomen etiam Diis ſuis non infrequenter tribuerunt ſapientes gentium, quod pluribus iam non perſequor. Ad noſtram vero rem omnino facit, quod apud AESCHYLVM in ſupplicibus v. 52. *Io*, quae eſt *Iſis*, vti haec rurſus certo reſpectu, cum *Neitha* eadem eſt,

* Hanc de *Neitha* Aegyptiorum doctrinam adſtructam a PROCLO, videbis ſupra §. 10. 11.

eſt, inſigniatur nomine *μητρὸς ἀρχαίας*, *matris antiquae.* Id eſſet ⲚⲈⲤⲐ. Omnium maxime originationem hanc meam et confirmat et illuſtrat DIODORVS, vbi Lib. I. p. 11. ſcribit, τὴν δὲ Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαίαν, *Iſidem, ſi nomen hoc interpretari velis, ſignificare antiquam.* Ipſum *Iſidis* nomen, id non ſignificare, quod DIODORVS affirmat, fatebuntur mecum, quicunque linguae Copticae notitiam aliqualem ſibi compararunt; ſed verum id eſſe poteſt de *Neitha*, quae ſecundum doctrinam Aegyptiorum, eadem eſt cum *Iſide.* Et in hac quidem interpretatione libenter acquieſcerem, ſi certum penitus et expeditum eſſet, ⲚⲈⲤ Aegyptiis dici *antiquum.* Verum, quia religioni mihi duco, aliquid lectori obtrudere, quod non recte probare poſſum, et vero in hoc negotio, adhuc dum me haerere fateor, male iam *Neithae* nomen deducere a ⲚⲈⲤ, quod priſcis Aegyptiis, idem plane ſonabat, quod ⲐⲀϢ, *decernere, definire, ordinare.* Vide Exodi VIII, 12. Matth. XXVIII, 16. Hinc προθεσμία, *tempus certum et definitum*, Gal. IV, 2. vertitur ϯⲚⲈⲤ. Erit ergo ⲚⲈⲤⲦ, *decernens, conſtituens, ordinans*, et, ſi rem ſpectes, idem plane cum nomine *Vulcani* Aegyptiaco ⲪⲐⲀϢ, quod Cap. II. explicuimus. Licet hinc non abſu de colligere, Aegyptios Spiritum ſuum aeternum, *Vulcanum*, et *Mineruam*, fato cuidam abſoluto non ſubieciſſe, quod Stoicos feciſſe nouimus, verum potius fatum, ſiue rerum euenturarum ordinem certum et immutabilem, ex illius voluntate et decreto deriuaſſe. Non latuit hoc APVLEIVM, apud quem *Iſis* ita loquitur. *Scies, vltra ſtatuta fato tuo ſpatia, vitam quoque tibi prorogare, mihi tantum licere* Lib. XI. *Metamorph.* pag. 260. Similiter IAMBLICHVS docet ſect. VIII. c. 4. Aegyptios

ptios in precibus auitis ſacris *adſcendere ad ea, quae ſunt ſupra fatum, nempe ad Deum ipſum Opificem.*

De Simulacris et ſymbolis Neithae apud Aegyptios.

§. 14. De Simulacris *Neithae*, déque ſymbolis illam aenigmatice repraeſentantibus, eoque in Aegypto religioſe cultis, pauca tantum addam. *Ouem*, vel *Arietem*, ceu ſymbolum illius ſacroſanctum, vi vamque quandam imaginem, Saitarum religione conſecratum fuiſſe, §. 11. oſtendimus. Neque tamen dubito, quin ipſi ſimulacrum quoque, in ſpeciem oris humani effictum, dedicatum fuerit. Id HERODOTVS mihi innuere videtur Lib. II. c. 172. Talia vero Deae huius ſimulacra, vere Aegyptiaca et antiqua, (recentiora enim, a Graecis in Aegypto forte conficta, quale eſt illud, de quo §. 9. pag. 71. (not. * egi, hic non moror) Numen hoc repraeſentaſſe habitu ſedentis, ex teſtimonio EVSTATHII docuimus §. 10. Niſi me vehementer opinio fallit, tale eius ſimulacrum, in Tabula Bembina, quae vulgo *Iſiaca* dici conſueuit, contemplationi noſtrae obiicitur. Ipſum Tabulae huius medium figura occupat, quae in Editione Amſtelaedamenſi, opera *Andreae Friſii* A. 1669. procurata, Litera Z. deſignatur, eaque nobis mulierem offert ſedentem, quam omnes *Iſidem* agnoſcant. Ego vero hanc eſſe *Neitham* (quae Iſidis nomine quoque venit §. 7. 12.) non temere ſuſpicor. Nam *Iſidem* hancce pictam videmus ſedentem, quomodo *Neitham* antiquitus ab Aegyptiis repraeſentari conſueuiſſe, ex EVSTATHIO intelleximus. Hoc argumentum me nondum vtique moueret, niſi accederet et illud, quod in capitis ornatu, quem ſcriptores appellare ſolent βασίλειον, OVIDIVS Metam. Lib. IX. v. 689. *regale decus*, gerat *ſcarabaeum*, Symbolum apertum *Neithae*. §. 6. Denique nec hoc taceri debet *, quod alia occaſione iam monui, in hac figura

gura

* In Miſcellan. Berolinenſ. Tom. VI. p. 140.

gura Tabulae Bembinae, oculis noſtris ſymbolice obverti *ortum Caniculae*, id enim rationes plurimae, olim forte exponendae, mihi perſuadent.. Ortus vero Caniculae medium fere, certe ſplendidiſſimum, locum hemiſphaerii ſuperioris obtinet, quod *Neithae* conſecratum voluere Aegyptii. §. 11. Ab ortu etiam caniculae Aegyptios quondam annum ſuum ciuilem auſpicatos fuiſſe, inter omnes conſtat. Et eam ob rationem, vti opinor, Sacerdotes gentis illius aſſeverarunt, hoc ipſum tempus eſſe mundi conditi, de quibus omnibus alias forte. Quis igitur Deae huic, quam Aegyptii colebant; vt Opificem mundi, commodus magis in tota Tabula locus aſſignari potuiſſet? Ad hoc pariter tempus, ſi quid iudico, referendum erit Feſtum illud, quod Sai quotannis pompa ſolenni ab Aegyptiis celebrari conſueuiſſe, HERODOTVS ſcriptum reliquit Lib. II. cap. 59. 62.

CAPVT IV.

De Cnepho, vel Cnuphi, Aegyptiorum, id eſt Agathodaemone.

§. 1.

Aegyptii nouarunt ſpiritum aeternum, omnia permeantem, omniumque rerum cauſam.

Poſtquam doctrinam Aegyptiorum, de *Phtha* et *Neitha*, quantumuis fictionibus allegoricis et ſymbolicis, pro more illius gentis, et omnium fere Orientalium, mirifice obſcuratam, duobus capitibus ſuperioribus expoſuimus, et, qua potuimus, luce donauimus, nunc totam Aegyptiorum de Diis ſuis doctrinam conſtituere nobis licebit. Tradebant autem vetuſti Aegyptiorum Sapientes, Solem ac Lunam, et cum his quoque Planetas reliquos mundum noſtrum ſublunarem gubernare; ſed vim illorum cunctam atque poteſtatem a Mente aeterna diuina, ſuis limitibus circumſcribi, motum itidem eorum et operationem omnem a Spiritu ſapienti et potenti regi atque determinari, ſemper iidem quoque aſſeruerunt. Docet id nos, ex recondita populi huius ſapientia, MARTIANVS CAPELLA in *Satyrici* Lib. II. p. 42*. *Mox ſtudium in ſolarem laborare circulum. — Ibi quandam nauim, totius naturae curſibus, diuerſa cupiditate moderantem, cunctaque flammarum congeſtione pleniſſimam, et beatis circumactam mercibus conſpicatur. Cui nautae ſeptem, germani tamen, ſuique conſimiles, praeſidebant in prora: Felix forma depicta leonis in arbore, Crocodili in extimo, videbatur. In eadem vero rate, fons quidam lucis aethereae, arcaniſque*

* Secutus hic ſum editionem GROTII, etſi in his quaedam refingenda eſſe cenſeant viri docti. Vide CVPERI Harpocratem p. 15.

niſque fluoribus manans, in totius mundi lumina fundebatur. Symbolo hoc Aegyptios ſubindicare voluiſſe gubernationem mundi, per ſeptem Planetas procuratam, et per ſe confeſtim intelligitur, et teſtimoniis veterum plurimis confirmari poteſt, quae liberali manu congeſta videbis in CVPERI Harpocrate p. 14. 15. Quis uero ſit *fons lucis aethereae, in totius mundi lumina fuſus*, ex iis, quae de *Phtha* ſiue *Vulcano* Aegyptiorum obſeruauimus cap. II. colligere ſatis licet. Eſt nempe *Vulcanus* ipſe, aether ſupremus, ignis ſubtiliſſimus et puriſſimus, luce perpetua et ſemper eadem immutabiliter fulgens, qui omnibus praeeſt, omniaque regit; qui totum mundum permeat, animat, viuificat.

* *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem, et toto ſe corpore miſcet.

De eo loqui voluit BITVS, Propheta Aegyptiorum vetus, qui, teſte IAMBLICHO de Myſter. Sect. VIII. c. 5. tradidit τὸ τȣ̃ Θεȣ̃ ὄνομα τὸ διῆκον δι᾽ ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ, *nomen illud Dei, quod omnia peruadit, et totum mundum permeat.* Neque dubium eſſe poteſt, HORAPOLLINEM illud idem Numen deſignare, vbi *Hieroglyph.* Lib. I. cap. 64. ita ſcribit. Οὕτω παρ᾽ αὐτοῖς τȣ̃ παντὸς κόσμȣ τὸ διῆκον ἐστὶ πνεῦμα. *Sub tali Symbolo* ſerpentis integri *deſignant etiam ſpiritum illum, qui vniuerſum Mundum permeat.* Et certe aderat in illa CAPELLAE naui, Symbolum *Vulcani* ſatis luculentum, imago Leonis in arbore. *Felix forma depicta Leonis in arbore.* Nam *Leonem* Aegyptiis ſymbolum extitiſſe *Vulcani*, teſtatur AELIANVS de Animal. Lib. XII. c. 7. *Leones*, inquit, *ſunt natura vehementer ignita, ideoque eos Aegyptii Vulcano conſecrarunt.*

§. 2.

* VIRGILIVS Aen. Lib. VI. 726.

§. 2. Quia vero ſapientes Aegyptiorum, ſpiritum aethereum diuinum, credebant ſe toti mundo miſcere, totum mundum permeare, totamque molem agitare, ex eo non poterat non ſequi, cuncta quae in mundo ſunt et fiunt, influxu Numinis potentiſſimo conſeruari et vegetari, illudque rerum omnium, quae exiſtunt aut geruntur, primam cauſam eſſe. Neque eſt, quod dubitem, hanc eſſe doctrinam Prophetarum Aegypti, quam Inſcriptio illa Saitica, foribus Adyti, in honorem Mineruae inſculpta, de qua * alibi actum, egregie declarauit. Inſcriptionis multorum ſermonibus celebratae, hic eſt ſenſus. *Quae ſunt, quae erunt, quaeque fuerunt; ego ſum Tunicam meam nemo reuelauit.* Docebatur ergo hac Inſcriptione, omnia, quae vllo modo ſunt, ad ſpiritum decernentem, ac ordinantem, (id enim ſignificat *Neith*) ceu ad cauſam ſuam, referenda eſſe. Cum autem omnia, quae hominibus ſigillatim eueniunt, ſoleant eſſe, vel bona, quibus felicitatem ſuam promoueri exiſtimant, vel mala, quibus felicitatem ſuam minui, aut euerti, aut intercipi, ſiue impediri credunt, eaque omnia Aegyptii, ad ſpiritum diuinum, tanquam euentuum horum cauſam, retulerint, inde eſt, quod idem illud Numen, modo vt benignum et beneficum, modo vero, vt iratum, et triſtium malorum ſibi obuenientium cauſam, menti ſuae repraeſentauerint, et ſub duplici hoc reſpectu, vt Numen duplex, diſtinctum et diuerſum, duplici cognomine diuerſo, duplicique cultu venerari atque placare aequum duxerint. Ad vnam *Iſidem* Pſeudo-HERMES, in Dialogo *Aſclepio*, omnes hominum euentus, tum proſperos atque laetos, tum triſtes atque infauſtos, refert, prout nempe vel irae, vel beneuolentia

Hanc rerum omnium cauſam Aegyptii, ſicubi bona daret, Cneph, vel Cnuphin dicebant, ſi mala, Ithyrambonem.

* Lib. I. c. III. §. 7.

neuolentia, in ipſos affecta, vel commota eſſet. Verba eius haec ſunt p. 99. Edit. ELMENHORSTII, *Iſin — quam multa bona praeſtare propitiam, quantis obeſſe ſcimus iratam?* Nam *Iſidem* nonnunquam totam rerum Naturam deſignare, ex Theologia Aegyptiorum certum eſt atque exploratum. Sed, vti de *Iſide* id affirmat Pſeudo-HERMES, ita quoque idem de Diis reliquis, certo ſuo ac ſano ſenſu praedicari poterat; per eos enim Spiritus ſupremus euentus omnes procurare credebatur. Spiritus vero ille ipſe, quatenus hominibus bona decernit ac largitur, Aegyptiorum Theologis *Cneph* audit, vel *Cnuphis*, id eſt *bonus*, *propitius*, eique oppoſita eſt *Tithrambo*, id eſt *Numen iratum*, quod nempe homines, talia meritos, malis varii generis, tanquam iuſta poena afficit. Vt fidem conciliemus dictis, hoc quidem capite, de Numine *Cneph*, paulo curatius differemus. ſequenti exponemus doctrinam Aegyptiorum de *Tithrambone*.

De Cnepho teſtimonia veterum.

§. 3. *Cnephum* noſtrum, de quo nunc agendum, ab Aegyptiis, ac ſigillatim incolis Thebaidis, impenſa religione cultum fuiſſe, docet PLVTARCHVS in libro *de Iſide & Oſir.* p. 359. vbi obſeruat, Ἐις τὰς * γϱαφὰς τῶν τιμωμένων ζώων, τȣ̀ς μὲν ἄλλȣς συντεταγμένα τελεῖν, μόνȣς δὲ μὴ διδόνας τȣ̀ς Θηβαΐδα κατοι-

* Credo, auctorem ſcripſiſſe ταφὰς, et ſic latine verti. Simile mendum inſedit Codices DIODORI SIC. Lib. I. p. 76. Edit. *Wechel.* vbi legitur καθ' ἡμᾶς δέ τινες τῶν τὰ ζῶα ταῦτα τϱεφόντων, εἰς τὰς τϱοφὰς αὐτῶν ȣ̓κ ἔλαττον τῶν ἑκατὸν ταλάντων δεδαπανήκασι. Corrige εἰς τὰς ταφὰς, quod et, quae illic antecedunt, et quae ſequuntur, abunde confirmant, et verte: *Noſtra quoque memoria quidam animantium nutritores, ad funera ipſorum, non minus centum talentis profuderunt.* Ceterum animalium Sacrorum ταφὰς, *funera*, habes etiam apud PLVTARCHVM p. 380. D.

κατοικȣ̃ντας, ὡς θνητὸν θεὸν ȣ̓δένα νομίζαντας, ἀλλὰ ὃν καλȣ̃σιν αὐτοὶ κνὴφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον. *Alios quidem Aegyptios ad funera animalium ſacrorum, quae religioſe coluntur, ſumtus conſtitutos conferre, ſolos vero Thebaidem incolentes, ſemet eximere, vt qui Deum nullum agnoſcant mortalem, ſed quem ipſi appellant Cneph, ortus expertem et immortalem.* Verba haec Plutarchi aliquod examen merentur. Nam quando in gratiam *Cleae* *, cui librum ſuum inſcripſerat, nos credere iubet, incolas Thebaidis in Aegypto, nullum animal, nihilque quod mortale eſt, cultu religioſo dignari, ac praeterea ad funera animalium ſacrorum nihil conferre voluiſſe, fruſtra vtique eſt. Teſtatur namque HERODOTVS Lib. II. c. 69. Crocodilum ipſum, quod animal Aegyptiorum plurimi, vt impurum abominabantur, apud Thebaeos tamen diuinis honoribus coli. Apud eoſdem aquilam diuinos honores conſecutam eſſe, literis prodiderunt DIODORVS Lib. I. p. 76. Ed. Wechel. et STRABO Lib. XVII, p. 559. Edit. CASAVBONI primae. Ouem porro, vel arietem, hos eosdem, in honorem Ammonis, diuino cultu venerari conſueuiſſe, vulgo notum tritumque eſt. Et forte a vero non ita longe aberraſſe videtur, ſi dixero, illum ipſum *Cnephum*, cuius cultum PLVTARCHVS cultui animalium opponit, a Thebaeis non aliter, quam ſub Animalis ſpecie fuiſſe cultum. Coniecturae huius fundus atque auctor mihi extitit HERODOTVS Lib. II. 74. in haec verba ſcribens. *Circa Thebas ſunt ſacri ſerpentes, nihil omnino hominibus noxii, puſillo corpore, binis praediti cornibus, e ſummo vertice enatis: quos defunctos in Iouis aede ſepeliunt.* En! ſerpentes ſacros Thebis cultos, et poſt

 mortem

* Vide quae diximus Lib. I. c. II. §. 5.

mortem religioſo ritu conditos, ac tum ſepulturae honorificae mandatos. Et vero Aegyptios *Cnephum* ſuum, vix alio, quam ſerpentis ſymbolo repraeſentaſſe, ſequentia manifeſtum facient. Quicquid vero ſit, PLVTARCHVS nobis Numinis huius a Thebaeis religioſe culti nomen, *Cneph* videlicet, literis conſignauit, et de cultu eius quaedam ſcitu digna, memoriae prodidit, quo nomine grates ipſi merito debentur. Meminit eiusdem ex SANCHVNIATHONE vel PHILONE BYBLIO, ſcriptor longe doctiſſimus, EVSEBIVS, in Praep. Euang. Lib. I. cap. X. p. 41. vbi et ad indagandam veram nominis Aegyptiaci ſignificationem facem nobis praefert. Verba eius ſunt: *Φοίνικες αὐτὸ ἀγαθὴν δαίμονα καλȣ͂σιν. ὁμοίως δὲ καὶ Αἰγύπτιοι κνὴφ ἐπονομάζȣσι. Phoenices animal illud* (ſerpentem) *Agathodaemonem, vel bonum genium appellant, ac ſimili ratione Aegyptii, nomen ipſi indentes Cneph.* Et interiectis quibusdam: *Τὸν δὲ μέσον ὄφιν συνεκτικὸν τȣ͂τον* (lege τȣ́τȣ, nempe κύκλȣ) *ἀγαθὸν δαίμονα σημαίνοντες* *. *Serpens vero in medio poſitus circuli, qui eum vtrinque contingit et coniungit*, Aegyptiis *deſignat Agathodaemonem, id eſt, bonum Genium.* Idem porro EVSEBIVS Lib. III. c. XI. pag. 115. et haec memoriae prodidit. Τὸν δημιȣργὸν

* Paulo ante EVSEBIVS dixerat, figuram hanc ſimilem eſſe Graecorum Θ, vbi circulus mundum ſignificat, linea vero quae medium circulum ſecat, ſubinnuit ſerpentem, et hic *Agathodaemonem*, qui nempe per totum mundum extenſus eſt, eumque continet. Obſerua hic, PROCLVM Libr III. in Timaeum p. 216. ex PORPHYRIO docere, Aegyptios τὴν ψυχὴν κοσμικὴν, *animam mundi* figura hac ⊕ adumbrare. Nempe medium × vel + ſignificat mundum, & quatuor eius plagas, circulus vero ambiens, eſt Serpens, anima mundi, *Cneph.* Et haec figura communior eſt priori.

δημιȣργὸν Κνὴφ οἱ Αἰγύπτιοι προσαγορεύȣσιν. *Opifícem Aegyptii appellant Cneph.* De eodem poſtea quaedam addit, quae additamenta Graecorum, quibus priſca Aegyptiorum placita interpolarunt, nimis aperte ſapiunt, de quibus poſtea aliquid monebimus. STRABONI Numen illud idem, quod dudum iam animaduerterunt viri eruditi, et me iudice, rectius, *Cnuphis* audit. Ait enim Lib. XVII. p. 562. Elephantinen, inſulam, in finibus Aegypti et Aethiopiae, in Nilo poſitam, inſignem eſſe Templo *Cnuphis*, ἔχȣσα ἱερὸν κνȣ́φιδος. Et hic ipſe eſt, de quo PLVTARCHVS in loco ſupra citato loquitur. Nam Elephantine vrbs eſt Thebaidis. Hoc quoque modo, *Cnuphis* nempe, nomen iſtud ſcriptum legitur, in gemmis quibusdam Abraxeis, quae in Collectione *Chifletiana* et in MONTEFALCONII Theſauro, et alibi etiam editae ſunt, et de quibus nos olim, ſi Deus vitam et valetudinem conceſſerit, plura dicturi ſumus.

Etymologia nominis Cnuphis La Croziana rei non ſatiſfacit.

§. 4. Iam nobis nomen hoc, non ſine aliquo certitudinis ſenſu, ex lingua priſcorum Aegyptiorum interpretari licebit. Tentauit rem hanc vir quondam ſummus, cui ſtudium linguae Aegyptiacae plus debet, quam dici poteſt, M. V. LA CROZIVS, cuius haec in Theſauro Epiſtolico Tom. III. p 162. verba extant. *Supereſt vox* שַׁדַּי, *cuius vim ſeruat vox* ⲕⲛⲏϥ, *a* ⲕⲛⲏ *ſufficit, addito affixo, cum metatheſi neceſſaria in eiusmodi, vocibus, quemadmodum in* ϩⲱⲧⲃⲉϥ, *et* ⲥⲱⲑⲙⲉϥ, *pro* ϩⲱⲧⲉⲃϥ *et* ⲥⲱⲧⲉⲙϥ. *Radicem quidem illius nominis diuini, verſio Aegyptiaca pluribus in locis ſeruauit, repudiato ipſo nomine, ob ſymbolum ſuperſtitionis Aegyptiacae, quae ſerpentis figura picta, vnum Deum aeternum, et ſibi ſufficientem, venerationi plebis exponebat. Id nemo melius illuſtrat, quam Euſebius, Praeparationis Euangelicae*

angelicae * *loco, quem modo indicare non poſſum; verba tamen quaedam huc adſcribam, quorum memini, tu velim in locum ipſum inquiras etc.* Ὁ δράκων ἐπειδὴ τὸ μετρον αὐτῷ ὡρισμένον πληρώσῃ εἰς ἑαυτὸν ἀναλίσκεται etc.** *vbi vox* ⲔⲎⲤⲚϤ *in ſenſu a me prolato, ita illuſtratur, vt de eo dubitari non poſſit.* Nolui ſilentio inuoluere interpretationem viri in litteris his profecto Principis, quem viuum colui, cuiusque mortui memoriam in pretio ſemper habebo, praeſertim, cum eam ita certam iudicauerit, vt dubitari de ea non poſſet. Verum vir ille praeſtantiſſimus, quod eruditis omnibus vſu nonnunquam venire ſolet, dum illa ſcripſit, quae attuli, cogitationibus, in quae ſemel inciderat, et quae ſe ipſi ſpecie quadam veroſimilitudinis inſigni commendabant, paulo tenacius inhaeſit, animum non aduertens ad facilem vocis illius interpretationem, quam PHILO BYBLIVS, et ex eo EVSEBIVS nobis ſuggerunt, neque in conſilium adhibens lectionem et ſcriptionem vocis eiusdem longe meliorem, quam STRABO, et gemmae Gnoſticorum ſeruant, apud quos κνῆφις occurrere dixi §. 3. Felicius igitur in interpretando nomine hoc verſatus eſt vir eruditiſſimus IAC. KOCHERVS, Bernenſis, cuius de argumento hoc Exercitatio, doctis obſeruationibus referta, inſerta eſt *Miſcellaneis nouis* Amſtelodamenſibus Tom. II. p. 129. etc. Occupauit illic vir Clariſſimus non pauca, quae mihi dicenda hic erant, et quae etiam praetermittere non in vniuerſum poſſum,

* Lib. I. c. X. pag 41.

** Ad hanc interpretationem viri doctiſſimi trahi poſſe videntur haec MACROBII Saturn.. Lib. I. c. 9. *Phoenices in Sacris, imaginem eius exprimentes, draconem finxerunt, in orbem redactum, caudamque ſuam deuorantem, vt appareat, mundum et ex ſe, et in ſe, reuolui.*

ſum, me ſane non inuito. Ille enim in rei ſumma conſenſus noſter, quo effectum eſt, vt veluti conſpiratione inter nos facta, in eaſdem cogitationes et obſeruationes incideremus, documento poteſt eſſe, nos a veritate ſtudioſe quaeſita non aberraſſe. Verum diſtinctius haec explicare nunc aggredior.

§. 5. Teſtatur itaque PHILO BYBLIVS et EVSEBIVS adducti §. 3. Phoenices ſerpentem ſacrum appellare *Agathodaemonem*, vel *bonum Genium*, idemque facere Aegyptios, dum ſerpentem, vel draconem, ſuum hieroglyphicum, *Cneph*, appellent, eoque ſignificant, *Cneph* Aegyptiis dici *Agathodaemonem*, huiusque ſymbolum eſſe ſerpentem. Id aliorum quoque teſtimoniis confirmari poteſt. Eo certe pertinet, quod a PLVTARCHO relatum legimus in *Amatorio* p. 755. ex verſione latina. *In Aegypto aliquando vidi duos litigantes, quorum vterque, cum ſerpens adrepſiſſet, eum Agathodaemonem, ſeu bonum Genium vocaret, eumque ſibi vindicare cuperet.* De Heliogabalo Imperatore, commemorat in vita eius LAMPRIDIVS cap. 28. *Aegyptios dracunculos Romae habuit, quos illi Agathodaemonas vocant.* Nummi quoque in Aegypto cuſi, *Cnephum* ſiue ſerpentem praeferunt, cum inſcriptione ἀγαθȣ̃ δαίμονος. Talis eſt ille Neronis, cuius * eruditi mentionem ſaepius faciunt, in quo draco coronatus cernitur, cum hac inſcriptione: Νέος ἀγαθὸς δαίμων. *Bonus genius iunior*, vel *nouus*, nempe Nero. Et gemma Gnoſticorum, in quibus κνȣ̃φις legitur, ſerpentem etiam, ſiue Agathodaemonem, per quem Chriſtum Dominum ſubinnuunt, ſemper oculis noſtris obiiciunt. Id quod

Cnuphis lingua Aegyptiorum dicitur bonus.

* SPANHEMIVS de Vſu Numiſm. p. 188. Edit. in 4to. et ad *Iuliani Caeſares* p. 208. BAVDELOT Vtilité des voyages Tom. I. p. 221. aliique plures.

quod dixi, de *Cnuphi*, & *Agathodaemone*, ex linguae vetuſtae Aegyptiorum reliquiis illuſtrari egregie et confirmari poteſt. Etenim lingua illa ⲚⲞⲨϤⲒ, *Nuphi*, vel *Enuphi*, vel vti Copti hodie pronuntiant, *Anuphi*, dicitur bonus, eſtque illa vox in Coptorum libris valde frequens et communis. Literam vero Ⲡ ſaepius vicem articuli praepoſitiui ſuſtinere, * alias iam ex Coptorum libris obſeruaui. ⲠⲚⲞⲨϤⲒ, et** ⲠⲒⲚⲞⲨϤⲒ, idem ſignificat. Eſt igitur ⲠⲚⲞⲨϤⲒ ὁ ἀγαθὸς, *bonus*, quaſi diceres *bonum* per excellentiam. Ita etiam et recte vtique, vocem hanc explicat IAC. KOCHERVS. Graeci hoc ſoliti ſunt lingua ſua efferre κνοῦφις, *Cnuphis*, et, contracta magis pronuntiatione κνήφ, vel *Cneph*.

Et proprie Spiritus, vel Genius, bonus.

§. 6. Et hactenus quidem bene. Sed obſeruatu tamen indignum non eſt, veteres nomen *Cneph*, vel *Cnuphis*, non tantum exponere ἀγαθὸν, *bonum*, verum et ἀγαθὸν δαίμονα, *bonum Genium*; quod proinde non negligendum eſſe putauerim. Dicitur vero lingua Aegyptiorum Δαίμων, *Genius*, vel proprie *Spiritus naturae Diuinae*, ⲒϦ, *Ich*. In verſione Pſalmorum, quae manu exarata extat in Bibliotheca regia Beroliŋenſi, Pſ. XCI, 6. vbi Graecus habet Δαιμόνιον μεσημβρινὸν, *Daemon*, vel *genius meridiei*, Coptus verba haec reddidit ⲞⲨ-ⲒϦ ⲚⲦⲈ ϨⲀⲈ-ⲀⲘⲢⲒ Vide et Matth. VIII, 31. Apoc. XVI, 14. XVIII, 2. Ceterum, quoniam a ſcriptoribus N. Teſtamenti, vti et a graecis interpretibus Veteris, vox δαίμων et δαιμόνιον, non alio, quam malo ſenſu, accipitur, in verſione Coptica vox graeca fere ſemper retinetur, praeſef-

* La Chronologie de Mr. DES VIGNOLES Tom. II. p. 748.

** Eſt etiam *Pinuphi* vel cum adiecta terminatione latina *Pinuphius* nomen proprium, Aegyptiis non in vſitatum. Vide IOH. CASSIANI Collation. XXI.

praeſertim, quando illa aperte accipitur de Spiritu malo improbo, Deoque opponitur. Vbi vero vox illa ex vſu communiori Graecorum, aut Spiritum naturae ſuperioris, ſiue Genium generatim, aut etiam Numen, ſiue verum, ſiue imaginarium et fictum ſignificare poteſt, Copti adhibent vocem ⲓ̀ϧ, quae ipſorum ſermone, bonam ſolet habere ſignificationem. Mea etiam ſententia, vetuſtiores Aegyptii, voce illa nunquam aliter, quam ſenſu bono et venerabili, vſi ſunt. Ex eo illuſtrari et explicari poteſt nomen Dei alicuius Aegyptiacum, quod apud IAMBLICHVM de Myſter. Sect. VIII, c. 3. legitur, Ἰκτών, *Icton*, vel *Ichton.* De hoc Deo, auctor ille ex principiis Metaphyſicae ſuae differit, quae libens relinquo. Sed illi tamen inter Deos primores, a quibus rerum omnium origo et exiſtentia eſt deriuanda, locus primus illic attribuitur. Si vero linguam Aegyptiacam in conſilium aduocemus, Ἰκτών, erit ⲓ̀ϧ-ⲑⲟ, (*Icthbo*) *Deus*, vel *Spiritus mundi.* Nam ⲑⲟ Aegyptiis ſignificat *Mundum*, vel τὴν οἰκουμένην, *orbem terrarum.* Apoc. III, 10. In hoc loco quidem, vox ⲑⲟ, deſignat tantum *orbem terrarum.* Sed quia tamen vi originis ſuae, innuit rem vaſtam, molis et magnitudinis immenſae, tam totum hoc vniuerſum, quam ſpeciatim noſtrum orbem terrarum, deſignare pariter recte potuit, non ſecus atque Graecis κόσμος, et Latinis *Mundus*, vtrumque ſimiliter deſignat. Si bene iudico, *Icton* non diuerſus eſt a *Cnuphi.* Nempe vnum idemque Numen, ab immenſa potentia, dictum fuiſſe credo ⲓ̀ϧ - ⲑⲟ, *Spiritum totius Vniuerſi*, et ab ingenti bonitate, ⲓ̀ϧ - ⲛⲟⲩϥⲓ. *Spiritum*, vel *Daemonem bonum.* Ceterum, cum in hiſtoria Aegyptiorum reperiantur plurima gentis huius nomina propria, quae ad *Cnephi*

phi vel *Cnuphis* nomen manifeſte alludunt, quod clariſ. KOCHERVS minime praetermiſit, apud DIOGENEM LAERTIVM Lib. VIII. §. 90. inuenio ſacerdotem Memphiticum, nomine ἰχόνυφιν, quod interpretationi meae ex aſſe reſpondet. Etenim ἰχόνυφις, nulla fere immutata litera eſt ⲓϧ̄-ⲛⲟⲩϥⲓ, *Ichanuphi*, vel *Ichnuphi*, id eſt, *Spiritus bonus.* Quod vero Graeci in exprimendo hoc nomine, literam primam I. plerumque abſorbendo omiſerint, vitioſae pronuntiationi; ſed quae paulatim inualuiſſe videtur, et cuius exempla alia in hiſtoria Aegyptiorum ocurrunt, vtique tribuendum eſt. Talia in omnibus linguis, praeſertim a peregrinis prolatis, deprehendet facile, qui paulo attentius in huiuſmodi etymologias inquirere in animum induxerit.

Eſt vero is, Spiritus aeternus et infinitus, quatenus hominibus bona largitur.

§. 7. Verum id nobis nunc praecipue agendum eſt, vt ex bonis et genuinis veterum monumentis eruamus, lectorique exponamus, quidnam Aegyptiorum Philoſophi et Theologi, per *Cnuphin* ſuum, vel *Agathodaemonem* vere intellexerint, et deſignare voluerint. Qua de re ſententiam meam ſupra iam §. 2. paucis declaraui, quam hic nonnihil illuſtrabo, et argumentis idoneis adſtruam. Vbi ante omnia monendum, Aegyptiorum *Agathodaemonem*, cum Graecorum et Romanorum *bonis geniis*, quos credebant eſſe naturae non ſuperioris; ſed mediae cuiusdam, minime confundi oportere. *Cnuphin* nempe Aegyptiorum Theologi appellabant Spiritum aeternum, coelo et toti vniuerſo praeſidentem, cuius voluntas et decretum, cauſa eſt omnium, quae exiſtunt, et geruntur, quique per Solem, Lunam, aliaque cum coeleſtia, tum terreſtria corpora, euentus procurat omnes; ſed quatenus euentus illi, hominibus apparent, ſuntque boni, iucundi, et modis omnibus auſpicati. Quatenus Aegyptii in hoc ſuo Numine bonitatem ſummam et infinitam cogitabant et venerabantur,

rebantur., illud appellabant *Cnuphin.* Hoc eſſe attributum ſolius aeterni et perfectiſſimi Dei docet nos ipſe Seruator, Matth. XIX, 17. *Nemo eſt bonus, niſi vnus Deus.* Neque alia fuit ſententia, hominum inter gentes cultiores ſapientum. Multa hanc in rem dici poſſunt, quae cum ignota non ſint, hic malo praetermittere. Vnicum tantum adduco MACROBII locum, qui inſtar omnium eſſe poteſt, ex Libr. I. in *SomniumScipionis* cap. 2. vbi ait: *ſummum et principem omnium Deum apud Graecos* τ' ἀγαθὸν, et πρῶτον αἴτιον *nuncupari*, qualia multa, apud Platonicos cumprimis, leguntur. Hanc vero doctrinam Graecos ab Aegyptiis didiciſſe, horum de *Cnuphi* et *Vulcano* placita et traditiones, non obſcure euincunt. Etenim *Cnuphin*, quem ſub ſerpentis ſymbolo in ſacris ſuis repraeſentabant, dicebant eſſe *Spiritum* §. 1. vel, quod hic idem eſt, *Daemonem.* Eundem praedicabant ingenitum et immortalem, §. 3. Opificem, vel creatorem totius vniuerſi §. 3. Spiritum vniuerſalem totius mundi §. 6. vel *Animam mundi* §. 3. (not. *) quae nempe totum mundum permeat, et viuificat §. 1. eundemque totum tenet, complectitur et conſeruat, §. 3. et (not. *) et cauſa eſt hominibus omnis boni, quo fruuntur, quod vel ipſum nomen per ſe loquitur. Vno igitur verbo *Cnuphis* non eſt alius, quam ipſe *Vulcanus*, ſed ſpeciatim, quatenus is conſideratur, vt cauſa et fons omnis boni. Hanc enim Numinis aeterni virtutem in *Cnuphi* ſuo tantum ſpectabant venerabanturque Aegyptii.

Philoſophi recentiores Platonici doctrinam de Cnepho adulterarunt, ſed ita tamen,

§. 8. Apud cultores Philoſophiae *Pythagoricae* et *Platonicae* recentioris, IAMBLICHVM, DAMASCIVM, ſimilesque alios, viros ſubtilitatibus Methaphyſicae ſuae vnice inhiantes, et ingenii ſui figmenta, pro genuinis veterum Aegytiorum placitis continuo venditantes, paſſim quaedam de *Cnepho* inuenias, quae etſi dogmata Aegyptiorum priſca, nobis non referant

ſincera

vt verum exinde erui queat. ſincera ac illibata, aliquid tamen, ad ea illuſtranda conferent. Sunt enim ex monumentis Aegyptiorum haud dubie hauſta; ſed partim non intellecta, partim ſtudio interpolata et adulterata. Scribit itaque IAMBLICHVS de Myſter. Sect. VIII, c. 3. *Hermes ſecundum alium ordinem Deum Emeth tanquam ducem Diis coeleſtibus praeponit.* In graeco, loco *Emeth* legitur Ἠμὴφ, eamque eſſe conſtantem codicum omnium lectionem, in notis ad illum locum teſtatur THO. GALEVS, qui tamen cenſet, veram lectionem eſſe Κνὴφ. Et res ipſa ſatis quoque docet, de eo Numine loqui IAMBLICHVM, quod ſolet appellari *Cneph.* Pergit IAMBLICHVS; *Ante hunc* Emeth, Hermes *ponit vnum impartibile* (ἓν ἀμερὲς), *quod etiam primam effigiem appellat et Eicton.* Haec ſunt ſomnia recentiorum Pythagoraeorum et Platonicorum metaphyſica, vetuſtis Aegyptiis prorſus incognita. *Cneph* et *Eicton*, vel *Icton*, ſunt duo nomina, vnum idemque Numen deſignantia, quae diſtincta tantum illius attributa explicant. Vide § 6. Deinde IAMLICHVS his addit *Amun*, et *Phthan*, quorum poſterior *Phthas*, ſiue *Vulcanus*, ſolo tantum nomine etiam, a *Cneph* et *Eicton* differt: (§ 7.). Ex tribus nominibus eiusdem Numinis, Graeci recentiores, arcanam veterum Aegyptiorum doctrinam aſſecuti non ſunt, tria confinxerunt diſtincta diuerſaque Numina. Huiusmodi duces, minime tutos ac fideles, ſecutus quoque eſt EVSEBIVS Praepar. Lib. III, cap. XI. pag. 115. *Aegyptii Opificem* (vel ceatorem) *quem Cneph appellant, humana ſpecie configurarunt, colore coeruleo, eoque nigricante, cingulum aut ſceptrum manu tenentem. — Hunc porro Deum ouum ex ore effudiſſe narrant, ex eoque ſatum eſſe alium Deum, qui ab iis Phtha, Vulcanus a Graecis nominetur. Ouum autem illud Mundum interpretantur, eique Numini ouem conſecrarunt.* Doctrinam Aegyptiorum veram et antiquam

in

in his nobis non caſtigate tradi, vel id ſat's teſtatur, quod, cum Aegyptii Cnephum ſuum, ſymbolo ſerpentis ſemper deſignauerint, quod toties vidimus, hic tamen Numini eidem, ſpecies affingatur humana, quod ſane cum notionibus Graecorum longe melius congruit, originemque ſuam prodit. EVSEBIVS igitur hic nobis repraeſentauit Doctrinam *Orphicam*, qualis a Pythagoraeis interpolata, ac deinde ad Theologiam Aegyptiorum translata et applicata fuerat. Ipſa Doctrina ORPHEI ſimplex, et vel eo nomine genuina ac antiqua, quam retuli cap. II. §. 8. fert, vnum tantum fuiſſe creatorem opificem, ouo primo quidem incluſum, ſed qui deinde ouum ſucceſſiue diſpoſuit, et, quia in ſe habuit rationes naturae rerum omnium, ex ouo illo omnia produxit. Genuina haec Poëtae Philoſophi doctrina, additamentis Philoſophorum Graecorum adhuc libera, a ſacerdotibus Aegyptiis ſine dubio petita eſt. Illi, quod etiam ex teſtimoniis hoc capite affatim allatis, intelligitur, vnum tantum agnouerunt Spiritum ingenitum, immortalem, Opificem et Creatorem, qui ſermone ipſorum dictus eſt *Cneph*, vel *Cnuphis*. §. 7. Aegyptii eundem etiam vocare conſueuerunt *Phthan*, quod dicere poſſis Dei huius nomen proprium; cui tamen adiunxerunt cognomen *Cnuphis*, ab immenſa illius bonitate deductum.

§. 9. Magnopere autem vereor, ne illi ipſi Philoſophi Graeci, qui ex *Phtha* et *Cnepho*, duobus vnius Dei nominibus, duo diſtincta Numina exſculpſerunt, etiam vltimum hoc *Cnephi* nomen, cum alio *Vulcani* Aegyptiorum cognomine, aut epitheto, *Camephi*, ſibi plane non intellecto, ſaepe confuderint. Non de nihilo eſt, quod GALEVS ad IAMBLICHI Sect. VIII. c. 3. obſeruat, Numen illud, de quo ibi Philoſophus ille loquitur, et quod antiquiores, aut *Cneph*, aut *Cnuphin* vocant, hoc tamen loco, in Codici-

Id nouis exemplis confirmatur, et ſimul nomen καμηφις, explicatur.

Codicibus omnibus ſcribi Ἠμὴφ, quod iam §. 8. tetigimus. IAMBLICHVS illic profitetur, ſe ſua deſumſiſſe ex ſcriptis *Hermeticis:* Et extat Pſeudo-HERMETIS huius fragmentum aliquod, in IOHANNIS STOBAEI Eclogis Phyſicis, in quo *Iſis*, orationem ad *Horum* filium conuertens, p. 120. mentionem facit Καμήφεως, προπάτορος καὶ πάντων προγενεςέρε, (ſic enim ibi legendum) *Camephis progenitoris, omniumque primi et antiquiſſimi*, quod ipſum Aegytios de *Phtha* ſuo affirmaſſe, cap. II. §. 10. 11. obſeruauimus. Auctor itaque huius Fragmenti, quem deliriis Gnoſticorum fuiſſe imbutum, iudicio non vno deprehendi, *Camephi* ea tribuit, quae veteres Aegyptios, *Vulcano* ſuo tribuere nouerat. Ita porro nomen idem ſcriptum quoque legitur, in illo DAMASCII Fragmento περὶ ἀρχῶν, quod B. WOLFIVS Anecdotorum Graecorum Tomo III. edidit. Verum auctor hic, ex fontibus profecto lutulentis, p. 261. commemorat τὸν πρῶτον Κάμηφιν, εἶτα τὸν δεύτερον ἀπὸ τέτε, εἶτα καὶ ἀπὸ τέτε τὸν τρίτον. *Primum Camephin, poſtea ab hoc ſecundum, et ab iſto tertium.* Poſtea haec addit. Ὁ δὲ νεώτερος Ἡραΐσκος τὸν τρίτον ὀνομαϛθέντα Κάμηφιν, ἀπὸ τε πατρὸς καὶ τε πάππε, τὸν ἥλιον εἶναί φησιν. *Heraiſcus iunior, tertium Camephin, ſic nominatum a patre et auo, ait eſſe Solem.* Illa trium Deorum, qui ſinguli nomen *Camephis* geſſerint, inepta diſtinctio; inſcitiae Philoſophorum neo-*Pythagoraeorum* et *Platonicorum* debetur, qui linguae Aegyptiacae ignari, nomina Deorum Aegyptiorum propria, ab eorundem cognominibus et Epithetis diſcernere non didicerant, et qui nullum ex omnibus Deorum horum nominibus Aegyptiacis, recte interpretari nouerant. Καμηφὶς ego nec pro nomine proprio, nec pro cognomine Dei cuiusdam Aegyptiorum habeo; ſed pro epitheto tantum, quod aliquo ſenſu *Vulcano* erat proprium;

ſed

ſed aliis tamen quoque Numinibus, ab Aegyptiis recte tribui potuit. Praeſtantiſſimus quondam, nunc beatus LA CROZIVS, cum aliquando in literis ad me datis, Fragmentum DAMASCII illud, quod hic attuli, ſed nondum illo tempore editum, deſcripſisſet, haec illuſtrationis gratia addit, quae nunc leguntur, in eius Theſauro Epiſtolico Tom III. p. 163. *Iam qui ſint illi Καμηφὶς, tibi inueſtigandum trado. An non forte hic intelligi poterunt Dii Protectores Aegypti, quaſi* ⲬⲎⲘⲒ ⲉ ϥⲓ? ϥⲓ *enim pro τηρεῖν* (conſeruare, cuſtodire) *vſurpatur* Matth. IX, 17. ⲬⲎⲘⲒ, *vero Aegyptum ſignificat.* Obſeruationem hanc viri docti, non modo elegantem et ingenioſam; ſed & veram iudico. Aegyptii, ſermone ſuo patrio, regionem ſuam ſemper, etiam in Verſione Vet. et Novi Teſtamenti, appellant ⲬⲎⲘⲒ, *Chemi*; vel, vt Copti pronuntiare ſolent, *Chami*. In dialecto Thebaidis, vel ſuperioris Aegypti, vox eadem ſcribitur ⲔⲎⲘⲈ (*Keme* vel ſecundum vulgatam pronuntiationem *Kame*) vti in Actis Apoſtolicis, in dialectum hanc conuerſis, quae in Bibliotheca Bodleiana Oxonienſi ſeruantur cap. II, v. 10. et cap. VII, v. 9. 10. etc. quae ſcriptio ad nomen καμηφὶς, proxime accedit. Cum autem ϥⲓ Aegyptiorum ſermone dicatur *cuſtodire*, *conſeruare*, nunc iam clare patet, ⲔⲎⲘⲈϥⲓ, (*Kamephi*) ſine vlla qualicunque mutatione, nihil aliud ſonare, quam *cuſtodem Aegypti*. Epitheton hoc dixi, aliquo ſenſu, eſſe *Vulcano* Aegyptiorum proprium, cuius rei teſtem do CICERONEM, qui Lib. III. de Nat. Deor. cap. 22. *Secundus Vulcanus*, inquit, *Phthas, vt Aegyptii appellant, quem Cuſtodem Aegypti volunt*. En igitur *Vulcanum* Niliacum *Cuſtodem Aegypti*, quod Aegyptiace aliter efferri non poteſt, quam καμηφὶ, vel addita Grae-

 corum

corum terminatione καμηφι? Facile tamen largior, nomine eodem compellari etiam potuiſſe *Mineruam* ipſorum, et *Solem*, aliaque Numina. Et niſi fallor, tres illi DAMASCII *Camephes*, ſunt Aegyptiorum *Vulcanus*, *Minerua*, et *Sol*. Hunc poſtremum DAMASCIVS perhibet, ex alio aliquo *Camephi* ſatum eſſe. Et vero in Theologia Aegyptiorum Sol perhibebatur Vulcani filius. Vide cap. II. §. 11. Vnde liquet, per vnum ex *Camephibus*, *Vulcanum* omnino intelligi. Satis certo ex his colligitur, Philoſophos, de quibus loquor, *Cnephi* nomen, cum illo *Camephis*, confundere ſolitos fuiſſe, et hunc, niſi modo vtrumque, ab Aegyptiorum *Vulcano*, contra omnem rei veritatem diſtinxiſſe, cum tamen *Cneph*, vel *Cnuphis*, fuerit *Vulcani*, maximi Aegyptiorum Dei cognomen ſacrum, quo ſolenniter colebatur, *Camephis* vero epitheton, quo eundem Aegyptii veteres ornare conſueuerant.

Succeſſu temporis nomen Cnuphis, inditum etiam Nilo, et Symbolis, fertilitatem eius depingentibus.

§. 10. Satis nunc liquere arbitror, veteres Aegyptiorum Sapientes, in *Cnepho* ſuo, vel, *Cnuphi*, immenſam bonitatem Dei venerari voluiſſe, vel, quod eodem redit, Spiritum ipſum aeternum, ac infinitum, quatenus ſe hominibus bonum, benignum, beneficum oſtendit. Ceterum quando Niligenae, magnitudinem diuinae erga ſe bonitatis et beneficentiae, ex fertilitate, quam Nilus exundans, regioni ſuae quotannis adferebat, potiſſimum aeſtimare, ac quodammodo metiri ſemper ſolebant, factum hinc eſt, vt nomen hoc *Cnuphis*, id eſt *boni Dei*, vel *boni Genii*, etiam Nilo, aut Symbolis, fertilitatem eius adumbrantibus, pariter inditum fuerit. Quod ad Nilum fluuium attinet, teſtem habemus PTOLOMAEVM, qui Geograph. Lib. IV. cap. 5. in hæc verba ſcribit. Μέγα Δέλτα καλεῖται, καθὸ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς, καλέμενος ἀγαθὸς δαίμων. *Magnum Delta dicitur id, iuxta quod diuertitur magnus fluuius*

fluuius, dictus Agathodaemon. Aegyptiis itaque Nilus, aut vniuerſus, aut ille eius alueus, qui infra Memphin, ad leuam decurrens, per oſtium Heracleoticum in mare illabebatur, dici etiam conſueverat ἀγαθὸς δαίμων, Aegyptiace ⲬⲚⲞⲨϤⲒ vel ϬⲚⲞⲨϤⲒ, *Chnuphis.* Idem illud nomen, ſuperſtitio Aegyptiorum imponebat etiam tauris quibusdam ſacratis, qui tanquam ſymbola Nili adſcendentis, et fertilitatem terrae inducentis, paſſim in Aegypto colebantur. Teſtatur id luculenter AELIANVS de Anim. Lib. XII. cap. XI. *Colunt et nigrum taurum Aegyptii, quem Onuphim vocitant. Loci nomen, vbi nutritur, Aegyptii referant: ego propter aſperitatem omitto.* En taurum ſacrum! Aegyptiis dictum *Onuphim*, id eſt ⲚⲞⲨϤⲒ, (*Enuphi*, vel *Anuphi*) *bonum*, quae obſeruatio eruditiſſimum KOCHERVM non fugit. Locum, vbi is enutriebatur, cuius nomen pronuntiatu valde aſperum videbatur Aeliano, ego auguror fuiſſe *Hermonthin*, vel *Hermunthin*, vrbem Thebaidis, cui hodie nomen eſt *Arment.* De hac enim vrbe *Strabo* commemorat p. 561. *Hic et bos nutritur*, quem ad modum de tauro ſuo loquitur AELIANVS. Mentio eiusdem apud MACROBIVM Lib. I. Saturnalior. cap. XXI. p. 212. *In oppido Hermunthi, magnifico Apollinis Templo, conſecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes* Erat, cum pro *Pacin*, legendum eſſe autumarem *Pabacin.* Etenim ⲠⲀⲂⲀⲔ, *Pabaci*, Graecis eſſet πολιεὺς, vel πολιȣχος, id eſt, *Deus, in cuius tutela vrbs cenſetur.* Verum, vbi MACROBII verba cum AELIANO mediate contuli, dubitare non potui, quin MACROBIVS ſcripſerit *Onuphin*, quam vocem ſibi plane non intellectam, librarii poſtea corruperunt. De Tauro Hermunthite, refert hoc MACROBIVS loc. cit. *Per ſingulas horas mutare colores affirmatur, et hirſutus*

*ſetis dicitur in aduerſum naſcentibus, contra naturam omnium animalium, vnde habetur vulgo imago Solis, in * diuerſam mundi partem nitentis.* Et id eſt, quod in *Onuphi* ſuo miratur AELIANVS. Ἀντίαι αὐτῷ τρίχες ἤπερ οὖν τοῖς ἄλλοις εἰσίν. *Pili in eo contra quam in aliis vertuntur.* Talia tamen, ne id diſſimulem, de *Mneui* etiam, tauro Heliopolitano ſacro, narrat. EVSEBIVS Praeparat. Lib. III. c. XI. init.

Idem argumentum continuatur.

§. II. Et hunc ipſum taurum, religione Heliopolitanorum conſecratum, *Mueuin*, etiam cognomine *Cnuphis*, id eſt *boni Daemonis*, paſſim ornatum fuiſſe, non temere ſuſpicor. Id ſubinnui auguror, quando veteres teſtantur, Solonem, ſapientiae ſtudio allectum, in Aegyptum profectum eſſe, et inter alios ** ſacerdotem etiam Heliopolitanum audiuiſſe, nomine ψένωφιν *Pſenophin.* Commemorant iidem, Pythagoram quoque Heliopoli frequentaſſe ſacerdotem, *** quem nominant Οἴνουφιν, *Oenuphim.* Eudoxum etiam, Aſtronomum poſtea inclyti nominis, in Aegypto vſum fuiſſe magiſtro *Conuphi,* auctor eſt CLEMENS ALEXANDRINVS Stromatum Lib. I. p. 303. Fuiſſe et illum ſacerdotem Heliopolitanum, ſcimus ex DIOGENE LAERTIO Lib. VIII. §. 90. vbi tamen nomen hoc *Ichonuphis* effertur. Ὅτε δὲ συνεγένετο ἐν Αἰγύπτῳ ἰχονούφει (ita legendum) τῷ ἡλιουπολίτῃ, ὁ Ἄπις αὐτοῦ θοιμάτιον περιελιχμήσατο. *Cum vero in Aegypto moraretur cum Ichonuphi Heliopolitano,* **** *Apis illius pallium lingere viſus eſt.* Et Eudo-

* Legere mallem *aduerſam.* Sed poterit tamen tolerari lectio vulgata. Vide locum CAPELLAE citatum hic §. I.

** PLVTARCHVS in Solone p. 92.

*** Idem de Iſide et Oſir. p. 354.

**** Ita hic, forte per errorem μνημονικόν, Taurus Heliopolitanus vocatur, cum ille ſemper *Mneuis*, taurus vero Memphiticus, *Apis* nuncupari conſueuerit. Sed monendum tamen etiam, ſecundum alios *Chonuphin,* magi-

Eudoxum ſane, vna cum Platone, diſciplina vſum fuiſſe Sacerdotum Heliopolitanorum, teſtatur etiam STRABO Lib. XVII. p. 554, CLEMENS vero ALEXANDRINVS loc. cit. ſacerdotem illum Heliopolitanum, quocum Plato familiariter conuerſatus eſt, *Sechnuphin* appellat. Monendum hic eſt, quod alia occaſione * iam tetigi, Sacerdotes Aegyptios, ſaepe Deorum illorum, quorum cultui erant conſecrati, nomina adſciuiſſe. Veroſimile eſt, id etiam feciſſe ſacerdotes illos Heliopolitanos, quorum modo vidimus, in hiſtoria Philoſophorum Graecorum, mentionem fieri. Et quid credere nos vetat, nominibus hiſce, quibus inſigniti leguntur ſacerdotes illi Heliopolitani, dignitatem ipſorum ſacerdotalem deſignatam fuiſſe? quaſi nempe dicas *Sacerdotem Cnuphis*, vel *Ichonuphis*, quale quid de *Pateneit*, Sacerdote Saitico, obſeruaui ſupra cap. II. §. 3. Fuiſſe autem ſacerdotes hos Heliopolitanos, tauro Heliopolitarum ſacro, *Mneuidi*, qui per errorem *μνημονικὸν*, illic vocatur *Apis*, initiatos et conſecratos, ex hiſtoria Eudoxi, quam fide DIOGENIS LAERTII retulimus, non obſcure colligi poterit. Paulo plenius et accuratuis, nomen illud ſacerdotum Tauri Heliopolitani, apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM ſic exprimitur, Σέχνεφις, idque verum et genuinum nomen fuiſſe auguror, quo ſacerdotes illi, Heliopolitani nempe *Mneuidis*, generatim ab Aegyptiis inſigniti fuerunt. Eruditiſſimus KOCHERVS, qui nomen

magiſtrum Eudoxi, Sacerdotem fuiſſe non Heliopolitanum; ſed Memphiticum? Vide PLVTARCHVM de Iſ. et Oſir. p. 354. et de Genio Socratis p. 578. Et ſic LAERTIVS ipſe in verſibus, quos adducit, eodem Libro §. 91. et qui extant pariter in *Anthologia* Graecor, Lib. I. cap. XXXVII. num. 24.

* Diſſert. VIII. de Terra Goſen §. 4. p. 94. 95. & in notis. Adde hunc librum I. cap. III. §. 3.

48710

men hoc non praetermiſit, interpretatur illud Aegyptiace ⲤⲀϦ - ⲚⲞⲨϤⲒ *Sachnuphi*, id eſt *Scribam boni Daemonis*, docte profecto et acute! Nam in N. Teſtamento, vox graeca Γραμματεὺς, *Scriba*, ab interpretibus Coptis ſemper vertitur ⲤⲀϦ. Et vero in ordine Sacerdotum Aegyptiorum, quosdam fuiſſe, peculiariter dictos Γραμματεῖς, *Scribas et* ἱερογραμματεῖς, *Scribas ſacrorum*, neminem, qui literas has deguſtauit, latere poteſt. Eſſet igitur Σέχνουφις, ſecundum hanc expoſitionem, *Scriba ſacrorum Dei Cnuphis*. Illud vnicum tamen hic me turbat, quod *X* in Σέχνουφις, videatur ad nomen Diuinitatis *Cnuphis* vel *Chnuphis* potius eſſe referendum. Vide §. 6. et quae §. hoc dicta fuere. Hac ratione commotus, mallem nomen iſtud ita interpretari ϢⲈⲬⲚⲞⲨϤⲒ, *Sechnuphi*, vel ϢⲈ - ⲒϦ - ⲚⲞⲨϤⲒ, *Se-ich-nuphi*, vbi tamen prius i, abſorbetur, §. 6. idque ſonat † θεραπευτὴν τοῦ ἀγαθοῦ Δαίμονος, *cultorem boni Daemonis*. Sed haec arbitrio vnius cuiusque libenter relinquo. Proxime ad hanc nominis illius interpretationem accedit eiusdem ſcriptio, quam PLVTARCHVS nobis offert, Ψένωφις *Pſenophis*. Addito nempe ſola nota maſculini generis Π, Ψένωφις erit Π-ϢⲈ-ⲚⲞⲨϤⲒ, *P-ſche-anuphi*, quod ſignificat *cultorem boni* (ſubintellige *Daemonis*.)

† Sacerdotes Deorum Aegypti, paſſim ſolent dici Θεραπευταὶ, ab AELIANO, SYNESIO, aliisque Scriptoribus graecis.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT V.

De Tithrambone, vel Thermuthi Aegyptiorum Numine, quod Graeci Hecaten interpretantur.

§. I.

Mala triſtia Aegyptii Spiritui infinito non immediate tribuebant, ſed Diuinitati ordinis inferioris.

C*nuphidi* Spiritui aeterno, bonorum omnium, quae hominibus eueniunt, auctori, de quo hactenus egimus, dixi Aegyptios antiquos oppoſuiſſe *Tithrambonem*, Numen iratum, hominesque malis triſtibus varii generis, tanquam poenis promeritis afficiens, de quo nunc diſſerendum eſt. Pſeudo-HERMES in Dialogo Aſclepio, vtrumque hoc, et bonum, hominibus dulce ac iucundum, et malum, quod timet atque perhorreſcunt, ad vnam ſuam Iſidem refert, ſiue nomine Iſidis totius Naturae parentem intelligat, ſiue etiam Numen aliquod dignitatis inferioris. Verba eius, mox iterum citanda, haec ſunt. *Iſin quam multa bona praeſtare propitiam; quantis obeſſe ſcimus iratam?* Verum haec tamen doctrina opus habet, quae nonnihil illuſtretur. Nam quod ad bonitatem et benificentiam attinet, eam Aegyptii, Spiritui, vti ſummo, ita quoque optimo, citra ambages attribuebant, quod ex iis, quae de Deo *Cnuphi*, capite ſuperiori diſputauimus, intelligi ſatis ac perſpici potuit. Sed de ira Numinis ſupremi, quam * ex Graecorum quoque Philoſophis, tantum non omnes Deo indignam eſſe iudicarunt, Aegyptii quoque ſobrie magis atque tecte videntur docere et diſputare voluiſſe. Etenim cum ipſi Optimo Numini, iram

 ſaeuam,

* Videri poteſt WARBVRTONVS, dans les Diſſertationes de Mr. SILHOVETTE ſur l' Vnion de la Religion, de la Morale, et de la Politique Tom. II. Diſſert. XI. p. 108. 109. etc.

ſaeuam, immiteſque illius effectus directo adſcribere, religioni ſibi ducerent, omne hoc quicquid eſt reiicere maluerunt in diuinitatem aliquam ordinis et dignitatis inferioris, quoddam veluti ſupremi Numinis inſtrumentum, per quod voluntatis ſuae decretum in actum deducat. Hoc enim ex doctrina Aegyptiorum antiquorum, vti eam in ſuperioribus, ex ſcriptorum fide dignorum teſtimoniis delineaui, per ſe conſequi, nemo eſt, qui non intelligat.

Illa Aegypt. dicebatur Titbrambo, id eſt, ira furens vel furorem indens.

§. 2. Diuinitatem illam, ad quam Aegyptii triſtes Numinis iuſte irati effectus referebant, vernacula ipſorum lingua dictam fuiſſe *Ambonem et Tithrambonem*, non praeter rationem, ex his EPIPHANII colligo, verbis *aduerſus Haereſes* Lib. III. 1093. Ἄλλοι δὲ τῇ τιθράμβω, * Ἑκάτη ἑρμηνευομένη, ἕτεροι τῇ Νέφθυι. ἄλλοι δὲ τῇ Θερμούθι τελίσκονται. *Et Aegyptiorum, alii quidem Tithramboni, quam Hecaten interpretantur, alii vero Nephthy, ac alii Thermuthi initiantur.* Eſt igitur Numen aliquod, religione Aegyptiorum auita conſecratum, *Tithrambo* nomine, cuius tamen vix apud alium quenquam mentionem inuenimus, idque Graecos *Hecaten* interpretari, teſtatur EPIPHANIVS. Neque tamen Numinis huiusce cultus, tam rarus olim in Aegypto extitiſſe putandus eſt, neque infrequentem apud ſcriptores illius mentionem occurrere videmus. Illius enim Numinis veſtigia gerunt nomina quaedam Aegyptiorum propria quale eſt Παμβῶ, *P-Ambo*, nomen in hiſtoria Monachorum Aegyptiorum minime ignotum. Solebant autem Aegyptii, ſibi ſuisque, Deorum patriorum nomina plerumque imponere, quod ignotum eſſe non poteſt, moremque hunc gens illa ſeruare perrexit, poſtquam ſalutari luce Euangelica diu iam fruita

* Ita hic legere ipſe ſenſus iubet. Et ſic etiam interpres vulgatus vertit.

fruita eſſet. Nihil in hiſtoria monachorum Aegypti frequentius, nominibus *Pi-ôr*, *Pi-amum*, *Anub*, *Iſidori*, ſimilibusque aliis, quae a priſcis Aegyptiorum Diis petita eſſe, etiam me non monente, quivis per ſe ſatis intelligit. Tale igitur nomen fuit quoque *P-ambo*, quaſi dicas *cultorem Ambonis*, vel *Tithrambonis*, nam duo haec nomina re ipſa eodem redeunt, eandemque rem ſignificant. Qui in legendis Coptorum libris, aliquam operam poſuerunt, veram genuinamque nominum horum ſignificationem, nullo negotio confeſtim aſſequentur. Etenim ⲙ̀ⲃⲟⲛ (*Embon*, vel *Ambon*), Coptis dicitur *ira*, et nonnunquam ⲉⲙⲃⲟⲛ, (*Ambon*) vti Exod. XXXII, 11. Pſalmo CVI. 23. Quoties in libris V. Teſtamenti occurrit θυμὸς *furor*, vt vertit vulgatus interpres latinus, et θυμὸς ὀργῆς, *furor irae*, Copti ſemper adhibent vocem ⲙ̀ⲃⲟⲛ. Gen. XXVII, 44. Exod. XXXII, 11. Pſalmo VI, 1. Itaque ϯⲙ̀ⲃⲟⲛ, *Tiambon*, iam per ſe deſignat deam, *grauiter iratam*, ac quodammodo *ira furentem*. Neque etiam dubito, quin a vulgo Aegyptiorum, Dea illa, ſaepius ita vocata fuerit. Sed paulo plenius id ipſum ſignificat ϯⲑⲣⲏ ⲙ̀ⲃⲟⲛ, *Ti-thra-embon*, vel *Tithrambon*, quae vox exponi poteſt, tum *ira furens*, tum etiam, aliis *furorem indens*. Et ſic * iam dudum antehac, nomen hoc interpretati ſumus.

Tithramboni exacte reſpondet apud Graecos Βριμὼ, *cognomen Dearum quarundam.*

§. 3. Obſeruatione indignum non eſt, in N. Teſtamento, vocem graecam ἐμβριμᾶσθαι, qua indicatur vehemens irae commotio, cum ſeuera comminatione coniuncta, ab interpretibus Coptis, vbi ſermo

* Exercitat. *de Remphah* p. 45.

mo non eſt de Chriſto Domino, verti ſolere ⲙⲃⲟⲛ, *Ambon*, vti Marci XIV, 5; Sed quando de Chriſto adhibetur, alia voce ſignificationem hanc ab ipſis emolliri, vt v. gr. Matth. IX, 30. Ioan. XI, 33. 38. Agnoſcere mihi in his videor, diſcipulos Dioſcori Monophyſitae, quales a multis ſeculis in hodiernum vsque diem ſunt Copti omnes, ideoque veriti forte ſunt, Domino noſtro tam vehementem irae commotae aeſtum attribuere, atque voce ⲙⲃⲟⲛ ſubinnui ſolet, quamuis tamen eidem plane reſpondeat vox graeca ἐμβριμᾶσθαι, qua non ſemel vſos eſſe Scriptores Sacros, de Domino loquentes, libri eorum fidem faciunt. Ex iis quae dixi, non inepte quis colligere poſſet, cum *Tithrambone* Aegyptiorum, conferri recte omnino poſſe *Brimonem* Graecorum. Eſt autem Graecorum ſermone Βριμὼ, cognomen, Deabus nonnullis additum, et ἀπὸ τȣ̃ βριμᾶσθαι, ab irae quadam vehementiori excandeſcentia deſumtum. De *Hecate*, quam Graeci cognomine hoc ornare ſolent, poſtea videbimus. *Cererem* vero cognomine eodem quoque inſigniri nonnunquam conſueuiſſe, docet ARNOBIVS, aduerſus Gentes Lib. V. p. 170. vbi de Cerere ita. *Ardeſcit furiis, atque indignationibus mater, ſpumat, anhelat, exaeſtuat, nec fremitum continere tempeſtatemque irarum valens, ex continua paſſione, BRIMO deinceps vt appelletur, aſſumſit: neque alia cordi eſt res ei, quam vt audaciam filii, poenis quibus potis eſt, perſequatur.* Non melius, quam ex his intelligi poſſe puto, quidnam Graecis Βριμὼ, cognomen Dearum apud Graecos non infrequens, quidque adeo Aegyptiis *Tithrambo*, voci graecae prorſus reſpondens, et aequipollens, vere ac proprie ſignificauerint.

Tithrambonem §. 4. Quae cum ita ſe habeant, credi non abs re poterit, *Tithrambonem* EPIPHANII, Numen illud eſſe, quod

quod Graeci, de Aegyptiis loquentes, *Nemeſin* etiam appellare ſolent. Nam inter Aegyptiorum Numina, illi *Nemeſin* quoque numerant. Referebant ad hocce Numen Aegyptii *Planetam Saturni*, et hunc ab illo denominabant. ACHILLES TATIUS in Iſagoge in Arati Phaenomena p. 136. (in Vranologio PETAVII) τῦ Κρόνυ ὁ ἀςὴρ — παρὰ Ἀιγυπτίοις Νεμέσεως ἀςὴρ. *Saturni ſtellam, Aegyptii vocant Nemeſis ſtellam.* Meminit Deae huius etiam PLINIUS, vbi de Labyrintho Aegyptio Lib. XXXVI. c. 13. hoc commemorat, *quod Templa omnium Aegypti deorum contineat, ſuperque Nemeſes quindecim aediculis incluſerit*, ſicuti non in antiquioribus modo; ſed etiam Harduiniana Editione legitur. Inde igitur eſt Νεμεσεῖον, id eſt *Templum Nemeſis*, cuius de rebus Aegyptiorum loquens, mentionem facit STEPHANUS, in articulo Ἰσεῖον. Neque etiam dubium eſſe poterit, quin ab hac *Nemeſi*, nomen acceperit *Nemeſion* Aegyptius, Martyr in Perſecutione Deciana, de quo EVSEBIVS Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c. 41. Si credimus NICOMACHO Geraſeno in Θεολογυμένοις ἀριθμητικῆς, apud PHOTIVM in Bibliotheca Cod. CLXXXVII. p. 464. et auctori Anonymo Graeco, de eodem argumento, p. 33. *Nemeſis* haec Aegyptiorum eadem fuit cum eorum *Bubaſti*, de qua Lib. III. pluribus diſſeremus; nos vero infra hoc ipſo capite aſſeremus, *Tithrambonem* certo reſpectu eandem habendam eſſe cum *Bubaſti*, quod ea, quae hic aſſero, non parum confirmat. Cum vero *Nemeſis* Graecorum Poëtis et Mythologis dicta fuerit Dea, iuſtitiae vindex, iuſta ira in improbos omnes, ac ſuperbos praeſertim, incenſa, non vtique invita Minerua, Graeci *Tithrambonem* Aegyptiorum, cum ſua *Nemeſi* conferre, illique huius nomen, data occaſione, imponere potuerunt.

Graeci interpretantur Nemeſin.

§. 5. Ve-

Epiphanius eundem interpretatur Hecaten.

§. 5. Verum inhaereamus potius teſtimonio EPIPHANII, *Tithrambonem* graece interpretantis *Hecaten*. Τιθραμβώ, inquit Ἑκάτη ἑρμηνευομένη. *Tithrambo, ſi nomen hoc graece interpretari velis, eſt Hecate.* Quae tamen interpretatio a priori, quam dedimus §. 4. vix differre putanda eſt. Nam et *Hecaten*, certo ſenſu eandem eſſe cum *Nemeſi*, et pro eadem habitam fuiſſe, ex auctore Anonymo Θεολογεμένων ἀριθμητικῆς p. 33. ſatis liquere poteſt. *Hecaten* porro talem nobis depingit Theologia Graecorum mythica, vt *Tithramboni* Aegyptiorum, quae deſignat, vt oſtendimus, *ira furentem*, et aliis etiam *furorem indentem*, examuſſim reſpondeat. Inde namque eſt, quod eam nobis Poëtae, vt horrendam et terribilem repraeſentare conſueuerint. VIRGILIVS quoque eam Furiis vltricibus adiungit Aen. Lib. IV. 609.

Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes
Et dirae vltrices —

ad quae SERVIVS poſt alia, etiam haec annotat. *Hecaten autem inuocat cauſa vltionis. Vnde et Furias vocat.* Vides igitur Hecaten, horrendam malorum vltricem, et dirarum Furiarum ſociam. Quod, quid quaeſo aliud eſt, quam Aegyptiace *Tithrambo?* Inter hanc poſtremam igitur, et *Hecaten* Graecorum, comparationem hanc inſtituit APVLEIVS, Lib. XI. Metam. poſt. init. *Siue tu Ceres — ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina, triformi facie, laruales impetus comprimens.* Pertinent eodem haec MARTIANI CAPELLAE, quae ad *Hecaten* non minus, quam ad Iſidem ſpectant, de Nuptiis Philol. Lib. II. p. 41. *Triformis etiam diſcolorque vertigo terribili quadam maieſtate rutilabat. Quae licet cornigera et aſpera videretur, egeſtionibus: opportune tamen & felem & ceruam, etiam conuerſiones bis binas vultibus praeferebat.*

Ita

Ita et VALERIVS FLACCVS Argonaut. Lib. V. v. 399.

Sacraque terrificae ſupplex mouet irrita Nocti.

Vbi per *Noctem* intelligenda Hecate. Apte ſatis haec omnia *Tithramboni* Aegyptiorum conueniunt.

§. 6. Id vero hic inprimis obſeruatione dignum arbitror, quod Βριμὼ, cognomen Deabus maiorem in modum iratis tribui ſolitum, de quo §. 3. ex ſententia Graecorum, Hecatae proprium quodammodo et peculiare fuerit. LYCOPHRONI igitur in Caſſandra v. 1176. Hecate audit

Hecate a Graecis cognominatur Βριμὼ, id vero Aegyptiace eſt Tithrambo.

Βριμὼ τρίμορφος —

Brimo triformis

Ad quae Poëtae verba haec commentatur TZETZES in Scholiis. Βριμὼ ἡ αὐτὴ ἡ Ἑκάτη, ὅτι Ἑρμῆν ἐν κυνηγεσίῳ βιάζοντα αὐτὴν, ἐνεβριμήσατο, καὶ οὕτως ἐπαύθη· Καὶ ἡ Περσεφόνη Βριμὼ λέγεται· δοκεῖ δὲ ἡ αὐτὴ εἶναι Ἑκάτη καὶ Περσεφόνη, *Brimo eadem eſt, quae et Hecate dicitur. Appellata autem eſt Brimo, id eſt, ira frendens, quod Mercurio, qui ipſi inter venandum vim obtulerat, graui ira commota, minata fuiſſet, ita vt a coepto deſiſteret. Etiam nomine eodem Proſerpinam compellant. Videtur vero haec et Hecate vna eademque eſſe.* Qualia etiam apud * alios Grammaticos Graecos leguntur. Non poſſum tamen mihi temperare, quin haec doctiſſimi in APOLLONII *Rhodii* Argonautica *Scholiaſtae* verba adſcribam, ad Lib. III. v. 860. Βριμὼ δὲ Ἑκάτην προσηγόρευσε, διὰ τὸ φοβηρὸν καὶ καταπληκτικὸν τῆς δαίμονος, καὶ φάσματα ἐπιπέμπειν τὰ καλούμενα ἑκάταια· καὶ ** πολλάκις μεταβάλλειν τὸ εἶδος. διὸ καὶ Ἔμπουσαν καλεῖσθαι.

* Vide *Etymologici* Auctorem in voce Βριμὼ, vbi tamen *Hecates* nomen excidit, quod illic reſtituendum: et TZETZEN in Lycophron. v. 698. Adde APOLLONIVM Rhodium Argonaut. Lib. III. v. 860. et 1209.

** Hic quaedam, ſenſu id flagitante, correxi.

καλεῖσθαι. *Poëta Hecaten Brimo appellat, quoniam formidanda eſt, et terrorem incutit, ac laruas quoque immittit, quas vocant Hecataeas. Saepe etiam formam mutat, vnde Empuſa nuncupari ſolet.* Βϱιμὼ igitur Graecis potiſſimum eſt *Hecates* cognomen. Cum vero vox iſta graeca Βϱιμὼ, vt monui §. 3. Aegyptiace vix aliter, certe non melius, reddi poſſit, quam ϯⲑⲣⲏ ⲙⲃⲱⲛ *Ti-thra-mbon, liquido perſpicitur, quam bene et conuenienter* EPIPHANIVS *Tithrambonem* interpretetur *Hecaten.*

Hecate Aegyptiorum eſt Luna, ſiue Iſis irata, quae hominibus mala inferre credebatur.

§. 7. Quando vero EPIPHANIVS *Tithrambonem* interpretatur *Hecaten*, intelligit illud Aegyptiorum Numen, quod Graeci cum *Hecate* ſua conferre ſolent, quia aliquam vtriusque Numinis inter ſe conuenientiam ſibi deprehendiſſe viſi ſunt. Nonnunquam Graeci, *Venerem* Aegyptiorum, ſiue Deam ipſorum *Athôr* nomine *Hecates* deſignare ſolent, quoniam vtrumque illud Numen, et Aegyptiorum et Graecorum, Numen eſt nocturnum et tenebricoſum, quod iam indicauimus cap. I. §. 13. Sed in vniuerſum, quia certum eſt, Hecaten Graecorum, eſſe Lunam, dubitandum non videtur, quin Aegyptiorum quoque Hecate, quam nempe Graeci ſic appellitant, fuerit *Iſis*, ſub quo nomine, olim Nili accolas, Lunam veneratos eſſe nouimus. Adduximus iam ſupra haec APVLEII verba, quibus Iſidem alloquitur. *Siue tu Ceres — ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina* (vel *Hecate*) *triformi facie laruales impetus comprimens.* Eſt igitur *Tithrambo*, *iratum* illud Aegyptiorum *Numen*, ipſa Iſis; et certe ignotum non eſt, quantopere illius iram, Aegyptiorum filii reueriti fuerint. Pſeudo-HERMETIS ea de re verba, ex Dialogo Aſclepio, aliquoties iam allata iterum; ſed paulo pleniora nunc adſcribemus, vt eadem opera mendum, quod illa occupauit, tollamus.

Ea ita ſonant p. 99. Edit. Elmenhorſtii: *Iſin vero et Oſirin, quam multa bona praeſtare propitiam, quantis obeſſe ſcimus iratam?* Vbi legendum eſſe, *Iſin vero vxorem Oſiris, quam multa* etc. et res ipſa ſatis monet, et AVGVSTINVS docet, qui verba haec, vt correximus, adfert, de Ciuit. Dei Lib. VIII. c. 26. Eo quoque digitum intendit PERSIVS Sat. V, 186.

Hinc grandes Galli, et cum ſiſtro luſca ſacerdos
Incuſſere deos inflantes corpora. —

Ad quae haec obſeruat IS. CASAVBONVS: *Incutere proprie ἐνσείειν, quatere arma ad terrorem: ita iſti terrore ſuorum deorum, infirmos animos implebant. Syri homines atque Aegyptii obnoxii erant vlceribus tetris, quae vocata ſunt Aegyptiaca ac ſyriaca. — Sed homines ſuperſtitioſi, naturalibus cauſis neglectis, ab ira Deae Syriae Syri, Iſidis Aegyptii, ſibi vlcera illa veniſſe perſuadebant.* Magna praeſertim * ſemper fuit **, eſtque hodie in Aegypto coecorum multitudo, vt non illepide nuper *** nonnemo dixerit, *Aegyptum vocandam eſſe regionem coecorum.* Qui noſtra aetate Aegyptum adeunt, et ad ſingularia, quae ibi obſeruanda occurrunt, prudenter inueſtigandum, animum appellunt, coecitatem hanc tot hominum, non modo mirantur, ſed illius etiam rationes naturales nobis exponere ſatagunt. At olim homines ſuperſtitioſi, rei huius nullam aliam inueniebant cauſam, quam iram *Iſidis* ſuae, vel *Tithrambonis*. Tales ſunt, quos IVVENALIS ita loquentes fingit Satyra XIII, 91.

Hic

* DIODORVS SICVLVS Lib. I. p. 22. Edit. Wechel.

** NICOLAI Principis RADZIVILII Peregrinatio Hieroſol. Epiſt. III. p. 159. MAILLET Deſcription d' Egygypte Part. I. p. 18. Edit. 8v.

*** GRANGIER Relation du voiage fait en Egypte p. 22.

Hic putat eſſe deos, et peierat, atque ita ſecum:
Decernat quodcunque volet, de corpore noſtro
Iſis, et irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel coecus teneam, quos abnego, nummos.

Rem eandem tangit OVIDIVS Lib. I. de Ponto Ep. I. 51.

Vidi ego linigerae Numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.
Alter ob huic ſimilem priuatus lumine culpam,
Clamabat media, ſe meruiſſe, via.
Talia coeleſtes, fieri praeconia gaudent
Vt ſua, quid valeant, Numina, teſte probent.

Et LVCILIVS in Epigrammate Anthol. Lib. II. cap. XXII. num. 4.

Ἤν τιν᾽ ἔχῃς ἐχθρὸν Διονύσιε, μὴ καταράσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ, μηδὲ τὸν Ἀμφικράτη
Μηδ᾽ εἴτις τυφλοὺς ποιεῖ θεόν. Ἀλλὰ Σίμωνα
Καὶ γνώσῃ τί θεὸς, καὶ τί Σίμων δύναται.

Si quem habeas inimicum Dionyſi, ne impreceris
Iſin illi, neque Harpocratem,
Neque alium, ſi forte coecos faciat, deum; ſed Simonem medicum.
Et intelliges, quid Deus, quidue Simon poſſit.

Quam poteſtatem Aegyptii in *Iſide* ſua reuerebantur, eam Poëta hicce liberaliter etiam Harpocrati, aliisque Diis, quos non nominat, attribuit.

Mala quaedam ſingularia, ac ſigillatim inſaniam, oriri ex influxu lunae veteres exi-

§. 8. Neque tamen exiſtimari debet, Graecos et Aegyptios, quando coecitatem aliaque corporis mala irae terribili *Hecates* ſuae atque *Iſidis* in acceptis tulerunt, poſthabitis cauſis rerum naturalibus cunctis, vnice ſuperſtitioni ſtolidae ac prorſus coecae hic indulſiſſe. Nam fabulae illae, quas de ira *Hecates* ac *Iſidis* tremenda, Poëtae Graecorum, et ſacerdotes Aegyptiorum, in vulgus ſpargebant, ad inſtar

ſtar corticis cuiusdam, placita Phyſiologiae gentium illarum occultabant. *Hecate* nempe Graecis, ſicut apud Aegyptios *Iſis*, ſymbolum erat *Lunae*, in quo huius virtutes et effectus venerabantur. *Lunam* vero hominibus, vti bona innumera, ita mala quoque plurima immittere, gentium omnium ſemper olim opinio fuit. Si quis furore quodam correptus, grauiter inſaniret, eius rei culpa, in Lunam, tanquam cauſam, coniiciebatur. Apud SOPHOCLEM igitur, in *Aiace flagellifero*, furor huius et dementia, Lunae attribuitur, tanquam ab illa impulſus fuiſſet v. 172. etc. Eam ob rem ipſa haec inſania v. 244. appellatur δαίμων, a Daemone quippe, ſiue Deo, Luna videlicet, ei iniecta. Id etiam vetus Poëtae huius interpres graecus ad v. 172. obſeruat τὰς πολλὰς γὰρ τῶν μαινομένων ἐκ σελήνης νοσεῖν ὑποτίθενται, διὰ τῶν νυκτερινῶν δεσπόζειν φαντασμάτων. *Plerique eorum, qui inſania laborant, morbum illum ex Lunae influxu contraxiſſe exiſtimantur, quia illa laruis ſpectrisque nocturnis praeeſt.* *Hecatae*, id eſt Lunae, id ipſum etiam tribuit EVSTATHIVS in Iliad. A. pag. 87. Τῇ δ' Ἀρτέμιδι, ταὐτὸν δ' εἰπεῖν Ἑκάτῃ, καὶ μαινίδα θύεσθαί φασι, διὰ τὸ δοκεῖν μανιῶν αἰτίαν εἶναί τισιν. ὡς οἷον εἰπεῖν τοῖς σεληνιαζομένοις. *Dianae, vel, quod idem eſt, Hecatae, maenam piſcem ſacrificari aiunt, quia videtur quibusdam eſſe inſaniae cauſa, vt exempli gratia illis, qui Lunatici dicuntur.* Hinc *Luna* ipſa apud NONNVM, *Dionyſiac.* Lib. XLIV. p. 758. Edit. graec. Plantin. ita de ſe inquit.

ſtimabant. Hinc lunatici.

— εἰμὶ δὲ μήνη
Βακχιὰς οὐχ ὅτι μοῦνον ἐν αἰθέρι μῆνας ἑλίσσω,
Ἀλλ' ὅτι καὶ μανίης μεδέω καὶ λύσσαν ἀγείρω.

— *ſum vero Luna*
Bacchias, eo quod non ſolum in aethere menſes voluo,
Sed quod etiam inſaniae praeſum, et rabiem excito.

Quod ſi iam hoc in *Tithrambone* ſua ſpectarunt Aegy-

H ptii,

ptii, nomen iſtud non ideo tantum geſſit, quod ipſa graui ira percita eſſet; verum quod aliis etiam furorem iniiceret, id enim indolem vocis huius quoque permittere, obſeruauimus §. 2. Tritum ceteroquin ſatis atque vulgatum eſt, illos, in quibus ſaeui Lunae iraſcentis effectus cum maxime conſpicui eſſent, a veteribus idcirco dictos fuiſſe σεληνιαζομένους, id eſt *Lunaticos*, quorum non ſemel in Tabulis N. Teſtam. mentionem fieri nouimus. De illis IVLIVS FIRMICVS loquitur, Matheſ. Lib. IV. cap. VII. pag. 93. *Si vero a Mercurio per diem defluens Luna ad Saturnum feratur, faciet mendicos, pauperes, pannis obſitos — Facit plerumque Lunaticos, aut ſacrarum valetudinum vitiis oppreſſos, caducos quoque, ac miſera commotione dementes.* Et MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. XVII. p. 191. *Foeminas certis afflictas morbis* Σεληνοσχήτους, *et* Ἀρτεμιδοβλήτους (id eſt *percuſſos a Luna* vel *Diana*, vel, quod idem eſt, *Hecate*) *vocant*. Placent VOSSII hac de re verba, de Orig. Idol. Lib. II. c. XIX. quae apponere non grauabor. *Haec oſtendunt, Lunae etiam vim nocendi ineſſe. Quin ex iſto Nationes vim eius diuinam colligebant: vt quae & ſui cultoribus bene facere, et negligentes ſui poſſet vlciſci. Tanto igitur magis eius metuebant iram, ne offenſa, aut elementis, aut ſatis, aut animantibus, aut familiae damnum daret.* Quae ſine dubio eorum plane perſuaſio fuit in Aegypto, qui Numen *Tithrambo* placandum ſibi atque propitiandum eſſe putarunt.

Cumprimis id tribuebatur viciſſitudinibus Lunae, ſiue plenae, ſiue decreſcen-

§. 9. Supereſt vnum, quod tacitus praeterire nequeo. *Hecaten* veteres Graeci Symbolum eſſe voluerunt Lunae, non tam generatim ſpectatae, quam quatenus illa viciſſitudinibus continuis obnoxia eſt. Etenim modo oculis noſtris plena, rotundo orbe, modo corniculata apparet, modo eam cernimus, creſcentem, modo vero decreſcentem. Eaque ratio

eſt

eſt, quod eam veteres τρίμορφον, vel *triformem* *tis. ſiue cre-* paſſim appellarent. *Gloſſae* vetuſtae *graeco latinae ſcentis.* notant. Τρίμορφος, Ἑκάτη, *Triuia.* HORATIVS Lib. III. Carmin. Od. XXII.

Montium cuſtos, nemorumque virgo,
Quae laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho
Diua triformis.

Ideoque VIRGILIVS eam appellat Lib. IV. Aen. 511.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Et APVLEIVS, ſupra iam ad teſtimonium vocatus, *horrendam Proſerpinam, triformi facie laruales impetus comprimentem.* Triformis illa Hecates facies tria illa eius ora, ſymbolice denotabant varias, quas in Luna obſeruamus, mutationes ac viciſſitudines. Sic ARNOBIVS rem hanc explicat Lib. VI. p. 196. *Luna ſemper in motu eſt, et ter denas facies in reſtitutione accipit menſtrua.* Clarius etiamnum CLEOMEDES de Meteoris Lib. II. c. V. p. 111. Edit. BALFOREI. Οἱ παλαιοὶ τρία εἶναι περὶ τὴν σελήνην σχήματα ἔφασαν, τὸ μηνοειδὲς, τὸ διχότομον, τὸ πεπληρωμένον. Ὅθεν καὶ τριπρόσωπον τὴν Ἄρτεμιν ποιεῖν ἔθος ἐστίν. *Veteres dixere, tres eſſe figuras Lunae, in cornua curuatam, dimidiatam, ac plenam. Vnde et conſuetudo eſt, trina facie Dianam effingere.* Cui iungi poterit EVSEBIVS de Praepar. Euang. Lib. III. c. XI. p. 113. Et hiſce quidem Lunae viciſſitudinibus, veteres cum maxime in acceptis ferre ſolent morbos, et mala *Lunaticorum.* Obſeruat id ISIDORVS Origin. Lib. X ſub lit. C. col. 1072. *Caducus a cadendo dictus, id eſt Lunaticus, eo quod certo Lunae tempore patiatur.* In Gloſſis PAPIAE legimus. *Lunatici dicti, quod pro Lunae curſu, comitantur eos inſidiae daemonum.* Plerique autumabant, id fieri luna creſcente, vnde apud LVCIANVM in *Toxari* p. 72. Edit. Salmur. de muliere quadam legitur. Ἐλέγετο δὲ καταπίπτειν πρὸς

τὴν σελήνην αὐξανομένην. Dicebatur etiam, quod creſcente Luna, malo caduco obnoxia eſſet. Hinc ſine dubio eſt, quod interpres Arabs Matth. IV, 24. Τὰς σεληνιαζομένους reddiderit, *ruentes in principiis lunationum* ſiue Menſium, et Matth. XVII, 15. vocem graecam *σεληνιάζεται*, ita circumſcribendo verterit, *vexatur valde in principiis lunationum*, quod opportune obſeruat VOSSIVS de orig. Idolol. Lib. II. c XIX. qui tamen ibidem haec addit. *Maxime vero plenilunio infeſtantur*, cuius rei rationem phyſicam vir doctus illic ſuppeditare nobis conatur, omniaque ex teſtimoniis veterum probat. Quibus addi poteſt MATTH. MARTINII Etymologicon, in voce *Lunaticus* pag. 228. Edit. Belgic. et iſtud Pſeudo-CLEMENTIS, in Recognit. Lib. IX. cap. 17. *Mars — Luna ſuper eum veniente plena, efficit daemoniacos*, id eſt, *lunaticos*.

Eadem cum Tithrambone videtur fuiſſe Dea Thermuthis, id eſt mortifera.

§. 10. Antequam argumentum hoc de *Tithrambone* penitus abſoluam, aliquid operae pretium fuerit addere, de *Termuthi*, cuius EPIPHANIVS, in loco, quem adduxi §. 2. coniunctim cum *Tithrambone* meminit. Verba eius ſunt. Ἄλλοι δὲ τῇ Τιθραμβῷ — ἄλλοι δὲ τῇ Θερμέθι τελίσκονται. *Aegyptiorum alii qui Tithramboni — alii vero Thermuthi initiantur.* Merito hinc colligimus, fuiſſe Numen aliquod genti Aegyptiorum patrium, quod lingua ſua *Thermuthin* dixerint. Apud IOSEPHVM Antiq. Lib. II. cap. IX. et X. Edit. nouiſſ. illa Regis Aegyptiorum filia, quae Moſen paruulum, ex aqua ſeruatum educauit *, *Thermuthis* audit, quod ſi verum fuit, foeminae illius

* ARTAPANVS ſcriptor peruetuſtus, apud EVSEBIVM, Praepar. Lib. IX. c. 27. eandem vocat *Merhin*, a qua et *Meroë*, vrbs Aethiopiae dicta fuerit. Addit ibidem *Merhin* hanc ab indigenis, non ſecus atque Iſidem coli.

lius Principis nomen tractum eſt, more Aegyptiorum, iam tum recepto, ab illa Dea, cuius videmus EPIPHANIVM mentionem iniecisſe. Vnde conſtat, lectionem nominis huius in IOSEPHO, ab HADRIANO RELANDO, viro doctiſſimo, minime fuiſſe ſollicitandum, vt quae rectiſſime ſe habeat. In Aegypto inferiori, alueus ille Nili, qui per oſtium Sebennyticum ſe in mare effundit, apud PTOLEMAEVM Geograph. Lib. IV. c. V. p. 123. aliquoties vocatur Θερμουθιακὸς, quod in verſione latina, neſcio quare ſemel iterumque redditur *Phermuthiacus*, cum ſecundum lectionem graecam, ſcribendum eſſet *Thermuthiacus*. Et hicce alueus, de quo non eſt, quod dubitem, a *Thermuthi* Dea, nomen accepit, vti nec minus, ſic enim arbitror, *Pharmuthi* menſis Aegyptiorum, qui in ipſorum anno fixo, maximam partem *Aprili* noſtro reſpondet. Etiam in Martyrologio Romano, ad d. IX. Iul. commemoratur *Patermuthius*, Martyr Alexandrinus, cuius nominis eadem ratio eſt. Deſignat enim *Thermuthiacum*, vel eum, qui *Thermuthi conſecratus* eſt, de cuius generis nominibus dixi aliquid §. 2. Si nomen Diuinitatis huius Aegyptiacum ſub examen vocemus, deprehendimus, id ſignificare θανατηφόρον, *mortiferam*, quae hominibus poenae loco mortem infligit. Nam ⲘⲞⲨ (*mu*) Aegyptiorum filiis ſonat *mori*, ⲘⲰⲞⲨⲦ (*mout*) vero eſt *mortuus*, ſed et *mori* 1 Cor. XV, 31. ⲈⲢ (*er*) porro ſenſum habet *cauſalitatis*, vel *faciendi*. Erit igitur ⲈⲢ-ⲘⲰⲞⲨⲦ (*er-mouth*) et cum nota foeminini generis Ⲑ-ⲈⲢ-ⲘⲰⲞⲨⲦ, (*M-ermout*) *quae mortem infert*, vnde Graeci, addita terminatione domeſtica, fecerunt *Thermuthin*. Vel potius dixero, nomen hoc compoſitum eſſe ex ⲘⲞⲨ (*mu*) *mori*, et ⲈⲢ (*er*) quod, vt dixi, ſenſum

cauſalitatis, et *faciendi* habere ſaepius ſolet; ſed nonnunquam etiam plane otiatur, et nihil ſignificat. ⲉⲣⲙⲟⲩ igitur recte verti poteſt *mori* Porro ϯ (*ti*) ſignificat *dare*. Eſſet itaque ⲑ-ⲉⲣ-ⲙⲟⲩϯ *Thermuthi*, vel addita terminatione graeca, *Thermuthis*, Dea, *quae mortem dat*, vel *infert*, aut *mortifera*, θανατι φόρος. Poteſt ex his perſpici, fuiſſe *Thermuthin* tale Aegyptiis Numen, quod putabatur, homines debitis poenis afficere, ipſisque pro merito mortem infligere. Et tale quid ſubindicare *Titbrambonis* quoque nomen, ea quae in ſuperioribus, hanc in rem adduximus, palam faciunt.

Eius ſymbolum erat, quaedam aſpidum ſpecies, prae ceteris mortifera, dicta etiam Thermuthis.

§. II. Quod ſi vero AELIANVM audimus, non tam Iſidi ipſi nomen *Thermuthi* fuit, quam potius aſpidi illi, quae tum in Iſidis, tum in aliorum deorum Aegyptiorum capitibus, ceu ornamentum ſingulare, conſpicitur. Ita enim is Lib. X. de Animal. c. 31. Τὴν δὲ Θέρμουθιν ἀσπίδα, ἣ ὄνομα αἰγύπτιοι ἔθεντο τοῦτο, ἱερὰν εἶναί φασι, καὶ σέβουσιν αὐτὴν οἱ ἐκεῖθι, καὶ τῆς Ἴσιδος τὰ ἀγάλματα ἀναδοῦσι ταύτῃ, ὥς τινι διαδήματι βασιλείῳ. *Aſpidis genus vnum Thermuthin Aegyptii nominant. Hanc ſacram eſſe aiunt, et ſumma religione colunt. Itaque ea Iſidis ſimulacra, tanquam regis quodam diademate coronant.* Et notum ſatis eſt, ex Aegyptiorum, quae ſuperſunt, monumentis, Iſidis ſimulacra, aſpide, tanquam decoramine praeſtanti, ornari ſolere. Ideoque Deam hanc OVIDIVS ſic alloquitur Lib. II. Amor. Eleg. XIII.

Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verenda
Sic tua ſacra pius ſemper Oſiris amet
Pigraque labatur circa donaria ſerpens.

Idem aſpidem hancce ita depingit *Metam*: Lib. IX. 687.

— inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flauentia auro,

Et regale decus — et mox
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

Quibus, vt alia iam omittam, iungi poſſunt haecce VALERII FLACCI, Argonaut. Lib. IV. 416.

— haec procul Io
Spectat ab arce Phari, iam diuis addita, iamque
Aſpide cincta comas —

Qui tamen vetuſta gentis Aegyptiae monumenta; ac vel vnam *Tabulam Bembinam* quae vulgo *Iſiaca* vocatur, oculo attento contemplatur, eum fugere non poterit, non Iſidis tantum; ſed reliquorum etiam in Aegypto Numinum capita, aſpidis figura exornari conſueuiſſe. Idque videmus etiam ab HORAPOLLINE monitum Hieroglyph. Lib. I. c. I. qui tamen obſeruat, ſerpentem huius ſpeciei Aegyptiis dici *Vraeum*, vel; vt alii codd. habent, *Vbaeum*, qua de re plura diſſerendi locus hic non eſt. Sed ab hoc ſiue *Vraeo*, ſiue *Vbaeo*, diuerſa fuiſſe videtur *Thermuthis* AELIANI, quae ſimulacris forte ſolius Iſidis, et, vt ego quidem exiſtimo, quibusdam tantum, propria fuit. Quando nempe Aegyptii Iſidem, vt iratam ſcelerum vindicem, oculis populi ſiſtere volebant, capiti illilius aspidem adiungebant, quae peculiari nomine *Thermuthis*, id eſt *mortiferae* deſignabatur. Hanc, vt veroſimile eſt, OVIDIVS in animo habuit, vbi eam vocat *pigram*, deque ea etiam canit

Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni

Dum vocat *peregrinam*, ſatis innuit, eam Aegyptiorum regioni extitiſſe propriam. Quamobrem vero Aſpidibus his, nomen *Thermuthis*, id eſt *mortiferae*, impoſitum fuerit, AELIANVS nos docet Lib. VI. c. 38. *Inuictum huius ſerpentis venenum eſt — Amplius quatuor horas, quos momorderint, viuere non poſſunt.* Vide eundem Lib. IX. c. 11. 62. et PLVTARCHVM in vita Antonii p. 955. Adde HORAPOLLINIS Hieroglyphica

phica Lib. I. c. 1. et LVCANVM Pharſal. Lib. IX. 700. etc. Rationem vero, propter quam *mortifera* haec aſpis, Iſidi ſingularem in modum conſecrata fuerit, AELIANVS ita explicat Lib. X. c. 31. *Dicunt Iſidem aſpidem eam ſceleratiſſimis hominibus immittere*, et paulo ante aſpidem hanc, vt *iuſtitiae perſpicaciſſimae Symbolum*, nobis repraeſentauerat. An igitur haec Iſis, non eadem eſt clariſſime cum *Tithrambone*, irata ſcelerum vindice? ſed quatenus eam Aegyptii, a peculiari Aſpidis mortiferae ſymbolo, etiam *Thermuthin*, id eſt *mortiferam* cognominarunt.

§. 12. Ex omnibus, quae hucusque diſputauimus, facile eſt colligere, *Tithrambonem*, et, vti auguror, *Termuthin* etiam, eſſe Lunam, quam Aegyptii ſub *Iſidis* nomine reuerebantur, quatenus varias continuo viciſſitudines ſubit, ſupremumque Numen his ipſis illius viciſſitudinibus vtitur, ad homines, ira ſua et poena dignos, pro meritis caſtigandum, et ſic in viam meliorem reducendum. Id enim loca, §. 7. illata liquido docent. Vti vero *Iſis* nomen ſymbolicum Aegyptiis erat, quo vim eius atque poteſtatem in genere, et quidem vim eius beneficam proprie adumbrarent, ita iidem Numen hocce Lunae, ſub alio, *Bubaſteos* nempe, nomine colebant, quando nempe diuerſas illius mutationes ac viciſſitudines, earumque effectus mente contemplabantur, quod Libro III. pluribus adſtruemus. Eſt igitur *Tithrambo*, et conſimiliter, vti mihi perſuadeo, *Termuthis*, Aegyptiorum *Bubaſtis*, ſiue Luna, faciem continuo immutans; ſed quatenus per has ipſas mutationes, ſcelera quoque hominum vlciſcitur, deque ipſorum criminibus vindictam ſumit. Id vox Aegyptiaca *Tithrambo*, vt §. 2. eam explicuimus, manifeſto vnumquemque docet. Id Graecorum quoque Hecate ſymbolice deſignat, de quo neminem dubitare ſinunt, quae eam in rem, adductis teſtimoniis veterum plurimis, §. 5. et 6.

et 6. adſtruximus. Et hanc *Tithrambonem*, ſi recte coniicio, *Tabula* Bembina, vel *Iſiaca*, nobis in imagine exhibet, ſegmenti primi Figura illa, quae in Editione *Friſii* Amſtelodamenſi, litera L. inſignita eſt, qua de re plura forte aliquando ad ipſam Tabulam dicemus. Sed repetendum tamen hic, quod in antecedentibus toties aſſeruimus, Aegyptios, nimirum veſtutiores, Solem et Lunam conſideraſſe, vt corpora admirandae magnitudinis, pulchritudinis, et praeſtantiae, a Spiritu quodam infinito, aliquando creata, et quae Spiritus ille vniuerſi etiam ſemper permeat, viuificat, ad motum excitat, ipſeque movet, ex qua genuina antiquorum Aegyptiorum doctrina, per ſe conſequitur, effectus Lunae omnes, re ipſa referendos eſſe ad ſupremum illum et infinitum Spiritum, qui corporibus coeleſtibus non aliter atque inſtrumentis vtitur, per quae decreta voluntatis ſuae executioni mandat. Vnde tandem pateſcit, *Tithrambonem* ſymbolum aliquod eſſe irae iuſtae, quae ſupremo Numini ineſt, ſecundum quam peccata hominum poenis debitis coërcet.

DE DIIS AEGYPTIORVM LIBER II.

qui eſt

De Diis viſibilibus et ſenſibilibus, ac ſpeciatim Sole, iisque, qui ad Solem referuntur.

CAP. I.

De Oſiride, magno Aegyptiorum Numine, id eſt Sole.

§. I.

Tranſitio a Numine Spirituali, ad Numina materialia et ſenſibus obnoxia.

Superiori libro diſſerui ex mente Aegyptiorum veterum, de Principio rerum omnium paſſiuo, nimirum Nocte, et Principio rerum actiuo, Spiritu aeterno infinito, qui ex nocte omnia creauit, rebusque creatis prouidet. Spiritum hunc vnum, modo ſub notione Maris, modo ſub notione Deae foeminae repraeſentabant, etſi tamen vtrumque naturae eſſe Maſculo-foemininae praedicarent, eidemque pro variis illius attributis, variisque ad mundum relationibus, varia etiam et diuerſa nomina imponebant. Tranſeundum nunc mihi eſt ad Numina gentis Aegyptiacae materialia, ſenſibus obnoxia et viſibilia, quae hanc ipſam ob cauſam, a plebe ſuperſtitioſa cultum impetrarunt, ſoli Enti infinito debitum, eumque valde operoſum. Nam cultui horum Numinum, cuncti in Aegypto, ſequiori praeſertim tempore, tam impenſe, et ſine intermiſſione dediti erant, vt inter ſcriptores meliores, quos tulit antiquitas, plerique

in

in ea eſſent opinione, Aegyptios praeter Deos αἰσθητὰς, oculis ſenſuque percipiendos, alios plane non colere. Vide Lib. I. c. II. §. 5. Nempe Numina haec omnibus bene cognita, omnibus clara et ſacroſancta, inque omnium ore erant: illis preces, vota, laudesque offerebant, in illorum honorem Templa ſplendida aedificabant, diesque feſtos inſtituebant, dum interea cultus ceterorum Deorum, de quibus Lib. I. dixi, eorumque religioſa veneratio, in vniverſum negligeretur, aut gentis illius Philoſophis atque prophetis tota fere relinqueretur. Quando igitur ad Numina Aegyptiorum, oculis et ſenſu percipienda, nunc iam accedo, illisque explicandis et illuſtrandis, operam meam qualemcunque impendo, ampliſſimum profecto campum mihi aperiri video, quem ſine difficili labore emetiri non licebit. Quoniam tamen alea iacta eſt, faciam quod poſſum. Vt vero ordine aliquo certo et commodo progrediar, hoc quidem Libro ea Aegyptiorum Numina excutiam, quae ipſi ad Solem referebant, *Oſiridem* nempe, *Ammonem*, *Herculem*, *Horum*, *Serapidem* non Ponticum, ſed veterem Aegyptium, *Harpocratem* et *Mendetem*. Libro deinde ſecuturo, diſputabitur de *Iſide* vel *Luna*, aliisque Numinibus, quae cum illa coniungenda et ad eam referenda eſſe voluerunt Aegyptii, vti et de quinque reliquis Planetis. Liber, qui hunc excipiet, ſiſtet nobis Numina illa, in quibus Aegyptii fertilitatem et beneficia Nili celebrare atque religioſe venerari voluerunt, Vltimus liber reliquos gentis huius deos complectetur.

§. 2. Primum inter Deos Aegyptiorum viſibiles, locum ſine controverſia ſibi vindicant Aſtra Cœli, quod ex ipſa S. Scriptura ſatis probari poteſt, et inter reliqua Aſtra, Sol atque Luna, exercitus illius coeleſtis, veluti rex et regina. De antiquiſſimis Aegypti incolis DIODORVS *Siculus* haec perhibet Lib. I.

Inter Deos materiales Aegypti, primum locum tenent Aſtra Coeli, ac inter haec

p. 10.

reliquis praesunt Sol et Luna. p. 10. ſq. *Vetuſtiſſimi in Aegypto mortales, mundum ſupra ſe contemplati, et non ſine ſtupore demirati vniverſi naturam, duos eſſe deos exiſtimarunt, aeternos et primos, Solem et Lunam, quorum iſtum Oſirim, hanc Iſin appellarint. — Hos Deos Mundum vniuerſum gubernare ſtatuunt, nutrientes et augentes omnia — horumque naturam Deorum plurimum conferre ad generationem omnium — ideoque totum naturae vniuerſae corpus Sole et Luna conſummari.* Eadem de gentis huius Theologia obſeruat EVSEBIVS, rerum omnium huius generis ſolertiſſimus indagator, *Praepar. Euang.* Lib. III. c. 4, *Vni duntaxat Soli mundi molitionem tribuerunt Aegyptii. Solis Aſtris rerum vniuerſarum cauſſam aſſignarant, ex fati neceſſitate, Siderumque motu et agitatione cuncta ſuſpendentes; quae quidem opinio apud illos hodieque vim ſuam retinet.* Concinit his SEXTVS Empiricus, cuius haec verba legimus Lib. V. aduerſus Mathem. p. 343. Edit. *Fabricii. Septem ſtellarum praecipuas eſſe putant Chaldaei Solem et Lunam: minorem autem his vim habere ad eventuros effectus, quinque reliquas. Quam ob cauſam Aegyptii regi quidem et dextro oculo Solem aſſimilant: reginae autem et ſiniſtro oculo Lunam: lictoribus ac ſatellitibus quinque ſtellas: reliquo autem populo alias inerrantes.* Et certe Aegyptios antiquiores, tempore, quo apud ipſos Iſraëlitae hoſpitabantur, Solem iam coluiſſe ſub nomine ⲣⲱ ⲙ̀ⲫⲉϩ, *Ro-inphah*, id eſt *regis coeli*, iam pridem * pluribus adſtruxi. Eoſdem vero Lunam ſplendido titulo מלכת השמים, *reginae coeli* honoraſſe, docet nos Sacer Vates IEREM. cap. VII, 18. et XLIV, 17. Cumque non in omnibus Aegypti partibus, iidem Dii ab omnibus ſacro cultu exciperentur, in eo tamen incolae illius regionis omnes ſemper conſen-

*) In *Remphah illuſtrato.*

conſenſerunt, vt Oſiridem ſiue ſolem, Iſidemque ſiue Lunam, diuinis honoribus afficerent, quod HERODOTVS teſtatur ſcriptor longe vetuſtiſſimus Lib. II. c. 42. Et profecto ad hos reliqui gentis illius Dii omnes atque ſinguli, loquor autem de viſibilibus corporeisque, iure merito referri poterant. Ea ſine dubio ratio effecit, vt PLVTARCHVS librum, quo vniuerſam Aegyptiorum Theologiam, et diuerſas eorum de Diis ſuis patriis opiniones explicare voluit, de *Iſide et Oſiride* inſcripſerit. Rei adeo tritae et vulgari diutius non inhaerebo. Pergo potius ad ipſum *Oſiridem*, ſiue *Solem*, in cuius Numen, poteſtatem, ac nomen Aegyptium, hoc capite inquirere animus eſt.

§. 3. *Oſiridis* nomine et Numine, Sacerdotes et Philoſophos Aegypti, nihil aliud quam *Solem* ſignificare voluiſſe, multis modis probari poteſt. Idque ex iis, quae attulimus §. 2. ſic iam ſatis intelligi poteſt. Sed et idem conceptis verbis teſtantur multi, rerum Aegyptiacarum inprimis periti. DIODORI eam in rem verba deſcripta videri poſſunt §. 2. DIOGENES LAERTIVS in Prooemio §. 10. vbi compendium quoddam Philoſophiae Aegyptiorum tradit, et haec habet, *Solem et Lunam Deos eſſe, alteram Iſim appellatos.* Ita MACROBIVS quoque Saturnl Lib. I. c. 21. *Nec in occulto eſt, neque aliud eſſe Oſirin, quam Solem, nec Iſim aliud eſſe, quam terram.* Et pauculis interiectis. *Hinc Oſirin Aegyptii, vt Solem eſſe aſſerant, quotiens hieroglyphicis literis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum, inque eo ſpeciem oculi,* (confer cum his SEXTI verba §. 2. adducta) *et hoc ſigno Oſirin monſtrant; ſignificantes hunc Deum eſſe ſolem, regalique poteſtate ſublimem cuncta deſpicere: quia Solem Iouis oculum appellat Antiquitas.* Ad eundem modum MARTIANVS CAPELLA in

Sol Aegyptiis ſymbolice dicebatur Oſiris.

illo in Solem hymno, qui extat Lib. II. p. 43. ita etiam canit.

Regnum Naturae, decus atque aſſertio diuum:
Mundanuſque oculus, fulgor ſplendentis Olympi
Solem te Latium vocitat, quod ſolus honore
Poſt Patrem ſis lucis apex — et poſt pauca
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Poſſem hiſce integram adhuc teſtium nubem adiungere; Sed quid opus eſt pluribus, in re eruditorum nemini ignota? Non equidem ignarus ſum, Numen *Oſiridis* etiam ad res longe alias trahi, et a diuerſis diuerſimode explicari. Sed haec opinionum diuerſitas, dummodo omnia iuſta lance trutinentur, neque ſententiae, quam hic adſtruo, detrimenti aliquid adfert, neque ſacerdotes Aegypti, inconſtantiae aut ignorantiae arguit. Nam non ab omnibus placita ipſorum ſemper recte intellecta et diiudicata fuiſſe conſtat. Et poſſunt etiam, quae primo intuitu pugnare inter ſe, et vehementer diſcordare videntur, facile et amice, nec inuita veritate, conciliari.

Veteres Oſirin dicunt eſſe Nilum, ſed cum reſpectu ad Solem.

§. 4. Sunt eruditorum non pauci, qui *Oſiridem* Aegyptiis nihil aliud, quam *Nilum* deſignaſſe velint, fluuium, cui fertilitatem ſuam proſperitatemque omnem Aegyptus debet.* PLVTARCHVM hoc non latuit, qui in libro *de Iſide et Oſir. p. 363. ſunt*, inquit, *qui dicant, — apud Aegyptios Oſiride intelligi Nilum, qui cum terra, quam Iſis deſignat, coëat.* Plura eundem in

* Vide tamen, ſis, STATIVM Thebaid. I. v. 718. et ibidem LVTATIVM, et eundem ad v. 265. PLVTARCHVM de Is. et Oſir. paſſim, praeſertim p. 371. 372. PORPHYRIVM apud EVSEBIVM, Praepar. Lib. I. c. 10. et EVSEBIVM ipſum Lib. III. c. 2. p. 87. ex MANETHONE Sacerdote Aegyptio. etc.

in ſenſum, occurrunt in eodem libro. LVCIANVS eo quoque digitum intendit, quando in *Ioue Tragoedo*, (Operum Tom. II. p. 223. Edit. Salmur.) haec ſcribit. Αἰγύπτιοι, ὕδατι θύουσι: * καὶ τὸ μὲν ἅπασι κοινὸν τοῖς αἰγυπτίοις τὸ ὕδωρ. Ἰδίᾳ δὲ Μεμφίταις μὲν ὁ βοῦς θεός. Πηλουσιώταις δὲ κρόμμυον. *Aegyptii ſacrificant aquae; Et aqua quidem** communis omnibus eſt Deus. Memphitae vero peculiariter taurum colunt, Peluſiotae vero cepam.* Quia ſcriptor hic perelegans de aqua, Nilo nempe flumine, affirmat, quod ab omnibus per totam Aegyptum pari religione colatur, ſatis prodit, ſe de Oſiride, Numine Aegyptiis cunctis ſanctiſſimo, hoc intellectum velle. Vide §. €. Quinimo ſi † SCALIGERVM, et †† SELDENVM viros ſummos, audiendos eſſe hic cenſemus, *nomina Nili et Oſiris ſunt ſynonyma*, id eſt, verum Nili nomen Aegyptiacum erat *Oſiris*, ſolo tantum demto O, nam *Siris* vocabatur *Nilus*. Verum haec longe aliter ſe habere, liquido oſtendemus Lib. IV. Quando autem Aegyptii in Sacris ſuis *Nilum* nonnunquam *Oſiridis* nomine inſigniebant, quod non negaverim, nihil aliud quam hoc ſibi volebant, et Nilum ipſum, et admiranda eius, tempore aeſtiuo, incrementa, quae auſpicatam toti Aegypto fertilitatem pollicebantur; donum eſſe *Oſiridis*, id eſt *Solis*, ac beneficium nunquam ſatis praedicandum. Ita, et optime, rem explicat, EVSEBIVS Praepar. Lib. III. c. XI.

* Vide et AELIANVM de Animal. Lib. X. c 46. ORIGENEM contra Celſum Lib. V. p. 257. EVSEBIVM Praeparat. Lib. III. c. II. HELIODORVM in Aethiop. Lib. IX p. 424.

** Ita verba haec legenda eſſe auguror, quae in Editione, qua nunc ſola vtor, Salmurienſi, inquinate edita ſunt.

† De Emendat. Temporum p. 370.

†† De Diis Syris Syntagm. I. cap. IV. p. 147.

c. XI. fin. Ὄσιρίς ἐστιν ὁ Νεῖλος, ὃν ἐξ Οὐρανοῦ καταφέρεσθαι οἴονται. *Oſiris eſt Nilus, quippe quem originem † ex Coelo ducere opinantur.* Ita et PLVTARCHVS Sympoſiac. Lib. VIII. Quaeſt. VIII. p. 729. de Aegyptiis obſeruat. Νεῖλον τὸν πατέρα καὶ Σωτῆρα τῆς χώρας, καὶ Ὀσίριδος ἀποῤῥοὴν ὀνομάζουσι. *Nilum patrem ac ſeruatorem ſuae regionis, et defluxum Oſiridis nominant.* Quae idem †† aliis quoque locis repetit. Haec igitur eſt ratio, ob quam Nilum ſuum Oſiridem eſſe, nonnunquam dicerent Aegyptii.

Alii Bacchum interpretantur; ſed etiam cum reſpectu ad Solem.

§. 5. Alii vero, et numero quidem multo plures, *Oſiridem* malunt *Bacchum* interpretari. Agmen eorum ducit ipſe HERODOTVS, Hiſtoricorum graecorum omnium, quos tulit aetas, antiquiſſimus, qui Lib. II. c. 42. de Aegyptiis inquit. Ὄσιριν Διόνυσον εἶναι λέγουσι. *Oſirin Bacchum eſſe aiunt.* Sic idem Libro eodem cap. 144. DIODORVS *Siculus* Lib. I. pag. 11. obſeruat, multos ex Graecorum Mythologis idem facere, eamque in rem verſum hunc *Orphicum* de Oſiride affert, quem etiam alii ſaepe citant.

* Τοὔνεκά μιν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον
Ergo vocant ipſum Phanetem et Bacchum

** Aliorum, qui hos aut imitantur, aut cum illis loquuntur, loca plura hic congerere ſuperuacaneum duco. Neque tamen idcirco exiſtimandum eſt, Graecos

† Hinc Aegyptii exundationem Nili ſymbolice adumbraturi, pingebant etiam *Cœlum aquam copioſe effundens.* HORAPOLL. Lib. I c. 21.

†† In libro *de Iſ. et Oſir.* p. 365. et iterum p. 366.

* Imitatus eſt auctorem huius verſus AVSONIVS Epig. 28. et 29. Verum ibi non ſatis emendate legitur φανάκα pro φανήτης, et mox *Phanacen* pro *Phaneten.*

** PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. pag. 362. 364. EVSEBIVS Praepar. Lib. III. cap. XI pag. 115. SERVIVS in Virgilii Georgica Lib. I. 166. et plurimi alii.

coſ illos, qui *Oſiridem* Aegyptiorum cum *Baccho* ſuo componunt, eo ipſo inficias ire voluiſſe, Oſiridem Aegyptiis ſymbolum eſſe Solis ſacroſanctum. Sed cum inter fabulas Graecorum de Baccho, et traditiones Aegyptiorum de Oſiride, vti nec minus inter ſacra vtriusque Numinis, hinc in Graecia, illinc in Aegypto inſtituta, conuenientiam non leuem deprehendiſſe ſibi viderentur, more Graecis perquam familiari, Oſiridem Aegyptium eundem eſſe cum Baccho ſuo, affirmarunt. Nota ſunt, quae de peregrinationibus Bacchi, per totum orbem ſuſceptis, et de ingentibus eius in tot populos collatis beneficiis, in Graecorum fabulis commemorata olim legebantur, et quae NONNVS Panopolita in *Dionyſiacon* libris prolixe perſecutus eſt. Non diſſimilia his, ſacerdotes Aegyptiorum, in ſuis ἱεϱοῖς λόγοις, de itineribus Oſiridis, et de bonis ac commodis in gentes cunctas vbique liberali manu collatis, tradere ſolebant, de quibus videri poteſt DIODORVS *Siculus* Lib. I. pag. 15. 16. 17. et PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 356. etc. Nec tamen fabulis hiſce de Oſiride ſuo, Aegyptiorum ſacerdotes aliud innuere voluerunt, quam quod de ſole Hieropſaltes praedicat Pſalmo XIX, 6. 7. *Similis eſt ſponſo exeunti e conclaui ſuo, gaudet ſicut heros ad currendum viam. A fine coelorum eſt exitus eius, et circuitio eius ad fines eorum: nec eſt a calore eius occultatum quicquam.* Myſtica porro Bacchi ſacra, ab antiquiſſimis haud dubie temporibus, in Graecia inſtituta, Sacris in memoriam et honorem Oſiridis, in Aegypto peragi ſolitis, perquam ſimilia ſunt, vti ex his MACROBII Lib. I. in Somn. Scipionis c. XII. intelligi poteſt: *Ipſum autem Liberum patrem Orphaici νȣν ὑλικὸν ſuſpicantur intelligi. — Ideo in illorum ſacris traditur Titanio furore in membra diſcerptus, et fruſtis ſepultis rurſus vnus et integer emerſiſſe.* Quibus conſonant haec SERVII in Virgilii Georg. Lib. I. 166.

Hinc eſt, quod dicitur, Oſiridis membra a Typhone dilaniata, Iſis cribro ſuperpoſuiſſe. Nam idem eſt Liber pater in cuius Myſteriis vannus eſt, — quem Orpheus a Gigantibus dicit eſſe diſcerptum. Denique Orphici atque Myſtae; in quorum traditionibus latent placita et praecepta Theologiae Graecorum antiquiſſimae, Bacchum nihil aliud eſſe dictitabant, quam Solem. Quam in rem multa, ex priſca illa Graecorum Theologia allata videri poſſunt apud MACROBIVM Saturn. Lib. I. c. 18.

Aegyptii non credebant, Oſirin eſſe inuentorem et datorem vitis.

§. 6. Non inuitus tamen fateor, Graecos quosdam Theologiae Aegyptiacae non aeque peritos, atque videri volebant, comparatione hac inter Oſiridem Aegyptiorum, Bacchumque Graecorum, non vſos modo, verum etiam abuſos eſſe. Quandoquidem inaudiuerant atque legerant, Oſiridem eſſe Aegyptiorum Bacchum, ita videntur collegiſſe, recte ad Oſiridem transferri poſſe, quaecunque Graeci de ſuo Baccho commenti eſſent. Itaque inuentionem et culturam vitis * Oſiridi eodem modo in acceptis ferunt, atque Baccho ſuo Graeci. Eos ſecutus TIBVLLVS, de Oſiride ita canit Lib. I. Eleg. VIII.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertae commiſit ſemina terrae
Pomaque non notis legit de arboribus
Hic docuit teneram palis adiungere vitem
Hic viridem dura caedere falce comam.

Verum qui Oſiridem vitis inventorem faciunt, non ſane animaduertunt, quantum aduerſus religionem Aegyptiorum piaculum committant. Illa enim docebat

* DIODORVS Siculus Lib. I. pag. 14. 15. MARTIANVS CAPELLA Lib. II. p. 39.

cebat atque inculcabat ſedulo, vino ineſſe aliquid peſtiferi, neque illud tam a Deo, quam a genio malo, Diis hominibus inimico, ortum duxiſſe. Docet id PLVTARCHVS in loco memorabili *de Iſ. et Oſir.* p. 353. Ait enim * ante Pſammetichi regis aetatem, Aegyptios neque bibiſſe, neque etiam diis libaſſe vinum, ὡς οὐ φίλιον θεοῖς, ἀλλ' ὡς αἷμα τῶν πολεμησάντων ποτὲ τοῖς θεοῖς, ἐξ ὧν οἴονται πεσόντων καὶ τῇ γῇ συμμιγέντων ἀμπέλους γενέσθαι. *Tanquam Diis non gratum, ſed ſanguinem eorum, qui aliquando bellum Diis intuliſſent, ex quorum in bello cadentium cadaueribus, terrae permixtis, putant vites ortas.* In eo igitur Theologia Aegyptiorum ab illa Graecorum toto coelo differebat, etſi tamen placitum hoc Graecis adeo peregrinum, non Aegyptiis proprium fuerit et peculiare, ſed omnibus Orientalium ſacerdotibus Philoſophisque oppido commune et familiare. Graeci, et rectius omnino, praeeunte S. Scriptura, vinum in pretio ac honore habebant, tanquam donum excellens Optimi Numinis, ab eo ex terra productum, ad homines recreandum. At Philoſophi Orientales, vice verſa, vinum vt creaturam, natura ſua malam, auerſabantur, illudque non niſi a ſpiritu improbo, hominibusque inimico, in horum perniciem produci potuiſſe, firmiter tenebant. Tantum forte apud eos potuit traditio de Noacho et Chamo, quam maiores ipſorum ſatis diu videntur ſollicite cuſtodiuiſſe. Quicquid ſit, res ipſa haec, quam aſſerui, certa eſt, vtque eam hic extra omnem dubitationis aleam collocem, non poenitebit, aliquantulum e via euagari. De Aegyptiis vidimus. Alia non erat Magorum in

* Videtur quidem his aduerſari Scriptura Geneſ. XL. 1. 5. 9--13. 20. 21. ſed facilis ſuppetit reſponſio, qua de re loco agemus, magis opportuno.

Perſia ſententia, vnde de Magis ipſis, id eſt Perſarum finitimarumque gentium ſacerdotibus ac Philoſophis, CLEMENS *Alexandrinus* obſeruat, Stromat. Lib. III. p. 446. *quod ipſis curae fuerit a vino abſtinere.* Neque vero huius inſtituti ſui aliam reddebant rationem, quam Aegyptii. Inde enim eſt, quod Maneti, famoſiſſimo haereſiarchae, qui Magorum placita philoſophica cum doctrina fidei Chriſtianae infeliciter compingere voluit, iſta obiiciat AVGVSTINVS, *de moribus Manichaeorum* * Lib. II. §. 44. *Quae tanta peruerſio eſt, vinum putare fel Principum tenebrarum, et vuis comedendis non parcere?* Ecce tibi Magos, docentes, vinum eſſe fel Principum tenebrarum, ſiue ſpirituum malorum. Quid quaeſo doctrina haec, ab illa Aegyptiorum differt? Ex iisdem fontibus Philoſophia Orientalium, Gnoſticos permulta placita decerpſiſſe, apud doctos omnes hodie in confeſſo eſt. Eorum propago ſunt Seueriani, quorum et hocce delirium EPIPHANIVS annotauit Haereſi XLV. §. 1. *Serpens a coeleſti virtute in terram deiectus, libidinis ſtimulis percitus, cum terra ceu muliere quadam coiit. Quo ex ſatu vitis pullulauit.* Ad quae EPIPHANIVS haec reponit §. 2. *Enimvero vitis nequaquam eſt e diabolo conſita, neque ex ſerpentis ſemine procreata.* An non et hic agnoſcitur ipſiſſima Aegyptiorum fabula ſacra? Iam facile perſpicitur, quo ſenſu *Encratitae*, Tatiani in Syria diſcipuli, qui cum Magiſtro ſuo ex eadem ſchola prodierunt, *vinum* dixerint *diabolicum*, apud EPIPHANIVM Haereſi XLVII. §. 1. qui de iisdem §. 2. addit, quod ad tuendum tum abſurdam ſententiam, *abutantur Scripturae locis, ac voces aucupentur, quibus a Daemone profectum iſtud ipſum demonſtrent.* A doctrina hac non

* Opp. Tom. I. col. 732. Edit. Benedictin.

non in vniuerſum alieni fuerunt Veteres Arabes, inter quorum traditiones, atque Gnoſticorum praecepta, mirificam ſaepiuſcule conſpirationem deprehendi. Ab his ſuis maioribus et magiſtris, de quo non dubito, accepit Muhammed, quae in *Corano* nonnihil tamen emollita ſuis praeſcribit, Sura V. comm. 99. *Certe vinum, et alea, et ſtatuae et ſagittae, ſunt abominatio ex opere Satanae.* Non moror fabulas Muhammedanorum *, de occaſione, quae Pſeudo Prophetae, ad legem hanc ferendam, ſe obtuliſſe perhibetur. Nam, vti ex anecdotis WARNERII ſcriniis obſeruat FR. SPANHEMIVS in Hiſtor. Chriſtiana Secul. VII. col. 1206. Arabes iam ante Muhammedis aetatem *a vino abſtinuerunt*, quod vtique de perfectioribus, Philoſophis, et cultui Deorum dedicatis, intelligendum eſt. Nam et his fere tantum, Gnoſtici ac Manichaei, vſu vini interdicebant. Confirmat illam de antiquioribus Arabibus obſeruationem, DIODORVS ipſe, qui de Arabibus Nabataeis teſtatur Lib. XIX. p. 730. Νόμος ἐςὶν αὐτοῖς — μήτε οἴνῳ χρῆσθαι, μήτε οἰκίαν κατασκευάζειν. *Lex apud illos eſt — nec vino vti, nec conſtruere domum.* Non aliam de vino ſemper, in hodiernum vsque diem ſententiam fouerunt Indorum Brachmanes, quod ex tot relationibus recentiorum, qui oras illas emetiri ſunt, et cumprimis piorum e Dania Miſſionariorum, abunde perſpicitur. Vnde IOH. OVINGTONVS Anglus, qui aliquamdiu Indorum et Brachmanum conſuetudine vſus eſt, ipſos inter, veteresque Manichaeos, hanc inſtituit comparationem **. *Vinum abominantur, et*

 odio

* Vide HERBELOTII Biblioth. orient. artic. *Othman*, fol. 696.

** In hiſtoria peregrinationis ſuae, Tom. I. p. 308. verſionis Gallicae.

odio non minori proſequuntur, atque Manes, qui illud dicebat ſanguinem diabolorum. Ita in hoc dogmate, vna tantum fuit totius Orientis doctrina atque ſententia. Ad eam credo alluſiſſe Androcydem Philoſophum, quando teſte PLINIO Lib. XIV. c. 5. ad Alexandrum Macedonem, Magorum Indorumque placitis iam aſſuetum, in haec verba ſcripſit. *Vinum potaturus rex, memento, te bibere ſanguinem terrae.* Haec igitur cum fuerit perſuaſio et Aegyptiorum, et Orientalium penitus omnium, fieri certe non potuit, vt Aegyptiorum Theologi, ad Oſiridem, Deorum omnium quotidie ab omnibus cultorum, optimum et maximum, inuentionem et culturam vitis referrent. Et contrarium re ipſa docet PLVTARCHVS.

Salmaſii ſententia, Oſiridem eundem eſſe cum Baccho Graecorum, excutitur.

§. 7. SALMASIVS, qui, cum librum *de annis Climactericis* conſcriberet, aliquos in ſcientia linguae Copticae progreſſus fecerat, ex ipſo *Oſiridis* nomine Aegyptiaco, ſummam Numinis huius cum Baccho Graecorum, conuenientiam adſtruere anniſus eſt. Quare hanc eius ſententiam, nominisque Oſiridis originationem Aegyptiacam, tacitus praeterire non poſſum. Sic autem ille in libro, quem nominaui, pag. 566. 567. *Σηρί vel Σιρὶ Aegyptiis eſt filius. Inde a Σιρὶ, cum articulo, ὀυσιρὶ, qui Graecis ὄσιρις; nempe quem Graeci κοῦρον, Latini Liberum. Liber et Libera, κοῦρος et κούρη, filii Cereris ſiue Iſidis, quae δημήτηρ Graecis, quia Aegyptiis Ἴσι eſt mater.* Quam non multa pauculis hiſce verbis vir ſummus complexus eſt? quae, ſi vera eſſent, nouam profecto, Mythologiae, tum Graecorum, tum Aegyptiorum, lucem affundere poſſent. At nuda, ſed blanda, quaedam veri ſpecies, doctum hocce caput a veritate omnino abduxit. Exiſtimat, *Oſirin* Aegyptiis ſonuiſſe ⲞⲨϢⲎⲢⲒ, (*Vſcheri*) id eſt *filium.* Quare? Quia Iſidis filius erat. Sed quale hoc quaeſo nomen eſt, ex

ratione

ratione Sacrorum, Numini Auguſto, a gente ſuperſtitioſa quidem; ſed ſapientiae non experte, inditum? An non eadem de cauſa, alii quoque Dii, ex matribus editi, quarum erant *filii*; nomine eodem erant compellandi? Similium enim, ſimilis eſt ratio. Sed, ſi Salmaſio fides, *Oſiris* tamen idem erat, qui *Bacchus*, et hic apud Graecos dicebatur κοῦρος, quia erat Cereris filius, ſicut eadem de cauſa Romani eum appellabant *Liberum*, et ſororem eius *Liberam*. At profecto verum non eſt, κοῦρον, quando ſic appellatur Bacchus, ſignificare *filium*; verum *puerum*, qui aetatem infantilem et puerilem nondum exceſſit. Eodem ſenſu * κοῦρος, dicitur etiam de Diis aliis adhuc infantibus. Nomen igitur κούρου bene expreſſit OVIDIVS de Baccho loquens, Metam. Lib. IV, 17.

> — *Tibi enim inconſumta iuuentus.*
> *Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus alto*
> *Conſpiceris coelo: tibi, cum ſine cornibus adſtas*
> *Virgineum caput eſt* —

Sed nec ideo a Romanis *Liber* dictus eſt *Bacchus*, etſi in voce hac eundem ad modum luſerit etiam CICERO de Nat. Deor. Lib. II. c. 24. quod vel ex hac obſervatione SERVII ad Georgic. L. II. v. 4. intelligere licet. *Pater licet generale ſit omnium deorum, tamen proprie Libero ſemper cohaeret: nam Liber pater vocatur.* Ideoque non facile mihi perſuaderi ſiuerim, *Liberam*, quod volebat SALMASIVS, quando hoc nomine Proſerpina apud Romanos compellabatur, etiam ſignificare *filiam*. Nam ſicuti *Libero*, cognomen veluti proprium *Patris* ſemper adhaeſit, ita *Proſerpinae* quoque, non ſecus atque *Cereri*, cognomen

 matris

* APOLLONIVS *Rhodius* Argonaut. Lib. I. v. 508. II. 709. III. 118. CALLIMACHVS Hymno in Delum 211, 214.

matris in Sicilia tributum fuiſſe, conſtat. PLVTARCHVS in vita Marcelli, loquens de hiſce Deabus, in Sicilia cultis, id conceptis verbis monet p. 309. Ἃς καλοῦσι ματέρας. *Quas Matres vocant.* Aliud vtique ſignificat vox *Liber*, *et libera*, vbi Baccho et Proſerpinae tribuitur, quod optime, niſi fallor, VARRO explicat apud AVGVSTINVM *de Ciuitate Dei* Lib. VI. c. 9. Verba eius ſunt. *Liberum a liberamento appellatum volunt quod mares in coeundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus. liberentur Hoc idem in foeminis agere Liberam; quam etiam Venerem putant, quod et ipſas perhibeant ſemina emittere, et ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae.* Ex his intelligitur, *Liberum* et *Liberam*, et ſententia Theologorum Romanorum antiquiorum, praefuiſſe generationi hominum, vnde pronum eſt concludere, ea ipſa de cauſa, illum vocatum eſſe *patrem*, et hanc *matrem*. Taceo Bacchum in fabulis Graecorum, filium perhiberi non Cereris, verum Semeles et Iouis. Ita apud Aegyptios, Oſiris erat Iſidis non filius, ſed frater et maritus, etſi tamen in ſacris quibusdam myſticis, aliquo tantum reſpectu, diceretur etiam eius filius. Non magis verum eſt, quod vir magnus fidenter aſſerit, Ἴσι Aegyptiis ſonare matrem, qua de re alibi plura dicemus. Sed nimium quantum in his morati ſumus. Redeamus ad *Oſiridem*, Aegyptiorum *Solem*.

Oſiridis nomen eſt recentius. Antiquiſſimis temporibus Sol in Aegypto cultus ſub nomine ΦΡΗ.

§. 8. Certum nempe firmumque eſt, Oſiridem Aegyptiis nihil aliud deſignaſſe, quam *Solem*, et non alio ſenſu, aut *Nilum*, aut *Bacchum* dici potuiſſe, quam quo Numina haec ad *Solem* referuntur. Quod ita tamen accipi nolim, tanquam * *Oſiris*, per ſe, et in communi

* Id nonnulli ſibi imaginantur. Vide SPENCERVM de Legibus Hebraeor. L. III. Diſſ. I. c. III. p. 36. Edit. Belgic.

communi linguae Aegyptiacae vſu, *ſolem* ſignificauerit, vti ἥλιος Graecis, *ſol* Latinis. Nam ſol Aegyptiis dicebatur ΦΡΗ *Phre*; *Oſiris* vero Numen erat ſymbolicum, in quo vim, poteſtatem, iucundiſſimoſque effectus Solis reuerebantur Aegyptii, ſicuti Graeci et Latini, in *Apolline et Phoebo*. Et Oſiridis nomen, quod mihi firmiter perſuadeo, habitatione Iſraelitarum in Aegypto,* fuit non paulo recentius. Initio ſplendidum Coeli Aſtrum, Aegyptios ſub communi atque proprio *Solis* nomine vel ΦΡΗ Aegyptiace, coluiſſe, eruditis obſcurum eſſe non poteſt. In illius honorem conditam nouimus *Heliopolin*, id eſt *vrbem Solis*, quae nonnunquam regibus Aegypti antiquis ſedem non incelebrem praebuit. In Scriptura ea dicitur אן, *On*, quod nomen omnino ei fuit antiquiſſimum et primum, Geneſ. XLI, 45. 50. XLVI, 20. Quibus in locis interpretes Alexandrini, in verſione ſua conſtanter poſuerunt Ἡλιούπολιν, *Heliopolin*. Obſeruatione autem indignum non eſt, Aegyptios interpretes, etſi ſermonis hebraici ignari eſſent, et ſolam Alexandrinorum verſionem prae oculis haberent, in omnibus tamen hiſce locis, voci Graecae Ἡλιούπολις ſubſtituiſſe antiquum et vere Aegyptiacum vrbis illius nomen ΩΝ, vel *On*, cuius proinde vetuſtiſſimi nominis memoria, inter Aegyptios, Seculo IV. poſt C. N. quo verſio Aegyptiaca Pentateuchi videtur confecta eſſe, adhuc ſuperſtes erat, etſi forte vera nominis huius ſignificatio, paucis tantum perſpecta eſſet. Ego CYRILLO Alexandrino libenter aſſentior, qui alicubi tradidit, *On Aegyptiorum lingua dici Solem.* Nam in dialecto Thebaidis, vel ſuperioris Aegypti, quae vulgari dialecto antiquior eſt, lux dicitur ⲞⲨⲞⲈⲒⲚ *(Voein)* vel ⲞⲈⲒⲚ, *(Oein,)* quam poſtremam, fuiſſe vocem primitiuam auguror. Id videtur olim contracte pronuntiatum fuiſſe, *On*. *Lucem* vero pro *Sole* accipi, tritum valde atque vulgatum eſt. Sic IOBI.

XXXI, 26. אם אראה אור כי יהל. *Num vidi lucem, quod ſplenderet.* Vbi per אור, *lucem*, interpretes omnes *Solem* intelligi conſentiunt. Deus in vrbe hac, religione Aegyptiorum conſecratus, erat, vti iam dixi, ⲪⲢⲎ *Sol.* Hinc igitur HERODOTVS obſeruat, Heliopoli Sacra fieri τῷ ἡλίῳ, *Soli*, Lib. II. c. 59. Ibidem c. 73. Heliopoli commemorat τὸ ἱερὸν τȣ̃ ἡλίȣ, *Templum Solis.* Ita STRABO Lib. XVII. p. 553. fin. Ἡλίȣ πόλις, τὸ ἱερὸν ἔχȣσα τȣ̃ ἡλίȣ. *Heliopolis, quae templum habet Solis.* Adde CICERONEM Lib. III. de Nat Deor. cap. 21. Confirmat hoc Coptus *Pentateuchi* interpres, qui Exodi I, 11. vbi in Graeca verſione haec leguntur, quae Textus hebraicus non habet. Καὶ Ὢν, ἥ ἐστιν Ἡλιȣ́πολις, ad literam ita vertit. ⲚⲈⲘ ⲰⲚ ⲈⲦⲈ ⲐⲂⲀⲔⲤ ⲘⲪⲢⲎⲦⲈ. *Et On, quae eſt vrbs ſolis.* Quia igitur *ſol*, Deorum Aegypti longe princeps, ſub ipſo hoc nomine, auita religione Heliopoli colebatur, nomen illud ⲪⲢⲎ, Aegyptiis omnibus erat inprimis venerabile et ſacroſanctum, quod MARTIANVS CAPELLA *, Hymno in ſolem, aenigmatice ſic ſubinnuere voluit.

Salue vera Deum facies, vultusque paternae
Octo et ſexcentis numeris, cui litera trina
Conformat Sacrum nomen, cognomen, et omen.

Etenim *ſacrum* hoc *nomen*, tribus conſtans literis, quae numeros contineant DCVIII. non eſſe aliud quam ⲫⲣⲏ, Aegyptium, ex obſeruatione Beati LA CROZII ** alio loco dudum iam monui. Eodem loco indicauit rei huius veſtigia ſatis manifeſta, in

* Vid. eius Lib. II. *de Nuptiis Philologiae* p. 43. extr. 44.
** Diſſert. VIII. de Terra Goſen § 4.

in hiſtoria Moſaica reperiunda. Etenim Socer Ioſephi Patriarchae כהן אן, *Sacerdos Onienſis*, vel *Heliopolitanus*, Geneſ. XLI, 45. 50. XLVI, 20. nominatur illic פוטיפרע, *Potbipherab*, vbi interpretes graeci habent πετεφρῆ, ALEXANDER vero *Polybiſtor* πεντεφρῆ, vti etiam in * hiſtoria Apocrypha Aſenethae, nomen hoc conſtanter ſcribitur. Id vero ſermone Aegyptiorum, Π-ϨΟΝΤ-ⲘⲪⲢⲎ, *P-Hont-em-Phre*, proprie deſignat *ſummum Sacerdotem ſolis*. Sed labentibus ſeculis, ſacerdotes Aegyptiorum, idem illud nomen, ſub nomine ſymbolico *Oſiridis*, populo colendum propoſuerunt, eique per Aegyptum totam, paſſim Templa ſplendidiſſima conſtrui curarunt, ſacerdotumque collegia dedicarunt. Quia vero id factum eſt, vt credo, ſerius, Aegyptii dixerunt, teſte HERODOTO Lib. II. c. 145. *Oſiridem* eſſe ex tertio Deorum ordine. Nam ceteroquin, quod ex ipſo HERODOTO diſcimus, fuit Deorum Aegypti ſummus, longeque Princeps. Vide §. 2.

§. 9. Parentes *Oſiridi* non ſemper iidem in fabulis Aegyptiorum myſticis aſſignantur, cuius inconſtantiae nullam aliam, quam hanc rationem eſſe putem, quod Graeci traditiones Aegyptiorum vetuſtas ſibi a ſacerdotibus relatas, aut non recte aſſecuti fuerint, aut, quod easdem, nimium ad Theologiam Graecanicam accommodando, vehementer adulteraverint. Sequentia id quod dixi, manifeſtum facient. In fabulis Aegyptiorum ſacris *Phthas*, vel *Vulcanus* perhibebatur Solis pater. Vide quae Lib. I. cap. II. §. 11. (not *) adducta iam ſunt, quae hic non repeto. Traditioni huic Sacerdotum Aegyptiorum, non adverſatur celeberrima Inſcriptio Saitica, in honorem *Neithae* *De Genealogia Oſiridis Mythologica.*

* In *Codice Apocrypho* optimi FABRICII Hamburgenſis, Vol. II. p. 85. etc.

Neithae, vel *Mineruae* Aegyptiorum conſecrata, in qua legebatur, *Fructus quem peperi, eſt Sol.* Nam *Neitham* a Philoſophis Aegyptiorum, eandem cum *Phtha*, vel *Vulcano* habitam fuiſſe, multis probauimus Lib. I. c. III. Ne ipſa quidem illa *Oſiridis* Genealogia, quam Graeci nobis, tanquam ab Aegyptiis hauſtam, obtrudunt, traditionibus Aegyptiorum genuinis contradicit, ſi modo omnia recte excutiantur. Genealogiam illam huncin modum DIODORVS *Siculus* contexit p. 13. *Poſt* Vulcanum *imperauit Saturnus, qui ducta in matrimonium Rhea Sorore, genuit, vt fabulantur, Oſirin et Iſidem, vt vero plurimi aſſerunt, Iouem et Iunonem, quibus regnum totius mundi virtus promeruit. Ex his* (Ioue et Iunone) *quinque Deos natos, ita vt in vnamquamque intercalarium apud eos dierum quinque, vnius natalis incideret. Nomina illorum ſunt Oſiridis, Iſis, Typhon, Apollo, et Venus.* Duplex hic nobis offertur Oſiridis genealogia, vtramque paucis expendamus. Iuxta quosdam igitur, vt perhibet DIODORVS, poſt Vulcanum regnauit Saturnus, et hic pater eſt Oſiridis. In prima vero MANETHONIS Dynaſtia, apud Syncellum p. 19. Vulcano ſucceſſit Sol, illius filius, etſi tamen poſtea illic a ſole diſtinguatur Oſiris, quod potuit niti certis quibusdam rationibus myſticis, aut in quo MANETHO Graecos ſequi maluit. Ibidem namque *Saturnus* etiam ſequitur, cui tamen in vetuſta Mythologia Aegyptiorum, non magis locus eſt, quam *Rheae.* Numina haec Graecia mendax Aegyptiis obtruſit plane inuitis. Sed res ita tamen ſe habet. Numinibus Aegyptiorum, Graeci Deorum ſuorum nomina accommodare ſolent, prouti res et inſtituti ratio id poſcere ipſis videtur. Et ſaepe vnius Numinis Graeci nomen pluribus Diuinitatibus Aegypti imponunt. Vbi loquentes de Aegyptiorum Diis, *Saturni* mentionem faciunt, eo nomine aut *Phthan*, aut *Anubim*,

aut

aut etiam *Serapim* deſignare ſolent. Quod vero nomine *Saturni* etiam *Phthan*, vel *Vulcanum* Aegyptiorum ſi binnuerent, ratio in promtu eſt, ex iis, quae de *Phtha* obſeruauimus Lib. I. c. II. petenda. *Vulcanus* namque vel *Phthas*, Aegyptiis erat, Deorum hominumque pater et progenitor, qui toti Vniuerſo primus imperauit. In Mythologia Graecorum, plane hoc ipſum praedicatum fuiſſe de *Saturno*, neminem latet. Graeci igitur *Phthan* Aegyptiorum nonnunquam *Saturni* nomine deſignant. Quod vero ad *Rheam* attinet, quam *Saturno* et ſororem et conjugem Graeci adiungunt, ea Theologis Aegyptiorum omnino incognita fuit. Quando autem de *Rhea* Aegyptiorum Graeci loquuntur, ſolent utpluriinum intelligere Numen illud, quod Aegyptii voce patria *Athor* dixerunt, Graeci vero *Venerem* interpretantur. Poteſt id ſatis aliunde colligi, et non obſcure à PLVTARCHO ſubindicatur, quando *de Oraculorum defectu* p. 429. fin. hunc in modum ſcribit: *Rheam Aegyptii fabulantur quinque deos peperiſſe* (Oſirin nempe, Iſin, Typhonem, Apollinem et Venerem) *aenigmatice innuentes, ortum quinque mundorum, ex vna materia.* Ecce igitur *Rheam* Aegyptiorum, nihil aliud, quam ὕλην, *materiam*, principiam rerum omniam primum, ſcilicet paſſiuum, vel, ex quo, materium ex qua formati ſunt mundi, de qua OVIDIVS in principio *Metamorphoſeon* cecinit.

Vnus erat toto Naturae vultus in orbe
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Quod autem Graeci dixere *Chaos*, Aegyptii nominarunt *Athor*, ſiue *Venerem*. Si iam his obſeruatis, *Saturnum*, interpreteris *Phthan*, id eſt Aegyptiorum *Vulcanum*, *Rheam* vero earundem *Athor* vel *Venerem*, habebis genuinam Aegyptiorum doctrinam, Lib. I.

c. I.

c. I. & II. pluribus explicatam. Quod vero ad alteram *Oſiridis* genealogiam, à Diodoro pariter relatam, attinet, illa ad fabulas Theologiae Graecanicae adhuc magis eſt attemperata. Secundum illam, ex Saturno nati ſunt Jupiter et Juno, ex his vero Oſiris & Iſis, non ſecus atque in Theologia Graecorum Mythica, Saturni filius perhibebatur Iupiter, et huius Apollo, ſiue Sol. In hac Genealogia Iuno quoque interuenit, Saturni filia, Iouis Vxor, Oſiridis vero et Iſidis Mater. Et Iunonem tamen vera Aegyptiorum Theologia prorſus ignorauit, cuius teſtem habemus locupletem, ipſum HERODOTVM, graecum, et mythologiae Graecae mirifice peritum, ſed et ſacerdotum Aegyptiorum amicum familiarem. Is autem Lib. II. c. 50. teſtatur, Aegyptios Iunonem cognitam non habere. Neque hic excipere iuuabit, intelligi Iunonem non Graecorum, ſed Aegyptiorum, de qua Lib. I. c. 1. §. 4. Nam illam Aegyptiorum non intelligi, ex eo liquet, quod diſtinguatur à *Rhea*, ſiue *Athor* et *Venere*, cum re ipſa Aegyptiorum *Iuno* atque *Venus*, ſiue *Athor*, non fuerit niſi unicum Numen. Quando praeterea in Genealogia hac Iuno perhibetur Saturni filia, Iouis vero et Soror et Coniux, quis poterit dubitare, quin deſignetur hic Iuno Theologiae Graecanicae, Aegyptiis prorſus incognita? Linquamus igitur genealogiam hanc Graecis, veris illius architectis. Poſterior tamen huius Genealogiae pars, quae ita ſe habet, ex Ioue, et Iunone praeter Oſirin et Iſin, alios praeterea tres Deos editos fuiſſe, ita ut omnium horum quinque deorum natales, inciderint in quinque dies intercalares, qui apud Aegyptios, quouis anno, menſibus duodecim addi ſolebant, et menſem eorum decimum tertium comprehendebant, ex fontibus Aegyptiacis dimanauit, ſpectat enim ad anni Aegyptiaci conſtitutionem, quae induſtriae ac peritiae ſacerdotum illius gentis debetur

tur. Rem hanc, ut plures alias eius generis, ſabularum tegumentis ſacerdotes inuoluere ſolebant. Fabulam huc ſpectantem, à ſacerdotibus tradi ſolitam, paulo plenius refert PLVTARCHVS hunc in modum *de Iſid. et Oſir.* p. 355. *Rheae aiunt, occulte cum Saturno congreſſae, Solem — imprecatum fuiſſe, ut neque in Menſe, neque in Anno pareret. Sed Mercurium — cum ea coiiſſe, ac deinde in ludo cum Luna victorem,* ſeptuageſimam partem cuiusuis diei abſtuliſſe, atque ex his omnibus dies quinque confeciſſe, ac 360. diebus anni adjeciſſe! quae quinque dies nunc ab Aegyptiis epagomenae, id eſt adjectitiae vocantur, et ut natales deorum feſti aguntur. Prima autem earum die, Oſirin natum. — Secunda die Aruerin natum, quem alii Apollinem, nonnulli Horum Seniorem dicunt. Tertia Typhonem. — Quarta Iſidem. — Quinta Nephthyn. Patrem autem Oſiridis et Arueris fuiſſe Solem: Iſidis Mercurium, Typhonis et Nephthys Saturnum.* Totum hoc, quicquid eſt, meram eſſe fabulam allegoricam, nemo eſt, qui non ſtatim videat, et fateri cogatur. Eaque proprie non ſpectat ad genealogiam Deorum; ſed ad conſtitutionem anni Aegyptiaci, qui cum antehac dies tantum 360. complexus eſſet, poſtea,** regnante Heliopoli Aſetho, in eam formam redactus eſt à ſacerdotibus, quem deinde ſeruauit, uſque ad Auguſti Imp. tempora, quibus annus fixus, conſtans ex 365. diebus et quadrante, priori vago, per totam Aegyptum, paulatim ſuccedere coepit. Huiusmodi rerum memoriam ſolebant ſacerdotes Aegyptii, ſub cortice fabularum, ſaepe prorſus incredibilium, tegere, ſibique

* imo, ſi calculos recte ſubducas, invenies, eſſe partem *ſeptuageſimam ſecundam.* Recte hoc iam monuit SCALIGER de emendat. Temporum Lib. III. pag. 195. ac nuper ALPH. VIGNOLIVS. T. II. p. 697. et 774.

** Vide infra §. 16.

que reſeruare, vti conſtat ex fabula de Phoenice alite, et de Oſymandya, qui certe nuſpiam gentium, niſi in ſolis ſacerdotum fabulis emblematicis regnauit. Quod ſi fabula illa de quinque Rheae et Saturni liberis, ſincera ac illibata, ſeruatis etiam veris Deorum nominibus Aegyptiacis, ad nos perueniſſet, non ita difficile foret, verum eius ſenſum et indagare et explicare. Iam vero res eſt altioris indaginis, quaeque, cum paucis expediri nequeat, hic quidem locum non inuenit. Si ceteroquin ſine ambagibus, quod ſentio, dicendum eſt, ego conſtitutione hac anni Aegyptiaci, cultum Oſiridis antiquiorem non fuiſſe cenſeo; ſed potius utrumque hoc, eodem tempore, invectum fuiſſe à ſacerdotibus, omnibusque innotuiſſe, opinor. Ex hoc euentu etiam poſtea nomen Oſiridis interpretabor.

De etymologia nominis Aegyptiaci Oſiris.

§. 10. Campum longe lateque patentem mihi iam emetiendum eſſe video, ſi fabulas ſacerdotum ſacras, de Oſiride ſparſas, excutere velim, vt ex iis, quod toto hoc capite aſſero, Oſiridem priſcis Aegyptiorum Sapientibus, nunquam aliud quid ſignificaſſe, quam ſolem, laetosque illius effectus, nouis rationibus probare queam. Verum cum talis diſquiſitio, quam vix Commentarius iuſtae magnitudinis capere queat, huius loci non ſit, ea in aliud tempus reiecta, ad interpretandum Aegyptiacum *Oſiridis* nomen nunc potius progredi malo. Etenim ex hac quoque diſputatione, in totum capitis huius argumentum, lucem non tenuem redundaturam eſſe, confido. *Oſirin* non eſſe nomen magni illius fluuii, qui totam Aegyptum ſecat, et quem omnes appellant *Nilum*, quod volunt eruditi quidam, monuimus iam §. 3. Quomodo res huius indolis, aut Aegyptios in uniuerſum, aut ſacerdotes eorum, aut etiam peregrinos, qui itineribus Aegyptum peragrauerant, et vbique ſacerdotibus illius gentis familiariter vſi erant, potuiſſet latere?

Et

Et nemo tamen veterum tale quid memoriae prodidit. Omnes potius, quando eo delabuntur, in explicando *Oſiridis* nomine, rationes illius valdè diuerſas reddunt, et quibus vtplurimum vetuſta Aegyptiorum lingua mirifice fauet. Non itaque erat, vt eas tanto ſupercilio SELDENVS deſpiceret, et tanquam vanas penitus repudiaret. * *Faceſſant*, inquit, *qui* πολυόφθαλμον, ἀγαθοποιὸν, *aut ſimile quid Oſirin ſignificare, obtrudunt. Magnos ſane viros*, PLVTARCHVM *et* EVSEBIVM *diu eſt, quod fefellerint.* Maiori certe veri ſpecie, interpretationes iſtae veterum, ſe lectoribus peritis et cordatis commendabunt, quam illa, de qua modo diximus, et quam vir ceteroquin ad miraculum doctus, nobis tanquam vnice veram offert. Sed expendamus illas, quas veteres memoriae nobis prodiderunt, nam etymologiam Salmaſianam nominis *Oſiris*, iuſtis de cauſis repudiauimus §. 7. Hic tamen in anteceſſum monere operae pretium eſt, duplicem nominis huius celebratiſſimi pronuntiationem in Aegypto auditam fuiſſe, cum aliqui dicerent *Vſiris*, alii vero *Oſiris*. Nam ** HELLANICVS *Lesbius*, ſcriptor peruetuſtus et diligens teſtatur, ſe audiuiſſe nomen hoc à ſacerdotibus pronuntiatum Ὕσιριν, *Yſirin*, non *Oſirin*, cum tamen poſtremo hoc modo, *Oſiris*, tantum non ab omnibus, iis etiam, qui Aegyptum adierunt, ſcribi ac appellari conſueuerint. Nempe in Aegypto duplex erat dialectus, ſatis à ſe inuicem diuerſa, quod ex libris lingua Coptica exaratis, hodieque ſuperſtitibus, intelligitur, dialectus Aegypti ſuperioris, et inferioris. Quis porro neget, in Aegypto olim id etiam contingere potuiſſe, quod hodieque in omnibus regnis paulo amplioribus, obſer-

* De Diis Syris Syntag. I. c. IV. p. 147.
** Apud PLVTARCHVM de Is. et Oſir. p. 364.

obſeruare licet, in diuerſis eorum regionibus et partibus, notabilem etiam, in pronuntiatione eiusdem linguae, differentiam obtinere. Nihil igitur credere prohibet, nomen *Oſiris*, à quibusdam in Aegypto ſic pronuntiatum fuiſſe, tanquam ſonaret *Vſiris*, aut etiam vice verſa. Id certe videtur occaſionem praebuiſſe pluribus et diuerſis nominis huius unius interpretationibus atque explicationibus. Vtriusque pronuntiationis rationem aliquam habeamus.

Veteruſti nominis huius etymologiae excutiuntur.

§. II. Communiter Graeci, et ſecuti hos Latini, nomen hoc in Aegypto, et ab Aegyptis auditum, ſcribere ac pronuntiare ſolent Ὄσιρις, *Oſiris*, idque multi olim interpretabantur πολυόφθαλμον, quaſi dicas *multioculum*. Interpretationem hanc adfert DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 10. Μεθερμηνευόμενον γὰρ εἰς τὸν ἑλληνικὸν τῆς διαλέκτȣ τρόπον, εἶναι τὸν Ὄσιριν πολυόφθαλμον εἰκότως. Πάντη γὰρ ἐπιβάλλοντα τὰς ἀκτῖνας, ὥσπερ ὀφθαλμοῖς πολλοῖς βλέπειν ἅπασαν γῆν καὶ θάλασσαν. *Aiunt Oſirin, ſi graece interpreteris, ſignificare* πολυόφθαλμον, *multioculum, et merito, cum radios vbique intendens, vniuerſam terram et mare, quaſi multis oculis colluſtret.* Idem quoque tradit HORAPOLLO, vti viri eruditi verba eius corrigunt Lib. I. c. 34. Πάντων γὰρ ἐπιβαίνει, καὶ πάντα ἐξερευνᾷ ὁ ἥλιος. Ἔνθ' ȣ̃τω πολυόφθαλμος ὀνομάσθη. *Omnia enim tranſit et peragrat, omnia itidem accurate inſpicit Sol, ideoque* πολυόφθαλμος, *id eſt multioculus vocatus eſt.* Rationem quoque interpretationis iſtius literalem, ex lingua Aegyptiaca petitam, dedit nobis PLVTARCHVS in libro *de Iſide et Oſir* p. 355. Ἔνιοι δὲ τȣ̃νομα διερμηνεύȣσι πολυόφθαλμον,* ὡς τȣ̃ μὲν ὂς τὸ πολὺ, τȣ̃ δὲ ἶρι τὸν ὀφθαλμὸν αἰγυπτίᾳ γλώττῃ φράζοντος. *Nomen hoc quidam interpretantur MVLTIOCVLVM,*

* Ita locum hunc corrigendum eſſe, dudum iam monui.

LVM, *ſiquidem OS Aegypticrum ſermone multum*, *IRI vero oculum ſignificet.* Prior huius interpretationis pars, dubium omne reſpuit. Etenim τὸ πολὺ, *multum*, ab interpretibus Coptis Scripturae S. ſemper redditur ⲞϢ, *oſch* vel, vt Graeci euphoniae cauſae id efferebant, *os.* At *iri*, Aegytiace ⲒⲢⲒ, in eadem verſione antiqua, nunquam *oculum*, ſemper vero *facere* ſignificat. Suſpicor ergo, explicationem illam ſacerdotum, qui *Oſirin* interpretabantur *multioculum*, non eſſe literalem, verum emblematicam, deſumtam ex lingua ſacra ſacerdotali, cuius *Manethon*, ipſe ſacerdos*, mentionem facit, accommodatam nempe ſymbolo, quo frequenter Oſiris deſignatus eſſe perhibetur. Symboli, quod hic ſubinnuo, illic, vbi *Oſiridis* nomen interpretatus erat, meminerat PLVTARCHVS p. 354. fin. his verbis: *Regem et dominum Oſirin oculo et ſceptro pictis exprimunt.* Alia hanc in rem obſeruata vid. §. 3. Aegyptii hoc ſymbolo oculi et ſceptri, Oſiridis ſui et ſcientiam, vt qui omnia videret, et potentiam, vt qui omnia regeret, deſignare voluerunt, idque re ipſa ſignificat ⲞϢ ⲒⲢⲒ *Os-iri*, id eſt ἐνεργητικὸν, *magna agendi vi praeditum*, vel *multa facientem*, aut *multum operantem.* Confirmat hanc meam interpretationem alibi PLVTARCHVS ipſe p. 368. Ὁ γὰρ Ὄσιρις ἀγαθοποιὸς, καὶ τοὔνομα πολλὰ φράζει, οὐχ ἥκιστα δὲ κράτος ἐνεργοῦν καὶ ἀγαθοποιόν. *Eſt enim Oſiris beneficus, et nomen hoc multa ſignificans*, (vel, *quod multis modis interpretari licet*) *praecipue robur efficax, et beneficum deſignat.* Quando autem interpretatio haec, pronuntiationi vulgari Graecorum et Romanorum, nominis *Oſiris* omnium optime et exacte prorſus conuenit, aliter

K 2

* Apud IOSEPHVM Lib. I. aduerſus Appion. p. 445. Edit. Belgic.

aliter quam ſic ſtatuere non poſſum, hanc ipſam quoque interpretationem, quam modo illuſtraui, in ipſa Aegypto, et inter regionis illius ſacerdotes, valde obuiam, et communius receptam fuiſſe, quod nouo argumento eſſe poteſt, per *Oſiridis* et nomen et Numen, vere et proprie *Solem* deſignatum fuiſſe. Non itaque etymologia illa erat faſtidioſe contemnenda, etſi tamen dubitari queat, an ſit vera et natiua, et an non detur alia melior, menti priſcorum in Aegypto Theologorum magis conformis. Mihi igitur aliquando in mentem venit, nomen *Oſiris*, Aegyptiis ſonaſſe ⲟⲩϣ-ⲥ-ⲣⲏ, *Os-i-re*, id eſt * ***regem multum euntem***, vel etiam, ***Solem multum euntem***, quam coniecturam, ante viginti fere annos, ſubobſcure tamen,** judicio eruditorum expoſui, eamque non ita abſurdam cenſeri poſſe, oſtendam, vbi ad Iſidis Numen peruenero. At nunc tamen, vbi omnia huc ſpectantia, maturius conſideranda, et ſeria aeſtimatione expendenda erant, coniecturae huic aliam praeferre malui, de qua mox.

Idem argumentum continuatur.

§. 12. Non citra rationem PLVTARCHVS obſeruauit, nomen *Oſiridis* multa ſignificare, et diuerſis interpretationibus obnoxium eſſe. Igitur praeter eam, quam nunc excuſſimus, aliam adfert ex HERMAEI Libro primo de Aegyptiis, in Commentario ſaepius citato p. 365. fin. Ὄμβριμόν φησι μεθερμηνευόμενον εἶναι τὸν Ὄσιριν. Quae in verſione Xylandri ita redduntur. ***Hermaeus primo de Aegyptiis libro, Oſiridem, ſi interpretetur, validum eſſe, inquit.*** Haec interpretatio forte ab ea non differt, quam §. 11. penſitauimus, ſecundum quam *Oſiris* ſignificaret κράτος ἐνεργῶν, ***robur actiuum et efficax.*** Sed quando tamen

* Illuſtrationem nominis huius pete ex §. 5.

** In *Ramphab illuſtrato* p. 68.

tamen nunc verba PLVTARCHI meditate penſito, et ab omni parte verſo, probabile mihi ſit, eum non ſcripſiſſe ὄβριμον, ſed verius ὄμβριον, *pluuialem*. Nam in antecedentibus auctor hic, ex Aegyptiorum doctrina, retulerat, et Nilum, et humorem omnem, eſſe ἀποῤῥοὴν, *defluxum* Oſiridis. Mox fabulam illam, genitalia Oſiridis in Nilum proiecta fuiſſe, ita explicat, vim huius dei genitalem et ſeminalem, pro materia prima habuiſſe humorem, et humoris interuentu, coaluiſſe cum his, quae naſcendi facultate erant praedita. Deinde aliquam inter Oſirin et Iouem, ex placitis Aegyptiorum conuenientiam adſtruere laborat. *Iouem* autem illic alium non deſignat, quam *pluuium*, qui Philoſophis erat, *fœcundus imbribus aether*, et tandem etiam illuſtrationis ergo hoc addit, *ſecundum Hermaeum Oſirin ſignificare* ὄμβριον, *pluuium*. Poteſt haec originatio HERMÆI ex lingua Aegyptiorum ſtabiliri. Nam ϩⲱⲟⲩ *hou* ſermone ipſorum dicitur *pluere*, Gen. II, 7. Pſ. XI, 6. Luc. XVII, 29. et ⲙⲟⲩ-ⲛϩⲱⲟⲩ, *mu-enhou*, eſt *pluuia*, ſecundum literam, *aqua pluuiae*, vel *pluuialis*. Matth. VII, 25. Actor. XIV, 16. ϣⲉⲣ denique, (*ſcher*) vox in Coptorum ſcriptis oppido frequens, *ſpargere* ſignificat. Eſſet igitur ϩⲱⲟⲩ-ϣⲉⲣ, *houſcher*, proprie *pluuiam ſpargens*, et id eſt ὄμβριος. Obiicere quidem forte quiſpiam poſſet, quod ſane notiſſimum eſt, pluuiam in Aegypto ſuperiori, fere nunquam, in inferiori vero raro admodum cadere. Verum, vt iam taceam, interpretationem *Hermæi*, ſi non regioni, linguae tamen Aegyptiorum congruere, et ex hac manifeſto deſumtam eſſe, eſt aliud, quod obiectioni huic, etſi non parum ſpecioſae, merito reponi queat. Etſi enim Aegyptii ſcirent, Oſiridem in Aegypto pluuiam non colligere, ex qua Nilus augeretur, non ignari tamen erant, id fieri in Aethi-

 opia,

opia, ad augendum Nilum, contractam et collectam, Oſiridi adſcribebant, eaque de cauſa Nilum ἀποῤῥοὴν Oſiridis eſſe dictitabant. Vide ſupra §. 4. Clare id* HORAPOLLO ſignificat. Nam vbi nobis explicaturus eſt, cur exundationem Nili, per copioſam e cœli effuſionem aquae ſignificent Aegyptii, rationem hanc reddit. *Tertia inundationis Nili cauſa, ſunt imbres, qui per id tempus, quo intumeſcit Nilus, ad auſtrales Aethiopiae partes congregantur.* Et quia hos imbres mittere credebatur *Oſiris*, merito ille hoc intuitu dici poterat *pluuiarum ſparſor.* Sed ab hoc tamen beneficio, non putauerim, Aegyptios Deorum principi nomen indituros fuiſſe.

In eodem argumento pergitur.

§. 13. Supereſt alia PLVTARCHI interpretatio, de qua SELDENVS contemtim quoque loquitur, ſed quae tamen examen aliquod noſtrum meretur. Et credi poſſit, HELLANICVM, digitum ad eam potiſſimum intendiſſe, quando nomen id, quod explicamus, à ſacerdotibus pronuntiari *Vſiris*, obſeruauit. Videntur certe ex ipſis Aegyptiorum ſacerdotibus, nomen hoc quidam ita interpretati fuiſſe, tanquam ſonaret ⲞⲨϪⲈ-ⲢⲎ (*Vdſie-re*) vel ⲞⲨϪⲈ-ⲢⲈ, prius verto βασιλέα Σωτῆρα, *regem ſeruatorem*, poſterius, αἴτιον τῆς σωτηρίας, *ſalutis auctorem.* Nam ⲞⲨϪⲈ (*vdſiie*, vel *Vſe*) Aegyptiis eſt σώζειν, *ſeruare* ⲢⲎ vero poteſt deſignare ** *regem*, aut etiam ſignificat *facere*, adeoque cauſalitatem ſubindicat. Originationem hanc firmat PLVTARCHVS, qui, vt intelleximus §. 11. docet, Oſirin eſſe ἀγαθοποιὸν, *beneficum*, vel bonorum *cauſam*, et nomen hoc inter plures interpretationes, etiam hanc

* Hieroglyph. Lib I. c. 21.

** Ea de re dixi in *Remphah* p. 52. 53.

hanc admittere. Et certe ⲟⲩⲣⲉ-ⲣⲉ, eſt *ſalutis cauſa*, vel *auctor*. Adhuc clarius hanc nominis *Oſiris* etymologiam ſuggerit nobis IAMBLICHVS de Myſter. Sect. VIII. c. 3. vbi de Opifice et hoc obſeruat. Ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὤν, Ὄσιρις κέκληται. *Quatenus vero bona efficit, Oſiris vocatur.* Non poterat originatio noſtra teſtimonio luculentiori comprobari. Ad eandem pariter alludit auctor hicce Sect. VI. c. 7. Διὰ τοῦτο γὰρ μένει ἐν τάξει τὰ παντὸς μόρια, διότι ἡ ἀγαθοποιὸς τοῦ Ὀσίριδος δύναμις ἁγνὴ καὶ ἄχραντος μένει. *Hanc enim ob cauſam mundi partes in ordine permanent, quod beneficia Oſiridis virtus ſincera manet, et incorrupta.*

§. 14. Aliorum nominis Oſiris interpretationes, qua potui fide et accuratione, penſitaui. Liceat nunc etiam mihi, meam hac de re ſententiam, in medium proferre. Suſpicor, nomen *Oſiris* Aegyptiacum, compoſitum eſſe ex vocibus ⲟⲩⲟⲉⲓϣ, vel ⲟⲉⲓϣ et ⲓⲣⲓ. In dialecto Thebaidis, quam Arabes vocant *Sahidicam*, quaeque eſt vulgari antiquior, ⲟⲉⲓϣ, *Oeiſch*, et coaleſcente cum radice, quod ſaepius fit, articulo indefinito ⲟⲩ, ⲟⲩⲟⲉⲓϣ, *Voeiſch*, deſignat *tempus*. Saepe vox haec occurrit in Verſione Actuum Apoſtolicorum Sahidico-Coptica, quae in Bibliotheca Bodleiana Oxonienſi manu exarata extat, v. 9. c. III, 19. VII, 17. XIV, 17. XVII, 26. etc. ⲓⲣⲓ vero, quod §. 11. monitum iam fuit, genti Aegyptiorum eſt *facere*, vel, *eſſe alicuius rei cauſam*. Ⲟⲩⲟⲉⲓϣ-ⲓⲣⲓ (*Voeiſchiri*) igitur, vel quod plane eodem redit, Ⲟⲉⲓϣ-ⲓⲣⲓ, (*Oeiſch-iri*) ſignificat eum, *qui tempus efficit*, vel, qui eſt *temporis cauſa*. Aegytiorum plerique videntur id pronuntiaſſe *Oiſchiri*, vel, vti Graeci efferebant, *Oiſiri*, alii vero *Vſchiri*, vel *Vſiri*,

Originatio nominis Oſiris noſtra proponitur, ſecundum quam illud deſignat cauſam temporum.

 hinc

hinc illa diuerſa eiusdem nominis pronuntiatio, de qua §. 10. Quod ſi autem haec eſt nominis illius vis et poteſtas, quod mihi quidem certum eſt, voluerunt eo Aegyptii, hunc longe praeſtantiſſimum ſolis et effectum et vſum deſignare, quem Deus ipſe in creatione Solis & Lunae obſeruare nos iuſſit Geneſ. I, v. 14. * *Sint illa duo luminaria in ſigna per Eclipſes, in fixa tempora per menſes, in dies et annos.* - Hunc praecipuum ſolis effectum, nunquam ſine admiratione intueri potuerunt, etiam Sapientes gentium, ex quorum ſententia CICERO de Nat. Deor. Lib. II. c. 40. *Sol*, inquit, *oriens et occidens, diem noctemque conficit: et modo accedens, binas in ſingulis annis reuerſiones, ab extremo contrarias facit: quarum interuallo, tum quaſi triſtitia quaedam contrahit terram, tum viciſſim laetificat, vt cum coelo hilarata videatur.* Similia habet APVLEIVS *de Mundo* p. 71. *Deciſione luminis menſtrua, tempora Luna ſignificat, et Coeli ſpatium, Sol annua reuerſione colluſtrat. — Sol quidem omnituens* (πολυόφθαλμος) *ortu ſuo diem pandit, occaſu noctem reducit: conditusque vel relatus per plagas mundi,*** *quatuor temporum vices mutat. Hinc tempeſtiui imbres, et Spiritus haud infoecundi. Hinc alimenta nobis ſuppetunt earum rerum, quas accedere Deus his mundi partibus voluit.* Apud EVSEBIVM Praepar. Euangel. Lib. III. c. 15. extat Oraculum Apollinis,

* Sequor hic verſionem celeberrimi Viri IO. PHIL. HEINII, cuius vide Diſſert. Sac. Lib. I. cap. II.

** Apud ſcriptorem Aegyptium, *de myſteriis literarum*, qui MSS. extat in Bibliotheca Oxonienſi, ſpeciatim *quatuor anni tempora dicuntur* ⲚⲈⲞⲨⲞⲈⲒϢ Ⲛ̀ⲦⲈ ⲦⲈⲢⲞⲘⲠⲈ, vt credi poſſit, Aegyptios id in mente habuiſſe, quando ſolem vocarunt *cauſſam efficientem temporis*, vel *quatuor anni temporum.*

linis, qui aliquando conſultus, quis qualisue eſſet, in haec verba reſponderit

Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων,
Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων τε καὶ ὄμβρων
Ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρος, ἡνία νωμῶν
Ξαφλεγέων ἄστρων Βασιλεὺς, ἠδ' ἀθάνατον πῦρ

Sol, idem Horus, et Oſiris, Rex, Bacchus, Apollo,
Horarum, annique tempeſtatum promus condus,
ventorum itidem et imbrium
Aurorae et Noctis ſtelliferae habenas regens
Aſtrorum ignitorum rex, atque ignis immortalis.

§. 15. Non tamen ab inſtituto meo alienum erit, paucis obſeruaſſe, Aegyptios eandem hanc ſolis poteſtatem et virtutem, crebris ſermonibus celebraſſe, quare fieri facile potuit, vt ab ea potiſſimum, Soli nomen indendum eſſe cenſuerint. Eo ſpectant, quae de Aegyptiis commemorat DIODORVS Lib. I. p. 11. *Hos itaque Deos* (Solem et Lunam) *mundum vniuerſum gubernare ſtatuunt, nutrientes et agentes omnia tripartitis anni temporibus, modo inuiſibili circuitu abſoluentibus, nempe vere, aeſtate, autumno. Quae licet naturam inter ſe maxime contrariam habeant annum tamen conſenſu optimo efficiant.* CLEMENS *Alexandrinus* literis prodidit, Aegyptios hancce ſuam doctrinam, quod Sol ſit cauſa efficiens temporis, etiam imaginibus hieroglyphicis, arcanis, propoſuiſſe. Ita enim ſcribit Lib. V. p. 566. *Ex Aegyptiis alii quidem in nauigio; alii vero ſuper crocodilum, ſolem pingunt Significant autem, quod Sol per aërem dulcem et humidum ingrediens, gignit tempus.* Quod forte ad verſus † non paucos e Graecis Philoſophis adſtruxerunt

Originatio iſta ex Aegytiorum placitis illuſtratur.

† Vide iſto de argumento ſubtiliter diſputantes, PROCLVM Libro IV. in Timaeum Platonis p 230. 240. etc et SIMPLICIVM in Ariſtotelis Auſcult. Phyſ. Lib VIII. fol. 264. b. 265. etc.

runt, qui tempus etiam Sole et Coelo prius, et omnino aeternum eſſe, ſomniarunt. Eoſdem redarguit MACROBIVS in Somnium Scipionis Lib. II. c. X. *Tempus ante mundum eſſe non potuit: cum nihil aliud tempora, niſi curſus Solis efficiat.* Ex Saturnal. Lib. I. c. VIII. *Ex quo intelligi volunt, cum Chaos eſſet, tempora non fuiſſe; ſiquidem tempus eſt certa dimenſio, quae ex Coeli conuerſione colligitur, tempus coepit inde.* Aegyptii ceteroquin, vt ad hos redeam, Horum quoque Oſiridis filium, ſed qui re ipſa nihil aliud ipſis ſignificabat, quam Oſirin, ſiue Solem, renouatum et robur aliquod iam adeptum, circa aequinoctium nempe vernum, et ſolſtitium aeſtiuum, appellabant Δεσπότην χρόνων, *Dominum temporum*, qui tempora moderatur. Ita enim legimus in Obleiſco antiquiſſimo Heliopolitano, ſicuti eum ex ſermone Aegyptio in Graecum tranſtulit HERMAPION, apud AMMIANVM MARCELLINVM Lib. XVII. p. 102. Edit. Lindenbrog. Si porro TERTVLLIANVM audimus, aduerſus Marcionem Lib. I. c. 13. *Oſiris recidiui anni fidem argumentatur*, adeoque Aegyptiis annum ſignificabat, ad priſtinum initium, a quo digreſſus erat, redeuntem. Quod quidem originationi meae, quam lectori nunc obtuli, robur non mediocre addit.

De tempore conſecrationis et cultus Oſiridis.

§. 16. Obſeruatio haec TERTVLLIANI, *Oſiridem* eſſe *annum recidiuum*, quam diligentiſſimus hic ſcriptor, ex aliis haud dubie deſumſit, me nunc vltimo loco, ad inquirendum breuiter in origines conſecrationis et cultus Oſiridis deducit. Etenim *annus recidiuus* is idem eſt, quem veteres Latini etiam *vertentem* nuncupant, de quo CENSORINVS de die Nat. c. XIX. *Annus vertens eſt natura, dum ſol percurrens duodecim ſigna, eodem, vnde profectus eſt, redit.* Vno verbo annus intelligitur, ad ſolis curſum examuſſim, quantum fieri poteſt, conformatus, vt

cum

cum illo et exordium capiat, et exitum ſortiatur. Huiuſmodi annus ipſis quoque Aegyptiis, diu incognitus, aut certe inuſitatus, manſit, cum et ipſi, ſicut aliae gentes, annis vterentur compoſitis ex diebus 360. Sed iidem tamen omnium mortalium primi, totum anni ſui ambitum talem inſtituerunt, vt cum Solis curſu, quantum id res ferebat, exactiſſime concurreret. Loca veterum, qui id docent, a tot eruditis allata, ignota non ſunt. Sed quaedam tamen paucis hic repeti merentur. Scribit igitur hac de re DIODORVS *Siculus*, Lib. I. p. 46. *Thebaei in* Aegypto, *dies non ad Lunae, ſed Solis motum exigentes, tricenos menſibus dies tribuunt, et poſt duodecimum quemque menſem, quinque dies cum quadrante intercalant, eoque pacto circulum annuum abſoluunt.* De iisdem ita STRABO Lib. XVII. p. 561. *Thebani maxime ſacerdotes Aſtronomiam Philoſophiamque exercere dicuntur. Hi non Lunae ſed Solis curſu annos numerant* etc. Conſimiliter CENSORINVS de die Nat. c. XVIII. *Ad Aegyptiorum annum magnum Luna non pertinet, quem Graeci κυνικὸν, Latine canicularem vocamus.* Singulari itaque ratione apud Aegyptios Sol erat, habebaturque cauſa efficiens anni, et ab ea re in gente hac cognominari merebatur. Ab Aegyptiis hanc anni ſolaris formam accepit Iulius Caeſar, et Romanos ſuos docuit, vnde MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XIV. *Ergo C. Caeſar, — imitatus Aegyptios, ſolos diuinarum rerum omnium conſcios, ad numerum Solis, qui diebus ſingulis tricenis ſexaginta quinque et quadrante curſum conficit, annum dirigere contendit.* Et eodem Libro c. XVI. *Nam Iulius Caeſar, vt ſiderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Aegyptiis diſciplinis hauſit, ita hoc quoque ex eadem inſtitutione mutuatus eſt, vt ad ſolis curſum, finiendi anni tempus extenderet.* Idem auctor Lib. I. c. IX. hanc *anni dimenſionem praecipuam*

eſſe

eſſe Solis poteſtatem affirmat. Contigit inſignis haec anni Aegyptiaci conſtitutio, regnante Heliopoli Aſetho, et quemadmodum mihi perſuadeo, Thebis Saphthia vel Armaeo, vt etiam vocabatur, Anno Per. Iul. 3389. ante Chriſtum natum 1325., et poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto 320. quod * ſummus Chronologiae veteris, tum ſacrae, tum profanae, reſtaurator, nuper mihi ſic demonſtraſſe videtur, vt dubium nullum ſuperſit. Ab eo tempore, vt opinor, ſacerdotes Aegyptii, qui hactenus ſolem, ſub ipſo hoc proprio illi nomine, ⲫⲣⲏ, de quo §. 8. coluerant, in memoriam rei tam memorabilis, nouo eum cognomine mactarunt, eumque ⲞⲨⲈⲒϢ-ϢⲒⲢⲒ (*Oeiſchiri*) *αἴτιον τȣ̃ χρόνȣ*, *tempus*, vel *tempora efficientem*, nuncuparunt. Quantos hicce Oſiridis cultus, a ſacerdotibus Thebaeis, ſi coniicere fas eſt, primum inuectus, poſt id tempus progreſſus fecerit, per totam Aegyptum, ex plurimis veterum teſtimoniis, et ex tot Numini huic per omnes Prouincias regni illius erectis Templis, intelligi ſatis ſuperque poteſt. Videtur poſthaec cultus ſolis, ſub ſimplici hoc nomine ⲫⲣⲏ, Heliopolitanorum, labentibus annis, maiora in dies decrementa paſſus eſſe, dum interea Oſiridis Numen venerarentur, et in eo poteſtatem ac beneficia exoptata ſolis ſumma religione celebrarent.

* Mr. *des Vignoles* Chronolog. T. I. p. 571. 572. 589. etc. T. II. p. *675. 676.* etc. 800.

CA-

CAP. II.

De Amum Aegyptiorum Deo, quem Graeci Iouem interpretantur.

§. 1.

Oſiridem intelleximus Aegyptiis ſignificaſſe auctorem temporis, et temporum moderatorem, ſiue Solem, qui permeando Zodiacum, diuerſas temporum in anno viciſſitudines producit, et tandem ad principium, vnde digreſſus erat, redit. Quoniam vero vnus, Oſiris, vnus idemque Sol, dum curſum annuum abſoluit, tam diuerſas temporum viciſſitudines efficit, eoque naturae rerum in mundo faciem toties vehementer immutat, ideo Solem ipſum quoque, ſiue Oſirin mutari, id eſt, pro diuerſis temporum viciſſitudinibus, alium aliumque vultum habitumque induere, modo iuuenem, modo virum robore florentem, modo ſenem, modo laetum alacremque, modo moeſtum ac ſegnem, ſingebant. Non latuit hoc MACROBIVM, ſcriptorem inprimis eruditum, et Theologiae veterum inſigniter peritum, cuius verba hic apponenda eſſe putaui ex Saturn. Lib. I. c. XVIII. *Hae autem aetatum diuerſitates, in Baccho, ad Solem referuntur, vt paruulus videatur hyemali ſolſtitio, qualem Aegyptii proferunt ex Adyto die certa; quod tunc breuiſſimo die, veluti paruus et infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis, aequinoctio vernali, ſimiliter atque adoleſcentis adipiſcitur vires, figuraque iuuenis ornatur; poſtea ſtatuitur eius aetas pleniſſima effigie barbae ſolſtitio aeſtiuo; quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum. Exinde per diminutiones dierum veluti ſeneſcenti quarta forma deus figuratur.* Et Libro eodem cap. XIX. *Hoc argumen-*

Sol, in variis Zodiaci partibus haerens, variosque effectus producens, varia accipiebat ab Aegyptiis nomina. In Aequinoctio verno dicebatur Amum, vel Iupiter.

gumentum Aegyptii lucidius abſoluunt, ipſius Solis ſimulacra pinnata fingentes; quibus color apud illos non eſt vnus. Alterum enim coerulea ſpecie, alterum clara fingunt; ex his clarum ſuperum, et caeruleum inferum vocant etc. Hanc Aegyptiorum doctrinam in animo habuit Poëta, quisquis eſt, quem ANTICLIDEM vocat KIRCHERVS, cuiusque hunc verſum adfert, in *Oedipo* Tom. III. p. 128.

Ἠέλιος δὲ Νότοιο ἄναξ, ἱέραξ πολύμορφε

Sol, Auſtri dominator, accipiter multiplici forma praedite.

Solem ab Aegyptiis imagine ſymbolica accipitris pictum fuiſſe, neminem fugit. Speciatim vero Poëta hic videtur deſignaſſe accipitrem, Philis, in Aegypti ac Aethiopiae confiniis, religioſe cultum, de quo STRABO Lib. VII. p. 562. Nam et hic ſymbolum erat ſolis, adeoque Sol dici poterat. Cumque Philae ſitae eſſent ſub ipſo Tropico cancri, accipiter illic loci cultus, vere nuncupari poterat ἄναξ Νότȣ, *rex* et *dominator auſtri*, ſiue *regionis auſtralis*, aut meridionalis. Quando denique Poëta accipitrem hunc vocat πολύμορφον, *multiplici forma praeditum*, hoc refertur tum ad ipſum ſolem, cuius ille ſymbolum erat, ob rationem, quam dedimus, tum ad alitem quoque hunc ipſum, qui mirifice variegatus, eo ipſo ſolem tanto melius, ex mente Aegyptiorum repraeſentabat Id quod dixi, STRABO nos docet loc. cit. Ὄρνεον καλȣ̃σι μὲν ἱέρακα, ȣ̓δὲν δὲ ὅμοιον ἔμοι γε ἐφαίνετο ἔχειν τοῖς παρ' ἡμῖν, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἱέραξιν. Ἀλλὰ καὶ τῷ μεγέθει μεῖζον ἦν, καὶ τῇ ποικιλίᾳ πολὺ ἐξηλλαγμένον. *Auitem Aegyptii accipitrem vocant; ſed mihi nihil neque cum noſtris neque cum Aegyptiis ſimile habere videtur, vtpote qui et magnitudine excedit, et multiplici varietate ipſos longe ſuperat. Dicebant autem et Aethiopicum eſſe, et inde afferri.* Ex eodem

eodem porro fonte explicandae veniunt illae Aegyptiorum voces Myſticae, quas PORPHYRIVS in * Epiſtola ad Anebonem commemorat, et in quibus abs ratione haeſitat, ſolem nempe καθ' ὥραν τὰς μορφὰς ἀμείβοντα, καὶ κατὰ ζώδιον μετασχηματιζόμενον. *Singulis horis formam immutare, aut varios per ſingula Zodiaci ſigna vultus induere.* Vide et IAMBLICHVM de Myſteriis Aegypt. Sect, VII, c. 3. Id ipſum in mente etiam habuit MACROBIVS, quando Saturn. Lib. I. c. XXI. p. 212. de Tauro ſacro Hermunthite loquens, et eius cum ſole conuenientiam oſtenſurus, inter *miracula conuenientia naturae ſolis*, iſtud quoque memorat. *Nam et per ſingulas horas mutare colores affirmatur.* Caeterum Myſticam hanc Aegyptiorum de ſole traditionem, refert etiam PROCLVS in Timaeum Platonis Lib. I. p. 33. Ὅυτω, καὶ ἡ τῶν αἰγυπτίων ἐνδείκνυται παράδοσις περὶ ἡλίου, λέγουσα μυστικῶς, ὡς διαφόρους ἐν τοῖς ζωδίοις ἀμείβοντος μορφάς. *Id quoque oſtendit traditio Aegyptiorum, qua myſtice perhibetur, ſolem in ſingulis Zodiaci ſignis, aliam aliamque formam induere.* Quicquid autem argutetur PORPHYRIVS in Epiſtola modo laudata ad Anebonem, nihil aliud illa Aegyptiorum traditio allegorica ſibi vult, quam hoc, Solem, pro diuerſa, qua gaudet poteſtate, et pro variis effectibus, quos in diuerſis anni tempeſtatibus procurat, diuerſis nominibus ab Aegyptiis inſigniri, diuerſis etiam ſimulacris repraeſentari, et diverſis ſacrorum ceremoniis coli. Id quoque ſubindicat auctor Gnoſticus illius *Oraculi*, quod olim *Apollini Clario* tribuebatur, et ex quo haec nobis conſeruauit MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XVIII.

Φράζεο

* Praefixa Iamblichi Libris de Myſteriis Aegyptiorum p. VI. et apud EVSEBIVM Praeparat. Lib. V. c. X. p. 198.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω,
Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

Dic Deorum omnium ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme Orcum dicunt, incunte autem vere Iouem;
Aeſtate porro Solem, ac tandem autumno inclinato tenerum Iao.

Operae vix pretium eſt, hic monere, auctorem Oraculi huius, in verbis, quae deſcripſimus, ob oculos habere Theologiam Aegyptiorum, hanc vero inflectere et accommodare ad Theologiam gregis Gnoſtici, quod alias pluribus oſtendam. Solem igitur, ait auctor hicce, ſub initia veris nominari, nempe ab Aegyptiis, *Iouem*, idque iam nunc, idoneis argumentis, ex Antiquitate Aegyptiaca, ad liquidum deducam. Reliquis, quae in eodem Oraculo leguntur, explicandis, atque illuſtrandis, capita quaedam inſecutura impendam.

Deum Aegytiorum Amum Graeci Iovem interpretantur.

§. 2. Quem auctor *Oraculi Clarii*, et Graeci in vniuerſum omnes, *Iouem* Aegyptiorum nuncupare ſolent, ipſi Aegyptii, ſermone auito et vernaculo, dixerunt Ἀμοῦν, *Amun*, quam vocem Graeci, terminationem flexionemque linguae ſuae contorquentes, *Ammonem* efferunt. Videmus, id PLVTARCHI diligentiam non effugiſſe, qui in Libro *de Iſide et Oſiride* p. 354. ait, pleroſque exiſtimare, ἴδιον παρ' αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι * τὸν Ἀμοῦν. ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν, *peculiare apud Aegyptios nomen Iouis eſſe Amun, ex quo nos confecimus Ammonem.* Graecorum terminationem ſequitur DIODORVS SICVLVS, Lib. I. p. 12. fin. vbi inter Deos Aegyptiorum numerat Δία τὸν ὑπό τινων Ἄμμωνα προ-

* Forte vocula haec τὸν melius omitteretur.

προσαγορευόμενον, *Iouem, qui a nonnullis 'Ammon cognominatur.* Sic idem quoque p. 14. IAMBLICHVS de Myſter. Sect. VIII. c. 3. nomen hoc Αμῶν effert. Αμῶν κατὰ τὴν αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται. Sed, quod vere et recte obſeruauit PLVTARCHVS, ipſi Aegyptii Numen hoc ſuum appellabant *Amun.* Tradidit hoc iam HERODOTVS, qui cum Aegyptiis in eorum patria diligenter conuerſatus eſt, Lib. II. c. 42. Αμμᾶν αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. *Aegyptii Iouem Ammun appellant.* Eodem modo nomen iſtud exprimunt HECATAEVS *Abderita* apud PLVTARCHVM lib. cit. p. 354. et MANETHON ibid. CELSVS porro Epicureus Philoſophus, et, qui adverſus eum diſputat, ORIGENES, quem vide Lib. V. adu. Celſum p. 259. 261. 262. Denique, ne in congerendis teſtimoniis pluribus ſimilibus, modum excedere videar, id pariter docet HESYCHIVS, qui ad auctoritatem ARISTOTELIS prouocat. Sunt autem illius haec verba. Αμμᾶς ὁ Ζεὺς Ἀριστοτέλει. *Ammus Iupiter apud Ariſtotelem*, vbi nempe is de rebus Aegyptiorum locutus erat. Ceterum Graeci quidam, quos inter eſt etiam HESYCHIVS, Αμᾶν videntur habere pro caſu quarto, cuius primus ſit Ἀμᾶς, vel Αμμᾶς. Sed Aegyptiis Numen illud dicebatur *Amun*, quod ſuo loco interpretabimur.

§. 3. *Amun* hicce, vel, vti vulgo loquuntur, *Iupiter Ammon*, ſummum erat quidem, et ſanctiſſimum totius populi Aegyptii Numen; ſed propriam tamen ſedem habebat Thebis, in Aegypto ſuperiori, quae vrbs idcirco, ab hoc maximo Numine tutelari, Aegyptiorum ſermone dicebatur, etiam in S. Scriptura, * *Amun*, vel *Amon-No*, vel** *Hamon-no*, vel etiam

Ammoni huic Thebae in Aegypto Sacra erant, vbi et ſub ſpecie arietis colebatur.

* Ierm. XLVI, 25. ** Ezech. XXX, 15.

iam * *No-Amon*, id eſt, ſi etymologice nomen illud interpreteris, † *pars* et *poſſeſſio Ammonis*, μέρις Ἀμμῶν, vti interpretes Alexandrini habent NAHVMI III. 8. vel *vrbs Ammonis*, huic nempe Deo conſecrata. Graeci id communiter exprimere ſolent Διόσπολιν, *Iouis vrbem*, quos ea in re ſequuntur Alexandrini interpretes EZECH. XXX, 16. Eaque de cauſa, *Amun* κατ᾽ ἐξοχὴν, appellari ſolet, ὁ ἐν Θήβαις Θεὸς, *Deus Thebaeus*, vti apud DIODORVM Lib. I. p. 59. Habebat enim Deus ille Thebis Templum ſplendidum, quod, ſi credimus ARTAPANO, ſcriptori perantiquo, apud EVSEBIVM Praepar. Lib. IX. c. 27. rex Cenephren, tempore Moſis, cum antehac ex lateribus coctilibus aedificatum fuiſſet, e marmore, exciſo ex proximo monte, conſtruxit. Templi huius meminerunt ex veteribus, HERODOTVS, DIODORVS *Siculus*, PLINIVS, plurimique alii, tanquam aedificii prorſus admirandi. Et quamuis illud a Cambyſe vaſtatum iam fuerit, forte tamen veſtigia eius adhuc ſuperſunt, inter rudera vrbis antiquiſſimae ſtupenda, quae hodieque, etſi cadaueribus exanimatis ſimilia, ſpectatores tamen percellunt. Simulacrum vero Numinis iſtius, quod in inferiori Templi aedicula religioſe colebatur, HERODOTVS ita deſcribit Lib. II. c. 42. *Thebani, et, quicunque propter illos quibus parcunt, aiunt, ideo ſibi conditam hanc legem, quod Iupiter* Amun, *quum ab Hercule cer-*

Nahum. III, 8.

In Martyrologiis Coptorum videtur vrbs iſta appellari *Locus Ammonis*. Certe in Doxologia quadam, quam Lutetiae Pariſiorum, in Bibliotheca regia deſcripſi, leguuntur haec, latine a me conuerſa. *Quadraginta nouem martyres ſenes, in deſertis, quos Barbari trucidarunt* ϧⲁⲧⲉⲛ ⲡⲓⲙⲁ ⲛ ⲧⲉ ⲡⲓⲁⲙⲟⲩⲛ, *ad locum Amun* id eſt *prope Vrbem Amun vel Dioſpolin.*

cernere eum volente, cerni nollet, tandem exoratus, hoc commentus ſit, vt amputato, arietis capite, pelleque villoſa, quam illi detraxerat, induta ſibi, ita ſe Herculi oſtenderet: et ob id Aegyptios inſtituiſſe, Iouis ſimulacrum facere facie arietina. Ac pauculis interpoſitis: *Ob hanc rem arietes non mactantur a Thebacis, ſed eis ſacroſancti ſunt. Certo tantum die quotannis in feſto Iouis, vnum demum arietem obtruncant, cuius pellem detractam, hunc in modum ſimulacro Iouis induunt: ad illudque deinde aliud ducunt Herculis ſimulacrum.* Simulacrum itaque Iouis Thebaei, ſiue Amun, erat ſtatua, pelle arietis contecta, vt ſpeciem arietis prae ſe ferret. Et nutriebatur quoque in eodem Templo aries, ſiue ouis, tanquam viua Ammonis imago, illique non ſecus, atque Ammoni ipſi, cultus offerebatur religioſus. Id STRABO innuit Lib. XVII, pag. 559. Σαΐται πρόβατον τιμῶσι καὶ Θηβαῖται. *Saitae ouem colunt et Thebaei.* Sic et CLEMENS *Alexandrinus* in Protreptico p. 25. Σαΐται δὲ καὶ Θηβαῖοι πρόβατον σέβουσι. *Saitae et Thebaei ouem adorant.* Cultum hunc Thebaeorum perſtringit DIODORVS *Tarſenſis*, cuius e libro VI. *de Fato*, verba haec conſeruauit PHOTIVS in Bibliotheca, Cod. CCXXIII. p. 691. Τίς γένεσις — τὸν αἰγύπτιον συνελαύνει λατρεύειν τὸ πρόβατον. *Quae genitura Aegyptium compellit, religioſe ouem venerari?* id eſt *Iouem Ammonem.* Hinc ſine dubio eſt, quod *Ammon* dicatur TERTVLLIANO *ouium diues*, de Pallio c. 3. Talis igitur erat imago, tale ſimulacrum Ammonis Thebaei, in Aegypto, et cum a Thebaeis Sacra Ammonis ſui, toto orbe celeberrimi, acceperint Libyes, vti ab his Graeci, vel ex eo colligere iam licet, ſimulacrum Iouis Libyci, a ſimulacro Ammonis Thebaei, parum aut nihil diſtuliſſe. Erat et illud πρόβατον, *aries*, vel *ouis*, vti conceptis verbis nos docet ATHANASIVS in Oratione aduerſus gentes pag. 20. Edit. Commelin.

Sed quoniam de hoc Ammonis Libyci ſimulacro, erudite inprimis et ingenioſe diſputat IS. VOSSIVS ad Pomponium Melam Lib. I. c. VIII. cuius obſeruationibus calculum adiicit illuſtris SPANHEMIVS Differt. V. *de Vſu et Praeſtantia Numiſmatum* p. 349. 350. Edit. in 4to. Plura ea de re hic addere, eſſet actum agere.

§. 4. Memoratu indignum non eſt, quod de Ammonis Thebaei ſimulacro EVSTATHIVS memoriae prodidit, in Iliad. A. p. 128. Edit. Rom. Τινὲς μὲν λέγουσι, ὅτι ἐν Διοσπόλει, μέγιστόν ἐστι Διὸς ἱερόν· ἀφ᾽ οὗ λάβοντες αἰθίοπες διὸς ξόανον, καὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοστοῦσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας· ἐπεὶ καὶ τοσοῦτοι παρ᾽ αὐτοῖς οἱ θεοί. *Aliqui dicunt, eſſe Dioſpoli,* (vel Thebis) *maximum Iouis Templum, ex quo Aethiopes, Iouis et aliorum Deorum ſimulacra accipiunt, atque cum illis, certo quodam conſtituto tempore, Libyam circumeunt, feſtum continuum, per duodecim dies, ſplendide ac laute celebrantes. Tot enim deos ipſi venerantur.* DIODORVS Lib. II. p. 88. id non tantum de ſimulacro, verum et de Sacello Ammonis Thebaei narrat. *Quotannis Iouis Sacellum apud Aegyptios per fluuium transmitti in Libyam, et poſt dies aliquot, ac ſi Deus ipſe ex Aethiopia redux ſit, reuerti.* Per νεών, intelligenda hic venit aedicula parua, variegata, et deaurata, in qua ſimulacrum Dei cuiuspiam vel Deae circumferebatur, et ab vno loco ad alium deportabatur, qualem nobis deſcribit HERODOTVS Lib. II, c. 63. loquens de Numine Papremitano, quod Martem vocat c. 59. quodque Herculem Aegyptiorum fuiſſe, auguror. Verba HERODOTI ita ſe habent. Τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ, προεκκομίζουσι τῇ προτεραίῃ ἐς ἄλλο οἴκημα. *Porro ſimulacrum ligneum, collocatum in Sacello ligneo, paruo, ac deaurato, in alias aedes ſacras, pridie exportant.* Ae-

diculae

diculae hae appellantur etiam *Thalami*, et παςοὶ, de quibus multa CVPERVS in *Harpocrate* p. 129. 130. etc. et IO. CORN. a PAVW in Obſeruat. ad Horapollinem pg. 326. Et qui illas humeris ſuis circumgeſtarent, dicti παςοφόροι, vti et ἱεραφόροι, et *Sacrorum baiuli.* Ex iis, quae attulimus, liquere vnicuique poteſt, Ammonem Aegyptiorum, etiam Libybus et Aethiopibus Numen fuiſſe ſacroſanctum, qui quouis anno, ſimulacrum ſummi huius, etiam ciuibus ſuis, Numinis, ab Aegyptiis, conſtituto tempore mutuo acceptum, impenſa religione, laeti colebant. Quod mirum nemini videri debet, cum talis Sacrorum, inter Aegyptios, Libyes, et Aethiopes, communio, tempore etiamnum Theodoſii Iunioris, Imperatoris, ſeruata fuerit, quod teſtatur PRISCVS Rhetor, in *Eclogis Legationum*, graece ab Hoeſchelio editis p. 28.

§. 5. Sed miſſis his, id nunc potiſſimum agamus, vt ex idoneis veterum monumentis intelligatur, quidnam proprie *Amun*, vel *Ammon*, Aegyptiis deſignaverit, aut quidnam antiqui eorum Theologi, in iſthoc Numine, hominibus gentis ſuae, colendum et celebrandum propoſuerint. Recentiores quidam Philoſophi Platonico-Pythagoraei, IAMBLICHVS, DAMASCIVS, et horum ſimiles, Placitis doctrinae ſuae Metaphyſicae, multo magis, quam auitae et genuinae Aegyptiorum Theologiae, inhaerentes, perſuadere nobis annituntur, *Ammonem* vetuſtis in Aegypto Theologis nomen fuiſſe * Opificis, adeoque illius ipſius, quem priſco Aegyptiorum ſermone nuncupatum fuiſſe *Phthan*, alibi prolixe docuimus. Et huic quidem ipſorum interpretationi nominis *Amun*, dummodo in re ipſa fundamentum haberet, lingua *Amun Aegyptiorum Symbolum erat Solis.*

 Aegy-

* IAMBLICHVS de Myſteriis Sect. VIII. cap. 3. et EVSEBIVS Praepar. Lib. XI. c. 7. pag. 115.

Aegyptiorum priſca non repugnaret, quod poſtea videbimus; ſed repugnat omnino conſtans Aegyptiorum, de hoc ſuo Numine, traditio, et genuina gentis illius Theologia. In illa *Amun* ſymbolum erat *Solis*, non vero Opificis, a quo potius Solem formatum fuiſſe, docebatur. DIODORVS itaque Lib. I. pag 22. auctor eſt, quoſdam cenſere, *Oſiridem eundem eſſe cum Ammone.* Oſiridem vero ſolem eſſe, capite antecedenti adſtruximus. Si MACROBIO auſcultamus, Saturn. Lib. I. c. XXI. p. 212. *Hammonem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimarunt* Et certe ⲈⲘⲈⲚⲦ (*Amant*) lingua Aegyptiorum *Occidentem* ſignificat. Verum ſunt mihi tamen rationes, quibus vt credam, inducor, MACROBIVM hic quidem, auctoris ſui, ex quo id hauſit, mentem non recte aſſecutum eſſe, qua de re poſtea quaedam monebimus. In eo tamen a vero minime aberrauit, quod Libyes et Aegyptios, in Ammone Solem coluiſſe tradidit. Idem ex eo etiam confirmari egregie poteſt, quod Aegyptii huic Numini arietem ſacrum eſſe voluerint, quodque in Templo Thebaeo, Deo huic ovem vel arietem; ceu viuam quandam Dei huius imaginem dedicauerint, quod §. 3. oſtendimus, Rem hanc MACROBIVS nobis explicabit *. *Signa quoque vniverſa Zodiaci ad naturam Solis iure referuntur, et, vt ab ariete incipiam, magna illi* (cum Sole) *concordia eſt. Nam is per menſes ſex hybernales, ſiniſtro incubat lateri, ab aequinoctio verno ſupra dextrum latus: ſicut et Sol ab eodem tempore dextrum hemiſphaerium, reliquo ambit ſiniſtrum.* Fabulam hanc Aegyptiorum ſymbolicam refert etiam AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 18. Sed pluribus argumento huic immorari opus non eſt. Mox enim probabimus rationibus, quae exceptionem omnem reſpuunt, Ammonem Aegyptiorum ſymbolum ipſis fuiſſe Solis, hemiſphaerium

ſupe-

* Loc. cit. pag. 212.

ſuperius contingentis, et ſignum arietis ingredientis. Ab Aegyptiorum hac in re placitis non valde abhorruiſſe videntur antiquiores in Graecia Theologi, qui per *Iouem* pariter vim poteſtatemque *Solis* ſubinnuerunt. Tangit eam rem, ex ſacerdotum Cypriorum praeceptis, et ex Appollinis ipſius Oraculis IVLIANVS Imperator, Orat. IV. quae eſt in Solem, p. 135. et 143. Nec ea latuit diligentiſſimum Theologiae veteris indagatorem, MACROBIVM, qui Saturn. Lib. I. c. XV. hunc in modum diſſerit: *Cum Iouem accipiamus lucis auctorem, vnde et Lucetium Salii in carmine canunt, et Cretenſes* Δία τὴν ἡμέραν (Iouem Diem) *vocant, ipſi quoque Dieſpitrem appellant, vt dici patrem.* Ea forte ratio fuit, cur Graeci *Ammonem* interpretarentur *Iouem*, cum ceteroquin Ammoni Aegyptiorum, cum Ioue Graecorum et Romanorum vulgato, parum omnino affinitatis et ſimilitudinis intercedat.

Specialius Amun ſymbolum erat ſolis, in ſigno arietis aequinoctium facientis, et ver auſpicantis.

§. 6. Quando *Ammonem* Aegyptiis ſymbolum fuiſſe *Solis* adſerui, id tamen cum aliqua limitatione ac diſtinctione accipiendum eſſe volo. Nempe in Numine hoc, Aegyptiorum ſacerdotes, non Solem in genere populo adumbrare voluerunt, verum ſigillatim ſolis in arietem ingreſſum, quando emenſus hemiſphaerium inferius, ad ſuperius noſtrum euaſit, ac ſignum Arietis ingreſſus, aequinoctium efficit, ver laetiſſimum auſpicatur, et illam orbis partem, quam nos inhabitamus, noua luce nouoque calore recreat. Illa eſt vera *Ammonis*, apud Aegyptiorum Theologos priſcos, ratio et ſignificatio. Illam auctor *Oraculi Clarii*, in verſibus his, §. 1. iam allatis luculenter declarauit.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω,
Χείματι μὲν ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
Dic omnium Deorum ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme orcum dicunt, ineunte autem vere Iovem (Amun)

Omnium vero certiſſime id, quod dixi, teſtatur aries, Ammoni Aegyptio conſecratus, et in Templo eius Thebaeo, non aliter atque viua eius imago, enutritus diuiniſque honoribus cultus. Cur enim, obſecro, iidem, et primum Zodiaci ſignum, et ſanctam imaginem ſymbolicam Ammonis ſui, arietem eſſe voluerunt, niſi quod haec duo, ad ſe inuicem relationem habere, arbitrarentur? Nam Aegyptios quidem, qui Ammoni ſuo, de quo dubium nullum eſſe poteſt, arietem conſecrarunt, primum quoque Zodiaci ſignum arietem finxiſſe, et * aliunde probari poſſet, ſi operae pretium foret, et diſertis verbis tradit THEO in Scholiis ad Arati Phaenomena p. 69. Ed. Oxon. verba eius haec ſunt. *Διὰ τὶ δὲ ἀπὸ καρκίνȣ ἤρξατο, καὶ ταῦτα τῶν αἰγυπτίων ἀεὶ ἀπὸ κριȣ̃ λαμβανόντων τὴν ἀρχήν. — οἱ δὲ αἰγύπτιοι εἰκότως ἀπὸ τȣ̃ κριȣ̃, ποιȣ̃νται τὴν ἀρχὴν, πάντα τὰ ζώδια κατὰ ἀναλογίαν λαμβάνοντες τῶν μελῶν· καὶ δὴ τὸν μὲν κριὸν κεφαλὴν εἶναί φασιν, ἐν ᾗ τὸ ἡγεμονικόν· ἐπειδὴ ὁ κριὸς τῶν προβάτων ἡγεμὼν, καὶ πρόοδός ἐςι, καὶ ὅτι ἐν τῷ κριῷ ὁ ἥλιος ἰσημερίαν ποιεῖται. Quamobrem vero Aratus a cancro initium fecit, cum tamen Aegyptii Zodiacum ab ariete auſpicati ſint? — Aegyptii vero recte omnino ab ariete initium ſumunt, cum animalia in ſignifero ſic locarent, vt aliquam cum membris corporis humani haberent congruentiam. Et arietem quidem cum capite comparant, in quo eſt principatus. Nam aries ouium princeps atque ductor eſt, et in ariete Sol aequinoctium facit.* Quoniam igitur Aegyptii, primum Zodiaci ſignum arieti aſſignarunt, in quo Sol aequinoctium facit, et ab eo tempore lucem, dierum nempe longitudinem, producit, ideo Solem illo ipſo tempore

pore

* Poterit tamen, ſi tanti videatur, conſuli MACROBIVS in Somn. Scip. Lib. I. cap. XXI. pag. 75.

pore ſub imagine arietis pinxerunt, imaginem illam ſymbolicam ſumma religione conſecrarunt, eamque ſermone ſuo patrio *Amun* cognominarunt. Adſtipulatur his EVSEBIVS, qui Praepar. Euang. Lib. III. cap. XII. rationes ſymbolicas, ſtatuae cuiusdam Aegyptiae perſimilis ſigno Iouis Ammonis, exponens, ita ſcribit. *Et caput quidem arietis — congreſſionem Solis ac Lunae in arietis ſigno repraeſentat.*

Id etiam fabulae ſacrae, de Ammone Thebaeo, in vulgus ſparſae, confirmant.

§. 7. Non me latet, Graecos et Romanos Mythographos, longe aliam rationem, culti ab Aegyptiis et Libybus, ſub arietis forma, Ammonis, nobis offerre; ſed quae fabuloſam ſuam fictamque originem nimis manifeſto prodit. Equidem ipſi quoque Aegyptii, vt omnia, ita haec quoque Theologorum ſuorum placita, fabularum tegumentis inuoluerunt. Et ipſorum quidem hac de re λόγος ἱερὸς, fabula ſacra allegorica, vti eam a ſacerdotibus accepit HERODOTVS, huius eſt argumenti (vid. §. 3.) Hercules aliquando Iouem videre magnopere cupiuit, cumque hic tamen videri nollet, id tandem excogitauit, vt circumpoſita ſibi pelle arietina, tanquam arietem ſe ipſi conſpiciendum praeberet. Eaque de cauſa, ſacerdotes Thebaei, quotannis, certo die, arietem mactabant, et ad illud, ſignum Herculis adducebant. Commemorantur etiam aliae quaedam Aegyptiorum fabulae, huic ſimiles et cognatae, ſed de quibus, ne hic prolixior ſim, cap. ſequenti, nonnihil addam. Graeci vero, et hos ſecuti Romani, fabulam illam Aegyptiorum ſacram, mirum in modum interpolarunt et incruſtarunt. Audiamus * SERVIVM, fabu-

* Similia, ſed adhuc magis fere corrupta leguntur apud HYGINVM Fab. CXXXIII. et in *Poëtico Aſtronomico* Lib. II. c. 20. *Scholiaſten Germanici* p. 110. 111. Edit. Sant-Andreanae, LVTATIVM in Statii Thebaid. Lib. III, 476. AMPELIVM libro memoriali cap. 2. TERTVLLI-

lam canam Aegyptiae gentis, ſed graeco cultu exornatam, hunc in modum nobis referentem, in Virgilii Aeneid. Lib. IV. 196. *Liber, vel, vt alii dicunt,* HERCVLES *cum Indos peteret, et per deſerta Libyae exercitum duceret, fatigatus ſiti,* IOVIS *patris ſui implorauit auxilium, cui ille* ARIETEM *oſtendit, quem ſecutus ille, peruenit ad locum quendam, in quo* ARIES *terram pede ſuo ſcalpſit, e quo loco fons manauit. Vnde factum eſt, vt Ioui Hammoni ab harenis* (ἀπὸ τῆ ἄμμȣ) *dicto lingua Libyca, templum cum ſimulacro cum cornibus arietinis conſtitueretur. — Aut quia Libyae* (id eſt Libyes) *Iſammone arietem appellant.* Quis non in fabula hac origines Aegyptiacas confeſtim agnoſcat? Vide modo HERODOTVM, eumque cum iſta fabula confer. Habes enim et hic *Iouem*, et quidem *Ammonem*, habes *Herculem*, habes *arietem*, quem Iupiter Herculi oſtendit. Veroſimile igitur eſt, ſacerdotes Iouis Ammonis, in Marmarica, ad cuius Templum et Oraculum multo celebratiſſimum, innumerabilis hominum multitudo, ex Africa, Aſia, et Europa, confluere olim ſolebat. fabulam origine Aegyptiacam, omnium primo adulteraſſe, et rebus ſuis, labentibus annis, ſenſim magis magisque accommodaſſe, Graecos vero, moribus ſuis inhaerentes, eam adhuc manifeſtius corrupiſſe. Dixi, fabulam a ſacerdotibus Thebaeis in Aegypto primo excogitatam, poſtea ad Iouem Ammonem Libycum, in Marmarica adoratum, Graecisque vetuſtis multo notiorem, quam Thebaeum, detortam atque inflexam fuiſſe. Illius enim Ammonis Templum, in mediis ac horridis arenis ſitum, fontem habebant, quem vocant *fontem Solis*, naturae prorſus mira-

TVLLIANVM de pallio c. 3. MARTIANVM CAPELLAM Lib. II. p. 39.

mirabilis, ſi vera ſunt, quae * veteres narrant, illumque fabulae Graecorum, de quibus dixi, haud dubie deſignant. Ibi aries fontem oſtendit, e quo copioſa aquae vis manauit. Sed nihil tamen impedit, quominus etiam antiquiſſimae Thebaeorum de Ammone ſuo fabulae, arieti ſuo ſymbolico, id eſt ſoli arietis ſignum ingreſſo, virtutem iſtiusmodi tribuerint. EVSEBIVS certe, vbi Praeparat. Euang. Lib. III. c. 12. Simulacrum aliquod, Elephantinae in Aegypto dedicatum, deſcribit, ſuſpicioni huic locum relinquit, eique non parum fauet. Verba eius, latine conuerſa, malumus adſcribere. *Simulacrum prae ſe fert ſpeciem viri ſedentis, et colore coeruleo imbuti; ſed cui caput impoſitum eſt arietis. Loco diadematis regalis, gerit cornua hirci, quae circulum diſco ſimilem ſuſtinent. Et caput quidem arietis, cum cornibus hirci, congreſſionem ſolis ac lunae, in ſigno arietis; coeruleus vero color, lunae vim, ad cogendas et eliciendas aquas, in ea congreſſione praecipuam, repraeſentat.* Et ſane ver, quod Solis in arietem ingreſſus auſpicatur, humiditatis copia abundare, aut certe ſolere, nemini obſcurum eſſe poteſt. Aegyptii inſuper, qui incrementa Nili ſui, ſolis lunaeque virtuti in acceptis ferebant, initia illorum **, poſt veris auſpicia, id eſt, a ſolis in arietem tranſitu, expectabant, et numerare quodammodo incipiebant. Aries itaque Aegyptiis fontes aquarum vberrimos non promittebat modo, verum etiam aliquo modo aperiebat. Hoc innuebat fabula illa, vti eam ſacerdotes Aegyptii proponere ſolebant.

§. 8.

* DIODORVS *Siculus*, Lib. XVII. p. 528. ARRIANVS de expedit. Alexandri Lib. III. pag. 161. Edit. Blancardi. CVRTIVS Lib. IV. cap. 7.

** DIODORVS Lib. I. pag. 32. ARISTIDES in Aegyptio p. 93. b. Edit. Graec. Florent.

Concinunt Arabum de eadem re fabulae, et Tabula Bembina ſeu Iſiaca.

§. 8. Praeter Graecos, Arabes etiam, qui olim libris nonnullis veterum Aegyptiorum et Graecorum vſi ſunt, nunc deperditis, quique ex traditionibus Aegyptiorum antiquis, multa haurire potuerunt, vbi de rebus gentis huiusce vetuſtis agunt, etiam fabulam illam ſacerdotalem de Ammone commemorant; alio quidem ornatu expolitam; ſed quae tamen ad mentem priſcorum in Aegypto Philoſophorum ſatis prope accedere videtur. Eam ex MVRTADII, qui ſeculo XIII. floruit *, Libro *de mirabilibus Aegypti* p. 22. 23. hic tranſcribemus latine verſam. *Aiunt Bardeſirium ſeſe per annos complures oculis hominum ſubduxiſſe, et nonniſi ſemel quouis anno, certo quodam et definito tempore, quo nempe Sol arietem ingreditur, conſpiciendum ſe praebuiſſe, et tum quidem hominibus ſui copiam feciſſe, et cum iis ſermones contuliſſe, etſi tamen oculis cerni ab iis non poſſet. — Poſt haec in nubibus, forma humana indutus, apparuit ipſis, ac tandem abſceſſit; ſed imaginem tamen ſuam oculis ipſorum obuerſari paſſus eſt* **, *in Templo ſolis, quo tempore is arietis ſignum ingrediebatur.* Si quis fabulam hanc Arabum, cum illa, quam HERODOTVS ex ore ſacerdotum exceptam memoriae prodidit, curate conferat, intelliget facile, vtramque ex fonte eodem dimanaſſe, remque eandem allegorice deſignare, ſolennitatem nempe religioſam, illo anni tempore, quo ſol in ſignum arietis tranſitum facit, a ſacerdotibus totoque populo Aegyptiorum cum gaudio concelebratam. Sed omnium optime, fabula iſta ſacer-

* Editus ille eſt ex verſione PETRI VATTIERII Paris. 1666. 12o. Fabulam eandem ex aliis ſcriptoribus Arabicis, vti videtur, refert etiam BENIGNVS de MAILLET Conſul quondam Nationis Gallicae in Aegypto, *Deſcription de L' Egypte.* Tom. II. p. 153. Edit. in 8o.

** Videtur intelligi Templum Ammonis Thebaeum.

ſacerdotalis, vti ab HERODOTO literis conſignata eſt, explicatur et mirifice illuſtratur, in celeberrima illa *Tabula Bembina*, quae et *Iſiaca* vocari ſolet. Cernitur enim illic in ipſo principio, *aries* ſacer, *Ammon* videlicet Aegyptiorum. Prope ipſum adſtat *Hercules*, vel *Horus*, namque hi multiplici ratione inter ſe conueniunt, quod cap. IV. Libri huius plenius oſtendemus. Adſunt praeterea tot certa indicia aequinoctii verni, ſiue ingreſſus ſolis in arietem, et religioſae ſolennitatis, tum per Aegyptum celebratae, vt dubium merito nemini ſupereſſe queat. Verum quoniam figuras illius Tabulae, ad negotium hoc ſpectantes, in * *ſpecimine nouae explicationis Tabulae Bembinae*, paucis quidem, ſed ſatis tamen, explicui, et quoniam infra cap. IV. eadem de re aliquid mihi repetendum eſſe video, poſſum nunc ad alia tranſire.

Alia fabula Aegyptiorum ſacra de Ammone huc ſpectans, explicatur.

§. 9. Sed ſupereſt alius Aegyptiorum veterum hac ipſa de re ἱερὸς λόγος, quem literis prodidit EVDOXVS, Platonis auditor, et Aſtronomorum ſui temporis Princeps, qui in Aegypto aliquamdiu vixit, ibique ſacerdotum diſciplina vſus eſt. Ex eo autem PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 376. iſta nobis conſeruauit. Φησὶ περὶ τȣ̃ Διὸς ὁ Εὔδοξος, μυθολογεῖν Αἰγυπτίȣς, ὡς τῶν σκελῶν συμπεφυκότων αὐτῷ μὴ δυνάμενος βαδίζειν, ὑπ᾽ αἰσχύνης, ἐρημίᾳ διέτριβεν. Ἡ δὲ Ἶσις διατεμȣ̃σα καὶ διαστήσασα τὰ μέρη ταῦτα τȣ̃ σώματος, ἀρτίποδα τὴν πόρειαν παρέσχεν. *De Ioue perhibet Eudoxus, fabulam Aegyptios celebrare, eum pedibus inter ſe adunatis, cum ire non poſſet, pudore ductum, in ſolitudine vixiſſe: Iſidem autem, diſſectis et diductis iis membris, Ioui greſſum expediuiſſe.* Fabula haec Aegyptiorum cana et genuina, de quo nemo facile

* In *Miſcellaneis* ſocietat. ſcientiarum Berolinenſis Tom. VI. p. 139. etc.

cile dubitabit, cum priori illa, quam ex HERODOTO ſupra (§. 3. 7.) deſcripſimus, cognatione iuncta eſt. Nam et in hac, vti in illa, *Iupiter Ammon* dicitur aliquamdiu in ſolitudine vixiſſe, nemini viſus; ſed poſtea rurſus conſpiciendum ſe praebuiſſe, et greſſum protuliſſe. Sed in poſtrema EVDOXI fabula, ratio allegorica redditur, cur Iupiter diu viſus non fuerit. Erant nempe pedes ipſi συμπεφυκότες, *concreti*, et *adunati*, vt proinde neutrum mouere, adeoque nec progredi, potuerit. Ideo pudore ductus, noluit videri. Poſtea cum diſcretis diductisque pedibus, gradum proferre commode iam poſſet, e ſolitudine in conſpectum aliorum prodiit. *Diſtinguunt* igitur fabulae Aegyptiorum, inter Iouem veluti claudicantem, vel facultate libere eundi priuatum, eundemque recte et ex animi ſententia procedentem. Iupiter claudicans, proprie non eſt *Amun*, adeoque nec, ſenſu ſtrictiori; *Iupiter* Aegyptiorum; ſed *Harpocrates*, cuius vel ipſum nomen, *claudicationem* prae ſe fert. Aegyptiae enim Ⲉⲣϥ ϣϭ-ⲣⲁⲧ, *Arpochrat*, et addita terminatione Graecorum, *Arpocrates*, vere ſonat *claudicantem pede*, quod infra, loco commodiori, cap. VI. plenius docebo. Eſt autem *Harpocrates* ſymbolum ſolis, hybernum ſolſtitium efficientis, ideoque in picturis Aegyptiorum ſymbolicis, pedes habet συμπεφυκότας, vel, vt loquitur * HORAPOLLO, συνηγμένους, id eſt *concretos*, et *adunatos*, quod diſtincte depictum, cernimus in *Tabula Bembina*, quodque ex veterum monumentis explicui **, in *Coniectaneis ad Clauſulam Tabulae Bembinae* §. 5. Iupiter vero commode pedes promouens, gradiensque, eſt ipſe *Amun*, Aegyptiorum *Iupiter*, ſiue ſymbolum

* Hieroglyph. Lib. II. cap. 3.

** *Miſcellan.* Berolinenſ. Tom. VII. p. 378. 379.

lum Solis efficientis aequinoctium vernale. Vnde iam patet, quare, cum *Harpocrates et Amun*, in Theologia Aegyptiorum, dii ſint diuerſi, tamen ad vnum referantur Iouem. Nam vterque, *Harpocrates*, et *Amun*, vnum deſignant *ſolem*, etſi alio, alioque reſpectu. Cur vero de altero dicatur, quod non videatur, de altero vero, quod conſpiciendum ſe praebeat, ratio ex dictis reddi poteſt facillima. Nam, dum ſol eſt *Harpocrates*, moratur in Hemiſphaerio inferiori, nobis oppoſito, quo tempore ſolis lux quotidie minuitur, tenebrae vero praeualent, nos autem multis beneficiis ſolis priuamur; At vero dum eſt *Amun*, ſuperius noſtrum hemiſphaerium ingreſſus, nos noua luce, nouo calore, nouisque beneficiis perfundit. Quod porro ſol, dum ſolſtitium hybernum efficit, dicatur *pede claudicans*, vel *pedibus concretus*, idem vero, quando aequinoctium vernum facit, *commode procedere* perhibeatur, Aſtronomorum filiis obſcurum aut ignotum eſſe non poteſt. Nempe, vt PLVTARCHVS ſcribit, in libro *de procreatione animae* etc. p. 1028. Ὁ ἥλιος περὶ τὰς τροπὰς ἐλάχιϛα, καὶ μέγιϛα περὶ τὰς ἰσημερίας ἔχει κινήματα. *Solis circa Solſtitia motus eſt pertenuis, at velox valde in aequinoctiis.* Sic vetus *Heſiodi in Theogoniam Scholiaſtes* pag. CLXVIII. a. Edit. Venetae *Trincauelli.* Τὸν ἰσημερινὸν κύκλον ὠκεανὸν οἶμαι καλεῖ. διὰ τὸ ὠκέως τοῦτον διέρχεσθαι τὸν ἥλιον· τοὺς γὰρ τροπικοὺς βραδέως διέρχεται. *Circulum Aequinoctialem, Oceanum appellat, vt puto, quia eum ſol* ὠκέως *celeri motu percurrit. In ſolſtitiis vero motus eius eſt tardus.* Sol itaque, dum adhuc eſt Harpocrates, in ſolſtitio hyberno tarde et ſegniter mouetur; ſed in aequinoctio verno, motus eius eſt incitatus, et ſtrenuus. Haec eſt profecto vera et genuina fabulae illius explicatio. Plura his addam infra cap. VI. de Harpocrate. Omnia quae dixi, egregie confirmat PROCLVS in Timaeum

Platonis

Platonis Lib. I. pag. 30. Κριὸν ἐκεῖνοι διαφερόντως ἐτίμων, διά τε τὸν Ἄμμωνα κριοπρόσωπον καθιδρυμένον, καὶ ὅτι γενέσεως ὁ κριὸς ἀρχή, καὶ ταχυκινητότατός ἐστιν, ὡς περὶ τὸν ἰσημερινὸν (ſubintellige κύκλον) κατηστερισμένον. *Arietem Aegyptii ſingularem in modum coluerunt, eo quod ſimulacro Ammonis apud ipſos caput arietinum imponatur. Accedit, quod aries, primum quippe zodiaci ſignum, principium ſit geniturae, et quod motus eius eſt velociſſimus, quia in illo ſigno Sol aequinoctium facit.*

Amun non eſt Chamus, Noachi filius.

§. 10. Erat itaque *Amun* Aegyptiorum filiis, re ipſa ſymbolum ſolis, in ſigno arietis aequinoctium facientis, ac ver auſpicantis, id quod nomen ipſum diuinitatis huius Aegyptiacum, *Amun*, ſi recte explicetur, mirifice confirmat. Sunt tamen, quod non diffiteor, viri eruditionis laude, merito ſuo celeberrimi, qui originem nominis iſtius, non diu, neque operoſe quaerendam eſſe putant, cum facillime et tutiſſime, in *Chamo*, Noachi filio, et Aegyptiorum progenitore inueniri queat. Non deeſt ſententiae huic ſua ſpecies, verique ſimilitudo, quandoquidem ex Scripturae paginis conſtat, a *Chamo* deſcendiſſe Aegyptios, hos vero, memoriam progenitoris, a quo ipſi omnes longa ſerie ortum traxerant, conſeruare et etiam religioſe colere voluiſſe, improbabile et a moribus illius aeui alienum non eſt. Multa hac de re dici et obſeruari poſſent. Verum nunc id vnum tantum monebo. Quisquis Theologiae Aegyptiacae genuinam indolem ſtudioſe et ſerio inueſtigauerit, nunquam ſe induci patietur, vt credat, *Amun* Thebaeum eſſe *Chamum* Noachidem. Ipſa quoque vtriusque nominis ſcriptio et conſideratio, quae tamen videtur viris doctiſſimis praecipuus ſententiae huius fundus fuiſſe, eidem profecto euidenter aduerſatur. Aegyptii nomen illud, quod ſaepius monuimus,

mus, ſcripſerunt Amun, Copti ⲀⲘⲞⲨⲚ, vide ſupra §. 3. (not. †) Prophetae θεόπνευστοι, idem eſſerunt אמון et המון, *Amon*, (vel *Amun*) et *Hamon*, (vel *Hamun*) quod iam monitum eſt §. 3, idque a pronuntiatione Aegyptiorum, quod nemo non illico videt aut nihil, aut certe perparum differt. At filio Noachi ſemper a ſcriptoribus ſacris nomen imponitur חם, *Cham*, et ab eo Aegyptus ipſa dicitur, ארץ חם, *Terra Chami*, Pſ. CV, 23. 27. CVI, 22. Veſtigia ſane longe luculentiora nominis *Cham*, ſuperſunt in Χημία, quomodo Aegyptios, regionem ſuam, vocabulo patrio appellaſſe, teſtatur PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 364. Et Copti in libris ſuis Aegyptum nunquam aliter nominant, quam ⲬⲎⲘⲒ, *Chami*, aut Dialecto Thebaidis ⲔⲎⲘⲈ, *Kame*. Vnde HIERONYMVS Quaeſtion. in Geneſin hebraicis (Opp. Tom. II.) col. 514. HAM, *a quo et Aegyptus vſque hodie, Aegyptiorum lingua dicitur* HAM. A *Chamo* igitur erit ⲬⲎⲘⲒ, *Aegyptus*. Sed *Chami* et *Amun*, in lingua Aegyptiorum nulla prorſus cognatione ſe contingunt. Taceo iam, fabulas et traditiones antiquas Aegyptiorum, de *Ammone* ſuo, nihil omnino nobis offerre, quod ſuſpicionem virorum eruditorum, *Chamum* nempe latere in *Amun*, iuuare queat. Nam fabulas Graecorum de Ioue ſuo, Saturni filio, Neptuni et Plutonis fratre, ad *Ammonem* Aegyptiorum, ſine grauiſſimo errandi periculo, transferre profecto non licet.

§. 11. Extant quaedam nominis *Amun*, tum ex Hebraico, tum ex Arabico, tum etiam ex graeco ſermone, originationes et explicationes. Verum cum domeſtica in promtu ſint, ex genuina nempe Niligenarum lingua depromta, quid de peregrinis, longeque petitis, qualia cuiuis, cui ingenii facultas et copia ſuppetit, exſculpere facile eſt, cogitare vellemus? Liceat igitur mihi, vti alias, ita etiam nunc, vocem *Aliorum originationes vocis Amun examinantur.*

Amun, ex auito Aegyptiorum ſermone deduceret. Si magno cuidam Philoſopho, forte ARISTOTELI, ad quem ſaltem in eadem cauſa prouocat HESYCHIVS §. 2. allatus, credimus, vox *Amun* Aegyptiis *patrem* deſignauit. Id nos docet EVSTATHIVS in *Dionyſii Periegeſin* v. 212. vbi ita legitur. Τῶν δέ τις μεγάλων φιλοσόφων Αμȣν καὶ πατέρα ἐιπεῖν ταῦτον ἐιναι ἱςορεῖ. *Philoſophus aliquis magnus tradidit, dicere Amun, et patrem, idem valere.* Fateor tamen, me huius dictionis, in illo ſenſu, quantum meminiſſe poſſum, veſtigia nulla in lingua Aegyptiaca obſeruaſſe. Vti tamen in plerisque, et forte omnibus, linguis, infantes vocalis vti ſolent quibusdam *infantilibus*, quibus patrem et matrem compellant, quarum in libris non facile mentio occurrit, ita fieri etiam potuit, vt apud Aegyptios, liberi patres ſuos voce quapiam, ad ſonum τȣ *Amun* accedente, alloquerentur, quod tamen, ſi res ita ſe haberet, ad explicandum nomen Dei Thebaei *Amun*, me iudice, vix quidquam conferre poſſet. Cum lingua Aegyptiaca apertius conſonat, illa nominis *Amun* interpretatio, quam PAVSANIAS adfert, etſi forte ipſi huic auctori minus intellecta. Ita autem is in Meſſen. p. 337. Edit. Kühnii: Ἄμμων ἐν Λιβύῃ, ἀπὸ τȣ ἱδρυσαμένȣ ποιμένος, ὄνομα ἔχεν. *Ammon in Libya nomen accepit a paſtore, qui ipſi ſimulacrum dedicauit.* Habuit igitur Ammon, ſecundum iſtam traditionem, nomen hoc ſuum a paſtore, qui ipſi templum et ſtatuam dedicauit. Pauſanias ſine dubio id ſibi voluit, Paſtori illi Libyco, nomen fuiſſe *Ammoni*, eumque Deo, cuius Sacra illic inſtituit, nomen ſuum indidiſſe. Ita certe mentem eius cepit EVSTATHIVS, qui loco iam citato haec commentatur. Ὁι δέ φασι τὸν ἐκεῖ Δία ἄμμωνα κληθῆναι, ἀπό τινὸς ὁμωνύμȣ ποιμένος, προκατάρξαντος τῆς τȣ ἱερȣ ἱδρύσεως. *Alii dicunt, Iouem Libycum Ammonem dictum fuiſſe, a paſtore quodam cognomine,*

mine, qui conſtructionem templi in eius honorem auſpicatus eſt. Lepidam ſane ſabellam! ſed primus etymologiae huius auctor, ſignificare ſine dubio voluit, *Ammoni* nomen inditum fuiſſe a quodam paſtore. Etenim Aegyptiis ⲁⲙⲟⲛⲓ (*amoni*) *paſcere* et *paſtorem* ſonat. Pſalm. XXIII, 1. XLVIII, 14. LXXX, 1. Auctorem originationis huius crediderim graecum fuiſſe, ſed linguae Aegyptiacae non rudem. Quia igitur Ammoni ouis ſacra erat, credidit, eum, vt loquitur * TERTVLLIANVS, *ouium diuitem eſſe*, eique oues curae eſſe, perſuaſit ſibi, Ammonem eſſe Deum paſtorum. Aliam eiusdem nominis interpretationem, ex lingua Aegyptiorum dedit nobis HECATAEVS, ſcriptor admodum antiquus, apud PLVTARCHVM de Iſ. et Oſir. p. 354. Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης φησὶ τούτῳ καὶ πρὸς ἀλλήλους τῷ ῥήματι (Ἀμοῦν) χρῆσθαι αἰγυπτίους, ὅταν τινὰ προσκαλῶνται· προσκλητικὴν γὰρ εἶναι τὴν φωνήν. *Hecataeus Abderita hoc verbo* (Amun) *vti Aegyptios inuicem ait, cum alter alteram vocat: eſſe enim vocem, aliquem ad ſe vocandi.* Recte profecto et vere. Nam ⲁⲙⲟⲩ (*Amu*) et ⲁⲙⲱⲓⲛⲓ (*Amoini*) pro δεῦρο, *Adſum*, et *accede*, et pro δεῦτε, *adeſte*, *accedite*, ſexcenties in Coptorum libris legitur. Vide ſis Matth. XIX, 21. Marci V, 8. Matth. XI, 28. Marci XII, 7. Et hanc peruetuſti ſcriptoris interpretationem non penitus ſpernendam eſſe, nunc iam videbimus.

§. 12. Adſert autem PLVTARCHVS loc. cit. aliam eiuſdem nominis explicationem ex MANETHONE, qui, regnante in Aegypto Ptolemaeo Philadelpho, ſacerdotibus praeſuit, eaque ita habet. Μανέθως μὲν ὁ Σεβεννύτης, τὸ κεκρυμμένον οἴεται καὶ τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς. *Manethos Sebennyta ea voce* (Amun) *occultatum et occultationem*

Ex noſtra ſententia Amun Aegyptiis ſignificat lucidum, vel lucem rebus inferentem.

* De Pallio cap. 3.

nem iudicat ſignificari. Neſcio, vtrum PLVTARCHVS mentem MANETHONIS recte perceperit, an vero error in verbis his admiſſus, ipſi Manethoni potius tribui debeat, quod vero ita diſſimile profecto non eſt. Nam Manethonem in vniuerſum rerum graecarum longe peritiorem fuiſſe, quam priſcarum gentis ſuae, indiciis non paucis certo comperi. Videtur mihi haec Manethonis originatio, cum illa, quam ex MACROBIO §. 5. attuli, recte comparari poſſe. Si auctori huic aures praebemus, *Ammonem Deum, Solem occidentem Libyes exiſtimarunt.* Per *Solem occidentem*, auctor huius originationis videtur deſignare voluiſſe, *Solem in hemiſphaerio inferiori latentem*, quem Aegyptii, vti infra docebo cap. V. etiam ἀΐδην et ἀέρατον, id eſt, *inuiſibilem* nuncupabant. At vero *Ammonem* Aegyptiis non ſignificare ſolem in hemiſpherio inferiori abſconditum, verum ea contra, ex hemiſphaerio inferiori, ad ſuperius iam euectum, fidem faciunt, quae diſputauimus §. 6. 7. 8. 9. Idem plane dicendum eſt, de originatione MANETHONIS, quam nobis PLVTARCHVS ſeruauit. Vox *Amun* non *occultationem* et *abſconſionem*; ſed viciſſim *ortum lucis ex occultis tenebris*, ſignificat. HECATAEVS, quem deinde PLVTARCHVS laudat, mentem ſacerdotum Aegypti, longe melius aſſecutus eſt, etſi tamen verbis eius quaedam etiamnum ſubſit obſcuritas. *Hecataeus*, inquit auctor noſter, *verbo Amun Aegyptios vti inuicem dicit, cum alter alterum vocat.* (Vide §. 11.) Et tum iſta ſubiungit. Διὸ τὸν πρῶτον θεὸν, τῷ παντὶ τὸν αὐτὸν νομίζουσιν, (lege νομίζοντες). ὡς ἀφανῆ καὶ κεκρυμμένον ὄντα, προσκαλούμενοι καὶ παρακαλοῦντες ἐμφανῆ γενέσθαι, καὶ δῆλον αὐτοῖς, Ἀμοῦν λέγουσιν. *Ideoque principem deum, quem eundem cum vniuerſo putant, vtpote obſcurum et abſconditum, aduocant rogantque, vt ſe ipſis conſpiciendum praebeat, ac manifeſtet, dicen-*

centes Amun. Vides hic veſtigia non adeo obſcura fabulae illius ſacrae Aegyptiorum, (de qua §. 3. 7. 8.) Herculem in votis habuiſſe, vt Iouem huc vſque inuiſibilem, obſcurum, et abſconditum, videre poſſet, vtque ille prodiret, ſeque conſpiciendum praeberet, quae, ſi quid iudico, vera eſt nominis *Amun* originatio et interpretatio. IAMBLICHVS, ſi in *Ammone* agnouiſſet *Solem*, illiusque Numen, ad notiones Metaphyſicas cerebri ſui, non infeliciter contorſiſſet, et inuitum inflexiſſet, veram profecto nobis etymologiam nominis iſtius promeret. Sic enim is *de Myſteriis* Sect. VIII. c. 3. *ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς — ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων, Ἀμῶν κατὰ τὴν τῶν αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται. Opifex quippe mens, quatenus ad generationem deſcendit, et incognitam rationum latentium vim producit in lucem, lingua Aegyptiaca dicitur Amon.* Id certe in hac interpretatione verum eſt, nobisque facem profert, quod HECATAEVS et IAMBLICHVS ex traditione ſacerdotum Aegypti haud dubie acceperunt, quamuis minus recte intellectum, *Amun* ſignificare *rerum latentium et abſconditarum in lucem productionem*, vel eum, *qui rem latentem ex tenebris in lucem profert:* Id vero iam ex lingua Aegyptiaca diſtinctius explicemus. Nempe *Amun* Aegyptiis ſignificabat *productionem lucis ex tenebris;* Aegyptiorum ſermone vero *lux* audit ⲞⲨⲰⲒⲚⲒ (*V-oini*) et dialecto Aegypti ſuperioris ⲞⲨⲞⲈⲒⲚ. (*V-Oein*) In vtraque hac voce, articulus generis indefinitus ⲞⲨ, vt in pluribus aliis, labente tempore, videtur coaluiſſe cum primitiuo, quod eſt ⲰⲒⲚⲒ, (*Oini*) vel dialecto antiquiori ⲞⲈⲒⲚ, (*Oein*). Quod ſi iam HECATAEI etymologiam probamus, ⲀⲘⲞⲨ-ⲞⲈⲒⲚ, (*Amu-oein*) ſignificaret: *Adeſto lux.* Ita

Ita interpretati vocem noſtram videntur illi: a quibus Hecataeus originationem ſuam didicit. Sed cum tamen talis interpretatio nominis Diuini, multis videri poſſit, nimium inſolens, et certe aliquid praeferat auribus noſtris inſuetum, monebo, me in *Dictionario* KIRCHERI, quod ille cum verſione ſua, ex codice MS. edidit, p. 355. haec legiſſe. ⲁⲙⲟⲩ ⲉ̀ⲃⲟⲗ, *educo*, vel *egredi facio*, id eſt, *rem voco, vt praeſto ſit*, quae locutio in Scriptura de Deo adhiberi ſolet. Equidem Dictionario illi Kircheriano, in quo ſaepiſſime, modo ignorantia, modo mala fides Kircheri, nimis aperte ſe prodit, non ſemper ſecure confido; ſed hic tamen cur diffidam, rationem nullam video. Si igitur res ita ſe habet, ⲁⲙⲟⲩ-ⲟⲩⲉⲓⲛ, (*Amu-oein*) eſſet, *lucem educens*, vel *egredi faciens*, nempe e tenebris, quae eſt quoque interpretatio IAMBLICHI. Sed ſi quis in hac interpretatione idcirco forte haereat, quod hic in vocibus ⲟⲩⲱⲓⲛⲓ, et ⲟⲩⲟⲉⲓⲛ, integra ſyllaba ⲟⲩ reſecetur, quod mihi quidem difficultatem prorſus nullam parit, poſſumus quoque interpretationem noſtram in illorum gratiam ita temperare, vt ſyllaba iſta remaneant. Nempe ⲙ̀ⲫⲟⲩⲱⲓⲛⲓ, (*amphuoini*) et, quod plane idem eſt, omiſſa tantum nota generis maſculini ⲫ, ⲙⲟⲩⲱⲓⲛⲓ, (*amuoini*), ſignificat *lucidum*, vel *inferentem lucem*, In Dialecto Thebaidis id effertur. ⲙⲟⲩⲟⲉⲓⲛ, (*Am-ouein*) atque hoc poſterius puto eſſe verum nomen Aegyptiacum *Amun*. Nam ex noſtra hodierna pronuntiandi literas illas et vocales ratione, quae hodieque apud diuerſas gentes eſt ſane diuerſiſſima, aeſtimari non debet vetus pronuntiatio Aegyptiorum. Deprehendimus quidem nomen hoc in ipſorum Coptorum libris ſcribi ⲁⲙⲟⲩⲛ. Vide ſupra §. 3. (not. †.) ſed boni

hi

hi Copti, Chriſtiani, et quidem ſequioris temporis, rerum auitarum patriae ſuae prorſus vtique ignari erant. Et in vniuerſum, vbi ſemel Aegyptii literas graecorum adoptarunt, et linguae etiam ipſorum paulatim aſſuefacti ſunt, horum ſcriptio et pronuntiatio etiam praeualere coepit. Vidimus autem §. 2. Graecos nomen iſtud pronuntiaſſe et ſcripſiſſe Αμοῦν. Secuti eos igitur ſunt Aegyptii, literis eorum vtentes. Erant tamen alii, qui pronuntiarent ſcriberentque Αμῶν, (§. 2.) vnde Graecorum Iupiter *Ammon*, et hanc ſcriptionem nominis iſtius ſuam fecerunt Prophetae Sancti V. Teſtamenti §. 3. Ex quo intelligitur, diuerſitatem aliquam in pronuntianda voce ⲘⲞⲨⲞⲈⲒⲚ, fuiſſe in ipſa Aegypto. Ratio ceteroquin denominationis huius, ex ſupra dictis ſatis perſpici a quouis poteſt. Quibus nunc hocce addo, quod omnia illa illuſtrabit. Status nempe mundi noſtri, dum ſol in hemiſphaerio inferiori haerebat, Aegyptiis dicebatur *nox tenebricoſa*. Vide Lib. I. c. I. §. 14. Quam non conuenienter igitur, a ſapientibus illius gentis, ſol dictus eſt *lucidus*, vel *lucem inferens*, *ſecumque vehens*? vbi ex hemiſphaerio inferiori emergens, tenebras priſtinas diſpellens, ſtatumque illum triſtem in laetiorem conuertens, mundo apparet, vel *, vt loquitur Poëta

— vbi pulſam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, coelumque aeſtiua luce, recluſit.

Pluribus haec ex MANILII *Aſtronomico* illuſtrari poſſent. Sed nunc ſequentia ſufficiant Lib. I. v. 646. Edit. Bentleii, quam et expreſſi.

Namque aries Phoebum repetentem ſidera Cancri
Inter principium reditus finemque coërcet,
Tempora diuiſo iungens concordia mundo:
Conuertitque vices, victumque a ſidere brumae
Exſuperare diem *iubet*, *et ſuccumbere noctes;*
Aeſtiui donec veniant ad ſidera cancri

 Hic

* VIRGILIVS Lib. IV. Georg. 51.

Hic eſt Sol, quem Aegyptii dicebant *clarum* et *ſuperum* teſte MACROBIO Satur. Lib. I. c. XIX. En *Iouem Ammonem* Aegyptiorum!

* ** * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT III.

De Semo, vel Somo, vel Chone, Aegyptiorum Hercule.

§. I.

Inter Ammonem Aegyptiorum, eorundemque Herculem, magna eſt affinitas et neceſſitudo.

Ioui Ammoni, in Feſto Thebaeorum Aegyptiorum ſolenni, adiungebatur is, quem Graeci *Herculem* nominare conſueuerunt, et quem ſcimus Aegyptiis Numen fuiſſe maximum et ſacro ſanctum. Verba HERODOTI, quibus id docetur, etſi capite priori ad teſtimonium iam vocata, hic quoque deſcribere non pigebit, quia toti noſtro argumento, quod hic perſequimur, lucem adferunt non mediocrem. Ita autem ſcriptor hicce antiquiſſimus Lib. II. c. 42. *Thebaei et quicunque propter illos, ab ouibus abſtinent, aiunt ideo ſibi conditam hanc legem, quod Iupiter, cum ab Hercule, cernere eum vehementer cupiente, cerni nollet, tandem aſſiduis eius precibus permotus, hoc commentus ſit, vt amputato arietis capite, ac pelle villoſa, quam illi detraxerat, ſibi circumpoſita, ita ſeſe Herculi oſtenderet.* Et interiectis quibusdam, iſta mox ſubnectit. *Certo tantum die quotannis in feſto Iouis arietem vnum obtruncant, cuius pellem detractam, hunc in modum Iouis ſimulacro induunt, ad illudque aliud deinde ducunt Herculis ſimulacrum.* Non diſſimilia ſacerdotes Aegyptiorum, etiam de Horo, et de Amenophi, in vulgus ſpargebant. De Amenophi certe refert MANETHO ſacerdotum in Aegypto

Prin-

Princeps, ex gentis ſuae traditionibus, * *quod affecta-verit* θεῶν γενέσθαι θεατὴς, ὥσπερ Ὧρ, εἷς τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων. *Deorum conſpectu frui, quod etiam contigiſſet Horo, vni eorum, qui ante ſe imperium tenuerint.* Fabula haec, non ſecus ac illa de Hercule, non ad hiſtoriam rerum, ab antiquis Aegytiis geſtarum; ſed ad Theologiam ipſorum fabuloſam ſpectat, eamque nos loco aliquo commodiori explicabimus. Erat igitur in Theologia illa fabulari, ſumma inter *Ammonem* et *Herculem* amicitia atque neceſſitudo. Cum vero antehac, liquido iam probauerimus, Ammonem Aegyptiorum, ſymbolum fuiſſe ſolis, in hemiſphaerio ſuperiori aequinoctium efficientis, verque laetum auſpicantis, ſagaci et cordato rerum aeſtimatori difficile non erit, ex his colligere, Herculem gentis illius, ad ſolem quoque, ac ſpeciatim vernum, referendum eſſe.

Aegyptiorum Hercules, ab Hercule Graecorum Thebano, penitus diuerſus.

§. 2. Aegyptiorum *Herculem*, vti Graecis, Numen hoc auitum Niligenarum vocare placuit, ab Hercule Graecorum, Iouis et Alcmenae filio, ac poſt mortem, ex heroum numero, in coetum deorum translato, † alium plane ac diuerſum eſſe, ipſi Graeci, quod raro faciunt, vltro fatentur. Nam Hercules Aegyptius, non Ioue, ne Alcmena quidem; ſed *Nilo natus traditur*, quod CICERO nos docet *de Nat. Deor.* Lib. III. c. 16. Id auctor idem, ſicut et alii plurimi, de aliis pariter Aegyptiorum diis obſeruat, illis nimirum, qui Aegypto plane proprii erant, quibusque parentes non aſſignabantur. Ad haec id quoque Aegyptiis Graeci non inuiti largiuntur, ipſorum Herculem, ſuo immenſum eſſe antiquiorum.

 HE-

* Apud IOSEPH. aduerſus Appionem Lib. I. p. 460. Edit. Belgicae.

† HERODOTVS Lib. II. c. 43. ſignificat Herculem Graecorum, Aegyptiis penitus ignotum eſſe.

HERODOTI ea de re haec ſunt verba Lib. II. c. 43. *Atqui vetuſtus quidam Deus eſt apud Aegyptios Hercules, et, vt ipſi aiunt, decem et ſeptem annorum millia elapſa ſunt ad Amaſim regem, ex quo ex octo Diis principibus facti ſunt duodecim, quorum vnum Herculem arbitrantur.* Plura eo loco habet ſcriptor ille, quae huc egregie faciunt, ſed quae apud ipſum legi malo. Illisque addi merentur, quae de Hercule eodem memoriae prodiderunt DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 21. et Lib. III. p. 207. fin.* aliique. Neque id etiam obſeruatione noſtra indignum eſt, quod HERODOTVS acceptum ex relatione ſacerdotum Aegyptiorum, litteris prodidit, Herculem in gente illa cenſeri inter deos duodecim maiores, quales agnouerunt etiam Graeci et Romani, ſed quibus illi tamen, Herculem ſuum Thebanum, nunquam annumerarunt.

Numen illud Aegyptii ſomnum appellabant.

§. 3. Numini huic Aegyptiorum, quod Graeci *Herculem* appellant, patrium et auitum nomen fuiſſe *Sem*, vel *Dſom*, non eſt quod dubitem, quamuis vidam in ſcribendo iſthoc nomine, veteres Graecos variaſſe, forte, quod prima nominis Aegyptiaci litera, quae in Coptorum libris, hanc figuram habet, Ϫ, non reſpondeat literae alicui graecae, adeoque non ita commode a Graecis exprimi poſſit. Auctori *Etymologici magni*, Numen illud ΧΩΝ audit. Sic enim in voce Χῶνες ſcribit. Τὸν ἡρακλῆν φασὶ κατὰ τὴν αἰγυπτίων διάλεκτον Χῶνα λέγεσθαι. *Dicunt Herculem lingua Aegyptiorum CHONem* vocari. Seruat hanc pronuntiandi rationem *COCHONe* regio, cuius ex MANETHONE meminit EVSEBIVS in *Chronico* graeco Scaligeriano p. 14. Ὀυενέφρης, inquit,

* ARIANVS de expedit. Alexandri Lib. II. p. 125. Edit. Blancardi, TACITVS Annal. Lib. II. c. 60. MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. 20.

quit, ἐφ' ȣ λιμὸς κατέσχε τὴν χώραν, ὃς καὶ τὰς πυραμίδας τὰς περὶ τὴν ΚΩΧΩΝην ἤγειρεν. *Venephres, ſub quo fames Aegyptum afflixit, qui et Pyramides, quae ſunt prope COCHONen erexit.* Eadem, ex EVSEBIO leguntur apud SYNCELLVM p. 54. *Cochone*, me quidem iudice, *, quod alias pluribus perſecutus ſum, eſt illa regio Aegypti, quae in hiſtoria Moſis, *Goſen* nominatur, et vocem hanc *COCHON* interpretor *Heracleopolin*, id eſt *vrbem*, vel, *regionem Herculi conſecratam*. Vbi tamen non diſſimulaui, IVLIVM AFRICANVM, qui eadem MANETHONIS verba refert apud SYNCELLVM p. 55. loco *Cochones* ſcribere ΚΩΧΩΜην, *COCHOMen*. Haec vltima vocis iſtius ſcriptio, melius etiam atque accuratius vocem Aegyptiacam exprimit, quod mox videbimus. In ERATOSTHENIS Catalogo regum Thebaeorum, ſemel iterumque nomen illud ipſum effertur Σὲμ, *Sem*, cuius diſcrepantiae cauſa alia nulla eſt, quam, quod iam monui, litera Aegyptiaca ϫ, quam Graeci, non vno modo, literis gentis ſuae propriis, exprimere ſolent. Rex in catalogo illo vigeſimus ſextus, nomen habet Σεμφρȣκράτης, vbi legendum cenſeo Σεμφȣκράτης, idque ERATOSTHENES interpretatur *Herculem Harpocratem*. Nempe Σὲμ eſt nomen *Herculis*, et Φȣκράτης, *Harpocratem* deſignat, quod infra cap. VI. curatius explicabo. Ex his, quae dixi, corrigi facile poterit, nomen regis alterius, in Catalogo illo quinti. Nam hodie in SYNCELLO legitur Πέμφως, quod ERATOSTHENES, ex lingua Aegyptiorum interpretatur Ἡρακλείδην, quaſi dicas, *natum ex Hercule, Herculis ſtirpem*. Et id profecto Σέμφως Aegyptiis deſignat, qua ratione proinde locum illum corrigi oportere

* Diſſert. VII. de Terra Goſen §. 3.

tere, dudum eſt, quod † monui. A nomine hoc ſic ſcripto, inſigniter recedit lectio HESYCHII, in cuius Gloſſario et iſta occurrunt. Γιγνῶν, ὁι δὲ Γιγῶν, Πάταικος — ὁι δὲ αἰγύπτιον ἡρακλέα. *Gignon, nonnullis Gigon,* †† *Pataecus — quidam vero volunt,* ſic dici Aegyptiorum Herculem.* Sed mittamus has lectionis et ſcriptionis varietates, et ad exponendam potius veram nominis huius ſignificationem pergamus.

Som, vel Dſom quod eſt nomen Aegyptiacum Herculis, ſignificat virtutem Deorum

§. 4. Difficile non eſt, nominis huius Aegyptiaci, rationem dare facilem, et perſpicuam, ex qua ſimul intelligi confeſtim poterit, cur Graeci, cum ipſis nominis iſtius vera ſignificatio expoſita fuiſſet, Numen hoc cum *Hercule* ſuo contulerint, cum ceteroquin duo illa Numina, nulla re, niſi ſolo nomine, quod vtrique idem eſſe voluerunt Graeci, inter ſe conueniunt. Dixi iam in alia commentatione, vocem Aegyptiam mihi videri ſcribendam ϪⲰⲘ, (*Dſiom*) quod in priſca gentis illius lingua, *virtutem, robur,* et *potentiam* ſignificat, quoniam in hoc Numine Aegyptii, virtutes illas non minus impenſe venerabantur, quam Graeci in ſuo Hercule. Non melius hancce originationem confirmare poſſum, quam verbis MACROBII, qui ſe rerum Aegyptiacarum indagatorem curioſum, neque imperitum, vbique oſtendit. Sic autem is Saturn. Lib. I. c. 20. *Sacratiſſima et Auguſtiſſima Aegyptii Herculem religione venerantur, vltraque memoriam, quae apud illos retro longiſſima eſt, vt carentem initio colunt. Ipſe creditur et gigantes*

† Annotat. in Eratoſtenis Catalogum, in VIGNOLII Chronol. Tom. II p. 739.

†† *Pataeci* ſunt Dii Phoenicum, in tutelis nauium exſculpti. Vide HERODOT. Lib. III. c. 37. HESYCH. in πάταικος.

* Poſſet *Gigon* explicari ϣι-ϪⲰⲘ *Schi-dſom,* id eſt, *virtutem aſſumens.* Hoc illuſtrandum ex §. 4.

** De Terra Goſen Diſſ. VII. §. 5.

tes interemiſſe, cum coelo propugnaret, quaſi VIRTVS DEORVM. Et paulo ante de Graecorum Hercule dixerat. ' *Nec aeſtimes, Alcmena, apud Thebas Boeotias, natum, ſolum vel primum Herculem nuncupatum. Imo poſt multos atque poſtremus ille, hac appellatione dignatus eſt, honoratusque hoc nomine, quia nimia fortitudine meruit nomen* DEI VIRTVTEM REGENTIS. Quod auctor hicce de Hercule, ex Aegyptiorum doctrina tradit, non parum ex eo illuſtratur, quod Pythagoras, qui in Aegypto, Sacerdotum diſcipulus dui fuit, et ex illorum Philoſophia, et Theologia, in ſuam plurima tranſtulit, Herculem dixerit, τὴν δύναμιν τῆς φύσεως, *virtutem*, ſiue *potentiam naturae*, teſte IAMBLICHO de *vita Pythagorae* cap. 28. p. 131. Edit. KVSTERI. Nomen igitur *Herculis* Aegyptiacum, ſecundum MACROBIVM, ſonat *Deum virtutis*, ſiue, vt ille loquitur, *Deum virtutem regentem*, vel VIRTVTEM DEORVM. Quare facile mihi perſuadeo, plenum *Herculis* huius nomen apud Aegyptios fuiſſe ϫⲱⲙ ⲛⲛⲟⲩϯ, *Dſom ennuti*, id quod ſignificat *virtutem Dei*, vel *virtutem Deorum*, ipſos vero nomen hoc paulo longius, communi ſermone contraxiſſe, et abbreuiate ϫⲱⲙ, *virtutem* dixiſſe. Plenioris illius, quod dixi, nominis, veſtigia, viſus mihi ſum deprehendere in Nomo *Sebennytico* inferioris Aegypti, quem Herculi ſacrum fuiſſe, ex indiciis non obſcuris colligo, qua de re alias loco magis opportuno. Teſtantur itineraria recentiorum, eruditis probata, vrbem illam clariſſimam, veteribus dictam *Sebennytum*, hodie ab indigenis pariter ac Arabibus nuncupari *Sammanud*, aut *Semenud*, vnde ſuſpicio mihi oborta eſt, verum illius nomen Aegyptiacum fuiſſe ϫⲱⲙ ⲛⲛⲟⲩϯ idque poſtea confirmatum vidi auctoritate *Scalae* Coptico-Arabicae, vel Dictionarii a KIRCHERO editi, vbi p. 208. legitur.

legitur. *Semanutha* ϪⲈⲘⲚⲞⲨϮ Hoc igitur opinor fuiſſe verum et antiquiſſimum Dei illius Aegyptiorum, quem Graeci *Herculem* interpretantur, nomen.

Aegyptiorum Hercules ipſis non erat creator mundi.

§. 5. Quod ſi verbis MACROBII preſſo nimis pede inhaereamus, dicendum erit, Aegyptios per Herculem ſuum, ipſum totius vniuerſi Opificem deſignaſſe. Nam ſi eum audimus, *Aegyptii Herculem — vt carentem initio coluerunt.* Is vero tantum poteſt eſſe Opifex, qui ipſe, cum ſit a ſe, initio caret, entibus vero reliquis omnibus, initium et exiſtentiam dedit. In eundem fere ſenſum, ATHENAGORAS quoque pro Chriſtianis p. 18. Doctrinam Orphicam de Hercule contorquet. *Fuit enim aqua ſecundum Orpheum, principium omnium: ex aqua ſubſidente formatus eſt limus, et ex vtroque animal ortum eſt draco, cui adnatum erat caput leonis, corpus vero medium continebat faciem Dei, quem Herculem et tempus vocant. Ab Hercule ortum eſt, ouum immenſae magnitudinis, quod dum completur et incubatur, a genitore ſuo per attritionem vim paſſum, in duas partes diſſiliit: et ſuperior quidem in coeli formam perfecta eſt: inferior vero delapſa terram conſtituit.* Doctrina, quae hic Orpheo tribuitur, admodum diuerſa eſt, a genuina illa et antiqua Poëtae illius Philoſophi, de origine rerum omnium, Theologia, quam Lib. I. c. II. §. 8. exhibui, eo maxime, quod quae Orpheus ipſe ad Vulcanum Maſculo-foemininum retulit, iunior hic placitorum Orphicorum interpolator, Herculi tribuere maluerit. Ego in hac doctrinae Orphicae incruſtatione, non poſſum non agnoſcere ingenium Pythagoraeorum et Platonicorum recentiorum, qui per † *θεοκρασίαν*, ſibi inprimis caram, Deorum Aegypti attributa et virtutes, libenter commiſcebant et con-

† SVIDAS in voce *διαγνώμων*, et DAMASCIVS in vita Iſidori apud PHOTIVM Biblioth. Cod. CCXLVII. p. 1049.

et confundebant, ac ſigillatim ea, quae vetuſtior huius gentis Theologia Vulcano adſcripſerat, ad alia etiam Numina transferebant, cuius rei ſpecimina quaedam dedi Lib. I. c. II. §. 8. cap. IV. §. 8. 9. Lib. II. c. II. §. 5. Sed pergamus iam potius ad inueſtigandum Aegyptiorum antiquiorum de Hercule ſuo Theologiam.

Verum erat Symbolum Solis, vnde cum Oſiride nonnunquam confunditur.

§. 6. Nihil autem certius eſt, et teſtatum magis, quam, priſcos Aegyptiorum Philoſophos, Herculem ſuum in vniuerſum retuliſſe ad Solem, tanquam ſymbolum eius, auita religione conſecratum. Ipſe ille Theologiae Orphicae interpretator, de quo paulo ante dixi, id ſaltem ex vetuſtioribus Theologiae Aegyptiae placitis retinuit, quod *Herculem* eundem dixerit cum *Tempore.* Operae pretium eſt, cum ATHENAGORA conferre DAMASCII περὶ ἀρχῶν fragmentum à WOLFFIO editum in Anecdotis Tom. III. p. 254. vbi ſic lege, ὠνομάσθαι δὲ χρόνον ἀγήρατον, καὶ Ηρακλέα τὸν αὐτόν. *Vocatum eſt principium illud, Tempus ſenectutis expers, idemque etiam Hercules.* Temporis vero cauſa efficiens eſt Sol, ideoque eum a nobiliſſimo hoc effectu Aegyptii dixerunt *Oſiridem*, id eſt, vt * ſuo loco id interpretati ſumus, *effectorem temporis.* Hercules itaque cum Oſiride, ſed certo tantum quodam reſpectu, idem erat. Id vel ex fabulis Aegyptiorum allegoricis de Hercule, etiam prouti eas Graeci adulterarunt, non obſcure perſpici poteſt. Sacerdotes Aegyptii tradebant de *Hercule*, (vide ſupra §. 1.) eum aliquando cupiuiſſe videre *Iouem*, et hunc exoratum tandem, ipſi apparuiſſe ſub ſpecie *arietis.* Quod Aegyptii referebant, ad *Herculem*, Graeci praedicabant de *Libero* ſiue *Baccho***, ita ſolent appellare *Oſiridem.* Ab iis hoc mutuatus eſt SERVIVS in Virgilii IV. Aen. 196.

LIBER,

* Lib. II. c. I. §. 14.

** Vide Lib. II. c. I. §. 5

LIBER, (i. e. Oſiris) *vel, vt alii dicunt* HERCVLES, *cum — per deſerta* Libyae *exercitum duceret, fatigatus ſiti,* IOVIS *patris ſui implorauit auxilium, cui ille arietem oſtendit etc.* Conceptis verbis SERVIVS hic docet, id quod Graeci plerique narrant de *Libero*, vel *Oſiride*, alios ad *Herculem* transferre. Alii omiſſo plane *Herculis*, nomine, ſolus tantum *Liberi*, vel *Oſiridis* mentionem faciebant. Ita LVTATIVS interpres *Statii*, in huius *Thebaida* L. III. v. 476. haec ſcribit. *Liber cum ex India veniens in deſerta, et extrema parte Libyae teneretur, ac ſiti laboraret exercitus, dicitur rogaſſe Iouem, vt ſe patrem probaret. Vnde ex harena ſubito ARIES apparuit.* Quod igitur ſacerdotes Aegyptii, teſte HERODOTO, de Hercule ſuo narrabant, id ipſum Graeci plerumque tribuebant Oſiridi, et de illo intelligebant, tanquam illi duo, re ipſa, aliquo modo vnus eſſent. Poteſt huc non incommode, et illa Aegyptiorum traditio fabuloſa trahi, cuius DIODORVS *Siculus* meminit p. 15. Edit. Wechel. Herculem *fuiſſe ſummum militiae praefectum in toto regno Oſiridis.* Nempe Hercules eſt ϪⲰⲘ ⲚⲚⲞⲨϮ, *virtus, robur, poteſtas Dei,* puta *Solis.*

Et quidem quatenus Sol tempus, atque annum efficit.

§. 7. Sed ipſum hoc adhuc certius et luculentius, ex Aegyptiorum ritibus ſacris et inuocationibus ſolemnibus, MACROBIVS ſic probat Saturnal. Lib. I. cap. 20. *Praeterea Sacrorum adminiſtrationes apud Aegyptios multiplici actu multiplicem Dei aſſerunt poteſtatem, ſignificantes, Herculem hunc eſſe* τὸν ἐν πᾶσι, καὶ διὰ πάντων ἥλιον (*Solem, qui eſt in omnibus et per omnia.* Concinit cum his MACROBII, illa Aegyptiorum traditio ſacra, cuius commeminit PLVTARCHVS de Iſide et Oſir. p. 367. Καὶ τῷ μὲν ἡλίῳ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσιν ἐνιδρυμένον συμπεριπολεῖν. *Fabulantur* Aegyptii, *Herculem in Sole poſitum, vna cum illo circumferri.* Perquam his

conſen-

conſentanea ſunt, quae Tyrii, Aegyptiorum coloni, de Hercule ſuo, antiquiſſimo et maximo Numine, ſacris carminibus celebrare ſolebant. Hercules ille lingua ipſorum dicebatur *Melcartus*, quod, vti non infeliciter SELDENVS auguratur, *de Diis Syris* Syntagm. I. c. 6. p. 183. 185. nihil aliud eſt, quam מלך ערץ, *Rex praevalidus*, idque fere idem, nomen Herculis Aegyptiacum quoque ſonat. Et Herculem Tyriorum, nonnunquam diei Aegyptium, opportune monuit, et auctoritatibus idoneis probauit* GERH. IOH. VOSSIVS de Idolol. Lib. I. c. XXXIV. Certe magnam fuiſſe in Sacris vtriusque Numinis convenientiam, iam obſeruatum reperio. De illo autem Tyrio Hercule, NONNVS *Panopolitanus*, Aegyptius, non quidem poëta excellens, ſed omnis tamen antiquitatis bene peritus, ita canit, *Dionyſiacon* Lib. XL. p. 683. verſ. fin. Edit. graec. Antw.

Ἀστροχίτων ἥρακλες, ἄναξ πυρὸς, ὄρχαμε κόσμου
Ἠέλιε βροτέροιο βίου δολιχόσκιε ποιμὴν,
Ἱππεύων ἑλικηδὸν ὅλον πόλον αἴθοπι δίσκῳ
Υἷα χρόνου λυκάβαντα δυωδεκάμηνον ἑλίσσων
Κύκλον ἄγεις μετὰ κύκλον —

Hercules Aſtris amicte, rex ignis, Princeps mundi,
Sol, qui vitam mortalem e longinquo obumbrando paſcis,
Dum orbe fulgido, velut equo vectus, circa totam terram circumuolueris,
Filiumque temporis, annum, duodecim menſibus conſtantem, circumagis
Circulum ex circulo producens —

Ex quo ſatis liquere poteſt, quamobrem ORPHEVS, ſacerdotum Aegyptiorum diſcipulus, teſte AETHENAGORA

* Adde BOCHARTI Geogr. Sac. Part. II. Lib. I. cap. 34.

NAGORA (vid. §. 5.) *Herculem* et *tempus* unum idemque dixerit.

Etiam Graeci vetuſtiores Herculem Solem eſſe volebant.

§. 8. Superſunt canae huius doctrinae Orphicae, quae certe Herculem Aegyptium reſpicit, etiam apud Graecos, paſſim nonnullae reliquiae, quamuis illi has ad Herculem ſuum Thebanum accommodare ſoleant, quo iure, ipſi viderint. Auctor Hymnorum Orpheo tributorum,* Hymno in Herculem, ipſum ita compellat N. 3. Αἰολόμορφε Χρόνου πάτερ. *Forma varie, temporis pater.* Et mox v. 12. duodecim certamina Herculis Thebani, ſic ad eum transfert

Δώδεκ' ἀπ' ἀντολιῶν ἄχρι δυσμῶν ἆθλα διέρπων.
Duodecim ab ortu vsque ad occaſum certamina perficiens.

In eundemque ſenſum PORPHYRIVS apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. III. c. XI. p. 112. ſcribit. *Solem* Ἡρακλέα, *Herculem appellarunt, quem etiam duodecim certaminum labore defunctum eſſe fabulantur, coeleſtis orbis in duodecim ſigna diuiſionem hoc ſymbolo declarare cupientes.* Quibus ſimilia apud EVSEBIVM occurrunt Libro eodem c. XIII. p. 120. Legi et hic merentur, quae IOANNES DIACONVS in Scholiis ad Heſiodi Theogoniam p. CLXV. b. Edit. Trincauelli, hanc in rem notauit. Εὐλόγως καὶ πάνυ σοφῶς ὁ Ἡρακλῆς λέγεται τὴν Ἥβην λαβεῖν εἰς γυναῖκα, τελέσας τοὺς ἄθλους ἐκείνους τοὺς δώδεκα. Τὰ γὰρ δώδεκα Ζώδια περιπολεύσας ὁ ἥλιος, καὶ ἁπλῶς τὸν ἅπαντα Ζωδιακὸν δι' ἐνιαυτοῦ πληρώσας, ἐκ τότε πάλιν, ὥσπερ ἐξ ἄλλης ἀρχῆς ἡβάσκιον ἡμῖν ἀνατέλλει ἐν ἔαρι. *Bene prorſus et ſapienter de Hercule perhibetur, quod Heben* (Deam Iuuentutis) *in vxorem acceperit, poſtquam decantatis illis duodecim certaminibus defunctus eſſet. Sol enim, vbi duodecim circuli ſigniferi*

* In LECTII Corpore Poëtarum Graecorum Tom. I. p. 504.

ſeri ſigna, et totum Zodiacum, vnius anni ſpatio, permeando emetitus eſt, iam tum, veluti ad iuuentutis principium de nouo reuerſus, in vere nobis apparet. Poterunt etiam, ſi ita libet, eadem Scholia conſuli pag. 134. a. b. et 137. a. Ex eodem fonte hauſit MACROBIVS, quae leguntur in eius Saturnal. L. I. c. 20. *Sed nec Hercules à ſubſtantia Solis alienus eſt: quippe Hercules ea eſt Solis poteſtas, quae humano generi virtutem ad ſimilitudinem praeſtat Deorum.* In ſequentibus idem ſic pergit. *Et re vera Herculem Solem eſſe, vel ex nomine claret.* * Ἡρακλῆς enim, *quid aliud eſt, niſi ἥρας, id eſt aëris κλέος (gloria) Quae porro alia aëris gloria eſt, niſi Solis illuminatio? cuius receſſu, profunditate occultur tenebrarum.*

§. 9. Erat igitur Hercules Aegyptiorum ſacerdotibus, ſymbolum ſolis, et quidem, quod iam addendum eſt, ſolis verni, quales nempe tempore verno nobis apparet, ſeque per optatos effectus terrae manifeſtat. De ipſo quoque Graecorum Hercule, ex doctrina quorundam myſtica, id obſeruaſſe IOHANNEM DIACONVM vidimus §. 8. Ait enim, ideo fingi, vxorem Herculi datam eſſe Heben, praeſidem iuuentutis, quoniam ſol, cuius ſymbolum eſt Hercules, quotannis tempore verno, iuuenile veluti robur recuperat. Sed re ipſa haec doctrina eſt Theologiae Aegyptiorum, eamque in *Tabula Bembina*, ſiue *Iſiaca*, adumbratam cernimus. In illius principio, conſpiciuntur figurae ſymbolicae, quae maximam partem, ad aequinoctium vernum ſpectant, illudque multis ac luculentis indiciis nobis repraeſentant, quod dudum** probatum dedi. Occurrit illic aries ſacer, ſymbolum

Specialius Hercules Aegyptiis Symbolum erat Solis verni i. e. illius, qui vere appareret.

 decan-

Ita quoque Scholiaſtes vetus in Heſiodi Theogoniam p. CXXXVI. a. Ἡρακλῆς ἤγουν ἥλιος, ὁ τοῦ ἀέρος ὢν κλέος. Vide et IOHANNEM DIACONVM ibid. p. CXXXIV. a.

** In Miſcellan. Berolin. Tom. VI. p. 139. etc.

decantatum Iouis Ammonis, id eſt, ſolis in ariete aequinoctium facientis. Vide ſupra cap. II. Adſtat iuuenis, altera manu haſtam tenens, altera alitem prae ſe ferens, et arieti veluti offerrens, quem ex mente Aegyptiorum, dixi eſſe *Horum*, vel *Herculem*, quorum hoc loco, idem fere eſt reſpectus, quod cap. IV. pluribus demonſtrabitur. Haec igitur imago oculis noſtris obiicit, quod hiſtorice HERODOTVS refert, (vid. §. 1.) Iouem aliquando, cum Hercules videndi illius cupidine arderet, exoratum tandem, ei ſub ſpecie arietis apparuiſſe, ideoque quotannis, in Feſto ſolenni, ad ſimulacrum Iouis, pelle arietis amictum, adduci ſimulacrum Herculis. Ales, quem iuuenis manu ſua praefert, nouum illius, quod dixi, argumentum nobis ſubminiſtrat. Eſt enim, de quo dubitari non poteſt, Phoenix Aegyptiorum fabuloſa, Symbolum temporis, ac ſigillatim magnae periodi annorum Sothiacae, quae annis 1461. Aegyptiis, id eſt vagis, abſoluebatur. Haec quae dixi, egregie confirmat PLINIVS Lib. X. *hiſt.* nat. cap. 2. de Phoenice ſcribens. ***Cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodidit idem Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum et ſiderum easdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum arietis Sol intrauerit.*** Quam pulchre haec conueniant Herculi, in Tabula Bembina, vt puto, depicto, ex eo ſatis intelligi poteſt, quod ORPHEVS, diſciplina Aegyptiorum imbutus, *Herculem* habuerit pro *tempore*, quodque Aegyptii tradiderint, eum cum Sole circumferri, et tempora moderari, quorum initium putabant ab aequinoctio verno. (§. 5. 6. 7.) Praecipua igitur Herculis Aegyptiaci vis atque poteſtas in vere ſe exſerit, et circa aequinoctium vernale a ſacerdotibus gentis illius hymnis celebrabatur.

§. 10. Ad

§. 10. Ad hoc noſtrum, vt equidem opinor, negotium, pertinet etiam fabula illa Aegyptiorum de Hercule ſacra, quam ex EVDOXO adfert ATHENAEVS Lib. IX. p. 392. Εὔδοξος δ' ὁ κνίδιος ἐν πρώτῳ γῆς περιόδου τοὺς Φοίνικας λέγει θύειν τῷ Ἡρακλεῖ ὄρτυγας, διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα, τὸν Ἀστερίας καὶ Διὸς, πορευόμενον εἰς Λιβύην ἀναιρεθῆναι ὑπὸ Τυφῶνος. Ἰολάου δ' αὐτῷ προσενέγκαντος ὄρτυγα, καὶ προσαγάγοντος, ὀσφρανθέντα ἀναβιῶναι. *Eudoxus Cnidius, Libro primo circuitus terrae, à Phoenicibus Herculi coturnices immolari ſcribit, quoniam Hercules, Iouis et Aſteriae, filius, in Libyam proficiſcens, et interſectus à Typhone, Iolao coturnicem ipſi admouente, et praebente olſaciendam, reuixerit.* Eadem leguntur apud EVSTATHIVM in Odyſſeam p. 1702. Edit. Rom. Equidem de Phoenicibus haec refert Eudoxus, qui idcirco ſpeciatim ipſorum Herculem tangere videtur. Sed praeterquam, quod, vti monuimus §. 7. magna eſt Herculis vtriusque inter ſe cognatio et ſimilitudo, tota illa fabula commode de alio, quam Aegyptiorum Hercule, intelligi non poteſt. Hercules enim ille dicitur profectus ad Libyes, qui Aegyptiis, non vero Phoenicibus, vicini ſunt. In illo itinere dicitur a Typhone interemtus, Aegyptiorum Deo, etſi inuido et malefico. Eſtne porro quisquam, qui non, audita fabula hac Herculis à Typhone interemti, illico de Oſiride, ſcelere Typhonis e medio ſublato, cogitare etiam inuitus cogatur? Hercules vero poſt mortem rediuiuus an non Oſiridem poſt caedem cum gaudio inuentum in memoriam reuocat? Ex graecorum tamen fabulis, Iolaus Theologiae Aegyptiorum plane ignotus, huc furto illatus et fraudulenter intruſus fuit, forte, quia, vt habet * fabula, Hebe Herculis vxor, huius precibus exorata, illi

Illuſtratur hoc ex fabula Aegyptiorum de Hercule myſtica.

* OVIDIVS Metamorphoſ. Lib. IX. v. 397. etc.

illi ſeni iam decrepito, primum iuuentutis florem reddidit, qualia etiam, de Hercule Aegyptiorum ipſo, allegorice tradi conſueuiſſe, obſeruaui §. 8. 9. Iam profectio illa Herculis ad Libyas, in Eudoxi fabula, nihil certe aliud eſt, quam ſolis ad hemiſphaerium inferius deſcenſus, in quo dum haeret, nobis veluti mortuus, vita, robore, et virtute priuatus eſt, donec tandem vere accedente, ad hemiſphaerium ſuperius reuerſus, vitam vigoremque omnem priſtinum recuperet. Sed quid, obſecro, hic ſibi volunt coturnices, Herculi immolatae, quarumque olfactu ad vitam reuocatus eſt? Non diſſimulabo, me etiam atque etiam ſuſpicari, latere hic aliquod mendum, quod bonum Atheneum in errorem deduxit. EVDOXVS ſcripſerat, vt ego quidem auguror, *φοίνικας θύειν τῷ Ἡρακλεῖ ὄρυγας*, (non *ὄρτυγας*) *Phoenices Herculi ſacrificare orygas.* Et mox iterum. *Ἰολάυ δ' αὐτῷ προσενέγκαντος ὄρυγα. Cum vero Iolaus ipſi offerret orygem. Oryx* animal, caprini ſylveſtris generis, peregrinum Graecis, minusque cognitum; Aegyptiis vero, Libybus et Aethiopibus, patrium, et quodammodo proprium erat, quare non adeo mirandum eſt, librarios graecos, in deſcribenda voce ea, perſaepe aberraſſe, et pro *ὄρυξ*, poſuiſſe *ὄρτυξ*, quod eſt *coturnix* alitis ſpecies, omnibus ſatis cognita. Exempla errorum in hac voce à librariis commiſſorum, dabunt SALMASIVS in Exercitation. Plinianis p. 223. 473. et IOH. CORN. de PAVW in Horapollinem L. I. c. 49. Idem et in verbis Eudoxi, quibus ATHENAEVS vtitur, contigiſſe, non abs ratione coniicio. Ratio haec eſt praecipua, quod Aegyptii, circa tempus Aequinoctii vernalis, Orygen Diis ſuis ſacrificarent, quod in *Tabula Bembina*, ſcite repraeſentatum videmus, uti ego* in *ſpecimine* meo figuram illam explicui. Vnde is enaſcitur

* Miſcell. Berolin. Tom. VI. p. 143.

naſcitur fabulae illius ſenſus, Herculem, qui in hemiſphaerio hyemali, in languorem datus, et tantum non extinctus erat, appropinquante iam Aequinoctio vernali, et imminente ſolenni Orygis-ſacrificio, priſtino vigori et robori iuuenili reſtitutum fuiſſe.

§. II. Eſt et alia ſacerdotum Aegyptiorum, de Hercule ſuo fabula, quam in *Scholiis ad Arati Phaenomena* p. 14. Ed. Oxon. facile agnoſco. Verbá haec ſunt. Ἄλλοι δέ φασιν, αὐτὸν εἶναι τὸν Ἡρακλέα λίβυσι πολεμήσαντα, ἐπιλιπόντων δὲ αὐτῷ τοξευμάτων, ἐπὶ γόνυ πεσόντα, καὶ λίθους βάλλειν, οὓς αὐτῷ Ζεὺς ὗσεν εὐξαμένῳ. *Alii dicunt*, ingeniculum *eſſe Herculem, qui, cum aduerſus Libyas pugnaret, ipſumque ſagittae deficerent, genibus innixus, lapides in inimicos proiecit, quos ipſi pater, ad eius preces, tanquam per pluuiam ſubmiſit.* En Herculem bello cum Libybus implicitum, ſicuti eum in fabula Eudoxi, ad Libyas profectum, et tum à Typhone interemtum, vidimus. In illo vero aduerſus Libyas bello, Hercules a Ioue auxilium et petit et impetrat, quemadmódum in fabula Herodoti, de qua §. I. Hercules ille, videre Iouem diſcupiuit, et voti huius compos etiam factus eſt. Quidnam Philoſophi Nilotici, per pugnam Herculis cum Libybus, quid per * defectum ſagittarum, quid per victoriam tandem de Libybus reportatam, allegorice deſignare voluerint, vir quidam eruditione clarus ** in his mihi non infeliciter explicuiſſe videtur. *Typhon praeualere cenſebatur, quando Sol, relicto noſtro hemiſphaerio, in oppoſitum deſcendit. Tum Oſiridem e medio tollere credebatur, nam illo tempore lucis vis tabeſcit, excitantur procellae et tempeſtates, et naturae facies mutata apparet.* Sed ea

Iterumque ex alia.

* *Tela* ſolis ſunt eius *radii.* Sic LVCRETIVS Lib. I. ∜. 143.

** BASNAGE hiſt. des Iuifs, Liv. III. ch. XVIII. §. 27.

ea de re plura dicemus in *Typhone* Lib. V. Dum igitur Sol haeret in hemiſphaerio auſtrali, Hercules necveluti datur, vis eius frangitur, ardet ingenti deſiderio, enitendi ad ſuperius hemiſphaerium, Iouemque videndi, et vbi tandem ad ſignum arietis aequinoctiale peruenit, voti ſui compos euadit. Hic certe eſt verus et genuinus omnium illarum fabularum ſenſus.

§. 12. Dixi ſupra, Numen hoc noſtrum, quod Graeci *Herculis* nomine inſigniunt, Aegyptiorum ſermone dictum fuiſſe ϫⲱⲙ et ϫⲱⲙ ⲛⲛⲟⲩϯ *Virtutem* ac *Virtutem Dei*, ſiue *Deorum*, idque cum reſpectu ad ſolem. Nam per Numen hoc Aegyptii deſignabant *virtutem Solis*, quaſi renouatam, quam tempore verno acquirit, et hominibns demonſtrat, omnia ſplendida luce illuminando, et calore viuificando. Potuit inprimis in Aegypto, ſol vernus, hoc cognomine ornari et coli, eo, quod illic loci, tempore verno, fruges per virtutem ſolis, ad iuſtam maturitatem perducebantur. Nam Aprili menſe, in Aegypto peragi meſſem, affirmat THEO in Arati Phaenomena p. 36. b. Maio PLINIVS Lib. XVIII. c. 18. atque ad ipſum * peregrinatores noſtri recentiores conſimiliter obſeruant. Et in eo praecipue conſiſtit virtus ac potentia ſolis. Vnde MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. 21. *Virgo, quae manu ariſtam refert, quid aliud eſt, quam* δύναμις ἡλιακὴ (id eſt *virtus et potentia ſolaris*) *quae fructibus curat?* Reſpicit auctor ille ſine dubio meſſem, quam aliae gentes peragunt, dum Sol eſt in virgine, tempore aeſtiuo, Aegypti vero incolae, dum Sol eſt in ariete et Tauro, interque hos, Thebaei in ſuperiori Aegypto, fabularum et ſolennitatum, de quibus hic dixi, conditores, eo plane tempore,

* Videri poteſt la Chronologie Sacrée de Mr. des VIGNOLES Vol. I. p. 555.

tempore, quo Sol eſt in ariete, tempore vernali. Hoc tempore illi adorabant, ſolenniterque celebrabant τὴν δύναμιν ἡλιακὴν, ϫⲱⲙ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ, id eſt *Herculem*, quod in *Tabula Bembina* eleganter depingi, monui §. 9. In Feſto, tum in honorem Solis concelebrato, oſtentabatur calathus, ariſtis repletus. In ſpecimine *interpretationis Tabulae Bembinae*, exiſtimaueram, ibi repraeſentari flores vernos; ſed hoc Aegypto non conuenire, nunc rem maturius perpendens, libenter agnoſco. Credo igitur, depingi nobis illic primitias ariſtarum, *Herculi* et *Ammoni* in aequinoctio vernali oblatas.

* *

CAPVT IV.

De Horo Aegyptiorum Deo, quem Graeci Apollinem interpretantur.

§. I.

Quantumuis inter omnes conſtet, in toto antiquorum Aegyptiorum Theologia, poſt Oſiridem atque Iſidem, celebrius nihil eſſe, aut frequentius occurrere, *Hori*, quem Oſiridis Iſidisque filium perhibent, nomine ac Numine, negare tamen non poſſum, vix dari aliud vllum veteris Aegypti Numen, quod mihi plus, quam quidem iſtud negotii faceſſiuerit. Vsque adeo, et vera nominis *Hori*, interpretatio, et virtutis, quam in eo celebrarunt veteres Aegyptii, genuina explicatio, difficilis mihi ſemper viſa eſt. Etiam nunc, cum manus operi admouenda, diu ſatis anceps incertusque haeſitaui, quamnam inter plures, quae animo meo obuerſabantur, ſententias, eligere, aliisque praeferre deberem. Ego eorum, quae mihi, omnia ſollicite expendenti, in mentem venerunt,

tatio et explicatio Hori paulo difficilior eſt.

runt, lectori rationem mox reddam. Ipſius vero erit, de his omnibus iudicium ferre.

Horus Aegyptiace proprie ſonat Or, idque Graeci interpretantur Apollinem.

§. 2. Graeci, quando de *Horo* loquuntur, ſolent eum ſemper *Apollinem* interpretari. Ita HERODOTVS L. II. c. 144. commemorat Ὧρον τὸν Ὀσίριος παῖδα, τὸν Ἀπόλλωνα Ἕλληνες ὀνομάζουσι. *Horum Oſiridis filium, quem Graeci Apollinem nominant.* Et c. 156. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος. *Et Apollo quidem Aegyptiace Horus dicitur.* Teſtantur idem DIODORVS *Siculus* L. I. p. 22. PLVTARCHVS de Is. et Oſir. p. 375. extr. AELIANVS de Anim. L. X. cap. 14. MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. 21. et multi inſuper alii, quos operoſe hic recenſere, nihil attinet. Omnes hi docent, *Hori* nomen eſſe Aegyptiacum, Graecos vero illud interpretari *Apollinem*, eo quod inter hunc et *Horum* Theologiae Aegyptiorum, aliquam ſimilitudinem ſe deprehendiſſe crederent. Quando autem Graeci nomen hoc efferre communiter ſolent Ὧρον, Latini *Horum*, nomini Aegyptiaco, ſuam adoptant terminationem graecam & latinam. Non dubito, quin ſermone Aegyptiorum genuino, nomen illud ſonuerit Ὧρ. (*Or*) Et hunc plane in modum, nomen iſtud ſcriptum deprehendimus apud IOSEPHVM Lib. I. adu. Appionem Tom. II. Edit. Belgicae, p. 460. vbi ex MANETHONE, ſacerdote Aegyptio, refert de Amenophi, rege, quod cupiuerit θεῶν γενέσθαι θεατὴς, ὥσπερ Ὧρ, εἷς τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων, *Deorum conſpectu frui, quod etiam contigiſſet Horo, vni eorum, qui ante ſe imperium tenuerint.* Quibus verbis digitum intendi in noſtrum Horum, ambigi non poteſt. Non optime vero Editores poſtremi, veterem hanc lectionem, quae vtique bene ſe habebat, repudiarunt, eiusque loco reponere iuſſerunt Ὧρος. Etſi enim Graeci nomen iſtud ad hunc modum efferre ſoleant, Aegyptiace tamen illud, quemadmodum monui, ſonabat *Or*. In *Apophtegmatibus Patrum*, editis à CO-

TELE-

TELERIO, habentur etiam, memorabilia dicta et facta, Monachi * *Or*, in *Monumentis Eccleſiae Graecae*, Tom. I. p. 709. Et in PALLADII *hiſtoria Lauſiaca* cap. 87. commemorantur quaedam de Abbate ** *Pior*, vbi ad nomen *Or*, acceſſit tantum nota maſculini generis *Pi*. Nempe quod ſaepius iam monendum mihi fuit, ſolebant plerumque Aegyptii, Deorum ſuorum nomina, et gerere ipſi, et ſuis imponere, qui mos poſtea, etiam inter Chriſtianos non deſiit. Illorum quoque nomina a Diis gentis illius auitis deſumta fuiſſe, nimis teſtatum eſt. In eadem *hiſtoria Lauſiaca*, cap. 138. memoratur quoque virgo Coenobitica, nomine Ταώϱ, (*Taor*) quod nomen ab eodem fonte defluxit. Significat autem *Ta-Or*, Aegyptiorum ſermone, τὴν τȣ Ὦϱȣ, eam, *quae eſt Hori*, vel *Horo conſecratam*, vel denique *Horo genitam*.

§. 3. De hoc Numine *Horo*, extabat olim fabula aliqua ſacra ſacerdotalis, quae doctrinam phyſiologicam, ad cultum ſacrum applicatam, tegebant, in hunc fere ſenſum, *Horum* filium eſſe *Oſiridis* et *Iſidis*, nam id veteres tantum non omnes, vbi res has attingunt, ſemper ſolent perhibere. Mentio tamen eſt, apud DIODORVM *Siculum* Lib. I. p. 18. alius cuiuspiam traditionis, juxta quam *Horus* filius dicebatur *Saturni* et *Rheae*, id eſt, vt ego interpretor,*** *Vulcani* et *Noctis*, adeoque *Oſiridis* frater. Fama haec ac traditio obſcurior eſt, quam vt illi immorari conſultum putem. Ignotum praeterea non eſt, alias quoque in Theologia Aegyptiorum vſu venire, vt vnus idemque Deus, ſit, certo ſaltem reſpectu, alterius pater, maritus, frater, et filius. † *Iſidis* certe *coniux*, **Fabulae Sacrae Aegyptiorum de Horo Summa.**

ſimul-

* Ita et SOZOMENVS hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c. 28.

** Idem Lib. VI. c. 29.

*** Vide ſupra hoc Libro cap. I. § 9.

† EVSEBIV's Praepar. Euang. Lib. III. cap. XI. fin. Adde LACTANTIVM Lib. I. c. 21.

ſimulque frater ac filius Oſiris eſſe perhibebatur. Et ſupremum Deum IVLIVS FIRMICVS ita alloquitur, Praefat. ad Lib. V. Matheſ. p. 115. *Tu omnium pater pariter ac mater: Tu tibi pater ac filius.* Reliquae fabulae, quae deinde ſequitur, vti eam veteres referre ſolent, haec fere ſumma eſt. Oſiris Hori pater, in Aegypto aliquamdiu iuſte, pie, et feliciter regnauerat, orbem etiam terrarum peragrauerat, et omnes vbique gentes, magnis beneficiis ſibi deuinxerat. Huic vero, cum ex tam glorioſa expeditione, carus omnibus, reuerſus eſſet, Typho frater inuidus et improbus, inſidias ſtruxit, quibus tandem miſere ſuccubuit. Ope namque coniuratorum, Typho fratrem ſuum adortus, corpus eius in arcam quandam compegit, arcam vero diligenter occluſam, firmiterque obſtructam, Nilo impoſuit, atque ſic per oſtium Taniticum, in mare dimiſit. Iſis vxor eius, cognita hac impia coniugis ſui caede, corpus mariti ſui, commiſſum mari, quaeſitum profecta eſt, idque in Phoenicia repertum, ſecum reduxit in Aegyptum, denuo tamen à Typhone violatum. Cum vero reliquias corporis, Oſiridis ſui, noua cura ſtudioſe recollegiſſet Iſis, per totam Aegyptum, plura in eius honorem ſepulchra conſtrui iuſſit, eidemque Templa ſtructurae ſplendidae paſſim erexit, diuinosque honores decreuit, ac offerri curauit. Neque tamen interea, regni ſui curam agere prouidam neglexit, namque ab Horo filio adiuta, conſilia Typhonis interuertit, atque tandem tyrannidem eius ſoluit. Horus eum, aliquot praeliis victum, et fugam arripientem, in poteſtatem ſuam redegit, eumque vinculis conſtrictum, cuſtodiae Iſidis matris ſuae concredidit. Sed haec, indulgentia nimia in inimicum vſa, eum ruptis vinculis elabi paſſa eſt. At Horus regno, ſibi iure debito, deinde potitus eſt, et inter Deos quidem, vel, vt alii malunt, Semideos, Aegypti reges, vltimus regnauit. Ita fere fabulam hanc prolixe

liae narrat PLVTARCHVS in libro *de Iſide et Oſiride*, longe breuius, et paucioribus eandem proſequitur DIODORVS *Sic.* Lib. I. et admixtis permultis proprii ingenii figmentis, SYNESIVS in libro *de Prouidentia*, vt alios taceam, qui obiter tantum, ac nonniſi breuiſſime, totam hanc rem attingunt. Omnes fabulae huius, etiam leuiſſimas minutias, ſcrupuloſa diligentia excutere, exque illis ſigillatim conſideratis, totius fabulae verum ſenſum phyſicum et Theologicum eruere velle, et multo difficillimum, et ſupra modum prolixum foret, quod proinde non eſt huius noſtri inſtituti. Neque tamen etiam fabula haec in vniuerſum negligi poteſt, cum illa vtique doctrinam ſacerdotum Aegyptiorum de ſuo Horo, ſtylo emblematico et allegorico, complectatur. Omnium maxime igitur ad haec animus nobis aduertendus erit, Horum fuiſſe filium Oſiridis et Iſidis, Oſiridem inſidiis Typhonis, peſſimi tyranni, e medio ſublatum fuiſſe, Horum vero vna cum matre caedem patris ſui in Typhone vindicaſſe, hunc ſuperaſſe, regnoque exuiſſe, vita tamen non priuatum; ac deinde feliciter in Aegypto regnaſſe. Haec vero, ſequentia, vt ſpero, ſatis explicabunt.

§. 4. Videamus ergo, numquid verum ſenſum, fabularum de Horo in vulgus ſparſarum, eruere poſſimus. Id à quoquam in dubium vocari poſſe, vix crediderim, fuiſſe ſingularem et notabilem plane Hori ad ſolem relationem. Cur enim quaeſo, Graeci omnes et ſemper, *Horum* interpretarentur *Apollinem?* niſi in eo virtutem aliquam et poteſtatem, ſoli propriam, ab Aegyptiis agnoſci, intellexiſſent. Et certe, in monumentis Aegyptiorum vetuſtis, quae a Graecis commemorantur, vbi mentio eſt *Solis*, perſaepe non alium intelligi poſſe, quam *Horum*, negari omnino nequit. *Accipitrem* alitem, in hieroglyphicis Aegyptiorum ſignificaſſe *Solem*, ignotum non eſt, idque

Horum ex ſententia Aegyptiorum, ad ſolem referri debere, certum eſt.

teſtatur

teſtatur *Horapollo* Lib. I. c. 6. 8. ideoque ſymbolum erat *Oſiridis*, cuius rei rationes exponit PLVTARCHVS de Is. et Oſir. p. 371. Eundem tamen alitem, ſymbolum quoque fuiſſe ſigillatim *Hori*,* veteres memoriae prodiderunt. Ideoque STRABO Lib. XVII. p. 562. in Aegypto ſuperiori, *Apollinopolin*, et *Ciuitatem Accipitrum* ſic coniungit, vt credas, duas eſſe vrbes vnius praefecturae, in quibus, omni procul dubio, *Horus* aequali modo colebatur. Verum cum Aegyptii plura habuerint ſolis ſymbola, auita religione conſecrata, et ſacroſancta, in quorum vno iſtam, in alio aliam ſolis poteſtatem, et ad mundum noſtrum relationem, venerari voluerunt, ſupereſt quaeſtio, quaenam ſit illa Solis ad orbem noſtrum relatio, quae poteſtas et vis, quam in Horo ſacerdotes agnoſci et à plebe celebrari cupiebant. Ea de re permagna eſt, tum apud veteres, tum apud recentiores, opinionum diſcrepantia. Et ſunt etiam, qui *Horum*, à *Sole* diverſum, plane exiſtiment. Complures veterum ſententias PLVTARCHVS adfert in libro *de Is. et Oſir.* quarum pleraeque tales ſunt, vt iis adſtipulari, nulla plane ratione queam. Sed eſt tamen inter eas aliqua, non penitus ſpernenda, quia non leuem veri ſpeciem prae ſe fert, eoque examine noſtro indigna non eſt.

Secundum Plutarchum Horus eſt aër, benigna et ſalutari ſolis influxu temperatus.

§ 5. Audiamus itaque PLVTARCHVM, libro cit. *Hori* Numen nobis ita interpretantem p. 366. Ἔστι δὲ Ὧρος, ἡ πάντα σώζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα, καὶ κρᾶσις ἀέρος ὃν ἐν τοῖς ἕλεσι, τοῖς περὶ Βοῦτον ὑπὸ Λητοῦς τραφῆναι λέγουσιν. *Eſt autem Horus tempeſtas ac temperies aeris, omnia ambientis, ſeruans alensque.* Secundum hanc interpretationem, Aegyptiorum Philoſophi, ſymbolico *Hori* nomine, deſignaſſent ſalubrem aeris conſtitutionem et temperiem, quae

* AELIANVS de Anim. Lib VII. cap 9. Lib. X. c. 14. EVSEBIVS Praepar. Lib. III. c. 12. et alii.

quae ad gignenda, alenda, conſeruanda et recreanda omnia; tantum confert. Videtur id in mente habuiſſe AELIANVS, vbi de *Horo* tale quid obſeruat, de Animal. Lib. XI. c. 10. ὄνπερ οὖν, αἰγύπτιοι πεπιστεύκασι φορᾶς καρπῶν καὶ εὐετηρίας αἰτιώτατον ἁπάσης. *Quem Aegyptii vbertatis frugum, et totius anni fertilitatis praecipuum auctorem eſſe credunt.* Ex eo ratio quoque reddi poſſet, cur Aegyptii accipitrem, quem, vt dixi §. 4. fuiſſe apud ipſos ſymbolum ſolis, emblema quoque voluerint eſſe *venti*, τοῦ πνεύματος, quod nos docet EVSEBIVS Praeparat. Lib. III. c. 12. Nam accipiter erat etiam ſymbolum Hori, vti eodem loco monui. Verum quomodo *Horus*, ſi ſit bona aëris temperatura, dici poterit *Sol*, et *Apollo?* Quomodo Oſiridis filius? Et primo quidem, qua ratione fieri potuerit, vt Numen idem Emblema extitêrit et *Solis*, et etiam *aëris*, ex veterum ſententia, in quam hic tantum inquirimus, ne in congerendis teſtimoniis ſcriptorum vetuſtorum nimius ſim, dicat pro me MACROBIVS, Saturn. Lib. I. c. XX. p. 207. *Et reuera Herculem ſolem eſſe, vel ex nomine claret.* Ἡρακλῆς *enim quid alius eſt, niſi* Ἥρας *id eſt aëris* κλέος. (gloria) *Quae porro alia aëris gloria eſt, niſi Solis illuminatio; cuius receſſu, profunditate occulitur tenebrarum.* Nempe virtus illa benefica, quae ineſt aeri, influxui ſolis debetur, qui ex hoc primo in aërem, et ex iſto in terram deriuatur. Id PLVTARCHVS ſatis clare innuit in libro *de Iſ. et Oſir.* pag. 371. Ἐν δὲ γῇ καὶ πνεύμασι — τὸ τεταγμένον καὶ καθεστηκὸς, καὶ ὑγιαῖνον, ὥραις καὶ κράσεσι καὶ περιόδοις Ὀσίριδος ἀποῤῥοή. *Quicquid vero in terra et ſpiritibus* (ventis nimirum) *ordinatum eſt, aequabile, et temperatione ſua ſanum ac tempeſtiuum, id vocant Oſiridis defluxum.* Difficile iam non fuerit, rationem quoque reddere, cur *Horus*, ſi ſymbolum ſit Aëris, Aegyptiis dictus habitusque fuerit Oſiridis et Iſidis filius. Omnium optime

optime id nobis explicabit PLVTARCHVS in eodem libro p. 368. *Lunam* Aegyptii, *mundi matrem appellant, et naturam ex vtroque ſexu mixtam ei adſignant: quod impleta et grauida facta a Sole, rurſum a ſe in aërem emittat, ac diſſeminet genitabilia principia*, His auctor ille continuo ſubiungit iſta. *Non enim ſemper obtinere corruptelam Typhonicam, ſed ſaepe victam a vi procreatrice, ac vinctam, rurſus emergere, et cum Horo decertare.* Nempe haec quoque ad explicandam tyrannidem Typhonis, ab Horo tandem tamen deuicti, conducere poſſunt. Et in vniuerſum ex his, quae nunc obſeruauimus, explicari poteſt commode, quae ſit pugna Hori cum Typhone, quaeque illius victoria. Exponemus autem id verbis BENIGNI MAILLETI, viri illuſtris, qui per plus quam ſedecim annos, munere Conſulis Nationis Gallicae, in Aegypto functus eſt, quique durante hoc temporis interuallo, omnia, quae Aegyptus curioſo rerum et antiquarum, et naturalium indagatori offert, ſingularia, et attenta conſideratione digniora, ſedulo obſeruauit, eaque diligenter in literas retulit. Is autem, de aëris in Aegypto temperie, iſta memoriae prodidit *. *Aër illius regionis, purior longe atque excellentior eſt, quam vſpiam alibi in toto mundo. Bonitas haecce Aëris, cum omnibus entibus, ſiue viuentibus, ſiue etiam inanimatis, quae in beata hac regione exiſtunt, ſeſe communicat. Foeminae, tum inter homines, tum inter animantia foecunditate vincunt reliquas omnes totius terrae. Prouentus terrae illic abundantior eſt, et copioſus magis, quam vbicunque extra Aegyptum. — Non tamen inficias iuerim, aërem huncce, quantumuis longe optimum, tamen pro ratione illius regionis, etiam corruptionibus obnoxium eſſe. Vltro etiam*

* Deſcription d' Egypte, Part. I. p. 18. Edit. 8v.

etiam largior, eum vehementer nociuum eſſe, illis praeſertim in locis, vbi Nilus poſt inundationem ſolito vberiorem, recedens, paludes relinquit et ſtagna ex quibus infectio quaedam in loca vicina redundat Et * alio loco. *Venti illi meridionales, qui in Europa noſtra, tantos ſuſcitant languores totque mala poſt ſe trahunt, damna non minora in Aegypto efficiunt vbi tempore aeſtiuo inualuerunt. Haec eſt tempeſtas morborum et aegritudinum, tum regnare videas febres, ipſamque adeo peſtiferam luem, paſſim per Aegypti regiones, non ſine magno incolarum detrimento graſſari. Simul atque vero eteſiae flare coeperunt, et iam perſentiſcuntur, omnis illa morborum atque maiorum turba confeſtim euaneſcit.* Pluribus haec explicare, opus eſſe non puto. Quilibet paulo attentior, etiam me tacente, facile hic obſeruabit, veluti depictum, initium inter Horum atque Typhonem certamen, non ſecus atque triumphum, quem de Typhone tandem agit Horus, qui deuicto inimico et Tyranno, toti iam Aegypto, magno ciuium omnium bono, cum gloria imperat. Sed plura, ea de re, dicenda mihi eſſe video, vbi ad Typhonem peruenero Lib. V.

§. 6. Ex dictis colligi non praeter rationem poterit, quamobrem quidam ex veteribus, *Horum* Aegyptiorum, *Priapi* nomine inſigniuerint, et cum obſcoeno hoc Graecorum Deo, comparauerint. Ita ſane fecit auctor ille anonymus, ex quo ſua deſcripſit SVIDAS in voce Πρίαπος, Τὸ ἄγαλμα τοῦ Πριάπου τοῦ Ὥρου παρ' αἰγυπτίοις κεκλημένου, ἀνθρωποειδὲς ποιοῦσιν, ἐν τῇ δεξιᾷ σκῆπτρον κατέχον· ὡσανεὶ παρ' αὐτοῦ φανεῖσαν τὴν ξηρὰν, καὶ τὴν θάλασσαν. Ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κρατοῦν τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἐντεταμένον. Διότι τὰ κεκρυμμένα ἐν τῇ γῇ σπέρματα, φανερὰ καθίστησι· τὰ

Eo forte ſpectat, quod quidam Horum, cum Priapo Graecorum contulerint.

δὲ

* Idem ibid. p. 71.

δὲ πτερὰ τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ. — ταυτὸν γὰρ τῷ ἡλίῳ δοξάζουσι. Simulacrum Priapi, quem Horum Aegyptii vocant, humana forma fingunt, dextra ſceptrum tenens, propterea, quod ab eo, tum ſiccum, ſiue tellus, tum mare, ſit in lucem productum: Laeua vero tenens veretrum ſuum inentum, propterea, quod ſemina, quae in terra occultabantur, educat in apertum, ac manifeſta reddat. Alae vero additae celeritatem motus indicant. Eundem enim ac Solem eſſe arbitrantur. Simulacri huius conſtructio, a moribus quidem et ingenio Aegyptiorum, cumprimis vero paulo recentiorum, non adeo remota eſt. Solenne potius erat ipſis, vim foecunditatis et generationis, quae, ſiue Naturae in vniuerſum, ſiue Soli, ſiue Lunae, aliisue Aſtris, ſiue aëri, ſiue etiam Nilo, ac terrae ineſt, huiusmodi fictionibus ſymbolicis perſaepe adumbrare, cuius rei vel vnus PLVTARCHI *de Iſide et Oſiride* liber, exempla plurima ſuppeditare poterit. Neque etiam exiſtimabant Aegyptii, fictiones et imagines emblematicas huius generis, quippe quas ab ipſa natura eſſent mutuati, vlla ratione honeſtatem, aut pudorem laedere. Non eſt porro, quod dubitem, quin et ad deſignandam vim atque virtutem *Hori*, ſiue *aëris*, emblema quodpiam, illi, cuius SVIDAS meminit, conſimile, adhibere potuerint; verum de eo non mediocriter dubito, vtrum Anonymus ille, apud SVIDAM, quem ſuſpicor fuiſſe Chriſtianum, ſenſum ſimulacri emblematici, quod deſcribit, verum ac genuinum perceperit. Iuſta etiam dubitandi cauſa eſt, an omnino ſimulacrum illud, ad *Horum* referendum fuerit. Ego ad Panem Aegyptiorum transferre multo mallem. Sed de hoc in ſequentibus. Vnum quoque hunc tantum ſcriptorem Anonymum reperire potui, qui *Horum*, cum *Priapo* Graecorum obſcoeno, eundem eſſe dixerit.

§. 17.

§. 7 Si quis illam nominis et Numinis *Hori*, interpretationem, quam modo ſuggeſſi, non improbet, me non habebit refragantem. Satis diu hanc aliis praeferendam eſſe credidi. Sed vbi tamen omnia veterum de *Horo* teſtimonia, quae ad manum erant, memoria repetii, et mente reuolui, vel invitus tandem, rationes ſic mecum ſubducere coactus ſum, *Horum*, ex mente Philoſophorum Niloticorum, ad ipſam ſubſtantiam *Solis* referri omnino debere. Credo igitur nunc, *Horum* eſſe *Solem* ipſum, in certa relatione ad noſtram terram conſideratum, quale quid de Ioue *Ammone*, et de *Hercyle*, in ſuperioribus adſtruximus. Eam vero in rem obſeruari velim, multa Horo noſtro, cum Harpocrate, Numine pariter Aegyptiorum inclyto, ita communia fuiſſe, vt non abs ratione cenſeri queat, duplex hoc Numen, ſi rem ſeria aeſtimatione perpendas, fuiſſe tantum vnum idemque. Abunde id probatum dedit illuſtris CVPERVS in *Harpocrate* p. 4. 5. etc. Sed nos tamen rem illam intactam praetermittere non poſſumus. Sciunt igitur omnes 1) *Horum* Oſiridis Iſidisque filium perhiberi, quod de *Harpocrate* pariter tradiderunt Aegyptii. Res adeo trita vulgoque nota eſt, vt eam teſtimoniis probare velle, prorſus ſuperuacaneum ducam. Solus PLVTARCHI de *Iſide et Oſiride* libellus id ſatis ſuperque docebit. Perquam opportune vero CVPERVS hic ex EPIPHANII *Ancorato* obſeruat, Iſidem habuiſſe ἕνα παῖδα, *filium vnicum*, ex quo conſequitur, *Horum*, et *Harpocratem*, vtrumque eſſe filium illum vnicum. Accedit ad id, quod diximus, etiam 2) quod vtrique, *Horo*, et *Harpocrati*, ſimilis plane natiuitas myſtica affingatur. De *Harpocrate* perhibebant Aegyptii, quod in lucem editus eſſet, cum digito ori impreſſo, et talem etiam eundem, omnia eius ſimulacra, quae extant, de-

Sed re ipſa tamen Horus Aegyptiis fuit Sol ipſe, vnde etiam cum Harpocrate idem cenſetur.

pingunt, quomodo eum et * Poeta repraeſentat,

Quique vocem premit, digitoque ſilentia ſuadet.

Et talem quoque fuiſſe natiuitatem *Hori*, docet DAMASCIVS de vita Iſidori, vbi de Heraiſco Philoſopho iſta memorat **. Λέγεται καθελθεῖν ἀπὸ τῆς μητρὸς εἰς τὸ φῶς, ἐπὶ τοῖς χείλεσιν ἔχων τὸν κατασιγάζοντα δάκτυλον· οἷον αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι γένεσθαι τὸν Ὧρον, καὶ πρὸ τοῦ Ὥρου τὸν ἥλιον. *Fertur ex vtero matris prodiiſſe, indice ſilentii digito labiis adhaerente, qu modo et Aegyptii fabulantur, Horum, et ante hunc ſolem natum eſſe.* Neque tacendum 3) quod cum Aegyptii ſolerent ſaepius repraeſentare *** puerum loto inſidentem, tanquam emblema ſolis, ex antiquariis noſtris, permultos id de *Horo* explicare, et adeſſe tamen indicia, quibus oſtendi queat, deſignari potius *Harpocratem*. Id certe de nummis et gemmis, in CVPERI *Harpocrate* p. 7. 12. etc. adductis, quiuis idoneus rerum harum iudex vltro fatebitur. Idem porro de emblematibus alius generis, quibus creditur repraeſentari *Horus*, oſtendere nullo negotio poſſem, niſi id nimis nunc prolixum eſſet. Quinimo 4) diſcimus ex EPIPHANIE, *in Expoſitione Fidei catholicae*, vtrique huic Deo, *Horo*, et *Harpocrati*, Aegyptios ſacra feciſſe coniunctim, iisdemque plane ritibus ac ceremoniis. Sic enim ſcribit §. 5. p. 1092. etc. *Qui in Butica praefectura, et in illius vrbe Buto, Harpocratem nutriunt*, (nempe ad exemplum Iſidis, Horo vel Harpocrati lac praebentis) *ſunt viri, aetate iam ſenes. Illi ſolenni, certaque menſis die, veſanas et furioſas Hori ceremonias, ex inſtinctu*

* OVIDIVS Metam. Lib. IX.

** Apud PHOTIVM, in Bibliotheca, Cod. CCXLII. col. 1049. Adde SVIDAM in articulo Ἡραΐσκος, et Διαγνώμων.

*** Vide infra cap. VI. §. 9.

ſtinctu daemonis peragere coguntur. Tum enim ciues vniuerſi, ſenes decrepiti, cum adoleſcentibus, et cum his ſacerdotes Hori et Harpocratis, raſo toto capite, ſeruilem, puerilem ac abominandam ſpeciem circumferunt, et quae illic plura ſequuntur. Apparet ex his, Butitas in Aegypto inferiori, *Horum* et *Harpocratem*, eodem tempore, iisdemque ritibus coluiſſe, et Numini vtrique eosdem ſacerdotes dedicatos fuiſſe. Suſpicor tamen, haec eſſe aetatis recentioris, HERODOTO certe, qui in deſcribendis Butitarum ſacris prolixus eſt, plane incognita. Verum hoc noſtrum argumentum 5) ex eo praeſertim illuſtratur, quod Aegyptii, teſte PLVTARCHO, duplicem *agnouerint Horum*, iuniorem et ſeniorem. Ita enim de *Iſ. et Oſir.* p. 355. Τῇ δευτέρᾳ τὸν Ἀρουήριν, ὃν Ἀπόλλωνα, ὃν καὶ πρεσβύτερον Ὧρον ἔνιοι καλοῦσι. *Secunda die Aruerin eſſe natum, quem Apollinem et ſeniorem Horum dicunt.* Et libro eodem p. 373. *Apollo ex Iſide et Oſiride adhuc in vtero Rheae verſantibus, dicitur natus, — ideoque deum illum deum mutilum in tenebris natum eſſe aiunt, et ſeniorem Horum appellant.* Quis vero ſit iunior, quis ſenior Horus, in ſequentibus mox diſpiciemus. Subinnui in his quoque *Harpocratem*, quod vere monuit CVPERVS. p. 4. intelligitur ſatis ex eo, quod Horus ſenior dicatur ἀνάπηρος, *membris mutilus ac mancus.* Id enim non tam de *Horo*, quam de *Harpocrate* tradidiſſe Aegyptios, vulgo conſtat. Si autem *Horus* idem eſt cum *Harpocrate*, non poterit non eſſe *Sol* ipſe. *Harpocratem* enim eſſe *Solem*, ſatis probauit CVPERVS, et nos etiam ſuo loco ad liquidum deducemus.

§. 8. Non minus id noſtra obſeruatione dignum hic cenſeri debet, quod idem ille *Horus*, qui certa ratione, inque certa relatione, idem cum *Harpocrate* in ſacris Aegyptiorum deprehenditur, alia ratione, aliaque relatione, ab *Hercule* eorundem, quoque non diſtuliſſe *Eadem de cauſa, neque ab Hercule differre Horus exiſtimabatur.*

diſtuliſſe oſtendi poſſit, quod argumento non vno, et ſatis quidem evidenti, conficere licet. Eam in rem 1) in memoriam reuocare nos oportet fabulam illam ſacerdotalem myſticam, quam de Hercule narrabant Sacrorum antiſtites *, eum deſiderio aliquando flagraſſe videndi Iouis, et voti illius, certa quadam conditione, factum eſſe compotem. De Amenophi vero, quodam Aegypti rege, narrat MANETHO, apud IOSEPHVM aduerſ. Appionem Lib. I. p. 460. Edit. Belg. quod deſiderauerit, θεῶν γενέσθαι θεατὴς, ὥσπερ Ὧρ, εἷς τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων, *Deorum conſpectu frui, exemplo Hori, vnius ex illis, quae ante eum in Aegypto regnauerant.* Si fabulam vnam cum altera curate conferas, videbis, in vtraque rem eandem deſignari. Eſt praeterea 2) alia de Hercule doctrina ſacra Aegyptiorum, quam ** ſupra iam adduxi ex PLVTARCHO, *Fabulabantur nempe* illi, *Herculem in Sole poſitum, vna cum illo circumferri.* Ouum ouo ſimilius eſſe non poteſt, quam traditioni huic eſt altera Aegyptiorum de *Horo*, quam PLVTARCHVS pariter adfert p. 375. extrem. Τὴν μὲν ἐπὶ τῆς τοῦ ἡλίου περιφορᾶς τεταγμένην δύναμιν Ὧρον, Ἕλληνες δὲ Ἀπόλλωνα καλοῦσιν. *Virtutem illam, quae praeeſt Soli dum circumfertur, Aegyptii Horum, Graeci Apollinem dicunt.* Obſeruauimus porro alio loco † 3) de Hercule, Aegyptiorum, quod ſecundum quasdam traditiones ſacerdotales, in expeditione aduerſus Libyas, inſidiis Typhonis appetitus, interierit, ſed breui tamen poſt, in vitam reuocatus fuerit. Quid vero, quaeſo, a fabula iſta ſacerdotum emblematica, differt eorundem traditio de Horo? quam DIODORVS *Siculus* literis conſignauit, Lib. I. p. 22. *Iſis inuenit immortalitatis pharmacum, quo filium Horum,*

* Supra cap. III. §. 1.

** Ibidem §. 7.

† Ibidem §. 10. 11.

rum, Titanum inſidiis oppreſſum, et exanimatum, in aqua inuentum, non tantum reddita anima, in vitam reduxit; ſed etiam immortalitatis participem fecit. Poſſem perfacile oſtendere, idem plane fabulae vtriusque eſſe ingenium; ſed malo id ſagacitati lectoris relinquere. Tandem 4) neque iſtud omittendum eſſe putem, *Herculem* ab Aegyptiis habitum fuiſſe *tempus*, vel *temporis patrem* et *moderatorem*, quod adductis veterum teſtimoniis diſertis *, ſuo loco probauimus. Neque aliter de *Horo*, Gentis illius Philoſophos loqui conſueuiſſe, clare pateſcit ex Obeliſco illo Heliopolitano, cuius verſionem graecam, AMMIANVS MARCELLINVS, ex parte libro XVII. Hiſtoriae ſuae inſeruit. In illius namque Inſcriptione, quae graece conſeruata eſt, Horus appellatur *Δεσπότης χρόνων* **, *Dominus et ſupremus moderator temporum.* Quid pluribus opus eſt? quamuis et ea ſubminiſtrari poſſent. *Horus* igitur Aegyptiorum, cum eorundem *Hercule*, multiplici ratione idem cenſeri debet, et cum hunc a ſole diuerſum non fuiſſe, affatim probauerimus, idem quoque de *Horo* dicendnm eſſe, per ſe omnino conſequitur.

Horus eſt Sol aeſtiuus, circa et poſt ſolſtitium aeſtiuum conſpicuus.

§. 9. Sed quorſum haec omnia? Nempe, vt tanto luculentius appareat, *Horum* Philoſophis Aegyptiorum emblema fuiſſe Solis, et vt ſimul intelligatur, quamnam illi Solis virtutem, quae beneficia, quam ad terram noſtram relationem, in *Hori* Nomine ſpectauerint, et a populo coli voluerint. Nam ex dictis liquido conſtat, et *Horum*, cum *Harpocrate* ac *Hercule* eſſe eundem, et tamen quoque ab iisdem diuerſum. Prius rationibus idoneis demonſtrauimus: poſterius eo facile euincitur, quod Graeci *Horum*, et

 hunc

* Ibidem §. 6. 7. 8. 9.
** Ita et HORAPOLLO Lib. I. cap. 17.

hunc tantum, *Appollinem* ſemper interpretentur, quod in *Harpocrate*, et *Hercule* Nilotico, locum nunquam habet. Eodem ſpectat, quod Aegyptiorum Theologia duplicem *Horum* agnoſcat, iuniorem alterum, alterum ſeniorem. Nempe iunior eſt *Harpocrates*, ſenior vero *Horus*. Sunt omnes hi tres vnus Sol; ſed alio alioque reſpectu. In HARPOCRATE Aegyptii ſymbolice repraeſentabant Solis veluti infantiam et pueritiam, quando in Solſtitio hyberno, inferius hemiſphaerium deſerere iam incipit, adque ſuperius, licet tardo greſſu, et tanquam infantili, enititur et contendit: in *Hercule* robur iuuenile Solis, quando hemiſphaerium ſuperius iam contigit, diesque modo iam omnibus conſpicuo et manifeſto, longiores, noctes vero breuiores efficit, ac lucem ſuam et calorem beneficum, vbique diffundit: in *Horo* denique vigorem Solis virilem, et penitus maturum; vbi nempe circa Solſtitium aeſtiuum, ad ſummum hemiſphaerii ſuperioris cacumen euaſit, atque tum in tota ſua gloria et potentia, mundo apparet. Non ignota fuit MACROBIO pars haec Theologiae Aegyptiorum ſymbolicae, de qua ita commentatur, Saturn. Lib. I c. XVIII. *Hae autem aetatum diuerſitates ad Solem referuntur, vt paruulus videatur hiemali Solſtitio, qualem Aegyptii proferunt, ex adyto die certa; quod tunc breuiſſimo die, veluti paruus et infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis, aequinoctio vernali ſimiliter atque adoleſcentis adipiscitur vires, figuraque iuuenis ornatur; poſtea ſtatuitur eius aetas pleniſſima effigie barbae, ſolſtitio aeſtiuo, quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum. Exinde per diminutiones dierum, veluti ſeneſcenti, quarta forma deus figuratur.* Quae de barba doctus hic ceteroquin ſcriptor obſeruat, ad quartam potius, quam ad tertiam aetatis figuram, pertinebunt, Aegyptii enim *Horum* non ſolebant barbatum fingere. Sed hoc ex

Theo-

Theologia Graecanica magis petitum eſt, quam illic MACROBIVS cum Aegyptiaca confert. Eſt igitur *Horus* Sol aeſtiuus, qualiter ſe, circa et poſt tempus Solſtitii aeſtiui, dum durat aeſtas, in coelo conſpiciendum, et in terra perſentiſcendum praebet. Is igitur ſic deſignatur in *Oraculo Apollinis Clarii*, quod Theologiam Aegyptiorum ſpectat, quodque ſaepius iam ad teſtimonium vocauimus.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω,
χείματι μὲν τ' ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
Ἠέλιον δὲ θέρεος, μετοπώρου δ' ἁβρὸν ἰάω.

Dic Deorum omnium ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme orcum dicunt, ineunte autem vere Iouem.
Aeſtate porro ſolem, ac tandem autumno inclinato tenerum Iao,

Qui hoc *Oraculo* per excellentiam dicitur *Sol*, eſt ſine dubio *Horus*. VIRGILIVS eum *ſolem nouum* vocat, quia tum nouas vires acquiſiuit, et maiori quam antea, ſplendore coruſcat, Aen. VII, 720.

Vel cum ſole nouo, *denſae torrentur ariſtae.*

§. 10. Liceat mihi aliud etiamnum argumentum adferre, et paucis exponere, quibus id, quod de vera *Hori* ſignificatione adſtruxi, non leuiter confirmabitur iuxta et illuſtrabitur. Scribit autem HORAPOLLO in *Hieroglyph.* Lib. I. c. 17. Ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Ὥρου, λέοντας ὑποτιθέασι, δεικνύντες τὸ πρὸς τὸν θεὸν τοῦ ζώου σύμβολον. Ἥλιος δὲ ὁ Ὧρος, ἀπὸ τοῦ τῶν ὡρῶν κρατεῖν. *Sub ſolio Hori leones ponunt, animalis huius cum Deo Sole ſimilitudinem maximam monſtrantes. Dicitur autem apud eos Sol Horus, eo quod tempeſtatibus anni, et horis praeſit.* Quo nihil aliud, niſi id indicatur, ſummam *Hori* gloriam, eo

Idem alio argumento probatur ex Horapolline.

tempore omnibus manifeſtari, quo ſol ſignum Leonis peruadit. Regnum *Hori* interuallum illud omnè complectitur, quod a ſolſtitio aeſtiuo, vſque ad aequinoctium autumnale extenditur; ſed regni huius vis ac potentia, omnibus tum potiſſimum conſpicua ſit, cum Sol eſt in ſigno Leonis, id eſt Iulio menſe exeunte, et maxima parte Auguſti. Nam tum calor Solis eſt intenſiſſimus, quem tamen illa ipſa anni tempeſtate, eteſiae, in Aegypto, mirum in modum temperant, et eodem tempore, incrementa Nili, Aegyptiorum filiis tam deſiderata, omnium maxime obſeruantur. Ideoque ſignum Leonis genti huic gratum, et valde auſpicatum. Teſtatur id HORAPOLLO Lib. I. c. 21. Ὁ ἥλιος εἰς λέοντα γενόμενος, πλείονα τὴν ἀνάβασιν τȣ̃ Νείλȣ ποιεῖται, *Quando Sol Leonem ſubit, ampliorem facit Nili exundationem.* Poſteaque haec ſubiungit. Ὅθεν καὶ τὰς * χολέρας, καὶ τȣ̀ς εἰσαγογεῖς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφȣς κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. *Vnde et capita tuborum et canalium ſacrorum fontium, ſolent ii, qui ſacris praeſunt operibus, Leonis figura effingere.* Rem hanc eandem tangit PLVTARCHVS Sympoſiac. Lib. IV. Qu. 5. p. 670. Verba eius, vti ** a viro docto emendata et verſa ſunt, adſcribere non poenitet. Κρῆναι δὲ καὶ κατὰ χάσματα τῶν λεόντων ἐξίασι κρȣνȣ̀ς, ὅτι Νεῖλος ἐπάγει νέον ὕδωρ ταῖς αἰγυπτίων ἀρȣ́ραις, ἡλίȣ τὸν λέοντα παροδεύοντος. Apud Aegyptios, *fontes, per rictus leonum, emittunt latices ſuos perennes, quoniam Nilus nouam aquam agris ipſorum inducit, quando Sol per Leonem tranſit.* Conſimiliter *Scholiaſtes Arati*, in *Phaeno-*

* Secutus hic ſum correctionem poſtremi in Belgio editoris.

** IOANN. CORN. a PAVW, obſeruat. in Horapollinem pag. 313.

Phaenomena p. 22. Edit. Oxon. Ὅτε ὁ ἥλιός ἐστιν ἐν τῷ λέοντι, καὶ παρ᾽ αἰγυπτίοις αἱ κλεῖδες τῶν ἱερῶν, λεόντων Φέρουσι πρόσωπα — τότε ἐμβαίνει καὶ νεῖλος. *Quando Sol eſt in leone, claues in foribus Templorum, formam habent capitum leoninorum. — Tum etiam Nilus ſe effundit in agros.* Alia huc ſpectantia ſuppeditabit CVPERVS in *Harpocrate* p. 48. etc. Ea igitur de cauſa Aegyptii *ſignum Leonis* in circulo ſignifero, dicebant * *domum,* ſedem, thronum, *Solis,* et in vniuerſum ** Leones Soli ſacratos volebant. Eadem* quoque de cauſa, throno Hori leones ſubiiciebant, idque videmus in effigie luculenter depictum, in ea nempe *Tabula,* quae *Iſiaca* dici conſueuit, et quidem ſegmenti ſecundi, figura illa, quae in editione *Friſii* Amſtelaedamenſi lit. D. D. ſignata videtur. Monuit hac de re ad illam Tabulam aliquid PIGNORIVS p. 44. Et examuſſim congruit ordo et ſeries rerum in Tabula hac, qualem conſtitui deberi †, alias oſtendi. Praecedit enim illic ortus caniculae, dum Sol verſatur in cancro. Hoc ſignum vero egreſſus, illico in Leonem tranſit, et iſtud quidem figura illa innui auguror. An igitur vera *Hori* ſignificatio dubiis amplius vexata eſſe poterit?

Cur Horus, cumSol ipſe ſit, dicatur Oſiridis (ſiue Solis) et Iſidis, vel Lunae, filius.

§. II. Verum, dicat quiſpiam, quomodo *Horus,* cum ipſe Sol ſit; et quidem in ſummo ſplendore conſpicuus, poterit nuncupari filius Oſiridis, et Iſidis? Id vero ex veterum, de Sole Lunaque, loquendi modis, ſaepe allegoricis et ſymbolicis, qui non omnes nobis

* AELIANVS de animal. Lib. XII. c. 7. MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. 21.

** AELIANVS de Anim. Lib. V. c. 39. HORAPOLLO Lib. I. cap. 17.

† Miſcellan. Berolinenſ. Tom. VI. p. 140. Adde, quae ſupra dicta ſunt Lib. I. cap. III. §. 14.

nobis ita perſpecti et in numerato ſunt, explicare oportet. Poſſumus tamen locutionis huius, Aegyptiis adeo familiaris et tritae, rationem non improbabilem lectori offerre. Sol nempe ſolis filius recte dici potuit, quoniam *ſibi ipſi pater eſt et filius*, vt loquebantur veteres myſtici. §. 3. *pater* nempe, dum circa Solſtitium aeſtiuum quoddam aetatis virilis completum robur adeptus eſt, et virtutem quoque genitalem multiplici ratione exerit: *filius* vero, quando tempore Solſtitii hyberni, *renouatus* veluti, vti veteres pariter loqui amant, virium, aetatiſque incrementa per gradus paulatim nanciſcitur. Quod vero Sol Lunae vel Iſidis reputaretur filius, ratione ſua etiam non caret. Etenim Luna, noctu mundum illuminans, praecedit ſolis ortum, hicque illa, non ſecus atque matre, eſt poſterior. Dici recte de Luna poteſt, quod de nocte ſermonibus vſurpari obſeruat EVSTATHIVS in Iliad. Δ. pag. 449. Ed. Rom. Νυκτὸς διὰ καὶ μητρὸς ἀπογεννᾶται ἥλιος. *Ex nocte, ceu matre quadam, Sol progignitur.* Confirmat ea, quae dixi MACROBIVS, vbi de Camirenſibus Rhodiis narrat Saturn. Lib. I. c. XVII. *Apollini immolant* ἀειγεννητῇ *quod ſemper exoriens gignitur, quodque ipſe generat vniuerſa in ſeminando.* Quae certe mirificam, doctrinae Aegyptiorum de Horo, lucem conciliant. Quomodo autem Horus vel Sol Typhonem vincere dicatur, id expoſitum ſupra videbis §. 5. Nam etſi illic Horum non ſolem, verum aërem interpretati fuerimus, quae tamen ibi de aëre diximus, Horo etiam, quando vt Sol a nobis conſideratur, egregie conueniunt. Nam illa aëris et ventorum benefica atque ſalubris temperies, cuius ſymbolum eſſe dicebamus Horum, tum ſentitur ac praeualet, cum throno Hori leones ſubiiciuntur, vel cum Sol altiſſimam coeli regionem, in curſu ſuo contigit. Ab eo tempore, ventorum nociuorum rabies aëris-

aërisque peſtiferi intemperies omnis ceſſat, Nilus ea contra, a quo tot bona ſperant Aegyptii, aſcendit, ac laeta omnia, ciuibus pollicetur, aër denique ſalutaris totam Aegyptum laetificat. Ex illa noſtri *Hori* explicatione, optima quoque ratio reddi poteſt, cur Numen hoc Graeci omnes interpretentur *Apollinem*. Rationem illam MACROBII malo, quam meis verbis explicare. Ita autem is Saturn. Lib. I. cap. XVIII. *In ſacris autem haec religioſi arcani obſeruatio tenetur, vt Sol, cum in ſupero hemiſphaerio eſt, Apollo vocetur.*

Originationes nominis Horus, ab aliis ſuppeditatae examinantur.

§. 12. Vnum hoc supereſt, vt nomen Aegyptiacum *Hori*, ex antiquo gentis illius ſermone interpretemur, nam et hoc nouam, dictis ſupra, lucem inferet. Graecorum plurimi, nominis huius originationem ex lingua ſibi patria arceſſunt. Ex eorum ſententia ſcribit * MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XXI. *Apud Aegyptios Apollo, qui eſt Sol, Horus vocatur, ex quo et horae viginti quatuor — nomen acceperunt: et quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horae vocantur.* Id HORAPOLLO paucioribus ſic complexus eſt, Lib. I. c. 17. Ἥλιος δὲ Ὧρος ἀπὸ τȣ̃ τῶν ὡρῶν κρατεῖν. *Sol Aegyptiis dicitur Horus, eo quod anni tempeſtates, et horas diei moderatur.* Verum recte et bene de hac Graecorum originatione iudicium tale tulit IOAN. CORN. a PAVW, in notis ad hunc ſcriptorem p. 310. *Haec Graecorum indolem aperte reſpirant. Aegyptii* Ὧρȣ *etymon nunquam ab* ὥραις *deduxiſſent.* Quibus non eſt, quod addam, idque tanto minus, cum ** plerique ex Graecis nomen *Hori* non ex Graeco, ſed Aegyptiaco explicandum

* Similia habent DIODORVS Lib. I. p. 23. PORPHYRIVS apud EVSEBIVM, Praepar. Lib. III. cap. XI. pag. 113. CENSORINVS de die nat. cap. 19. et alii.

** Vide ſupra §. 2.

dum eſſe, aperte et vltro fateantur. Recepta iam apud eruditorum longe plurimos haec eſt ſententia, nomen *Hori* Aegyptiacum, eſſe re ipſa Hebraeorum אור, quae *lucem* ſignificat. Si interpretatio haec, a qua paucos eruditos alienos eſſe noui, admitti poſſet, illa profecto iis, quae hactenus adſtruxi, pondus non ſpernendum adiiceret. Poſſet quoque haec eadem interpretatio referri ad aërem, de quo §. 5. * quia ille lucem Solis accipit, et ad nos transmittit. Et *ſolem* optime et proprie dici *lucem*, ipſe adſtruxi ſupra cap. II. §. 8. At vero etiam atque etiam vereor, vt talem etymologiam iis, qui linguae Aegyptiacae aliquam ſcientiam idoneam ſibi pararunt, probare poſſim, vti profecto nec mihi probatur. Nulla enim in ſermone Aegyptiorum, qualis hodie ſuperſtes eſt, veſtigia reperire potui, quibus elici aliquo modo queat, *Or* olim Aegyptiis dictam fuiſſe *lucem*. Succedat iam hiſce peregrinis originationibus alia, eo ſaltem nomine facilius admittenda, quod ex ipſa priſci Aegyptiorum ſermonis penu, indubie depromta ſit. Eam nobis offert magnus SALMASIVS, in libro *de annis climactericis* pag. 595. *Qui in Sphaera Barbarica Ὧρος, Aegyptiacum eſt οὔρο, quod eſt dominus, vnde μετουρο eſt dominatio. Equidem* ΟΥΡΟ, *non dominum*, ſed *regem*, et ΜΕΤΟΥΡΟ, proprie non *dominium* qualecunque; ſed *regnum* deſignat. Verum res ipſa tamen, quam ex lingua Aegyptiaca docere vult vir ſummus, omnino ita ſe habet. ΟΥΡΟ certe eſt *Rex*, idque eſſe nomen ** *Pharaonis* in hiſtoria Sacra

* Video id etiam placuiſſe optimo GERH. IO. VOSSIO de orig. Idolol. Lib. II. cap. 83.

** Videri poſſunt, quae de voce haec breuiter notaui, in Diſſ. IV. de *Terra Goſen*, §. 3. et Epiſtola LVDOVICI PICQVES, Doctoris quondam ſorbonici, edita in illuſtris IORDANI hiſtoria vitae B. Lacrozii Part. II. pag. 292. 293.

Sacra obiuum, hodie inter cordatos fere conſtat. Et *Horum*, qui eſt Sol, ſummo ſplendore conſpicuus, *regem* dici, a Theologia veterum, ac ſigillatim Aegyptiorum, alienum vtique non eſt. Satis diu itaque in hac interpretatione Salmaſiana, ſecurus acquieui, idque tanto libentius, quod ex ſermonibus, cum B. Lacrozio, ſuper huiusmodi rebus inſtitutis, non ſemel intellexiſſem, etiam doctiſſimo huic viro, eam non improbari. Quinimo in Epiſtola quadam, ad me perſcripta, et poſtea publice edita, ſententiam hanc, ſine ambagibus, ſuam fecit. Loquens ibi de cognomine Iſidis Ἀδυρὶ, quod PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 374. interpretatur, οἶκον Ὥρȣ κόσμιον, *domum Hori mundanam*, interpretationem illam hunc in modum illuſtrat *. *Quaſi ex* HS, ** *vel* H, *alia dialecto*, — *domo, et* ΘD, *vniuerſo*, τῇ οἰκȣμένῃ *in Apocalypſi* cap. III, 10. *et* DϒPD, *rege*. Hic manifeſte, Horum Aegyptiace eſſe OΥPO, *regem*, aſſerit. Verum poſtquam ad inueſtigandam Theologiam Aegyptiorum totam, animum ſerio et diligenter appuli, ſenſi facile, eam de qua nunc egi, non eſſe veram nominis Aegyptiaci interpretationem. Nam, vt alia omittam, Aegyptii nomen illud, auita ſua lingua, non pronuntiabant VRO; verum OR, ita vt litera R, nomen hoc clauderet. Vide §. 2. Hac igitur de cauſa de interpretatione alia cogitandum mihi omnino eſſe, facile intellexi.

§. 13. Proponam nunc tandem, quod mihi de re hac cogitanti, eamque ab omni parte verſanti, aut verum *Horus Aegyptiace ſignificat, vehementer efficacem.*

* Theſauro Epiſtol. Tom. III. p. 158.

** Ita vir doctiſſimus ſuſpicabatur, cum nondum aliquid, conſcriptum dialecto Thebaidis oculis vſurpaſſet. Poſtea ſine dubio ſententiam mutauit. Litera H, nunquam *domum* deſignat.

verum, aut vero proximum viſum eſt, etſi fere praevideam, fore admodum paucos, quibus ſententiam hanc meam perſuadeam. Exiſtimo autem, nomen Hori antiquiſſimum fuiſſe Αϱȣήϱιν, quomodo Horum ſeniorem Aegyptiis dici, obſeruantem vidimus PLVTARCHVM §. 7. Ex *Arueri*, Aegyptiacae, ⲈⲢ-ⲞⲨⲎⲢ, (*Ar-u-er*) poſtea factum eſt ⲞⲨⲎⲢ, (*V-er*) hoc vero poſterius, pronuntiatum fuiſſe, praeſertim à Graecis, *Or*, non abs ratione mihi perſuadeo. Sed, quae dixi, luculentius explicanda ſunt. *Arueris* nomen fuiſſe *Hori* ſenioris, vel *Apollinis* ex PLVTARCHO iam didicimus §. 7. Eundem DIODORVS p. 13. nominat *Apollinem*, id eſt *Horum*, quod comparanti loca duorum horum ſcriptorum, non poteſt non illico manifeſtum fieri. *Arueris*, vel, ſine terminatione graeca, *Aruer*, idem plane eſt, quod *Horus*. Verum quidnam tandem vox haec *Aruer*, Aegyptiorum idiomate deſignauit? Doceat iſtud nos PLVTARCHVS, qui in libro *de Is. et Oſir.* p. 574. cognomen aliquod Iſidis Μεθυὲϱ (rectius ſcriberetur μεθȣὴϱ) ſic interpretatur. *Nomen hoc compoſitum eſt* ἔκ τε τȣ̃ πλήϱȣς καὶ τȣ̃ αἰτίȣ, *ex pleno et cauſali.* Id eſt, nomen hoc ſignificat eam *quae plena eſt cauſalis.* Nihil profecto verius, nihil clarius, nihil ſimplicius dici potuit. Etenim ⲘⲈϨ-ⲦⲞⲨⲎⲢ, (*Meh-tuer*) Aegyptiis id dicitur, quod *plenum eſt cauſalitatis*, vel *facultatis actiuae et effectricis.* Hoc enim poſtremum, *cauſalitas*, Aegyptiace dicitur ⲞⲨ-ⲎⲢ, (*V-er*) iisdem vero ⲘⲈϨ (*meh*) *plenum* ſonat. Patet ex eo, *Meh-tuer* innuere *Ens plenum facultatis faciendi*, vel *facultatis effectricis et cauſalis.* Qua ratione vero Iſis ſic dici potuerit, et id PLVTARCHVS docebit, cuius verba dedi §. 5. Cum igitur ⲎⲢ, (*Er*) et accedente articulo generis indefinitio, ⲞⲨ-ⲎⲢ,

(*V-er*)

(*V-er*) ſit τὸ ἄιτιον, proprie *actiuitas*, vel *facultas actiua et effectiua*, ſequitur per ſe, ⲈⲨ-ⲞⲢ-ⲎⲢ, (*Ar-u-er*) eſſe ἄιτιον τȣ̃ ἀιτίȣ, *cauſam cauſalitatis*, vel *cauſam facultatis actiuae.* De PLATONE obſeruat PROCLVS Lib. II. in Timaeum p. 101. Τȣ́τῳ ἀιτίων ἄιτιος ὑμνεῖται. *Ille cauſam cauſarum celebrat*, nempe *cauſam primam*, à qua pendent in exiſtendo et agendo *cauſae ſecundae.* Hoc eodem nomine Aegyptii *Horum* ornabant. Nam quod Deus infinitus eſt in mundo inuiſibili, id Solem eſſe credebant in Mundo viſibili, illa praecipue anni tempeſtate, qua regnum in Theologia ipſorum ſymbolica, *Horo* aſſignatum erat. Ex ⲀⲢ, vel ⲈⲨ-ⲞⲨ-ⲎⲢ, *Ar-u-er*) poſtea per contractionem enatum eſt ⲞⲨⲎⲢ, (*V-er*) τὸ ἄιτιον, *virtus effectrix*, vel *cauſalis.* Id vero Graecos cenſeo pronuntiaſſe et ſcripſiſſe *Or*, quod mirum nemini videbitur, qui ſecum perpenderit, quam diuerſo modo, in hodiernum vsque diem, Gentes pene omnes, vocales, cumprimis vero in compoſitionibus vocum, pronuntiare ſoleant.

CAPVT V.

De Serapide Aegytiorum, ſiue eorum Sole infero.

§. I.

Duplex eſt Serapis Aegyptius, Niliacus alter, alter Coeleſtis, vt eſt Sol, de quo hoc capite agitur.

In Numine Serapidis eruendo et explicando, hoc quidem in Libro, multo ero breuior, quam in aliis fui. Nam etſi nullum omnino ſit Aegyptiorum Numen, cuius ſcriptores Graeci et Romani frequentius meminerint, et de quo plura paſſim tradita repeeriamus, certum tamen et id eſt, longe plurima eorum, quae traduntur, non referri poſſe ad Serapim Aegyptiorum priſcum et auitum, ſed ſpectare ad recentiorem longe Graecum, cuius cultum Ptolemaei Alexandriam inuexerunt, ac deinde paulatim, per Aegyptum totam, ſtudioſe propagarunt, ita, vt ſeculo Aerae Chriſtianae ſecundo,* Templa eius quadraginta et duo, in Aegypto numerari potuerint, atque id, quod olim HERODOTVS Lib. II. c. 42. de Iſide et Oſiride obſeruauerat, hos duos tantum ab omnibus Aegyptiis, aequali religione coli, tempore PLVTARCHI, etiam ad Serapim extendi debuerit, nam id conceptis verbis teſtatur, in libro *de Is. et Oſir.* p. 362. A. ne iam dicam, cultum hunc Dei, antea obſcuri, ex Aegypto tranſiiſſe ** ad Graecos omnes, quaquauerſum in Aſia et Europa habitantes, ac ad ipſos adeo Romanos. De hoc poſtremo Graecorum Serapi, volumen peramplum conficere facillimum foret; ſed is ad noſtrum negotium plane non ſpectat. Et

* ARISTIDES Oratione in Serapim circa fin. fol. 101. b. Edit. graec. Florent.

** ARISTIDES ibid. fol. 101. a. ait, cultum hunc tranſiiſſe ad omnes gentes.

Et ipſe quoque Serapis Aegyptiorum antiquiſſimus, de quo nonnulla iam diſſerere animus eſt, duplicem habet reſpectum. Nam aut ad Nilum referendus eſt, cuius foecunditatem et beneficia emblematica repraeſentabat, aut Solem etiam adumbrabat, quatenus ille relicto noſtro hemiſphaerio, tempore autumnali et hyberno, oppoſitum permeat. Vtriusque huius reſpectus veſtigia etiam deprehendimus, in Serapi Graecorum Alexandrino, et niſi id eſſet, antiquiſſimi Aegyptiorum Serapis memoria penitus intercidiſſet, aut certe de eo pauciſſima cognita nobis forent. Poteſt igitur eo ſenſu, duplex conſtitui Serapis, alter quidem Niliacus, coeleſtis alter. De priori plura diſſeremus Libro IV. De poſteriori agendum nobis eſt hoc capite.

Multi opinantur Serapim, a Ptolemaeis demum, in Aegyptum eſſe inuectum.

§. 2. Sed obſtare video his, quae de antiquitate priſci Aegyptiorum Serapis, modo dixi, virorum doctiſſimorum ſententiam, quibus perſuaſum eſt, Serapis et Numen et nomen, Aegypti incolis prorſus extitiſſe peregrinum, Deumque hunc, a Ptolemaeo,* ſiue ſotere, ſiue Philadelpho, ſiue denique Euergete, ex Sinope Pontica, in Aegyptum omnium primo aduectum, poſtea demum cultu religioſo ibi locorum, honoratum fuiſſe. Hiſtoriam rei huius, ſicuti geſta eſt, ex relatione *Antiſtitum Aegyptiorum*, prolixe narrat TACITVS Hiſtor. Lib. IV. cap. 83. 84. Meminerunt eiusdem veterum** plurimi, eamque noſtra

 aetate

* Vide CVPERI Harpocratem. p. 83.

**DIONYSIVS *Periegetes*, in Deſcriptione orbis v. 255. et ad eum EVSTATHIVS. PLVTARCHVS de Iſide p. 362. 363. et de Solertia animal. p. 984. CLEMENS ALEXANDRINVS in Protreptico p. 31. THEOPHILVS *Antioch.* ad Autolycum, Lib. I. §. 14. CYRILLVS *Alexandr* adverſus Iulian. Lib. I. p. 13. MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. VII. et alii.

aetate *, vir quidam impenſe eruditus, multaque laude cumulatus, omni politae orationis cultu ornatam, eleganter ſane deſcripſit. Permulti hoc ita acceperunt, tanquam ante Diuinitatem hanc a Ptolemaeo Sotere, e Ponto in Aegyptum translatam, *Serapis*, nomen Aegvptiis plane incognitum fuiſſet. Horum ſententiam ſecutus ORIGENES Lib. V. contra Celſum p. 257. *Serapim Deum* appellat *heſternum*, *qui ante hac inter Deos plane relatus non fuerit.* MACROBIVS, idem ad exemplum Saturn. Lib. I. cap. VII. *Serapim* appellat *aduenam*, multisque vrget, eum in Aegypto Deum extitiſſe penitus peregrinum. Etiam ex recentioribus veſtigiis horum inſiſtunt ** IOS. SCALIGER, quique eum ſequuntur alii, quos inter, *** Theologus nuper Britannicae gentis praeſtantiſſimus, omnia, quae pro ornanda hac ſententia excogitari, inque medium proferri poſſunt, ſollicito ſtudio conquiſiuit, omnique mentis contentione adſtruere annifus eſt. Neque tamen ab altera etiam parte defuerunt, qui † antiquitatem Serapis, cultusque eius apud Aegyptios, pro virili aſſererent, quorum cauſa mihi quidem videtur triumphare. Sed eam ita dimittere ante non poſſum, quam rationes pro cauſa mea militantes lectori expoſuero.

Ante tempora Ale- §. 3. Non puto extare quenquam inter ſcriptores, Alexandro M. antiquiores, qui Serapis mentionem fecerit.

* HVMPHR. PRIDEAVX Hiſtoire des Iuifs. Vol. III. p. 17. 18. etc.

** Animadverſion. in Euſebii Chronicon p. 131.

*** HVMPHR. PRIDEAVX loc. cit. qui tamen illic plura deſumſit ex BOCHARTI Hierozoico Part. I. col. 338. etc.

† G. I. VOSSIVS de orig. Idol. Lib. I. c. 29. IOH. SPENCERVS de Legibus Hebr. Lib. III. Diſſ. V. cap. VII. p. 272. etc. CVPERVS in *Harpocrate* p. 83. etc. EL. BOHERELLVS in notis in Origen. contra Celſum pag. 391. aliique plures.

ſecerit. Nam *Serapeum* illud, ſiue *Templum Serapis*, cuius in Thracia meminit POLYBIVS Lib. IV. Hiſt. cap. 39. tantae non eſt antiquitatis, quantam * viri doctiſſimi ex verbis eius colligunt. POLYBIVS loco illo, de quo hic diſputatur, Geographi partes agit, ſitum locorum curate vult deſignare, *Serapeum* nude tantum nominat, nihil vero de eius antiquitate praedicat, ſi verba recte expendantur. Ex iis nulla plane ratione ſequitur, Serapeum in Thracia, antiquius fuiſſe templo Serapis Alexandrino, ſumtibus Ptolemaei exſtructo. Conſiderentur modo verba. Primam omnino Serapis mentionem, in hiſtoria vitae Alexandri M. deprehendo. Refertur nempe de Rege hoc,** quod paulo ante mortem, homo quidam ipſi dixerit, *modo Serapim adſtitiſſe ſibi, vinculisque exemtum eo deduxiſſe.* Perhibent porro *** ſcriptores optimi, in Diariis regiis perſcriptum fuiſſe. *Eodem die Python et Seleucus, ad Templum Serapis miſſi, conſuluerunt Deum, an deportarent eo Alexandrum. Deus autem, ne eum mouerent loco, reſpondit.* Eo quoque pertinet, quod DIOGENES LAERTIVS in vita Diogenis Cynici ſcriptum reliquit, Lib. VI. §. 63. quod, cum Athenienſes Alexandro M. decreuiſſent honores Liberi Patris, Diogenes dixerit: *Et me Serapim facite.* Et hoc viuente Alexandro Macedone contigit. Nam Diogenes ille, non modo Alexandri aequalis erat, verum et, † vt quidam literis prodiderunt, eodem cum Alexandro die, mortuus eſt. An haec omnia, poſt Serapim, e Ponto Alexandriam delatum,

xandri M. nulla Serapis reperitur mentio, ſed hoc antiquitati eius non obſtat.

* BOCHARTVS loc. cit. PRIDEAVX p. 20.

** PLVTARCHVS in Alexandro p. 705.

*** PLVTARCHVS loc. cit. p. 706 ARRIANVS de expedit Alexandri Lib. VII p. 499. Edit. Blancardi.

† DIOGENES LAERTIVS Lib. VI. §. 79. PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. VIII. Quaeſt. I. p. 117.

tum, ficta demum fuiſſe dicemus? Mihi potius, vbi ea cogitationibus voluo et reuoluo, ita ſtatuendum eſſe videtur, Alexandrum ipſum, Dei huius notitiam, omnium primum, ex Aegypto ad Graecos detuliſſe, et ab eo tempore, Numen hoc illico magnam celebritatem conſecutum eſſe. Nam Nomen Dei Serapis, e Sinope Pontica, primum tempore regum Ptolemaeorum, ad Aegyptios, et per Aegyptios ad alios perveniſſe, nec in ſe eſt probabile; nec ex illa hiſtoria, quam §. 2. memoraui, iure merito confici poterit. Quicquid autem ſit, illud libenter et vltro largior, ante Alexandri M. tempora, nullum extare aut iudicium aut veſtigium, Graecos Numinis *Serapis* notitiam habuiſſe qualemcunque. Sed ex eo non arbitror, legitime concludi poſſe, Aegyptios ante illam aetatem non habuiſſe ſuum Serapim, neque illum cultu aliquo religioſo veneratos eſſe: Potuerunt Graeci antiquiores, aliquam Numinis illius habuiſſe notitiam, qui tamen nomen illius Aegyptiacum *Serapis*, aut ignorarunt, aut literis non prodiderunt. Conſimili modo, de *Venere*, antiquiſſimo Aegyptiorum Numine, loquuntur HERODOTVS, aliique Scriptores non ignobiles, et tamen verum eius nomen patrium, *Athor*, hodie nos lateret omnes,* niſi *Orion* Grammaticus id nos docuiſſet. Quis *Tithrambonis* meminit ex veteribus, praeter vnum EPIPHANIVM? Et tamen nomen** illius graecum, *Nemeſin*, et *Hecaten*, plures memoriae prodiderunt. Idem de aliis Aegyptiorum Numinibus dicendum quoque eſſe, quis eſt, qui in dubium vocare queat? Potuit etiam fieri, vt Numen illud in ipſa Aegypto, ante Alexandri M. tempus, nonnihil obſcurum, et a paucis, forte Memphi tantum, aut Racoti, cultum fuerit, qua de re coniecturam noſtram aperiemus Lib. IV. vbi ad Serapim

* Vide Lib. I. cap. I.

** Vide Lib. I. cap. V.

rapim Niliacum peruenerimus. Et in vniuerſum certum eſt, ex ſilentio Graecorum vetuſtiorum de Serapi, nihil plane aduerſus eius antiquitatem probari poſſe.

§. 4. Quod vero ad hiſtoriam illam, quam §. 2. breuiter commemorauimus, de Serapi, iuſſu Ptolemaei Soteris, ex Sinope Pontica Alexandriam aduecto, attinet, illa adeo aduerſus noſtram ſententiam non militat, vt potius eam firmiter communiat. Etenim TACITVS, qui tradita ab Antiſtitibus Aegyptiis ſe referre profitetur, Hiſt. Lib. IV. cap. 84. de aduecto iam Alexandriam Deo Pontico haec narrat. *Tertio die tantum maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine vrbis exſtructum, loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic ſacellum, Serapidi atque Iſidi antiquitus ſacratum.* Humani quidpiam paſſus hic eſt* BOCHARTVS, nomen nunquam ſatis praedicandum, quando narrationem hanc Taciti abſurditatis et falſitatis arguere voluit. Nam non dixit ſcriptor laudatiſſimus, Deum illum aduenam, qui poſt operoſam inquiſitionem, in Ponto tandem repertus, indeque Alexandriam deportatus erat, Alexandriae iam antea ab antiquo Templum habuiſſe: verum id ſibi vult, Deum peregrinum, poſtquam Alexandriae, plauſu omnium exceptus eſſet, nomen accepiſſe domeſticum *Serapis*, illius nempe Serapis, qui ante conditam Alexandriam, ſed in vico, illic loci ſito, nomine Racoti, vna cum Iſide conſecratus fuerat. Nam Racotis, quae poſtea nonniſi ſuburbium Alexandriae fuit, diu ante vrbem hanc regiam ab Alexandro erectam, illic ſteterat, quod ** multi teſtantur, et

Ex hiſtoria de Serapi, e Ponto Alexandriam delato, liquet, Deum hunc, ab antiquo cultum fuiſſe in Aegypto.

* In *Hierozoico*, vbi ſupra.

** PAVSANIAS Lib. V. pag. 432. STRABO Lib. XVII. p. 545. PLINIVS Lib. V. cap. 10. CLEMENS *Alexandrinus* Protreptico p. 31. STEPHANVS Ethnicographus, in voce Ῥακῶτις, vbi conſuli poſſunt eruditorum notae.

et Deos tutelares, Serapim ac Iſin habuerat. Et quia noua vrbs graeca, Alexandria, ſucceſſerat multo vetuſtiori Aegyptiae, *Rocoti*, hinc Aegyptii indigenae, loquentes de Alexandria, nomen *Racotis* diu poſtea ſeruarunt, ſemperque retinuerunt. Copti certe interpretes N. Teſtamenti, quorum editionem ſtudio Venerabilis WILKINSII debemus, quoties in Textu graeco, mentio occurrit Alexandrinorum, in verſione ſemper habenr ⲣⲁⲕⲟϯ, (*Rakoti*) Actor. VI, 9. XVIII, 24. XXVII, 6. XXVIII, 11. Idem etiam obſeruatur in libris eorundem Eccleſiaſticis. Ex eo fonte manaſſe videtur error CYRILLI *Alexandrini*, qui Lib. I. aduerſus Julian. p. 13. ſcribit, idolo vetuſto, quod olim ab Aegyptiis cultum fuerat, nomen vernaculum extitiſſe *Racotis*, cum hoc nomen tantum ſit loci, vbi Serapis antiquus cultum habebat. Ita autem, vt dixi, verba TACITI explicanda eſſe, docet etiam PLVTARCHVS, cuius ea de re verba, in libro *de Iſide et Oſir.* p. 362. latine conuerſa, id ſonant. *Vbi Deus Sinopicus Alexandriae conſpectus fuit, Timotheus interpres, et Manetho Sebennyta, a cerbero et dracone coniecturis ductis, collegerunt, Plutonis eſſe ſimulacrum, Ptolemaeoque perſuaſerunt, non eſſe alius Dei, quam Serapidis. Non enim illinc hoc nomen gerens aduenerat: ſed allatus Alexandriam, Serapidis nomen, quo Aegyptii Plutonem afficiunt, inuenit.* Nihil clarius et diſtincte magis dici potuit. *Serapis* fuit antiquum Aegyptiorum Numen, etſi ante Alexandri M. aetatem Graecis incognitum, neque alibi memoratum, idque, quod ibi PLVTARCHVS adfert, auctoritate MANETHONIS, ſacerdotis Aegyptii pereruditi firmat. Et profecto *Serapis*, ſiue, vt omnes Graeci ſemper ſcribunt, *Sarapis*, non eſt nomen graecum; linguae vero Aegyptiacae peritis, manifeſtum videbitur prae ſe ferre typum vocis, in Aegypto natae. Quod ſi vero Serapis, eo in loco cultum habuit, in

quo

quo poſtea Alexandro M. viſum fuit, vrbem peramplam et magnificam, ſibique cognominem ſtatuere, et vbi nonnihil moratus eſt, ratio perſpicua eſt, cur *Serapis* Numen, Graecis antehac ignotum, inque loco valde obſcuro cultum, primo quidem Alexandro innotuerit, et per hunc Graecis omnibus, ita vt illo ipſo iam tempore *Serapis* nomen, non infrequenter auditum eſſe, ſubindicauerimus §. 3.

§. 5. Sed ne id quidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ſimulacrum Dei illius peregrini, quisquis demum ſit, e Sinope Pontica, in Aegyptum veniſſe. ISIDORVS namque, cuius teſtimonio vtitur CLEMENS ALEXANDR. p. 31. ſcriptum reliquerat, *a Seleucienſibus, qui ſunt prope Antiochiam* in Syria, *ſtatuam fuiſſe traductam.* Idem aſſerebant nonnulli apud TACITVM loc. cit., vt *qui Seleucia vrbe Syriae accitam — perhiberent.* Et eſt in vniuerſum, maxima auctorum, in referendis hiſtoriae huius circumſtantiis diſcrepantia. Quid obſecro nos aſſerere prohibet, famam illam vulgatam, de aduecto Alexandriam *Deo Sinopico*, ortum ex eo traxiſſe, quod antiquiſſimus Aegyptiorum *Serapis*, Memphi cultus fuerit, in loco, cui nomen erat *Sinopio.* Certe, quando DIONYSIVS *Periegetes*, in deſcriptione orbis v. 255. mentionem facit Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο, *magni Iouis ſinopitae*, id EVSTATHIVS in notis ad Poëtam illum, ita exponit. Σινωπίτης Ζεὺς, ὁ Μεμφίτης. Σινώπιον γὰρ ὄρος Μεμφίδος. *Serapis, quem dicit Iouem Sinopiten, is eſt Memphiticus. Nam Sinopium eſt mons Memphiticus.* Mox auctor idem, ſententiam communiorem de Sinope Pontica, patria Serapis, etiam adfert. Vltimo denique loco addit, nonnullos Deum hunc *Sinopitem*, deducere a *Sinopo* fluuio. Adeo incertum erat, num e Sinope Pontica, Deus ille Alexandrinus accitus fuiſſet. Quod vero EVSTATHIVS, de Deo Sinopitico,

Serapis ab antiquo tempore, ante Ptolemaeos, cultus Memphi in Sinopio.

pitico, olim Memphi culto, obſeruat, nititur non rumuſculo quopiam famae dubiae; ſed deſumtum eſt ex Monumentis bonis et certis. Ex iisdem TACITVS quoque refert, loc. cit. *Sedem, ex qua tranſierit* Serapis, *Memphin perhibent, inclytam olim, et veteris Aegypti columen.* Magnum quoque in hac cauſa pondus habent iſta PAVSANIAE, quae leguntur in epis *Atticis* pag. 42. *Apud Aegyptios complura ſunt Dei Serapis templa; ſed omnium clariſſimum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici;* Ex quo intelligitur, Alexandrinum Serapim, clariorem quidem fuiſſe Memphitico; ſed Memphiticum antiquiorem Alexandrino. Omnium vero maxime EVSTATHII locum, paulo ante deſcriptum, illuſtrat Pſeudo-CALLISTHENES, auctor, quod nemo diffitetur, fabuloſus; ſed in rebus ad antiquitates Aegyptias ſpectantibus, minime ſpernendus. Nam in fragmento libri de vita Alexandri M. edito in FABRICII Bibliotheca Graeca Vol. XIV. loquens de rebus, natiuitatem Alexandri antecedentibus, p. 149. haec habet. Ὁ δὲ ἐπέμψεν ἀυτȣ̀ς διὰ χρησμωδίας πρὸς τὸν ἄορατον τȣ̃ Σινωπίȣ, ὅςις ἐχρησμώδησεν ἀυτοῖς. *Vulcanus vero Memphiticus ipſis reſpondit, vt inuiſibilem in Sinopio conſulerent, qui conſimiliter ipſis reſpondit.* Per *inuiſibilem* alium hic non intelligi niſi Serapim Aegyptiorum priſcum, mox oſtendemus. Ille vero habitabat in *Sinopio*, monte Memphitico, vt volebat EVSTATHIVS, vt vero ego opinor, ſacello, Deo huic prope Memphim conſtructo, de quo plura dicentur Libro IV. Non nego * in nummis Sinopitarum Ponti, plerumque conſpici ſimulacrum Serapis, in lectiſternio cubantis: aut ſaltem illius caput;

* Tales cernuntur in VAILLANTII Numiſmat. aereis Impp. percuſſis in Coloniis Part. I. pag. 161. Part. II. p. 42. et 149.

caput; ſed cum tempore ſequiori percuſſi ſint, non dubito, quin nobis repraeſentent *Serapim Alexandrinum*, cuius venerationem, ſtudium Ptolemaeorum, per totam Phoeniciam, Syriam, et Aſiam circumtulit, atque propagauit, idque calathus, vel modius, quem in capite gerit Serapis is, quem Sinopenſium numi oſtentant, ſatis teſtatur. Non tamen is ſum, qui pertinaciter negare velit, Dei Alexandrini veram patriam eſſe Sinopen Ponticam. Id ſaltem nunc loco ſuo relinquo. Verum et iſtud largientur mihi cordati iudices, Deo huic Pontico, impoſitum mox fuiſſe nomen Aegyptiacum *Serapis*, Numinis, quod iam dudum ante, Racoti, et Memphi, in Sinopio, cultum inuenerat.

Serapis eſt Sol inferus, hemiſphaerium inferius permeans.

§. 6. Videamus nunc iam, qualenam *Serapis* ille Aegyptiorum priſcus Numen fuerit, quid genti illi deſignauerit, vel cuius nam rei ſymbolum fuerit. Exiſtimo autem, Numen illud ab antiquo Memphi, et Racoti, ſolenniter cultum, filiis Aegyptiorum adumbraſſe *ſolem inferum*, quando nempe autumnalibus hybernisque menſibus, hemisphaerium inferius percurrit. Doctrinam ea de re Aegyptiorum talem nobis exhibet MACROBIVS Lib. I. Saturn. c. XIX. *Hoc argumentum Aegyptii lucidius abſoluunt, ipſius ſolis ſimulacra pinnata fingentes; quibus color apud illos non vnus eſt. Alterum enim caerulea ſpecie; alterum clara fingunt; ex his clarum ſuperum, et caeruleum inferum vocant. Inferi autem nomen Soli datur, cum in inferiore hemiſphaerio, id eſt hyemalibus ſignis, curſum ſuum peragit; ſuperi, cum partem Zodiaci ambit aeſtiuam.* Sol *ſuperus* et *clarus* eſt *Ammon*, ⲘⲞⲨⲞⲈⲒⲚ, *lucidus*, vt ſupra expoſui c. II. Sol *coeruleus* et *inferus*, eſt, vt mihi perſuadeo, *Serapis*. Rem tandem indicare etiam, omni procul dubio, voluit auctor verſuum toties iam in teſtimonium vocatorum.

Φεδ-

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω,
Χείματι μεν τ' ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
Ἠέλιον δὲ θέρευς —

Dic Deorum omnium ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme orcum dicunt, ineunte autem vere Iouem
Aeſtate porro ſolem —

Id vero illum *Solem inferum* Aegyptiorum, ſiue Ἀΐδην, et *Orcum* regem inferorum, eſſe credam *Serapim*, id praecipue me mouet, quod, cum Deus ille peregrinus, et aduentitius, quem Ptolemaeus Soter e Ponto acciuerat, Alexandriam appuliſſet, rerum Theologicarum in Aegypto periti, ex conſpectis Dei illius peregrini ſymbolis, iudicauerint, eſſe eum *Plutonem*, adeoque Aegyptiorum *Serapim*. Ita rem narrat TACITVS, loco ſaepius allato. *Deum ipſum multi Aeſculapium - quidam Oſirin - plurimi Ditem patrem, inſignibus, quae in ipſo manifeſta, aut per ambages manifeſtant.* Luculentius etiam PLVTARCHVS, cuius verba iam attulimus §. 4. *Timotheus interpres, et Manetho Sebennyta* †, *coniecturis ductis a cerbero et dracone, collegerunt eſſe Plutonis ſimulacrum, et Ptolemaeo perſuaſerunt, non eſſe alius Dei, quam Serapidis. Non enim nomen hoc gerebat, cum adueniret: ſed allatus Alexandriam, nomen Serapidis, quo Aegyptii Plutonem deſignant, accepit.* Et id quidem ſine dubio effecit, vt Scriptores plerique poſtea, vbi ad Serapidem eorum deflectit oratio, eum fere ſemper * *Plutonem* interpretari ſoliti fuerint.

§. 7. Ve-

† Vide CVPERI Harpocratem p. 18. Adde EVSEBII Praeparat. Euang. Lib. IV. cap. vlt.

* DIODORVS Lib. I. p. 22. CLEMENS ALEXANDR. in Protreptico, paſſim. EVSEBIVS Praeparat. Euang. L. III. c. XI. p. 113. Et apud eundem Lib. IV. cap. vlt.

Argumentum illud porro illuſtratur.

§. 7. Verum quid Aegyptiis cum *Plutone?* quorum Mythologia Theologica, ab illa Graecorum, immane quantum diſtulit, et in quorum fabulis ſacris, nulla vnquam, Dei inferorum Graeci mentio deprehenditur. Et* certe Graeci de *Plutone Aegyptiorum* non loquuntur, niſi vbi ciuibus ſuis, Numen et virtutem *Serapis* explicare volunt. Vnde patet, *Plutonem* Aegyptiis proprie non tribui, nec aliter quam via comparationis, dum inter *Serapim* olim ignotum, et notiſſimum Graecis omnibus *Plutonem*, comparationem inſtituunt, ſubinnuentes, Aegyptios in *Serapi*, tale quid etiam reuereri, quale ipſi in *Plutone* ſuo. In fabulis Graecorum, *Pluto* reputabatur Deus inferorum, rex animarum et vmbrarum, quae viuorum numero ereptae, regionem defunctorum inhabitabant. Hoc Graeci quidam, etiam ad Serapim Aegyptiorum transferebant. Ex eorum ſententia, IVLIANVS Imp. Orat. IV. p. 136. poſtquam de Plutone dixiſſet, iſta addit *. Καλȣ̃μεν δὲ τὸν αὐτὸν τȣ̃τον καὶ Σάραπιν τὸν ἀιδῆ δηλονότι. πρὸς ὄν φησιν ἄνω πορεύεσθαι τὰς Ψυχὰς τῶν βιωσάντων, ἄριστα καὶ δικαιότατα. *Quem nos alio nomine Serapim vocamus, vt qui eſt ἀϊδὴς, ſub aſpectum minime cadens: ad quem Plato ſublimes ait euehi illorum animas, qui quam optime iuſtiſſimeque vixerunt.* De hac *Serapis* notione num in Theologia genuina et cana priſcorum Aegyptiorum reperiri poſſit, magnopere dubito. Qui vero inter Graecos, fabulas Poëtarum, ex Phyſiologia explicabant, per *Plutonem* intelligi ſaepe volebant,** *Solem*

* PORPHYRIVS IVLIANVS Imp. Orat. IV. p. 136. CYRILLVS *Alexandr.* Lib. I. in Iulian. p. 13. ARISTIDES Oratione in Serapim, paſſim.

Vide et CYRILLVM *Alexandrinum* aduerſus Iulian. p. 13.

** PORPHYRIVS, apud EVSEBIVM Praeparat. Lib. III. c. XI. p. 109. Vide et p. 110. Hinc Veteres etiam *Serapim* eundem faciunt cum *Oſiride*, id eſt *Sole*.

Solem inferum, *qui circa Solſtitium hyemale ſub terram commeans, latentem et ignotum orbem circumeundo peragrat.* Et vero Aegyptios, etiam habuiſſe* aliquod Dei ſimulacrum, *quo repraeſentarent, ſolem inferum, in hemiſphaerio inferiore, ſignisque hyemalibus* morantem, ex MACROBIO oſtendimus §. 6. Id iidem illi Graeci, ad Serapim Aegyptiorum ſic transferunt *. *Cum Plutone Serapim coniungunt, ac luminis eius ſub terram deſcendentis ſymbolum faciunt togam purpuream.* Eſt igitur *Serapis* ipſe *Sol*, ſed cuius lux tempore autumnali et hyberno ſub terram deſcendit. Symbolum huius rei, dicebat PORPHYRIVS eſſe *togam purpuream.* ATHENODORVS, ſcriptor vetuſtus, apud CLEMENTEM *Alexandrinum* in *Protreptico* p. 32. ait, *ſimulacra Serapidis* conſpicua eſſe *colore coeruleo et nigricante.* MACROBIVS in verbis deſcriptis §. 6. docet, nos apud Aegyptios, *ſimulacra ſolis inferi fingi colore coeruleo.* Non ſane vi ingenii ſingulari opus eſt, ad perſpiciendum, omnes hos tres, loqui de re eadem, nobisque repraeſentare vnum *Serapim*, Aegyptiorum *Solem inferum.* Iam etiam intelligitur, quam bene et recte, auctor verſuum allatorum §. 6. affirmet, ſolem ab Aegyptiis, tempore hyberno vocari ἀΐδην, *eum, qui non videtur,* quoniam nempe lux eius, illo anni tempore, ſub terram demerſa eſt. Eundem Pſeudo-CALLISTHENES, §. 5. adductus, dixit † ἀόρατον τȣ̃ Σινωπίȣ, *inuiſibilem in ſinopio.* EVSTATHIVS vero, eodem loco allatus, teſtatur, *Serapim in Sinopio Memphi coli.* An poteſt hic, ratio dubitandi vlla, adhuc ſupereſſe?

§. 8. Se-

* PORPHYRIVS loc. cit. p. 113.

† Apud SEXTVM EMPYRICVM Python. Hypotyp. Lib. III. c. 14. p. 183. Edit. Fabricii legitur, Αἴλυρον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῷ Ἡρῳ θύουσιν, vbi pro Ἡρῳ voce, vt videtur, nihili,

§. 8. *Serapim*, nomen eſſe, origine Aegyptiacum, ex §. 4. intelligi ſatis potuit. Et PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 376. conceptis verbis affirmat, *eſſe peregrinum, non graecum*. Quaenam autem ſit vera eius ſignificatio et interpretatio, nemo, quantum ſcio, docuit, certe ſic non docuit, vt a doctis aſſenſum impetrauerit. Si apud nos valet auctoritas ATHENODORI, citati a CLEMENTE *Alexandrino* p. 31. 32. *Serapidis* nomen compoſitum eſſe putabimus, ex *Oſiride* et *Apide*, quaſi diceres *Oſirapin*. Sed tota auctoris illius narratio, fabulae longe ſimilior apparet, quam verae hiſtoriae, et eiusdem prorſus farinae dicenda eſt etiam haec, quam nobis offert, etymologia. In eundem tamen ſenſum diſputat quoque CYRILLVS *Alexandrinus* aduerſus Iulianum p. 13. Si vero ARISTEAM Argiuum audimus, quem et ipſum CLEMENS adfert, Stromat. Lib. I. p. 322. *Serapis* idem eſt cum *Api*, qui Argiuis et Aegyptiis imperauit, cuius rei meminerunt etiam * veteres alii. NYMPHODORVS, ſcriptor non incelebris, memoriae prodidit, Apim, taurum ſacrum, vbi poſt mortem, conditus more ſolito, et (εἰς σόρον) loculo eſſet illatus, dici conſueuiſſe *Sarapin*, quaſi Apin ἐν σόρῳ, apud eun-

De etymologia nominis Seraphis.

nihili, FABRICIVS reponere iubet Ὥρῳ. Verum *Horo* Alexandriae cultum peculiarem oblatum fuiſſe, non memini me obſeruaſſe. Quid ſi igitur legas Ἀρεάτῳ, atque intelligas Serapidem antiquum, Racoti quondam ab incolis placatum? Merito autem miratur doctiſſimus Fabricius, αἴλουρον, *felem*, animal ſanctiſſimum, in Aegypto immolatum. Lege itaque Σίλουρον. *Silurus* piſcis erat Niloticus, magnitudine alios antecellens, rapax et vorax, de quo BOCHARTVS Hierozoic. Part. II. col. 749. 750.

APOLLODORVS Biblioth. Lib. II. c. I. §. 1. EVSEBIVS in Chronico p. 12. 64. 67. Edit. Scal. RVFFINVS Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. II c. 23. AVGVSTINVS de Ciuit. Dei Lib. XVIII c. 4.

eundem CLEMENTEM p. 323. quam originationem reperias etiam in PLVTARCHI libro, toties ad teſtimonium vocato p. 361. ne iam aliquid dicam de ſententia patrum quorundam Eccleſiaſticorum, qui in *Api* et *Serapi*, memoriam Ioſephi Patriarchae, Aegyptique Proregis conſeruatam ac cultam fuiſſe, ſibi perſuadent. Nam vix operae pretium eſſe opinor, illam ſerio et ſtudioſe excutere, adeo ab omni veri ſpecie repulſa mihi videtur. Id vero non in vniuerſum contemnendum eſſe cenſuerim, quod veteres in *Serapi*, relationem aliquam ad *Apim*, Memphitarum Taurum ſacrum, obſeruare nos iuſſerint. Ad id enim, non modo ipſum *Serapis* nomen, eos veluti manu ducebat; verum id etiam traditionibus ſacerdotum Aegyptiorum niti, dubitare non poſſum. Verum ea de re plura diſſeremus Lib. IV. vbi interpretationem nominis huius veram, quae talis viſa eſt nobis, adferemus. Tradit quidem PLVTARCHVS aliam praeterea, nominis huius *Serapis*, etymologiam, ex genuino Aegyptiorum ſermone mutuo ſumtam. Sed commodius hanc eo loco ſub examen vocare poterimus, vbi veram ipſi trademus.

CAPVT VI.

De Harpocrate Aegyptiorum ſiue Sole, in ſolſtitio hyberno, renouato.

§. I.

De Harpocrate, qui Serapim ordine nunc excipit, eadem fere dicenda mihi ſunt, quae capite ſuperiori de Serapi obſeruaui. Nam et Harpocrates, non minus atque Serapis, ante Alexandri M. tempora obſcurus latuit, et Graecis plane incognitus permanſit. Non credo, reperiri ſcriptorem quenquam, Alexandro Macedone antiquiorem, qui Harpocratis aut nomen aut Numen commemorauerit, ego certe, etſi in hanc rem omni ſtudio incubuerim, nullum omnino inuenire potui. Apud HERODOTVM, qui celebriora omnia, per totum Aegyptum, Deorum Templa, auidis oculis inſpexit, quique de Numinibus inibi cultis, tot praeclara nos docuit, de Harpocrate nonniſi altum depreh endes ſilentium. Et ſunt tamen loca, vbi ab ipſo, Numinis huius deſcriptionem, aut ſaltem mentionem, quodam iure expectaſſes. Buti enim, quae eſt vrbs inferioris Aegypti, Sacra ſolennia, Horo et Harpocrati, quouis anno, ſtato tempore, ritibus operoſis, peracta fuiſſe,* ſcimus ex EPIPHANIO. Idque ex PLVTARCHI libro *de Iſide et Oſiride*, confici etiam atque confirmari poteſt. Ex quo non abs ratione colligo, tempore Ptolemaeorum, ab incolis Aegypti etiam inferioris, magno in honore pretioque Harpocratem habitum fuiſſe, et

Harpocratis, ante Alexandri M. aetatem incogniti, ſacra, poſtea per Graecos vbique propagata, et admiſſa fuere.

* Vide ſupra cap. IV. §. 7.

et ſacra, Numini huic in Praefectura Butica facta, ſolennioribus maximeque celebribus, annumerari poſſe. Et HERODOTVS tamen, qui ſacra haec Butica, ſibi viſa, prolixe deſcribit, Lib. II. c. 59. 155. 156. et aliis in locis, *Hori* quidem plus ſemel, Harpocratis vero nuſquam mentionem iniicit. Credeſne, Harpocratem Buti, iam tum, illa veneratione religioſa exceptum fuiſſe, quam poſtea obtinuit? HERODOTO igitur Harpocrates videtur fuiſſe penitus ignotus. Omnium, quos reperire potui, primus eſt ERATOSTHENES Cyrenaeus, vir aetate ſua ſummus, et Bibliothecae regiae Alexandrinae, regnante Ptolemaeo Euergete, ſiue tertio, Praefectus laudatiſſimus. Is enim in catalogo regum Thebaeorum Aegypti, commemorat aliquem, Aegyptiis dictum Σεμφρουκράτης, quod ipſe, et recte, exponit *Herculem Harpocratem.* Ex quo intelligimus, illo iam tempore, *Harpocratis* Numen, paſſim in Aegypto cognitum, et gentis huius religione conſecratum fuiſſe. Quin imo multis modis certum atque teſtatum eſt, ab illo tempore, nomen et cultum Harpocratis, non tantum in Aegypto, incrementa habuiſſe plurima, verum etiam ad Graecorum regiones, ipſosque Romanos tranſiisſe, in quorum templa, vna cum Serapi recipi tandem iuſſus eſt. Et certe apud Scriptores Graecos Romanosque, duo haec Numina coniungi oppido frequenter, et eodem fere loco poni ſolent. Si Varro de Lingua Lat. Lib. IV. p. 17. *Principes Dei coelum et terra: hi Dii iidem, qui in Aegypto Serapis et Iſis,* * *etſi Harpocrates digito ſignificet, vt ea taceam.* Hic igitur cum Serapi coniunctum deprehendimus Harpocratem, quod VARRO, non ex Aegyptiorum; ſed Graecorum potius diſciplina accepiſſe videtur. Eosdem

* Secutus hic ſum emendationem IS. VOSSII, Comment. in Catullum p. 104.

dem hunc in modum ſociat TERTVLLIANVS in *Apologetico*, cap. 6. *Serapidem et Iſidem et Harpocratem, — Capitolio prohibitos, id eſt, curia Deorum pulſos, Piſo et Gabinius* COSS. *euerſis etiam aris eorum abdicauerunt. - his vos reſtitutis, *ſummam maieſtatem contuliſtis.* Et quantum Harpocrati, etiam ante Tertulliani aetatem, tempore Plinii maioris, Romani honorem habuerint, ſcriptor hic ſatis teſtatur Lib. XXXIII. cap. 3. vbi. *Iam vero*, inquit, *etiam Harpocratem, ſtatuasque Aegyptiorum Numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt.* Sed Harpocrates ille, cuius toties meminere Graeci atque Romani ſcriptores, cuius tot cernuntur icones, ſimulcra, et ſigilla, in eruditorum Muſeis, Principumque theſauris, quaeque magna ex parte, ſtudio praeſtantiſſimi CVPERI congeſta, in eius *Harpocrate* ſpectari poſſunt, non praeceptis religioſis Aegyptiorum, ſed ſuperſtitioni Graecorum, fere vnice debentur. Id ſimulacra ipſa, quae extant, ſymbolis Theologiae Graecanicae, non tam ornata, quam potius onerata, ac tantum non obruta, per ſe ſatis vnicuique teſtantur, inprimis, ſi cum ** monumentis quibusdam vere Aegyptiis, ſane perraris, in quibus genuina Harpocratis Nilotici effigies, ſimplex, omnique ornamento aduentitio libera, conſpicitur, illa comparentur. De Harpocrate Graecorum plura in medium adferre, ab inſtituto meo prorſus alienum eſt, et ea omnia, ex viri illuſtris libro doctiſſimo, eruditorum nemini ignoto, petere cuiuis licet. Ea igitur perſequamur, quae ad Harpocratem, origine Aegyptium, et cana, ſacerdo-

Qualia v. 9. occurrunt in KIRCHERI *Oedipo* Tom. I. p. 212. CVPERI *Harpocrate*, p. 7. 26. itemque dans *le Grand Cabinet Romain*, de MICH. AVG. CHAVSSE Part. II. num. XXXII. XXXIII. XXXIV.

cerdotum gentis illius, religione celebratum, praecipue pertinere mihi videbuntur.

§. 2. Fuiſſe autem re ipſa *Harpocratem*, vetuſtum gentis Aegyptiacae Numen, ex loco ERATOSTHENIS, cuius §. 1. mentionem feci, inuicte probari poteſt. In catalogo namque regum Thebaeorum Aegyti, quem ipſe ex bonis vtique monumentis contexuit, rex ordine vigeſimus ſextus, vti legimus in SYNCELLO p. 109. dicitur Σεμφρουκράτης, idque ERATOSTHENES ſic interpretatur, ὅ ἐστιν Ἡρακλῆς, Ἁρποκράτης, *id vero ſignificat Herculem Harpocratem*, quorum amborum deorum nomina, rex ille, more Aegyptiis perquam familiari, gerere voluit. In graeco ſcribendum eſſe Σεμφουκράτης, *Semphucrates* *, alicubi iam monui. Id enim flagitat indoles ſermonis Aegyptiaci, ex quo nomen iſtud petitum eſt. Rex ille Semphucrates, ſi rationes chronologicas MARSHAMI probamus, Thebis regnavit, antequam Moſes natus eſſet, ſi vero ſtare maluimus iudicio calculiſque VIGNOLII, regni eius initium, in annum fere ſexageſimum, poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, coniiciendum erit. Noſtrum non eſt, tantas inter ſummos Chronologos lites componere; quomodocunque autem res ſe habeat, id ſaltem ex eorum obſeruationibus chronologicis, certo conſequitur, nomen atque cultum *Harpocratis*, quod *Semphucratis* regis nomen inuicte probat, apud Thebaeos antiquitatis fuiſſe vltimae. Quod vero ante Alexandri M. tempora, Dei iſtius nulla obſeruari deprehendique poſſit notitia, illius rei haec videtur fuiſſe cauſa, quod cultus Harpocratis, intra ſolam Aegyptum ſuperiorem ſe continuerit, et ſolis forte ſacerdotibus Thebarum, peculiaris ac proprius extiterit; in aliis vero Aegypti regionibus, locisque, ſacra haec anni-

* Lib. II. c. III. §. 3.

anniuerſaria, in quibus *Harpocrates* commemorabatur, ad *Horum*, † qui certo ſenſu et reſpectu cum *Harpocrate* idem erat, transferrentur ſubque illius nomine, et in eius honorem celebrarentur. Ideo vidimus ſuo loco, duplicem Aegyptios finxiſſe *Horum*, iuniorem, ſenioremque. Alter eorum re ipſa erat *Harpocrates*; alter vero *Horus* proprie ſic dictus, ſiue, vt hoc clarius explicem, alter eorum ſymbolum erat ſolis in ſolſtitio hyberno renouati, is autem eſt *Harpocrates*: alter ſolis poſt ſolſtitium aeſtiuum, ſummo cum ſplendore regnantis, hunc oſtendimus eſſe *Horum*.

Harpocrates Aegyptiace ſonat claudicantem pede.

§. 3. Nomen Dei Harpocratis, non ſemper eodem modo ſcriptum, prolatumque eſſe, inuenimus; ſed ſic fere tamen ſemper, vt ſermonis Aegyptii gnarus, veram illius ſignificationem, non ita difficulter eruere atque explicare poſſit. Si nomen regis Thebaeorum vetuſti, de quo §. 1. et 2. vti id corrigendum eſſe dixi, in conſilium adhibeamus, habebimus Φȣκϱάτης, *Phucrates*, quae eſt ſine dubio nominis huiuſce pronuntiatio, vti antiquiſſima, ita ſimpliciſſima et veriſſima, ex qua etiam genuinam eiusdem ſignificationem, omnium optime diſcere potui. Ab hac ſcriptione parum differt ea, quam nobis exhibet Epigramma quoddam ††, LVCILII graecum.

Ἥν τιν' ἔχῃς ἐχθρὸν Διονύσιε μὴ καταϱάσῃ
Τὴν Ἶσιν τȣτῳ μηδὲ τὸν Ἀμφικϱάτη.

Si quem habeas inimicum, Dionyſie, ne imprecaris
Iſin illi, neque Amphicratem. (id eſt *Harpocratem*)

Poëta hic legibus metri obſecundans, ſcripſit Ἀμφικϱάτην, cum ceteroquin ſcribendum fuiſſet Ἀμφȣκϱάτη.

†† In *Anthologia* graecorum Epigrammatum Lib. II. c. XXII. num. IV. vel p. 214. Edit. Wechel.

† In Inſcriptione 3. pag. LXXXIV. apud GRVTERVM legitur ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ, rectius.

κράτην. *Amphucrates* namque et *Phucrates*, rem plane eandem Aegyptiis ſignificaſſe, ſciunt, qui linguae Copticae rudes non ſunt. Scriptores graeci et Romani, vbi Dei huius mentionem faciunt, nomen eius ſolent efferre †, Ἁρποκράτην, et *Harpacratem*, quod vulgo notum eſt, idque nomen etiam in Aegypto, a tempore Ptolemaeorum communius fuiſſe videtur, neque etiam ab indole ſermonis Aegyptii alienum eſt. Quando vero, vt bene monuit illuſtris †† CVPERVS, in notis, quae ſic vocantur, TYRONIS et SENECAE, ſubiunctis Theſauro Inſcriptionum Gruteriano, pag. CXXXIII. legitur *Alpoca*, et *Alpocatis*, pro *Arpocras*, et *Arpocrates*, id vtique negligentiae, aut potius inſcitiae librariorum amanuenſium tribuendum eſt. *Carpocrates*, nomen in hiſtoria Eccleſiaſtica valde famoſum, idem eſt, quod *Harpocrates*, nomen poſt introductum ac propagatum latum Dei huius cultum, in Aegypto inprimis familiare. Idem fere dicendum eſt de nominibus, in veterum ſcriptis et monumentis pariter reperiundis, *Carpocras*, et *Harpocras*; vel etiam *Arpbocras*. Haec et ſimilia, inquit CVPERVS, ſunt *contractiones nominis Harpocrates. Sic ex Antipatro Antipas, ex Alexandro Alexas, ex Ruffino* Ῥοῦφας, etc. Sed haec omnia eo tantum attulimus, vt nunc nobis tanto certius et tutius, nominis *Harpocrates*, veram rationem ac ſignificationem, ex Aegyptiorum idiomate, eruere liceret. Nempe ⲫⲱϭ (*poch*) *vulnus* corporis quodcunque aut *mutilationem*, ſignificat, Exodi XXI, 25. Speciatim vero vox eadem ⲫⲓⲛϭ *claudicationem* in pedibus deſignat, ſicut Gen. XXXII. 31. vbi de Iacobo Patriarcha dicitur, ἐπέσκαζε τῷ μηρῷ αὐτοῦ, *ipſe vero claudica-*

† In *Harpocrate* p. 2.
†† Vbi ſupra p. 3.

dicabat femore, quae verba ſic transtulit Coptus interpres ⲁϥ-ⲫⲱϧ ⲙ̀ⲡⲉϥⲁⲗⲟϫ. Eſt porro ⲣⲁⲧ, (*rat*) Aegyptiis *pes*, Leu. XI, 5. 6. vnde ⲟϩⲓ ⲉ̀ⲣⲁⲧ, *conſiſtere*, proprie, *ſtare in pedes*, quae locutio locis innumeris occurrit. Sic ergo ⲫⲱϧ-ⲣⲁⲧ, (*phocb-rat*) Aegyptiis erit, *claudicans pede*. Si iam terminationem graecam aut latinam addideris, habebis ERATOSTHENIS *Phucratem*, vnde dixi, hanc nominis iſtius ſcriptionem et pronuntiationem, eſſe et antiquiſſimam, et ſimpliciſſimam, et facillime explicandam. Si praepoſueris ⲙ̀, (*em*, vel *am*) ex verbo facies adiectiuum, eritque tum ⲙ̀ⲫⲱϧ-ⲣⲁⲧ, *pede claudus*, quod ipſum *Amphicrates* eſt LVCILII, vel, vti ſcribendum erat, *Amphucrates*. Cum vero ⲉⲣ, ſaepe cum verbis coniungatur, atque tum ſaepius, *faciendi*, vel *cauſalitatis*, ſignificationem habeat, alias vero, et non raro quidem, plane otietur, ⲉⲣ-ⲫⲱϧ-ⲣⲁⲧ, (*Ar-phocb-rat*) ſignificare poſſet, et eum *qui cauſſa eſt claudicationis*, vel, qui *claudicare facit*, et ſimpliciter etiam *claudicantem pede*. Hoc poſtremum, eſt Graecorum Romanorumque *Harpocrates*. Si igitur ex nomine iudicium ferendum eſſet, *Harpocrates* dicetur Aegyptiis fuiſſe Deus *claudicans*, aut pedibus imbecillis, qualem *Vulcanum* Graecorum deſcribit HOMERVS, cui idcirco opponit Martem ἀρτίποδα, *pedibus ſanum* Odyſſ. Θ v. 330. Talis erat omnino *Harpocrates*, eumque Sacerdotes Aegyptiorum opponebant *Ammoni* ſuo ἀρτίποδι, de qua fictione ſymbolica aliquid * ſupra diximus, quamque hoc etiam capite, infra pluribus explicabimus.

Q 4 §. 4. *Har-*

* Cap. II. §. 9.

Harpocrates ſymbolum erat ſolis, in ſolſtitio hyberno renouati.

§. 4. *Harpocratem*, non ſecus atque *Horum*, Oſiridis Iſidisque filium perhibitum ſemper fuiſſe, apud omnes conſtat. Et vel ex eo recte colligi poſſe * monui, *Harpocratem*, certo ſuo ſenſu atque reſpectu, eundem cum *Horo* conſeri debere. Nempe eidem, quando fabulae eum dictabant eſſe recens natum, teneriumque infantem, impoſitum erat *Harpocratis* nomen; ſed adulto, et robur aſſecuto virile, aliud iam erat *Hori* nomen. Cum autem *Horus* a *Sole* alius diverſuſque exiſtimari non poſſit, idem de *Harpocrate* ſtatuendum quoque eſſe, res ipſa loquitur. Id vero tot inſuper veterum teſtimoniis, totque rationibus inuicti roboris, in *Harpocrate* ſuo demonſtrauit CVPERVS, vt rei huic diutius immorari velle, ſupervacaneum non immerito videri queat, praeſertim cum rationibus ponderis grauiſſimi, hactenus, praeter nudas coniecturas, meraſque fictiones imaginationis foecundae ingenioſas, nihil oppoſitum fuiſſe, intelligam. Sed ſupereſt illa quaeſtio, qua ratione *Harpocrates* diſtuliſſe dicendus ſit a *Serapi*, ab *Horo*, ab *Hercule*, ab *Ammone*, ab *Oſiride*, quos omnes, peculiari quemque ſymbolo, ſolem deſignaſſe, toto hoc libro oſtendimus, ſed alio tamen, alioque reſpectu, aut ſpectatos in diuerſa ad noſtram terram, relatione. Quemnam igitur, per *Harpocratis* ſymbolum, ſolis ad nos reſpectum, quam ad hancce terram relationem ſubinnuere voluerunt ſacerdotes Aegyptiorum? Praeſtantiſſimo CVPERO viſum eſt, rituum Aegyptiorum conditores, Numine Harpocratis, deſignare propriè voluiſſe *ſolem orientem*, idque per totum librum ** paſſim repetit. Et res ipſa in placitis Theologicis ſacerdotum Aegypti fundata eſt. *Harpocrates* ſymbolum ipſis erat *Solis* de nouo *exorti*, vel *renouati*. Verum quando Vir doctiſſimus *ortum ſolis* intelligit quo-

* Cap. IV. §. 7.

** In *Harpocrate* p. 6. 19. 20. 76. 77. etc.

quotidianum, veram Aegyptiorum mentem atque ſententiam, quod in re adeo obſcura, ſane mirum non eſt, haud vſque quaque aſſecutus eſſe mihi videtur. Nempe erat *Harpocrates*, vt loquar cum Romanis, *Sol renouatus*, verum in ſolſtitio hyberno: erat *Sol oriens*, dum nouum auſpicabatur annum, atque ex atris tenebris longarum noctium emergens, ad hemiſphaerium ſuperius lucidum contendebat, eoque lucem dierum, paulatim augebat, ac quouis die proferebat. Id quod dixi, totus Theologiae Aegyptiorum veteris, qualem huc vsque ex bonis monumentis, expoſui, contextus, eleganter, et, quod dici ſolet, ad oculum demonſtrat. Sol enim, Zodiacum percurrens, eoque diuerſas anni tempeſtates producens *, varias induere formas credebatur. In principio veris, fingebatur apparere *lucidus*, ideoque ** *Ammon* cognominabatur. Et quia in Aegypto, iam tum ſol, fruges terrae ad maturitatem perducendo, virtutem ſuam excellentem, et omnium votis expetitam, manifeſtam faciebat, idem appellabatur *Hercules*, cuius nomen Aegyptiacum proprie ſonat †, *virtutem Dei*, nempe Solis. Mox vbi in ſolſtitio aeſtiuo, et ſecutis diebus, ſol totam efficaciae ſuae vim perſentiſcendam praebet ††, *Hori* nomen in Aegypto accipiebat. Cum vero deinceps, huius efficaciae ſolis, lucis atque caloris, decrementa ſucceſſiue inſignia obſeruarentur, poſt aequinoctium autumnale, ſequebantur Sacra ††† *Serapis*. Reſtat igitur conuerſio ſolis, quae fit in ſolſtitio hyberno, quo tempore *Sol* terrae apparet * *nouus*, quare non

 ab

* Lib. II. cap. I. §. 1. ** Lib. II. cap. II.
† Lib. II. c. III. †† Lib. I. c. IV.
††† Lib. II. c. V.

** SERVIVS in VII. Aeneid. 720. *Proprie ſol nouus eſt octauo Kalend. Ianuarias.* Id eſt, D. XXV. Decembris. Eodem die celebrabatur Romae *natalis ſolis inuicti.* Vide

ab Aegyptiis tantum, ſed et a gentibus cultioribus cunctis, magno cum gaudio, et feſtorum ſolennium celebratione, excipi conſueuit. Quem igitur dicemus, tempore hoc, tanquam ſolis renouati ſymbolum, religione Aegyptiorum celebratum cultumque fuiſſe, niſi *Harpocratem*? quandoquidem et hunc ſolis aliquod ſymbolum eſſe omni dubio caret. Verum id teſtimoniis diſertis, et omnem exceptionem reſpuentibus, comprobemus.

Oſtenditur id ex verſibus Oraculi Clarii apud Macrobium.

§. 5. Ad noſtrum hoc negotium pertinere etiam credo verſus *Apollini Clario* tributos, quos ex MACROBII Saturn. Lib. I. c. XVIII. plus ſemel iam hactenus citauimus.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω
Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

Dic Deorum omnium ſupremum eſſe Iao,
Quem hyeme Orcum dicimus, ineunte autem vere Iouem.
Aeſtate porro ſolem, ac tandem autumno finito, tenerum Iao.

Quisnam in verſibus his ſit ἀΐδης, *inuiſibilis* tempore hyberno, *Serapis* nempe, quid vere inchoato *Iupiter*, nempe *Ammon*, quis media aeſtate, *Sol* per excellentiam quandam ita dictus, nimirum *Horus*, ſuperioribus Libri huius capitibus, diſtincte expoſuimus, ac omnia ex antiquiſſimis Aegyptiorum traditionibus ſacris firmauimus. Quod argumento eſſe poteſt, reſpici in his verſibus Theologiam non Graecorum, verum Aegyptiorum. Id vero, quod in iisdem verſibus difficillimum vereque αἰνιγματῶδες dici poteſt, explican-

Vide Calendarium ſub Conſtantio Imp. editum, et IVLIANVM Imp. Orat. IV. p. 155. 156.

explicandum reſtat, vt oſtendamus, quisnam ſit μετοπώρυ ἁβρὸς ἰάω, quod verto, *autumno deſinente*, adeoque hyeme ineunte, *tenellus Iao*. Haec ipſa vero verba dubitare me nullo modo patiuntur, verum iactari huius a MACROBIO Oraculi auctorem, Chriſtianum eſſe, e Gnoſticorum coetu, qui, cum in Aegypto viueret, regionis illius Theologiam idololatricam, quae tamen in naturali rerum ordine et viciſſitudine fundata erat, ad placita, gregis illius, cui ſe iunxerat, detorſit atque inflexit. Ampliorem rei huius demonſtrationem, in aliud tempus, locumque opportunum, magis differo. Nunc ea tantum obſervabo, quae plane omitti a me non poſſunt. Nomen *ἰάω*, hic memoratum, plerique habebunt, pro venerabili ac auguſto tetragrammato, יהוה, quippe quod, hoc fere modo ſcriptum *, Gentibus etiam innotuiſſe, ſatis conſtet. Neque etiam negauerim, fuiſſe ſcriptores exoticos, gentiles, apud quos nominis ſanctiſſimi mentio reperiatur; verum illi tum non de ſuis; ſed de Iudaeorum rebus ſacrisque loquuntur. Apud Graecos, aut alios gentiles quoscunque, in Sacris ipſorum domeſticis, nomen *Iao*, ab hebraico tractum, vſu qualicunque receptum fuiſſe, indicio idoneo nullo, comperire hactenus potui. Et qui ita cenſent, viri praeſtantiſſimi, omnique eruditione inſigniter culti, ad eas redacti ſunt anguſtias **, vt ad ipſum noſtrum Oraculum Apollinis Clarii, ceu ad ſacram anchoram confugiant. Quod ſi autem, vt volunt

* GROTIVS in notis ad Lib. I. de verit. Relig. Chriſt. §. 16. vel p. 232. Edit. Pariſ. PEARSON *Expoſition of the Creed*. p. 147. in notis, vel p. 262. 263. Edit. latinae BOCHARTVS Geogr. Sac. Part. II. Lib. II. cap. XVII.

* BOCHARTVS Geogr. Sac Part. II. Lib. I. c. XVIII. PEARSON vbi ſupra, et prae ceteris Mr. de BEAVSOBRE hiſt. de Manichée To. II. p. 59. 60.

volunt eruditi illi, auctor verus illius Oraculi, cultui Deorum mancipatus, et de rebus inter ſuos notis, vſuque tritis, locutus fuiſſet, ſequeretur certe, illum *Iao*, de quo loquitur, eſſe tantum aliquod Solis nomen aut cognomen, quo certa quaedam illius ad mundum noſtrum relatio ſignificaretur, nam id totus oraculi contextus et ordo nimis aperte loquitur. Quaero iam, apud quosnam Graeciae populos, Sol, dum in hyberno Solſtitio verſatur, nomen habuerit *Iao*, et cur ille *Iao*, id eſt *Sol hybernus*, cenſeri debeat, Deorum omnium ſupremus ac longe maximus, maiorque adeo Sole verno, Sole aeſtiuo, ac Sole denique autumnali. Nulla profecto, ex Theologia Graecanica, reddi huius rei ratio, a quoquam vnquàm poterit. Quis de Graecorum Numine *Iao*, fando vnquam audiuit? Et totum quoque Oraculi illius argumentum, non eſſe deſumtum ex Theologia Graecanica, aut ad illam pertinere, facile mihi largientur periti et aequi rerum huiusmodi iudices.

Illique ex Gnoſticorum Theologia explicantur.

§. 6. At in Theologia Gnoſtico-*Baſilidianorum*, plana omnia erunt, facilia atque perſpicua. Vt res haec rite et ordine intelligatur, pauca tantum haec obſeruaſſe iuuabit. 1) Vſus nominis *Iao*, in Scholis Gnoſticorum erat maximus et frequentiſſimus. Conceptis verbis id teſtantur e vetuſtis Eccleſiae Doctoribus * permulti, et multo etiam luculentius idem hoc loquuntur, tot gemmae Gnoſticorum Abraxeae, in copioſis collectionibus CHIFLETII et MONTEFALCONII ſpectandae. Nam gemmarum iſtarum pleraeque,

* IRENAEVS contra haereſes Lib. I. cap. IV. §. 1. cap. XXI. §. 3. cap. XXX. §. 5. Edit. Maſſueti. TERTVLLIANVS aduerſus Valentin. cap. 14. ORIGENES aduerſus Celſum Lib. VI. p. 296. 297. EPIPHANIVS Haereſ. XXVI. §. 10. THEODORETVS Fabul. haeret. Lib. I. cap. 7. etc.

raeque, nomen gregi huic ſacroſanctum *Iao* diſtincte expreſſum prae ſe ferunt. Et quamuis vera nominis huius ſignificatio, quam in Scholis Gnoſticorum habuit, plurimam adhuc lucem expectet 2) mihi tamen exploratum et certum eſt, quod etiam * alio loco obiter tetigi, quodque cumprimis gemmae hae Abraxeae, tam clare teſtantur, Gnoſticos nomine hoc ſibi maximopere venerabili, ſeruatorem optimum ſubinnuere ſolitos fuiſſe. 3) Hoc admiſſo, quod merito negari, aut in dubium vocari poſſe, non crediderim, animaduertere et iſtud oportet, illos, de quo loquor, Gnoſticos, in Scholis ſuis, ſeruatorem noſtrum, *ſolis emblemate et ſymbolo*, oppido frequenter *adumbraſſe*, et *in comparatione hac emblematica, ſibi mirifice placuiſſe*, quod ipſum quoque ** antehac iam me *prolixe oſtendiſſe* memini. Talis ergo etiam in Oraculo noſtro, ſub nomine *Iao* depingitur. 4) Quando autem *ἰάω* ille appellatur *ἁβρὸς*, id eſt, vti vertendum opinor, *tenellus*, *puellus*, Oraculi huius auctor, vult nos cogitare de Chriſto Domino, vt recens e virgine nato, et tenello etiamnum infante. 5) Et haec ratio eſt, ob quam *tenellum Iao*, auctor Oraculi Gnoſticus, locauit in *μετοπώρῳ*, ſiue principio hyemis, aut quod eodem redit, in *Solſtitio hyberno*. Hoc enim tum ad Solem naturalem, de quo in antecedentibus ſermo fuerat, tum ad Solem myſticum emblematicum, Chriſtum Dominum, referri a nobis debet. Sol namque naturalis, in Solſtitio hyberno renouatur, vnde eum illo tempore Romani vocare ſolebant *ſolem nouum*, (§. 4. not.

* Exercit. *de Alexandro Seuero Imp. Chriſtiano*, in Miſcell. Lipſienſ. Vol. IV. pag. 85. fin.

** Exercitat. de nomine *Abraxās*, in Miſcellan. Lipſ. Vol. VII. p. 87. 88. 96, 97. etc.

not. * Aegyptii vero ** *Oſiridem inuentum* et *renatum.* Eaque de cauſa ſine dubio *** Gnoſtici natales Seruatoris optimi, Solis ſui myſtici et emblematici, in hoc ipſum tempus, quoque coniiciebant, eoque memoriam magni illius beneficii diuini, in coetibus ſuis ſolenniter celebrabant. Iam nunc denique verus oraculi illius Gnoſtici ſenſus, recte facileque perſpici a nobis poterit, isque hic fere eſt. *Summus vtique Deus, noſter eſt* IAO, *Chriſtus Ieſus Dominus, primus atque vltimus, verus iuſtitiae Sol, luxque huius mundi, Sol, qui annum ſalutis et complacentiae Domini, auſpicatur, et totum conficit. Vos idolorum ſerui, ſolem tempore autumnali celebratis Serapidem inuiſibilem, vbi ver adeſt, Iouem Ammonem lucidum, aeſtate Horum, radiorum fulgore coruſcantem, et in Solſtitio hyberno tenerum Harpocratem. Sed verus Sol ſalutaris, ſupremusque idem omnium Dominus atque Deus eſt noſter* IAO, *cuius, tanquam ſolis iuſtitiae myſtici, ortum et memoriam eo celebramus tempore, quo Sol naturalis, noſtri* IAO *creatura, in coelo renouatur.*

Harpocratem Aegyptii dicebant natum eſſe in Solſtitio hyberno, tenerum, et puellum.

§. 7. Auctor igitur oraculi Clarii, ſi partem illam Theologiae Aegyptiorum, quam tradere exorſus erat, eodem tenore ad finem perducere voluiſſet, loco *Iao*, cuius nomen, nec Aegyptiis, nec Graecis, cognitum aut perſpectum erat, ſubſtituiſſet τὸν ἁϐρὸν ἁρποκράτην, *Harpocratem tenellum.* Nam et ille Aegyptiis ſymbolum erat ſolis, quod vidimus §. 4. et quidem in ſolſtitio hyberno denuo exorti vel renouati, ideoque repraeſentari fere ſemper ſolebat ἁϐρὸς, *tener* et *infans.* Prius, quod nempe Harpocrates, in

* Miſcellanea Berolinenſia Societ. ſcient. Tom. VII. pag. 37 + 377.

** Vide ibid. p. 404. 405. et Miſcellanea Lipſienſ. Vol. IV. pag. 80. (not ***)

in Solſtitio hyberno cenſeretur exortus, conceptis verbis docet PLVTARCHVS, in libro *de Iſ. et Oſir.* p. 377. Verba eius, ad euitandam prolixitatem, latine verſa adſcribo. *Ideoque dicitur Iſis, cum ſe ſentiret eſſe gravidam, appendiſſe ſibi amuletum, ſexta die menſis Phaophi, et* pepeliſſe Harpocratem, ſub ſolſtitium hybernum, *imperfectum et valde tenerum.* Idem teſtatur quoque MACROBIVS, cum PLVTARCHO conferendus, et ex hoc explicandus atque illuſtrandus. Sic autem ille Saturn. Lib. I. cap. XVIII. *Hae aetatum diuerſitates ad Solem referuntur, vt paruulus videatur hyemali Solſtitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto, die certa, quod tunc breuiſſimo die, veluti paruus et infans videatur.* Qui rem maturius penſitauerit, dubitare prorſus non poterit, ſcriptorem et hunc et illum de re eadem loqui. Nec obſcure etiam rem eandem docet HORAPOLLO, cuius locum infra dabimus §. 12. Poſterius vero, quod nempe Aegyptii vetuſtiores, Harpocratem ſuum ſemper finxerint ἁβρὸν, *tenellum*, ac *puellum*, quodque eo aperte reſpexerit auctor oraculi Clarii, vel ex iis, quae modo produximus, locis, clare intelligitur, quibus alia quaedam addemus. Dixerat MACROBIVS, loco vltimo hic laudatus, cuius pleniora verba legi poterunt, hoc Libro II. cap. II. §. 1. Aegyptios Soli attribuere diuerſas aetates, paruuli videlicet pueri, in Solſtitio hyberno, et ſic porro. Talem vero nobis depingit formam ſolis in Concilium Deorum ingredientis, MARTIANVS CAPELLA, Lib. I. p. 20. *Facie autem mox, vt ingreſſus eſt, pueri * renidentis, inceſſu medio iuuenis anheli: in fine ſenis apparebat occidui, licet duodecim nonnullis formas,* (nempe in Zodia-

* In editione Grotii legitur *renitentis*; ſed ibidem in margine notatur, *alii renidentis*, et haec videtur vera lectio.

Zodiaco) *conuertere crederetur.* Poſſent plura huius generis adferri, ſed iis contentus ero, quae ad religionem Aegyptiorum, ac Harpocratem ſigillatim, manifeſto et indubitate ſpectant. PLVTARCHVS, quoties de *Harpocrate* diſſerit, non aliter de eo loquitur, quam de *tenero* ac *infantulo.* Loca eius toties citari ſolita, omnibus adeo nota ſunt, vt iis repetendis ſuperſedere poſſim. Idque docent pariter Dei huius ſigilla, quae ſuperſunt, nummi itidem, gemmae, aliaque monumenta antiqua, in quibus effigies ipſius cernitur, quarum pleraque a CVPERO ſollicite collecta, in eius *Harpocrate* conſpici poſſunt. Et ſi quis viri doctiſſimi explicationes, ſane quam eruditas, addiderit, nihil eſt, quod hic vltra deſiderari queat. Ideoque, non certe abs ratione, Inſcriptionem hanc, quae in Theſauro GRVTERI legitur Pag. LXXXVIII. num. 13.

BONO DEO
PVERO * POS
PHORO

ad Harpocratem ſpectare, iudicat vir, politiſſimi ingenii **, BAVDELOTIVS. Cur autem ille dicatur et *puer, et phosphorus*, ſiue *lucifer*, ex dictis hoc et ſuperiori thmemate, explicare difficultatis nihil habet. Inſcriptioni huic plane reſpondet illud in oraculo Clario ἀβρὸς ἰάω, vel ἀβρὸς ἀρπόκρατης. De eadem re loquitur MINVTIVS FELIX in *Octauio* cap. 21. *Iſis perditum filium — luget, plangit, inquirit, Mox inuento* paruulo *gaudet Iſis.* Et LACTANTIVS Inſtit. Diuin. Lib. I. c. c. 21. *Iſidis Aegyptiae Sacra ſunt, quatenus filium* paruulum *vel perdiderit, vel invenerit*

* Ita in Lapide ſculptum eſt pro PHOSPHORO.
** *L' vtilité des voyages.* Tom. I. p. 220. Edit. Pariſ. 1693.

venerit. *Nam deinde* puer *producitur*, *quaſi inuentus.* Quae omnia * in *Tabula*, quae *Iſiaca* vulgo dicitur, ſcite delineata conſpici poſſunt. Et qui illic cernitur puer paruulus ac tenellus, faſciis inuolutus, eſt haud dubie ἁβρὸς Sol Apollinis Clarii.

§. 8. Equidem credere quis poſſet, loca MINVTII et LACTANTII, quibus modo vſi ſumus, ad noſtrum, in quo explanando verſamur, non magnopere pertinere negotium. Nobis enim propoſitum eſt, dicere de *Harpocrate*, circa ſolſtitium hyemale recens nato. At ſcriptores laudati non de Harpocrate nato; verum de filio Iſidis perdito, quaeſito, et inuento, loquuntur. Verum difficultas haec tanti non eſt, vt quenquam rerum Aegyptiacarum bene peritum, turbare aut morari queat. *Harpocrates*, iuxta traditiones Aegyptiorum, circa Solſtitium hybernum natus, eſt Sol. Hic idem, reſpectu quidem alio, ſed non ita vehementer diuerſo, dicebatur quoque *Horus*, et idem ille, alio praeterea reſpectu, dicebatur quoque *Oſiris*. Quia igitur omnes hi tres, *Oſiris*, *Horusque* et *Harpocrates*, ſymbola erant vnius *Solis*, fieri potuit, et re ipſa factum quoque eſt, vt traditiones ſacerdotum de his Numinibus, quae ſane ad vnum ſolem referebantur, ſed alia ſemper aliaque ratione, a Graecis nonnunquam permutarentur, et confunderentur, vt, quae ad tale ſigillatim et ſeorſim Solis ſymbolum adaptanda erant, transferrentur ad ſymbolum aliud, aut ad ſolem in genere. Niſi id probe teneas, ſeduloque obſerues, in explicanda Deorum Aegyptiorum ſignificatione, et poteſtate, errores varios, ac multiplicem confuſionem, vitare non poteris. Neque tamen rei huius culpa, penes ſolos

Dubium aliquod remouetur.

* Poſſunt, ſi tanti videatur, hic conſuli *Miſcellanea Berolinenſia* Tom. VII. p. 373. 374. etc.

ſolos Graecos vnice reſidet. Nam et ipſi quoque ſacerdotes Aegyptii, in diuerſis regni partibus, ſententiis ac conſuetudinibus, circa res quasdam ſacras, a ſe inuicem diſcreti erant. Res eſt nota et teſtata ſatis, de qua plura verba facere, nihil attinet. Non raro etiam vſu veniebat, vt, quamuis de re ipſa bene et amice, inter ſacerdotes variarum Aegypti regionum, conueniret, illam tamen rem, vnanimiter ab omni parte agnitam, et receptam, diuerſis ſymbolis exprimerent, populoque ſubindicarent. Monui iam ſupra, ante Ptolemaeorum tempora, Harpocratis Sacra Aegypti inferioris incolis, vt plurimum ignota, certe non vſitata fuiſſe. Et tamen res ipſa, quam ſacerdotes Thebaidos, *Harpocratis* ſymbolo declaratam volebant, *renaſcentia* nempe et *renouatio Solis*, in Aegypto inferiori, non aliter atque in ſuperiori, impenſa laetitia ſolenniter celebrabatur, de quo ſummo Aegyptiorum feſto, aliquando, ſi ita viſum fuerit Deo, ad *Tabulam Bembinam* plura dicemus. Verum alio nomine deſignabatur. Et poterat ſane ſolennitas haec, ac memoria Solis renouati, non incommode ad *Horum* transferri, ob rationes, et capite hoc, et cap. IV. expoſitas. Sed et referri poterat ad ipſum Oſiridem, in fabulis quippe ſacerdotalibus caeſum, poſtea vero ab vxore inuentum, eoque veluti renatum. Ea de cauſa ſolennitas haec in locis non paucis nuncupari ſolebat *inuentio Oſiridis*. In animo eam habebat RVTILIVS, vbi in Itinerario Lib. I. v. 375. canit.

Illo quippe die tandem renouatus Oſiris
Excitat in fruges germina laeta nouas.

Et IVVENALIS Satyra VIII, 29.

Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri
Inuento —

Ad quae haec obſeruat vetus *Scholiaſtes*. *Populus Aegypti*

Aegypti, inuento Oſiri dixit, * Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Id eſt, *invenimus iam, et vna gaudemus.* Hanc autem Oſiridis inuentionem, pertinere ad ſolſtitium hybernum, in quo natus etiam perhibebatur *Harpocrates* **, ante annos complures, adductis eam in rem idoneis veterum teſtimoniis, adſtruxi. Cum igitur in Aegypto, rem eandem, ſacerdotes nonnulli, ad *Oſiridem* transferrent, ad *Harpocratem*, filium illius alii, et forte praeter hos etiam alii ad *Horum*, ex eo contigiſſe videtur, vt Oſiris non tantum frater maritusque Iſidis, verum etiam eiusdem filius haberetur. Ex eodem fonte explicanda loca MINVTII et LACTANTII, § 7. producta, et quaecunque his ſunt conſona. *Inde quoque eſt,* quod epitheton *Harpocratis* ἁβρὸς, *tenellus*, nonnunquam *Oſiridi* ipſi, patri eius, attribuatur, ſicuti in his *Didymaei Apollinis* verſibus apud EVSEBIVM Praepar. Lib. V. c. VII.

Ἴσιδι δ' αὖ Φαρίῃ γονιμοῖς παρὰ χεύμασι Νείλȣ
Μαστεύειν † *οἰστροισιο ἑὸν πόσιν ἁβρὸν Ὄσιριν.*

Iſidi Phariae curae eſt, ad fluenta fertilia Nili
Clangore ſiſtrorum quaerere tenerum ſuum maritum Oſirin.

§. 9. Oſtendimus *Harpocratem* ſymbolum eſſe *Solis, in hyberno Solſtitio renouati*, eaque de cauſa fingi νεαρὸν, et ἁβρὸν, *puellum et tenellum.* Non alia de cauſa Deus ille ipſe, ſemper fere flori Loti inſidens, *Eaque de cauſa Harpocrates ab Aegyptiis pingebatur loto inſidens.*

R 2

* Sic et ATHENAGORAS pro Chriſtianis p. 24. et IVLIVS FIRMICVS de errore etc. p. 5.

** Miſcellan. Berolinenſ. Tom. VII. pag. 377. 378. etc. 379. etc.

† Malim hic legere Σείστροισιν. Nam in his verſibus ſermo eſt de inſignibus Deorum. Siſtrum vero pertinere ad inſignia Iſidis, oppido natum eſt. Et ſiſtra geſtauit etiam Iſis, maritum ſuum quaerens.

dens, ſculpi pingique conſueuerat. Res eſt antiquitatis Aegyptiacae ſtudioſis apprime nota. Sed apponamus tamen PLVTARCHI verba, quibus id docet *de Iſ. et Oſir* p. 355. Ουδὲ τὸν ἥλιον ἐκ λωτȣ̃ νομίζȣσι βρέφος ἀνισχεῖν νεογιλὸν, ἀλλ' ȣ̃τως ἀνατολὴν ἡλίȣ γράφȣσι, τὴν ἐξ ὑγρῶν ἡλίȣ γινομένην ἄναψιν αἰνιττόμενοι. *Neque putant, Solem infantem recens natum, ex loto extitiſſe: ſed ſic ortum ſolis pingunt, innuentes, quomodo is ex humidis accendatur.* Ad Harpocratem verbis his reſpici, et per ſe intelligitur, et PLVTARCHVS ipſe nos docet in eodem libro p. 378. Τὸν δὲ Ἁρποκράτην, ȣ̃τε θεῶν ἀτελῆ καὶ νήπιον, ȣ̃τε χεδροπῶν τινα νομιςέον. Quorum verborum hic eſt ſenſus. *Etſi Harpocrates fingatur, tenellus admodum, in floribus et germinibus recens e terra prodeuntibus, ab Iſide in lucem editus eſſe, ideoque pingi ſoleat loto inſidens, non tamen exiſtimare oportet, eum inter Deos imperfectum quendam et puellum eſſe, aut plane floribus vel leguminibus accenſeri debere.* Paucis etiam, ſed clare, ſcriptor hic rem eandem deſignat, in libro *de Pythiae Oraculis* p. 400. Αἰγυπτίȣς ἑώρακας ἀρχὴν ἀνατολῆς παιδίον νεογνὸν γράφοντας ἐπὶ λωτȣ̃ καθεζόμενον. *Aegyptios vidiſti, orientem ſolem exprimere picto puerulo, qui loto inſidet.* Et quot non, quaeſo, extant nummi atque gemmae, quot non ſigna, aliaque huius generis monumenta antiqua, quorum non poenitendam copiam, in *Harpocrate* CVPERI depictam quilibet ſpectare poteſt, in quibus omnibus, id quod PLVTARCHVS verbo docuit, re ipſa oculis noſtris offertur? Quibus quidem accenſendam eſſe putem gemmam eximiam, quam e theſauro Barberino, publici iuris fecit * CAVCEVS, et ex hoc ** MONTE-

* MICH. ANGE de LA CHAVSSE dans le grand Cabinet Romain Part. I. num. XXXIII. p. 19.

** MONTFAVCON Antiquité expliquée Tom. II. Planche CXV. fig. 3.

TEFALCONIVS, nam in ea cernitur iuuenis, *faſciis* oto corpore diſtrictus, loto inſidens, florem perteae in capite gerens, manu vero flagellum tenens. Etſi enim viri illi doctiſſimi, qui nobis gemmae huius copiam fecerunt, in ea Iſidem deſignari augurentur, ego tamen ne dubitare quidem poſſum; cerni hic imaginem *Harpocratis*, adeo omnia, quibus exornata eſt, inſignia, Deum hunc loquuntur. Sed ea de re forte aliquando plura ad *Tabulam Bembinam* dicemus. Hic enim omnia, quae ad Harpocratem ſpectant, diſtincte explicare, ratio inſtituti, et praeſcripti mihi limites, haudquaquam permittunt. Res ipſa igitur certa eſt; verum cur Aegyptiis placuerit, ſymbolo hoc Harpocratem depingere, id nondum recte patefactum, argumentisque firmis ſtabilitum vidi. Equidem PLVTARCHVM intelleximus nos docentem, ſymbolo hoc *ortum ſolis pingi* ab Aegyptiis, aut eos ſic *orientem Solem* exprimere. Et mirifice cum hac illius obſeruatione conſonant, quae de loti indole literis tradiderunt veteres, teſtimonio quoque recentiorum confirmata. Sit nobis inſtar omnium PLINIVS, cuius Lib. XIII. c. 17. haec ſunt verba. *Eſt autem loti nomine et herba, et in Aegypto caulis in paluſtrium genere. Recedentibus enim aquis Nili riguis, prouenit ſimilis fabae — cui fructus in capite papaueri ſimilis. — Mirum eſt, quod praeter haec traditur: ſole occidente papauera ea comprimi, et integi foliis; ad ortum autem aperiri, donec matureſcant, floſque, qui eſt candidus, decidat.* Gemina his habent THEOPHRASTVS Hiſt. Plantar. Lib. IV. cap. 10. DIOSCORIDES Lib. IV. cap. 114. aliique, quos citare longum eſſet. Omnes hi ſcriptores, ſane optimi, etſi non niſi vera perhibeant, eruditorum tamen nonnullis, ac inprimis illuſtri CVPERO, fraudi fuerunt, eosque in avia ſeduxerunt, vt exiſtimarent, *Harpocratem* Aegyptiis ſymbolice deſignaſſe, *quotidianum ſolis exortum.*

Aliud omnio docebunt omnia ea, quae in antecedentibus ex vetuſtis ſcriptoribus obſeruaui, et operoſe ſatis retuli. Neque vero iis repugnare exiſtimanda ſunt, quae nunc de indole loti, ex ſcriptoribus laude dignis in medium attuli. Non nego, puerum loto inſidentem, ſubinnuiſſe ortum ſolis, dummodo id commode et recte explicetur. Verum nego, lotum in eo Aegyptiis viſam eſſe eximium ortus Solis ſymbolum, quod *ſole occidente* illius *papauera comprimerentur. foliisque integerentur, ad ortum vero ſolis aperirentur.* Equidem et hoc argumento eſt, lotum, ad innuendum ſolis ortum, qualiscunque demum intelligatur, ſatis commode adhibitam fuiſſe. Sed vera tamen ratio, ob quam lotus Harpocrati conſecrata fuerit, ipſeque Harpocrates, tanquam loto inſidens, pingi ſoleret, certiſſime haec eſt, quod in Aegypto, loti flores, et alia huiusmodi germina, in locis Nilo tandem denudatis, vti et in ſtagnis et lacubus, circa ſolſtitium hybernum enaſcerentur, eoque idem oriendi, cum Harpocrate anni tempus haberent, vnde credebantur quotidie, ſolem iam renouatum, ſiue Harpocratem, orientem, veluti apertis floribus ſalutare, occidentem vero, floribus compreſſis lugere. Ea enim eſt indoles Aegypti, de qua peregrinatores noſtri hodierni ſatis teſtantur. Et id ipſum non obſcure ſignificat PLVTARCHVS *de Iſid. et Oſir.* p. 377. *Iſin — peperiſſe Harpocratem, ſub ſolſtitium hybernum, imperfectum et tenellum, inter flores et germina, tum primum propullulantia.* Hinc idem obſeruat p. 357. fin. *Horum*, qui idem eſt cum *Harpocratè, nutritum fuiſſe Buti.* Nam ibi, in locis paluſtribus, loti magna copia proueniebat. Vide p. 3[illegible]6. et his adde locum eiusdem auctoris, initio huius tmematis adductum, et nonnihil opera mea illuſtratum. Ex iis quae dixi, tanto luculentius nunc perſpicitur, cur *lotus* non modo

modo *Harpocratis* ſymbolum fuerit; ſed cur illi etiam Deus hic inſidens fingi pingique conſueuerit.

Ex perhibebatur membris mancus et debilis natus eſſe.

§ 10. Poſſemus etiam ſymboli huius, quod nimirum Aegyptii, Harpocratem ſuum, loto veluti affixum pingerent, rationem proferre aliam, ex traditionibus ſacerdotum antiquis pariter petitam. Nam perhibebant illi, Harpocratem non modo tenerum valde; verům etiam * *corpore imperfectum, membrisque imbecillem*, e matre prodiiſſe. Dicebant **, τὸν θεὸν ἐκεῖνον ἀνάπηρον ὑπὸ σκότῳ γένεσθαι, *Deum hunc membris mutilum et mancum, in tenebris natum eſſe.* Hac igitur de cauſa, quod Harpocrates, ob corporis membrorumque debilitatem ſe commode mouere non poſſet, vt videtur, flori illi, in quo a matre editus erat, veluti afflixus fingebatur. Imbecillitatis huius et vitii, quod Harpocrati ab ipſa natiuitate adhaeſiſſe, perhibebatur, partem fuiſſe exiſtimauerim, quod Deus ille puellus, digitum ori ſuo impreſſum, ab eo non dimoueret. Id in pleriſque Numinis huius ſymbolici imaginibus, palam omnes cernere ac obſeruare poſſunt, idem tot veteres de eo teſtantur, et nulla re fere apud Graecos celebrior fuit Harpocrates, quam iſto corporis habitu. Graecis geſtum hunc ita interpretari placuit, tanquam eo Deus ſignificaret, et ſe ipſum ſilentii eſſe tenacem, et id aliis etiam magnopere commendare. VARRONIS haec verba dedimus iam §. 1. *Principes Dei coelum et terra. Hi dei eidem, qui in Aegypto Serapis et Iſis, etſi Harpocrates digito ſignificet, vt ea taceam.* Notus quoque eſt ille OVIDII verſus de *Harpocrate*, Metam. Lib. IX, 691.

Quippe premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

Vti nec minus, quae AVSONIVS canit Epiſt. XXIV. ad Paulinum v. 2[illegible].

* PLVTARCHVS p. 378. eum vocat. ἀτελῆ καὶ νήπιον.
** Idem ibidem p. 373.

Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis.
Aut tua Sigalion Aegyptius oſcula ſignet.

Sigalionem hic intelligi *Harpocratem*, quem ſilentii Deum crediderunt Graeci, dubium non eſt. Et ita graeci et romani ſcriptores, qui Numinis huius mentionem iniiciunt, ad vnum omnes. Inque horum ſententiam, e philologis noſtris, pedibus eunt doctiſſimi quique. Verum qui ad ea, quae hactenus disputauimus, animum ſerio aduerterint, mecum, ſpero, ſentient, interpretationem hanc ſimulacri et geſtus Harpocratis, eſſe mere graecanicam, ac ſupra, quam dici poteſt, frigidam, a mente vero ac ſententia Aegyptiorum, longiſſime remotam: Hi enim in Harpocrate ſuo, illam digiti ad os impreſſionem, vitium eſſe, ſed ab ipſa natiuitate tractum, et cui ſubeſſet myſterium, credi volebant. Omnium optime * id nos docet DAMASCIVS, cuius ** iam ſupra verba haec deſcripſi. *Fertur* Heraiscus *ex utero matris prodiiſſe, indice ſilentii digito labiis adhaerente, quomodo et Aegyptii fabulantur, Horum, et ante hunc ſolem natum eſſe.* Fingebant namque Aegyptiorum Antiſtites, Harpocratem ante legitimum tempus, partu abortiuo, imperfectum, mutilum, membriſque valde debilem, inter flores et legumina, recens e terra exorta, ab Iſide matre in lucem editum fuiſſe. Eoque pertinebat, quod digito, ori quippe adnato, recte atque ex animi ſententia vti non poſſet. Niſi opinio me fallit, deſignari id video in ſigno Harpocratis, quod apud CVPERVM p. 26. extat. Ibi enim Deus ille dextram ad os compreſſam gerit, ſiniſtra vero digitis manca apparet. Symbolo hoc Aegyptii ſignificabant, vires Solis, renouati in hyberno ſolſtitio, tenues admodum eſſe, et a neminé tum obſer-

* Video, id etiam ſuboluiſſe IOS. SCALIGERO, Lection. Auſonian. Lib. I. c. 29.

** Lib. II. c. IV. §. 7.

obſeruari aut ſentiri. Etſi adueniat, et re ipſa iam adſit, videtur tamen etiamnum abeſſe.

§. 11. Neque tamen inuitus fateor, id quod veteres ex traditionibus Aegyptiorum, de Harpocrate imperfecto, membris mutilo, ac imbecilli commemorant; de partibus corporis inferioribus cumprimis, ac praeſertim pedibus, accipi debere. Diſerta ſunt PLVTARCHI verba in libro *de Iſ. et Oſir.* p. 358. vbi ex fabulari Aegyptiorum Theologia iſtud refert, *τὴν Ἶσιν μετὰ τὴν τελευτὴν, ἐξ Ὀσίριδος συγγενομένου τεκεῖν ἠλιτόμηνον καὶ ἀσθενῆ τοῖς κάτωθεν γυίοις, Ἁρποκράτην*, *Iſin ex Oſiride, qui poſt mortem cum ipſa congreſſus eſſet, ante menſium completum numerum, filium peperiſſe Harpocratem, inferioribus membris debilem.* Et memini, me id alicubi in ſigno quopiam Harpocratis diſtincte obſeruaſſe, etſi, vbinam ſignum illud oculis vſurpauerim, iam recordari nequeam. Laborabat ergo, in fabulis Aegyptiorum ſacris, Harpocrates debilitate pedum notabili, nam *γυῖον*, quod in genere quidem, *membrum* ſignificare nouimus, ſpeciatim de *pede* accipi et manu, opportune CVPERVS monuit pag. 30. Et inde eſt, quod Vulcanus HOMERO ſaepiuſcule dicatur *ἀμφιγυήεις*, *vtroque pede claudus*, quale quid forte, de Harpocrate etiam, ex Aegyptiorum traditionibus, ſubinnuere voluit PLVTARCHVS. Hic certe eius loco, *Iſ. Voſſio*, viro citra omne dubium eruditionis mirae et rarae; ſed nonnunquam nimis ingenioſo, anſam videtur ſubminiſtraſſe, vt Harpocrati claudicationem attribueret, et non omnino male, dummodo rationibus idoneis id euiciſſet. Ita autem is *Commentario in Catullum* p. 302. *In numiſmatibus, gemmis, et amuletis apud antiquarios, crebro occurrit imago Harpocratis, ſub ſpecie pueri formoſi, ſed loripedis, et non ſtantis, ſed ἀναβάδην inſidentis floribus loti arboris.* Huc vſque viro ſummo adſtipulor, neque iis haec valde diſſimilia ſunt, quae §. 9. eadem re obſeruabamus.

Inprimis vero pedibus debilis et claudus.

Verum, ſic iam pergit VOSSIVS. *Illud quoque obſervatione dignum, coelo ab Aegyptiis donatum fuiſſe hunc Harpocratem, et inter coeleſtia relatum ſigna. Nam qui Engonaſin ſeu ingenicla dicitur, quemque Herculem eſſe Graeci exiſtimarunt, illum Harpocratem eſſe, ex ſententia aegyptiorum, colligo ex Manilio Libro V.*

Nixa genu ſpecies et Graio nomine dicta
Engonasi, ingenicla vides ſub origine conſtat.

Sic liber Gemblacenſis: optimus vero meus Codex non vides, ſed laudes; nempe ſcripſerat Manilius, claudens ab origine conſtat. Claudens, *id eſt claudicans, loripes enim, vt dixi, natus eſt Harpocrates.* MANILIVS itaque ſi uera dixit VOSSIVS, Harpocratem conceptis verbis *claudicantem* vocauit. At diſſimulare nec poſſum, nec debeo, emendationem hanc viri doctiſſimi, iam dudum damnaſſe CVPERVM in *Harpocrate* p. 31. Et nuper Criticorum noſtri aeui in Anglia Princeps, RICH. BENTLEIVS, ad illum Manilii locum, *de VOSSII emendatione hunc ad modum iudicauit. *Infirmo eſt talo, claudicatque haec coniectura.* Rationes quibus iudicium ſuum fulcit, apud ipſum lege malim. Deinde ita pergit. *Reſtituo tibi, quod ab auctore venerat*

Nixa genu ſpecies, et Graio nomine dicta.
Engonaſi (ignota facies ab origine conſtat)

Speciem illam, ſeu conſtellationem coeleſtem, quam Graeci ἐν γόνασι dicebant, et MANILIVS *nixam genu ſpeciem* reddidit, Graeci iidem ** Herculem interpretabantur.

* Pag. 128 Edit. SCALIGERI vel p. 645. Edit. Bentlei.

** Vide ERATOSTHENIS cataſteriſmos cap. 4. HYGINVM Poëtic. Aſtronom. Lib. II. cap. 6. *Scholiaſten Germanici* in eius Aratea p. 91. Edit. Sant-Andreanae, et FESTVM AVIENVM, in Arateis p. 26. Edit. eiusdem.

bantur. Eius vero loco putabat VOSSIVS, in ſphaera Aegyptiorum depictum fuiſſe Harpocratem claudicantem. *Nam*, ita vir doctiſſimus, *Chaldaeos et Aegyptios aliis formis et nominibus expreſſiſſe ſigna coeleſtia, certiſſimus teſtis eſt Hero in Aſtronomicis.* Neque eſt, vt inficias eam, figuras ſignorum et conſtellationum coeleſtium, in ſphaera Aegyptiaca, ſaepe non leuiter diſcrepaſſe a figuris Sphaerae Graecanicae. Res haec nimis nota eſt et teſtata. Sed quis VOSSIO aperuit, Aegyptios, loco Herculis Graeci, τȣ̃ ἐν γόνασι, pinxiſſe in Sphaera ſua *Harpocratem claudicantem?* Nam MANILIVM tale quid dicere non voluiſſe, quale ſibi vir doctus tantum fingit, BENTLEIVS abunde docuit. Quod ſi quis vero ea inſuper, quae Libro hoc II. cap. III. §. 11. et 10. ex traditionibus Aegyptiorum, de Hercule ipſorum, commemorauimus, relegere et attente perpendere dedignatus non fuerit, facile mihi, credo, largietur, ſignum Herculis genu nixi coeleſte, in Aegypto excogitatum fuiſſe, et ab Aegyptiis mutuo ſumſiſſe Graecos. Hic igitur Sphaera Aegyptiorum Graecanicae diſſimilis non erat.

§. 12. Magnum VOSSIVS, ex ipſo *Harpocratis* nomine Aegyptiaco, cauſae ſuae praeſidium conciliare potuiſſet, ſi veram nominis iſtius rationem perſpectam habuiſſet. Nam, quod §. 3. multis euicimus, *Arpochrat*, et addita terminatione graeca, *Arphocratos*, vel, vti communius nomen illud ſcribitur, *Harpocrates*, Aegyptiorum lingua nihil aliud ſignificat, quam *pede claudicantem.* Vtrum vero ſacerdotes Aegyptii, Harpocratem ſuum, vere et proprie claudicaſſe, perhibuerint, non equidem facile dixero, neque etiam crediderim, quaeſtionem hanc, ſiue ex monumentis antiquis, etiam num reſiduis, ſiue ex teſtimoniis ſcriptorum priſci aeui, definiri ac penitus componi poſſe. Et profecto ea in re tantum momenti

Id quod ex ipſo Harpocratis nomine probatur, et aliunde confirmatur.

menti ſitum quoque non eſt. Id ſatis ſcimus, Harpocrati notabilem pedum debilitatem fuiſſe affictam, tanquam qui, aut pedem plane non promouere, aut ſaltem nonniſi gradu lento tardoque procedere potuerit, ſiue hoc claudicationem velis dicere, ſiue nomine alio appellare. Subinnuebat hoc ex mente Aegyptiorum, tardum ſolis motum et progreſſum in Solſtitio hyberno. Id ipſum alio nonnunquam, ſed conſimili fere ſymbolo, in ſignis Harpocraticis, ſignificare ſolebant ſacerdotes. Meminit illius HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. II. c. 3. Δύο πόδες συνημμένοι καὶ βεβηκότες, δρόμον ἡλίου τὸν ἐν ταῖς χειμερίαις τροπαῖς σημαίνουσι. ***Duo pedes ita coniuncti, tanquam non duo eſſent, ſed vnus, et ſic gradum promouentes, Solis curſum, in Solſtitio hyberno ſignificant.*** Vides, ſymboli huius rationem eandem eſſe, quam prioris. Cuius enim pedes ita ſunt adunati, vti hic depinguntur, is curſum certe citius non abſoluet, quam claudicans. Hoc vero ſigillatim de Harpocrate dici, tum ex dictis ſatis pateſcit, tum etiam in *Tabula Iſiaca*, quod * iam pridem monui, diſtincte et ſcite depictum cerni poteſt. Symbolicae huic Harpocratis picturae, lucem non mediocrem adfert fabula illa ſacerdotum, de Ioue Ammone, allegorica, quam ſupra retuli, cap. II.

§. 9. Illiusque hoc eſt argumentum. ***Iupiter cum aliquando, pedibus inter ſe coniunctis et adunatis recte progredi non poſſet, eaque de cauſa prae pudore in ſolitudine vixiſſet: Iſis diſſectis et diductis iis membris, greſſum ei expediuit.*** In hoc apologo ***Iupiter*** eſt ***Sol,*** nam vbi is ſignum arietis contigerat, ab Aegyptiis nomine ***Ammonis***, vel ***Iouis***, ſolenniter in Aegypto colebatur. ***Soli*** huic, vel ***Ioui***, pedes principio dicebant fuiſſe indiſcretos, connatos veluti et adunatos, vt commode progredi integrum ipſi haud eſſet. Hic eſt

* Miſcellanea Berolinenſia Tom. VII. p. 378. 379.

eſt Sol *Harpocrates*, in Solſtitio hyberno, poſt renouationem, ac renaſcentiam, principio *pede claudus*. Vbi vero incrementa lucis ſolaris atque caloris, omnibus manifeſtiora euaſerunt, et iam maiorem in modum ſentiuntur, circa Aequinoctium vernum, greſſus ei eſt expeditus, vocaturque tum ab Aegyptiis *Amun*. Hanc auſim dicere, eſſe veram nominis *Harpocrates* interpretationem, et genuinam claudicationis, quae in illo notatur, explicationem.

§. 13. Cur vero *Harpocrati*, id eſt *Soli* hyberno renato ac renouato, tributa fuerit claudicatio, ſcientiae Aſtronomicae ſtudioſi omnium optime exponere nobis poſſunt. Ex eorum praeceptis, PLVTARCHVS in librum *de animae procreatione e Timaeo* haec tranſcripſit p. 1028. Τοῦ δὲ ἡλίου περὶ τὰς τροπὰς ἐλάχιστα, καὶ μέγιστας περὶ τὰς ἰσημερίας, ἔχοντος κινήματα, δι᾽ ὧν ἀφαιρεῖ τῆς ἡμέρας, καὶ τῇ νυκτὶ προστίθησιν, ἢ τοὐναντίον. *Cum autem motus Solis circa Solſtitia ſint minimi, maximi vero circa aequinoctia, quibus diei quantitas augetur, noctis vero minuitur, aut vice verſa*. Audiamus GEMINVM, Aſtronomum non infimi nominis, in *Elementis Aſtronomiae*, doctrinam hanc verbis ſequentibus tradentem. Ea breuitatis ſtudio, e graeco latine verſa hic appono*. *Incrementa dierum et noctium, non ſunt in omnibus ſignis aequalia; ſed circa Solſtitia omnino ſunt parua, atque inſenſibilia: ita, vt fere usque ad dies 40. eadem magnitudo dierum et noctium permaneat. Nam et accedens, et rurſus diſcedens Sol a punctis Solſtitialibus, efficit inſenſibiles, ſecundum latitudinem, acceſſus, vt conuenienter, vsque ad praedictam dierum multitudinem, quoad ſenſum, ſolis mora fiat.* Alia ad hanc rem facientia e veterum ſcriptis allata inuenientur Lib. II. cap. II. §. 9. quibus adiici

Ratio, cur Harpocrati affingeretur claudicatio, explicatur.

* PETAVII Vranologiam p. 25.

adiici poterit CLEOMEDES de Meteoris Lib. I. cap. 6. Ex recentioribus vnicum tantum his addo ROBERTVM BALFOREVM, eruditum inprimis Cleomedis Commentatorem, qui in obſeruationibus ad illum p. 183. ita ſcribit. *Sol itaque in Zodiaco, per medios parallellos iter faciens, veluti per ſemitam ductam magis ac directam expeditius currit; ſed propter Tropicos, (Solſtitia) ſiue ad eos accedit, ſiue recedit propter obliquos viarum flexus, longius moratur, et aliquot diebus ante puncta reuerſionum, et totidem poſt ea, in tropicis quaſi haerere et conſiſtere videtur, quo ſit, vt toto eo tempore, dierum magnitudines, eaedem permanere videantur.* Vides, cur Sol, in hyemali Solſtitio renatus, et mundo dehinc noua beneficia et commoda pollicitus; ſed moras tamen nectens, atque ſperatam lucis vſuram et copiam etiamnum differens, Aegyptiis *Harpocrates* vel *pede claudus* dictus fuerit. Inficias quidem non eo, cultum Harpocratis, in Aegypto, infimae vetuſtatis fuiſſe (§. 2.) quo tempore doctrina de ſolſtitiis vix ac ne vix quidem videtur ita fuiſſe exculta, atque eam GEMINVS et BALFOREVS exponunt. Neque etiam id ſignificare hic volui, etſi tamen obſeruationes Aſtronomicas in Aegypto multo putem fuiſſe antiquiores, et maioris etiam momenti, quam vulgo exiſtimatur. Quicquid vero ſit, res ipſa haec, Solem, poſtquam lux eius per aliquot menſes, decrementa ſucceſſiua fuit paſſa, reuerti ad nos, nouamque lucis copiam tum nobiscum communicare; ſed reuerſionem eius eſſe tardigradam et morarum plenam, latere ipſos non magis poterat, quam gentes terrae reliquas omnes, quae ex diuturna experientia diſcere id ſatis potuerunt. An non credibile eſt, homines, lucis caloriſque ſolaris cupidos, ac morae, quam trahebat, impatientia ductos, ſaepe ita cogitaſſe, vt Poëta de luce diurna canit.

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris
Caeſare venturo, Phoſphore redde diem.

Quid

Quid igitur mirum, quod ſolem voto tardius aduenantem, et gaudia deſiderata diu denegantem, aut de die in diem differentem, appellarent *pede claudum*?

§. 14. Cum ſymbolicus ille de Sole loquendi modus, quem in Aegyptiis obſeruauimus et explicuimus, rei ipſi et experientiae tam bene conueniat, mirandum profecto non eſt, quod etiam aliae gentes, licet barbarae, in cogitationes, his admodum ſimiles, inciderint, quae etiam in Theologiam ipſorum antiquam, ad viciſſitudines naturae in mundo annuas, fere totam attemperatam, ſeſe inſinuarunt. Gemina certe iis, quae de Harpocrate Aegyptio obſeruauimus, ſunt, quae ex Phrygum et Paphlogonum Theologia nos docet PLVTARCHVS, *de Iſide et Oſir.* p. 378. *Φρύγες τὸν θεὸν οἰόμενοι χειμῶνος καθεύδειν, θέρους δὲ ἐγρηγορέναι, τότε μὲν κατευνασμοὺς, τότε δὲ ἀνεγέρσεις βακχεύοντες, αὐτῷ τελοῦσι. Παφλάγονες δὲ καταδεῖσθαι καὶ καθείργνυσθαι χειμῶνος, ἦρος δὲ κινεῖσθαι καὶ ἀναλύεσθαι φάσκουσι.* *Phryges deum* Solem, *opinantes hyeme dormire, aeſtate vigilare, hyeme ſopitiones ei, aeſtate excitationes, bacchando celebrant. Paphlagones vinciri eum atque coërceri hyeme, vere moueri et ſolui aiunt.* Num, obſecro, doctrina haec Paphlagonum Phrygumque de Sole ſymbolica a traditionibus Aegyptiorum de Harpocrate, et Ioue Ammone, vel hilo differt? Superſunt huius generis alia, in fabulis ſacris variarum gentium de Diis ſuis. Sed tempus eſt, vt diſputationi huic paulo longiori nunc tandem finem imponam.

Aegyptiorum hac in re cum gentibus aliis conſenſus.

CAP.

* *

CAP. VII.

De Mendete, Esmuno, et Antaeo, ſiue Pane Aegyptiorum.

§. I.

Mendetem, Numen Aegyptiorum, cuius Symbolum erat hircus, Graeci Panem interpretantur.

Vt librum hunc, de Diis Aegyptiorum, quorum reſpectus ad ſolem eſt, rite abſoluam, vnum hoc ſupereſſe mihi arbitror, vt, quae ad explicandum et illuſtrandum *Mendetis*, ſiue *Panis* Aegyptiorum Numen facere mihi videbuntur, nunc adiiciam. Et nomen quidem *Mendes*, ita Numen illud vocatur, originis Aegyptiacae eſſe, nemo diffitetur. In eo quoque magnus eſt ſcriptorum veterum conſenſus, *Mendes* tale eſſe Aegyptiorum Numen, quod Graeci *Panem* interpretentur. Plerique, qui id nos docent, addere ſolent, nomine iſto Aegyptiaco *Mendes*, deſignari non modo *Panem* Deum; ſed etiam *hircum* animal, eo quod in Praefectura Mendeſia, hircus Dei huius fuerit ſimulacrum, ab incolis impenſa religione cultum. HERODOTVS Lib. II. cap. 46. *καλέεται δὲ ὅτε τράγος, καὶ ὁ Πὰν αἰγυπτιστὶ μένδης. Vocatur autem et hircus et Pan, Aegyptiace Mendes.* Auctor *Etymologici magni*, in voce Μενδήσιος. Μένδης λέγεται παρ' αἰγυπτίοις ὁ Τράγος. *Mendes hircus dicitur apud Aegyptios.* SVIDAS in voce Μένδην. Οὕτω καλοῦσι τὸν Πᾶνα αἰγύπτιοι, ὡς τραγοπρόσωπον. Τῷ καὶ τὸν τράγον τῇ αὐτῶν διαλέκτῳ οὕτω καλεῖν. *Mendem Aegyptii dicunt Panem, vt qui vultu fingatur hircino. Nam hircum lingua eadem ſic quoque nuncupant.* NONNVS, quisquis demum auctor ille fuerit, in collectione hiſtoriarum ad Gregorii Nazianzeni inuectiuas in Julianum Lib. II. hiſt. 27. p. 169. Edit. graec. Eton. Τὸν πᾶνα Μένδητα

καλοῦσιν

καλοῦσιν οἱ αἰγύπτιοι, διὰ τὸ καὶ τὸν τράγον τῇ διαλέκτῳ Μένδητα καλεῖν. Ὁ δὲ Πὰν τραγοπρόσωπός ἐστι. Σέβονται οὖν οὕτω τὸν Μένδητα τοῦτον, ἤτοι τὸν Πᾶνα, ὥστε μηδὲ γεύεσθαι αἰγῶν, διὰ* τὸ εἶδος ἔχειν τῶν αἰγῶν τὸν Πᾶνα, τὸν αὐτῶν θεόν. *Aegyptii Panem vocant Mendetem, quoniam lingua ipſorum Mendes hircum ſonat. Pan vero hic hircinam faciem habet. Et tanta religione Mendetem hunc ſiue Pana colunt, vt etiam a capris omnino abſtineant, quod nempe Deus ipſorum formam caprinam habeat.* Si quis praeter allata, etiam plura deſideret, inueniet ea copioſe congeſta** a BOCHARTO, virisque doctis aliis. Ex his igitur veterum teſtimoniis, colligere eſt, 1) Aegyptios vetuſtos Deum coluiſſe, lingua patria *Mendes* vocatum, quem Graeci *Panem* interpretari conſueuerint. 2) Dei huius ſimulacrum, a Mendeſiis ſancte cultum, fuiſſe hircum viuum, in cuius honorem, incolae Praefecturae Mendeſiae, ab hircis et capris penitus ſe abſtinuerint, et animalia haec, tanquam Numini ſuo tutelari, ſingularem in modum conſecrata, vehementer reueriti ſint. 3) Deum vero illum nomine *Mendes* cultum fuiſſe, eo quod *Mendes* hircum ſonet, animal, quod Aegyptii exiſtimabant viuum quoddam huius ſui Dei ſimulacrum.

§. 2. Poſtremum hoc ante dimittere non poſſum, quam propius excuſſero, et ſub examen vocauero. HERODOTVS deceptus, neſcio quo errore, primus memoriae prodidit, *Mendes* lingua Aegyptiorum ſonare *hircum*, forte quia nouerat hircum ſacrum Mendeſiorum, appellari nomine Dei, *Mendetem*, viuam quippe eius imaginem. Hic videtur eſſe fons erroris, in

Mendes Aegyptiis hircum non ſignificat; ſed eſt nomen Dei ſymbolicum.

* Locum hunc nonnihil vitioſum, ita correxi.

** BOCHARTVS Hierozoic. Part. I. Lib. II. c. 43. cui iunge HOLSTENII notas in Stephanum p. 204. b. et MARSHAMI Canonem Chron. p. 65. 66.

in quem pater ille hiſtoriæ, Graecos reliquos fere omnes induxit. Secutus eſt hoc KIRCHERVS, qui magnam linguae Copticae ſcientiam prae ſe tulit, in qua tamen re ipſa hoſpes plane erat. Is enim in *ſcala magna*, ſiue Dictionario Coptico-Arabico, pag. 164. fidenter ſcribere auſus eſt. ⲠⲒⲘⲈⲚⲆⲎⲤ, *hircus*, tanquam id in Codice Petri Vallenſis inueniſſet. Auctoritate *Scalae* huius Kircherianae permotus BOCHARTVS, ſcribere quoque non dubitauit*. *Nempe* ΜΕΝΔΗC, *vnde oppido et Nomo fuit nomen, Aegyptiace hodieque hircum ſonat.* Et quis miretur, his alios etiam eruditos aures praebuiſſe patulas. Certum tamen eſt, vocem talem ΜΕΝΔΗΣ, nuſpiam in vllo Coptorum Scripto antiquo legi aut inueniri. In verſione librorum S. Scripturae, Vet. et Noui Teſtamenti, τράγος, *hircus*, ſemper a Coptis redditur ⲂⲀⲢⲎⲒⲦ, (*Bareit*) Leuit. IV, 23. Num. VII, 16. Hebr. IX, 12. 13. 19. *Capra* vero, αἴξ, ab iisdem vertitur ⲂⲀⲈⲘⲠⲒ, (*Baempi*) Leuit. III, 12. IV, 28. Hebr. XI, 37. Id vero hic ante omnia animaduertendum arbitror, quod priſcis Aegypti incolis, litera Ⲇ prorſus incognita atque inuſitata fuerit. Neque extat in Coptorum libris vox vlla, originis verae et genuinae Aegyptiacae, in qua litera illa compareat. Inuenitur in illis tantum, quas Aegytii a Graecis tractas, vſu diuturno ſuas fecerunt, et quas linguae vtriusque probe perito, a vere Aegyptiacis diſcernere, facillimum eſt. Cumque alia porro, certiorque vocis *Mendes* ſignificatio et etymologia oſtendi poſſit, illius prioris cordati peritique iudices, nullam profecto habebunt rationem, vt quæ ſtudioſum veritatis indagatorem, perturbare tantum, inque deuia ſeducere apta nata ſit. Solenne eſt Graecis, linguae Aegyptiacae inex-

* *Hierozoico* Part. I. col. 641.

inexpertibus, et veram indolem Theologiae illius ſatis ignorantibus, ſimiles plures, etiam in aliorum Deorum nominibus, committere errores. Sic nugantur, *Bubaſtin* Aegyptiis dici *felem*, quia illi *Bubaſtin* ſuam felis ſpecie fingebant. Pari modo nobis perſuadere conantur, *Anubim* Aegyptiace ſonare *canem*, non alia de cauſa, quam quod Dei huius in Aegypto ſymbolum eſſet *canis*. Poſtremum hunc de Anubide, popularium ſuorum errorem correxit PLVTARCHVS, etſi ipſe graecus, in libro *de Is et Oſir.* p. 355. *Etenim nomen, quod* Aegyptii *tribuunt Mercurio* (Anubidi) *proprie non canem ſignificat, ſed ob cuſtodiendi et vigilandi ſtudium, quod cani ineſt, ac ſapientiam — hoc animal callidiſſimo Deorum accommodant.* Sapienter, et ipſa veritate duce, iſtud pronuntiauit auctor optimus, etſi tamen dubitari queat, vtrum indolem genuinam ſymboli illius, de qua loquebatur, aſſecutus fuerit, in quod alio loco inquiremus. Eundem vero plane ad modum, judicandum eſt de nominibus *Bubaſtis*, *Mendes*, et ſimilibus. Certum igitur firmumque eſto, *Mendes* Aegyptiis non dici *hircum*, ſed eſſe nomen Symbolicum Numinis Aegyptiorum ſancti, etſi tamen Numinis huiuſce ſymbolum voluerint eſſe hircum, cuius rei rationem mox ſuo loco aperiemus.

§. 3. Ex locis veterum, §. 1. allatis, colligere licet, aliquos eorum exiſtimaſſe, *Mendetem* Aegyptiorum, faciem tantum habuiſſe hircinam, quae corpori formae humanae, aut alicuius animalis, pingi ac ſuperimponi potuerit. Id autem, vt cum veritate congruat, non ſine grano ſalis accipi debet. A more Aegyptiorum alienum non eſt, vt credamus, priuatos Dei huius cultores, ſimulacra eius domeſtica ſibi finxiſſe, aut totum hirci corpus, aut caput eius tantum repraeſentantia, qualia etiam cadaueribus defunctorum, condiendis ac ſepeliendis adiungi ſolebant. Et in

Mendetis in Praefectura Mendeſia culti, ſimulacrum erat hircus viuus.

in aliis quoque, extra Praefecturam Mendeſiam, Templis, vbi id ſacerdotes e re ſua arbitrabantur, potuit, non hircus viuus, ſed hirci aliquod ſignum pictum aut fictum, vel ſtatua, facie hircina inſignis, adorationi populi offerri. Sedes propria Deo huic *Mendeti*, cultuique eius dedicata erat Praefectura Mendeſia in Aegypto inferiori, in cuius metropoli Thmui, quae et a Numine tutelari Mendes dicebatur, Templum in eius honorem conſtructum erat, magnitudine et ſplendore inclytum,† cuius hodieque ſuperſunt rudera ſatis ampla. Hic igitur *Mendes* religioſiſſime colebatur. Et ſimulacrum Dei in hoc Templo, magna veneratione adoratum, hircus erat viuus. In huius vero gratiam, vt honos ipſi haberetur tanto maior, omnia iſtius generis animalia, et hirci et caprae, ſacroſancta reputabantur, vt proinde illorum carne veſci, ſummum eſſet piaculum. Eam ob cauſam Mendeſiorum nummi, non hirco tantum; ſed et capra ſignatos videmus. Talis mihi nunc in IOH. VAILLANTII Aegypto Numiſmatica p. 209. occurrit, etſi editor celeberrimus, in eo hircum ſibi deprehendiſſe viſus ſit. Quo diligentius vero nummi huius ectypum inſpicio, eo certior fio, non hircum, ſed capram, oculis noſtris, obiici. Cuius rei, qui nummi huius, ſub Hadriano Imp. percutiendi auctores fuere, rationes videntur habuiſſe ſingulares, quas nonniſi diuinando aſſequi poſſumus. Nam etſi Mendeſiorum leges, capras e hircis genitas, hircorumque vxores, in gratiam *Mendetis*, iuberent ſacras eſſe et haberi, maior tamen erat hirci reuerentia. Et verum *Mendetis* ſymbolum, non capra erat, verum hircus, idque nitebatur rationibus ſacrorum, quas infra exponemus. Id et HE-

RODO-

† Le P. SICARD, dans les nouveaux Memoires des Miſſions, Tom. VII. p. 167. Vide et P. LVCAE hiſtoriam peregrinationis vltimae Part. I. p. 286.

RODOTVS obſeruat Lib. II. cap. 46. Σέβονται δὲ πάντας τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τὰς ἔρσενας τῶν θηλέων. *Mendeſii venerantur omnia animalia caprini generis; ſed capros tamen mares plus quam foeminas.*

§. 4. Eſt aliquid prorſus ſingulare, et alias fere inauditum, quod de hirco Mendeſiorum, in Templo Thmuetano, diuinis honoribus culto, Scriptores quidam, et ſane ex antiquioribus, memoriae prodiderunt. Et credi profecto non poſſet, vſque adeo leges pudoris violat, niſi id teſtarentur ſcriptores optimi, quorum fides in dubium vocari nequit. Ego, quoniam res haec ad intelligendam veram Numinis huius indolem aliquid confert, ea tantum veterum teſtimonia hic apponam, quae Theologus laudatiſſimus, magnumque Galliae ſuae ornamentum, SAM. BOCHARTVS * in Hierozoico mihi ſubminiſtrat. Nempe Thumi in Templo Mendetis, mulieres hirco huic ſe ſubmittebant. Tempore PINDARI Poëtae, qui annis circiter quingentis ante Chriſtum floruit, fama huius rei, in Graecia videtur fuiſſe percelebris, quod hi epici verſus teſtantur, a STRABONE allati Lib. XVII. p. 551.

De illius conſuetudine cum mulieribus mira narrant veteres.

Μένδητα παρὰ, κρημνὸν θαλάσσης
Νείλου κέρας, αἰγίβατοι
Ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.
Mendetis ad vicina mari praecipitia,
Cornuque Nili extremum, qua ſalax caprae
Maritus humanam audet inire foeminam.

Aetate STRABONIS, qui verſus hos ſeruauit, conſuetudo tam pudenda abrogata dudum erat. Etſi is enim Aegyptum totam peragraſſet, rei tamen huius, tanquam mirandae, ex PINDARO tantum meminit. ARISTIDES Rhetor, in *Aegyptio* (p. 96. a. Edit.

 graec.

* Parte I. Lib. II. cap. LIII. col. 642.

graec. Florent.) Pindarum mendacii quoque reum peragit, ſed ex eo tantum, quod Mendetem vrbem ad praecipitia maris locet, cum ſit mediterranea. Pindaro notum erat oſtium Nili Mendeſium, ' quod *κέρας*, *cornu* vocat, ſicuti THVCYDIDES Lib. I. p. 72. Edit. Wechel. idcoque arbitrabatur, vrbem hanc imminere mari. Rem ipſam vero, quam de Mendeſia vrbe PINDARVS narrat, falſi ARISTIDES minime coarguit. Et certe, quo tempore Aegyptus Perſiae regibus parebat, conſuetudo illa nondum ſublata erat. De ea enim HERODOTVS teſtatur Lib. II. c. 46. Ἐγένετο δ' ἐν τῷ νομῷ τούτῳ ἐπ' ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας· γυναικὶ τράγος ἐμίσγετο ἀναφανδόν. Τοῦτο ἐς ἐπίδειξιν ἀνθρώπων ἀπίκετο. *In Praefectura Mendeſia contigit hoc mea memoria prodigium: Hircus cum muliere coiit propalam, huiusque rei videndae hominibus copia facta eſt.* Si porro PLVTARCHO credimus, ſpectaculum adeo abominandum, eius etiamnum aetate, in Aegypto infrequens non erat. Ita enim ſcribit in *Gryllo* p. 989. Ὁ Μενδήσιος ἐν Αἰγύπτῳ τράγος, λέγεται πολλαῖς καὶ καλαῖς συνειργνύμενος γυναιξὶν, οὐκ εἶναι μίγνυσθαι πρόθυμος, ἀλλὰ πρὸς τὰς αἶγας ἐπτόηται μᾶλλον. *Mendeſius in Aegypto caper, incluſus cum multis ac formoſis mulieribus, ad congreſſum procliuis non videtur, ſed capras deſiderat.* Verum haec forte PLVTARCHVS, apud ſcriptorem antiquiorem lecta, ad ſua tempora tranſtulit, ceu etiamnum recepta. Perſpici etiam ex his poteſt, quam antiquus fuerit turpis ille et deteſtandus hirci Mendeſii, in Aegypto, cultus. Neque etiam a veri ſpecie adeo abhorret, quod * viris doctiſſimis placere

' BOCHARTVS Hierozoico Part. I. col. 641. MARSHAMVS Canone Chronico p. 162. SPENCERVS de Legibus Hebr Lib. III. p. 474. Edit. Belgic. CLERICVS in Leuit. XVII. 7.

placere video, cultum *Mendetis* in Aegypto, exitu Iſraëlitarum ex eadem regione extitiſſe antiquiorem, cum Lex Moſaica Leuit. XVII, 7. eum abominetur, et abolitum velit. Sed haec ſuo loco nunc relinquo.

§. 5. Quamobrem antiquiſſimum hoc gentis Aegyptiacae Numen, Graeci ſemper interpretentur *Panem* coniectu difficile non eſt. Fauet eorum interpretationi, forma Numinis, ſpeciesque externa. Pan enim Graecorum * hircinis cornibus pedibusque et cauda etiam fingebatur. Quam ſimilis *Pani* huic fuerit Aegyptiorum *Mendes*, pluribus exponere opus non eſt. Hanc ſimilitudinis, inter Numen vtrumque rationem videmus HERODOTO etiam obſeruatum Lib. II. c. 46. Accedit ad hoc, quod Graeci *Panem* ſuum † *ſpermaticum*, ideoque †† ſalacem, et libidinis ſtimulo incenſum finxerint. In quo, quam bene illi cum Aegyptiorum *Mendete* conueniat, ex §. 4. conſtare potuit et ſequentia luculentius docebunt. Si tamen haec, quae dixi, excipias, in ceteris maximum eſt, inter gentis vtriusque Numen, diſcrimen. In ** vulgari Graecorum Theologia, *Pan*, montium, nemorum, ac ſpeluncarum cuſtos, cum comitibus Satyris ac Faunis, numero Deorum maiorum excluſus, honore et cultu Semideorum contentus aeuum agere debuit. Aſt Mendeſii in Aegypto, Deum ſuum tutelarem, inter primos

Ratio indicatur, ob quam Graeci Mendeta Panem interpretentur.

* LVCIANVS in Dialogo Panis & Mercurii, Edit. Salmur. Tom. I. p. 175.

† In Epigrammate *Anthologiae* Lib. IV. cap. XIII. 476. Edit. Wechel. dicitur Pan ὁ πολύσπορος, *ſemine abundans*. Adde PHVRNVTVM de Nat. Deor. cap. 27.

†† EVSTATHIVS in Iliad. Λ. p. 827. circa med. Πᾶνά φασι τὸν καταφερῆ (ita legendum) καὶ συνουσιαστικόν. *Panem dicunt ſalacem, & ad coitum procliuem.* PHVRNVTVS loc. cit.

** Nam doctrina de *Pane* Orphica, et vetuſtiorum in Graecia Theologorum, eadem fere erat cum Aegyptiaca, ex

primos principesque Deos ſemper connumerarunt, eundemque apud alios etiam Aegyptos, ſummo in honore, nullo non tempore, habitum fuiſſe, teſtimoniis veterum fide dignis conſtat. Teſtem do HERODOTVM, qui Lib. II. c. 46. haec refert. *Pana inter octo Deos Mendeſii numerant, quos octo aiunt priores duodecim diis extitiſſe.* A Mendeſiis, qui Numen *Mendetis*, ſub hoc nomine, primi videntur reveriti, cultus eius poſtea ad alios quoque Aegyptios tranſiit. Quod ſcriptor idem in his innuere videtur c. 145. *Apud Graecos nouiſſimi Deorum eſſe cenſentur Hercules Bacchus et Pan. At apud Aegyptios, Pan vetuſtiſſimus eſt, etiam ex octo Diis, qui primi dicuntur.* Et cui rerum harum ſtudioſo ignota eſſe poteſt *Panopolis*, vrbs quondam ſuperioris Aegypti celeberrima et maxima, cui a Pane, ſumma hic religione culto, nomen inditum eſt? Nolo tamen diſſimulare, ſic mihi videri, *Panem* in hac Aegypti ſuperioris vrbe cultum, ab hirco Mendeſio inferioris Aegypti aliqua ratione diuerſum fuiſſe, cuius meae ſuſpicionis rationem infra reddam. Succurrit nunc, quod haud ita pridem legi * in itinerario, viri de antiquitatibus Aegypti praeclare meriti, RICH. POCOCKII, ipſi, dum rudera Templi cuiuſdam antiqui, in Aegypto ſuperiori, forte Crocodilopolitani, auidis oculis luſtrat, viſum quoque fuiſſe ſignum viri cuiuſdam, cui caput hircinum impoſitum erat, indicio manifeſto, in illo Templo, *Mendetem* quoque honores habuiſſe diuinos, cultumque. Et quid pluribus opus eſt? quando DIODORVS, qui ipſe totam

qua & profluxerat. Illius aliquas reliquias videbis in Hymno, qui ORPHEO tribuitur, in Panem. Adde PHVRNVTVM de nat. Deor. cap. 27. et DAMASCIVM, in WOLFFII Anecdotis Graecis Tom. III. p. 255.

* Tomo primo, ſiue *Obſeruations on Aegypt.* p. 12.

tam Aegyptum perreptauerat, teſtatur Lib. p. 16. *Pana in praecipua apud Aegyptios veneratione eſſe, eique ſimulacra in omni paſſim fano conſtructa eſſe,* et eodem libro p. 78. extr. 79. *Sacerdotes, ad quos iure haereditatis a patribus ſacerdotia perueniunt, in Aegypto, iſti Deo primum initiari.*

§. 6. Tantus hic tamque ſanctus Aegyptiis Deus, quidnam re ipſa deſignat? cuius rei ſymbolum hircus ille Menedeſius fuit? aut quidnam in eo populum venerari iuſſerunt ſacerdotes? Voluerunt nempe illi hirci emblemate adumbrare *vim ſatiuam* et *genitiuam*, quae in natura obſeruatur: vel fuit hircus ille ſymbolum ſacrum foecunditatis et fertilitatis, qua mundus noſter conſeruatur ac perpetuatur. SVIDAS paucis id complectitur in articulo Μένδην. Τιμῶσιν αὐτὸν, ὡς ἀνακείμενον τῇ γονίμῳ δυνάμει — ὀχευτικὸν γὰρ τὸ ζῶον. *Hircum Mendeſium colunt Aegyptii, eo quod virtuti prolificae ac genitiuae conſecratus eſt. — Nam animal hoc coitus valde cupidum eſt.* Iungendus huic NONNVS in Collectione hiſtoriarum ad Gregorii Nazianzeni inuectiuas, Lib. II. c. 28. p. 169. extr. 170. Λέγουσι δὲ οἱ Αἰγύπτιοι, τῆς μίξεως ἔφορον εἶναι τὸν Πᾶνα. ἔνθεν καὶ τραγοσκελῆ αὐτὸν ποιοῦσι διὰ τὸ κατωφερῆ εἶναι τὸν τράγον περὶ μίξεις, ὃν καὶ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι Μένδητα. *Aegyptii dicunt, Panem eſſe Praeſidem coitus: vnde etiam eum cruribus hircinis fingunt, quoniam hircus ad Venerem procliuis eſt. Aegyptii eum Mendetem vocant.* Neque rem hanc praetermittere potuit HORAPOLLO, qui ſymbolum hoc Aegyptiorum ita explicat, *Hieroglyphic.* Lib. II. c. 48. Αἰδοῖον δὲ ἀνδρὸς πολυγόνου δηλοῦντες, τράγον ζωγραφοῦσιν — τράγος γὰρ ἑβδομαῖος μετὰ τὴν γένεσιν γενόμενος, ὀχεύει — βιβάζει δὲ πρῶτον τῶν ἄλλων ζώων. *Genitalia viri admodum foecundi ſubindicaturi, hircum pingunt — hircus enim ſeptimo iam a natiuitate die congreditur. — Prius omnino*

Mendes Aegyptiis ſymbolum erat facultatis ſatiuae et genitiuae, quae in Natura cernitur.

ac celerius ceteris animantibus coit. Quis non perſpiciat, hanc eſſe rationem, quod mulieres Mendeſiae, etiam honeſtae et pudicae, hirco deo ſuo tutelari, ſed adeo in Venerem prono, atque foecunditatis omnis auctori, corpora ſua ſubmittere non vererentur, eumque hac ſua patientia ſibi propitium reddere crederent, idque etiam honori ſibi ducerent. Vide §. 4. Quid enim religio prava et veſana non potuit ſuadere malorum? Accedat vltimo loco, hoc DIODORI *Siculi* teſtimonium, ex Lib. I. p. 78. 79. *Hircum ob genitale membrum, inter Deos Aegyptii retulere, — animal enim hoc in Venerem eximie propenſum eſſe ferunt, et membrum illud corporis, generationis inſtrumentum, honore cultuque dignum, quod ab eo natura animantum ortum ſuum deriuet — Sacerdotes, ad quos iure haereditario, ſacerdotia a patribus perueniunt, in Aegypto iſti Deo primum initiantur.* Idem diligentiſſimus ſcriptor dixerat p. 16. *Pani ſimulacra in omni paſſim fano*, per Aegyptum, *conſtructa eſſe.* Non vero apparet ex ruderibus Templorum, quae paſſim in itinerariis peregrinatorum delineata proſtant, figuram hirci frequenter adeo occurrere, atque DIODORVS perſuadere nobis voluit. Sed non erat vllum Templum, in quo non figura crucis anſatae, vt eam eruditi vocant, ſaepius viſenda occurreret, hodieque in ruderibus ac ruinis etiamnum occurrat. Eius haec eſt ſpecies* ♀. In *Tabula*, quae appellari ſolet *Iſiaca*, pleraeque Deorum Dearumque imagines, cruce hac anſata ornatae cernuntur. Et ſacerdotes quoque Aegyptii, eandem praeferre ſolent, ſicuti in eleganti iconiſmo, quem in *Muſeo Romano* vulgauit * *Cauceus.* Crucem vero iſtam anſatam, quae in omnibus Aegyptiorum Templis ſaepius ficta et picta extabat, quam ſigna

* MICH. ANGE de LA CHAVSSE, grand Cabinet Romain Part. II. Num. XXXVI. fol. 62. Edit. Amſt. 1706.

ſigna Deorum Aegyptiorum manu tenere ſolent, quaeque partem facit ornatus ſacerdotalis, nihil aliud eſſe, quam *phallum*, de quo etiam DIODORVS *Siculus*, loc. cit. prolixe verba fecerat p. 78. 79. haud ita pridem docuit *, vir harum rerum, ſi quisquam alius, inſigniter peritus, et iudicando ſagax. Veroſimile ergo mihi fit, cruces iſtas anſatas, vel phallos, rudi minerua, arteque ſacerdotali forte ſic effictos, ne illico a quouis noſci poſſent, eſſe illa Panis ſimulacra, de quibus DIODORVS loquitur, in omnibus per Aegyptum totam Templis viſenda, quibus ſacerdotes omnes initiari oportebat. Id igitur ſymbolo hirci *Mendetis*, ſacerdotes ſubindicare voluerunt.

Confirmat hoc ipſum nomen Aegyptiacum Mendes, ſignificans prolificum et foecundum.

§. 7. Pondus non exiguum, iis quae dixi, addet ipſum *Mendetis* nomen, ſi recte explicetur. Sciendum igitur, Aegyptiis ⲦⲰϪⲤ (*Toſi* vel *Todſi*) ſignificare φυτεύειν, *plantare*, Sic vitem *plantare* Pſalm. LXXXV. 8. aurem *plantare*, Pſ. XCIV. 9. in verſione Coptica MSS. quae Berolini extat, in Bibliotheca regia ſemper redditur ⲦⲰϪⲤ. Vide et 1. Cor. III. 7. 8. Notum vero eſt **, φυτεύειν, Graecis ſaepenumero idem eſſe, quod *gignere*, vel *generare*. Sic SOPHOCLES in *Oedipo Tyranno* v. 803.

Φονεὺς δ᾽ ἐσοίμην τȣ̃ φυτεύσαντος πατρός.

Patremque occiderem, qui me (plantaſſet) *genuiſſet.*

Et ibidem v. 1017.

Ἀλλ᾽ ȣ̓́ποτ᾽ εἶμι τοῖς φυτεύσασιν γ᾽ ὁμȣ̃.

Sed nunquam tamen ad (plantantes) *genitores meos eo.*

Qualia exempla in eadem Tragoedia ſaepius recurrunt.

* Mr. LA CROZE hiſtoire du Chriſtianisme des Indes p. 431.

** Hinc MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XII. ait de anima: *in orbe Mercurii producit* φυτικὸν, *id eſt naturam plantandi et augendi corpora.*

runt. Similiter etiam IVLIANVS in *Anthologia* Epigrammatum Lib. I. c. XIII. num. 12.

Ἔνθεν θάῤῥος ἔχων, Ζῶε, φύτευε γένος.

Vnde animo confidens viue, et planta genus.

OPPIANVS in principio Cynegeticon v. 4.

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

* *Quem magna magno peperit Domna Seuero.*

Graeci igitur φυτεύειν, dicunt et *gignere*, et *parere*, et φυτεύσαντας, *genitores*, *parentes*. Cum voci, huic graecae, apud interpretes Coptos, reſpondeat Aegyptiaca ⲦⲰϪⲤ, apparet, illam etiam ſignificare *gignere*, vel *gignendo producere*. Certum porro eſt, in Coptorum lingua, vocales mirandum in modum inter ſe permutari. Indoli igitur illius linguae non aduerſatur, pro ⲦⲰϪⲤ, dictum etiam fuiſſe ⲦⲎϪⲤ (Tedſi) et ⲦⲎϪ, (*teds* vel *tes*). Et re ipſa etiam dictum fuit. Inde enim eſt procul dubio, ⲈⲚ ⲦⲎϪ, (*Entes*) qua voce Copti interpretes reddunt τὰ ζιζάνια. Matth. XIII. 25. 26. 27. etc. Intellexerunt autem plerumque veteres, et cum his pariter Copti, nomine *Zizaniae*, *lolium*, *viciam*, omneque genus herbas infelices, et quae, vt ait VIRGILIVS *, *iniuſſa vireſcunt*, ſponte ſua magna copia proueniunt, mirumque in modum multiplicantur. Quoniam vero ſine principio ſeminali, nihil multiplicari ac propagari poteſt, Zizaniae vero vis ineſt mirifica ſe multiplicandi ac propagandi, Aegyptii eam appellarunt ⲈⲚⲦⲎϪ, quod Copti pronuntiant *Endes* et *Andes*, a ⲦⲎϪ, *plantare*, *ſerere*, quod nempe virtute *ſatiua* et *prolifica* gauderet prorſus ſingulari et admiranda. Erit igitur ⲈⲚ-ⲦⲎϪ, (*endes*) vi originis *valde prolificum* et *foecun-*

* VIRGILIVS Lib. I. Georg. 55.

foecundum, nomen hirco Mendeſio perquam opportune inditum, quod veram rationem et ſignificationem Symboli illius, dubiam eſſe non ſinit.

§. 8. Quae cum ita ſint, facile intelligitur, eum a vero non magnopere aberraturum, qui Numen hirci Mendeſii, ab Aegyptiis, ad ipſam Naturam, rerum omnium almam Parentem, relatum fuiſſe, ſibi perſuaſerit. Sed per *Naturam*, vt loqui amant Graecorum Philoſophi, vetuſtiſſimi Aegyptiorum Sapientes, intellexerunt Spiritum aeternum, infinitum, qui Chaos, ſiue materiam, ſibi coëxiſtentem, ita namque docebant, diſpoſuit, ac deinde ex illa, totum hoc vniuerſum creauit, illudque ſemper conſeruat. Spiritum hunc, mente ſua ſibi finxerant, Sapientes Nilotici, Maſculo-foemininum, quod Lib. I. c. II. prolixe ſatis docuimus. In illo igitur rerum omnium creatore ac Moderatore, totiusque Naturae almo Parente, agnouerunt virtutem aliquam maſculinam, prolificam et foecundam, cuius Symbolum potuit eſſe *hircus Mendeſius*, et aliquid foemininum, quod generali nomine *Iſidem* appellarunt. Notionem hanc Theologiae Aegyptiorum priſcae, ei cum Theologia antiquiſſima aliarum Gentium Orientalium communem fuiſſe, facile probari poteſt, idque alio loco, verbo iam tetigimus; niſi modo gentes aliae, id ipſum ab Aegyptiis traxiſſe putandi ſint. Talis etiamnum eſt Theologia Brachmanum in India, a maioribus vtique accepta, quam BARTHOL. ZIEGENBALGIVS, Miſſionis Danicae, in India, Praepoſitus quondam digniſſimus, Theologus non tantum de re Eccleſiaſtica; ſed et litteraria, praeclare meritus, in Libro I. *hiſtoriae genealogicae Deorum Malabaricorum* cap. II. expoſuit. Eam manu exaratam, ante annos fere triginta, in Bibliotheca regia Berolinenſi euoluere licuit, vnde ſequentia decerpſi, ex germanico, in latinum ſermonem nunc conuerſa. *Quandoquidem Gentiles hi,*

Potuit Mendes eſſe Symbolum totius Naturae, almae parentis rerum omnium.

ſupre-

ſupremum Ens diuinum, quatenus prorſus immateriale, mereque ſpirituale eſt, digne concipere, mentique ſuae repraeſentare nequeunt, ac inſuper reuelationis diuinae vſura carent, aut eam ſibi oblatam repudiarunt, dum cogitationibus ſuis indulſerunt, in errores multiplices lapſi ſunt, et infiniti illius Entis, conceptum ſibi finxerunt plane carnalem et materialem, cauſantes, decere Ens ſupremum, vt ſpeciem habeat viſibilem et materialem, cum ſine illa a creaturis, nec videri, nec cognoſci, adeoque nec coli aut adorari poſſit. Sunt etiam, qui dicant, Ens in vniuerſum immateriale, materialia producere non poſſe, vnde fieri aliter nequeat, quam vt Ens ſupremum, vbi ad creandum procedere voluit, ſe ipſum forma aliqua materiali circumvoluerit. Equidem ne huius quidem, quam Enti ſupremo attribuunt, formae externae materialis, conceptum ſibi formare queunt iuſtum et congruentem; ſed quoniam tamen in natura rerum obſeruarunt, creaturas omnes viuentes, ex principio aliquo maſculo et foeminino, prodire, exinde a creatura ad creatorem concludentes, imaginantur ſibi, Deum, Ens ſupremum, ex quo omnia ortum ducunt, quae exiſtunt, in ſe ipſo non poſſe non eſſe virtutem et potentiam, tum maſculinam, tum foemininam. Ex eo porro ita colligunt, Ens illud ſupremum, in ſe ipſo, virtutem maſculinam a foeminina diſcreuiſſe, ex qua veluti emanatione, tum virtus maſculina, tum et foeminina quaeuis ſeorſim, formam externam induerint. Ex hoc fonte originem deorum omnium, omniumque creaturarum deriuant. Et capite eodem, ſed pluſculis interjectis. *Figura propria, ſub qua Ens ſupremum, vbique in Templis omnibus cultu ac veneratione proſequuntur, dicitur* * Linguim, *quod ſexus vtriusque partes genitales repraeſentat, quas ceteroquin natura*

tura

* Vide et ABRAH. ROGERII *Portam apertam gentiliſmi* Part. II. c. II. p. 157. verſionis gallicae. Adde Relationes Miſſionariorum Danicorum in India Vol. I. p. 354 in notis, 371. 372. 895.

tura ſollicite occultat. Haec etſi paulo prolixiora, libenter tamen deſcripſi, quod ex iis intelligatur, quomodo veteres Indorum Philoſophi, lumine reuelationis diuinae deſtituti, ratiocinando in huiusmodi cogitationes inciderint, quibus etiam Aegytics et cum his Orientales alios indulſiſſe nouimus. Neque etiam dubio eſſe poteſt, quin Aegyptii et in vniuerſum Orientales, rationes eodem modo, quo Indorum Brachmanes, ſubduxerint. Ex hoc fonte fluxit Aegyptiorum Vulcanus, et Neitha, Dii maſculo-foeminini, de quibus Lib. I. c. II. et III. Ex eo fabulae de ſexu Deorum. Ex eodem cultus hirci Mendeſii, et crucis anſatae, ſiue phalli, cui adeo ſimile eſt *Lingum* illud Brachmanum, vt ouum ouo ſimilius eſſe nequeat.

Aut potius vere Mendes Symbolum fuit Solis omnia inſeminantis et progenerantis.

§. 9. Sunt tamen non pauca, ex quibus colligendum potius arbitror, hircum Mendeſium, ex ſententia ſacerdotum Aegyptiorum, ſymbolum extitiſſe ſolis, foecundi illius rerum in mundo genitoris et conſeruatoris, de quo EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. c. XIII. Ὁ ἥλιος σπερμαίνειν λέγεται τὴν φύσιν. *Sol inſeminare dicitur naturam.* Hoc profecto Aegyptiace diceres ⲘⲈⲚⲦⲎⲤ. Eodem modo de ſole MACROBIVS loquitur, Saturn: Lib. I. c. XVII. Res omnes *deus hic inſeminat, progenerat, fouet, nutrit, maturatque.* Et cap. XIX. *Quae figura ſignificat, Solem Mundi eſſe caput, et rerum ſatorem.* Quae omnia nomen *Mendes*, vti illud interpretati ſumus, egregie illuſtrant. Maiorem quoque in modum iis, quae dixi, fauet ipſa Aegyptiorum Theologia. Nam iuxta illam, ſi hic apud nos valet auctoritas DIODORI, L. I. p. 22. *Pan*, id eſt *Mendes*, idem eſt cum *Oſiride*, id eſt, ab Aegyptiis habebatur pro *Sole.* Ea vero, quae de *Pane* Aegyptiorum nos docuit DIODORVS (vide §. 5. 6.) argumento ſunt, ipſi doctrinam de hoc Numine Aegyptiorum ſatis fuiſſe per-

ſpectam.

ſpectam. Pertinet huc fabula origine Aegyptiaca; ſed a Graecis poſtea, non vno modo adulterata, quam ſic AMPELIVS in *libro memoriali* cap. II. commemorat *. *Quo tempore Python* (lege *Typhon*) *ſpeluncas incolens in monte Tauri* (*Tauro*) *Aegyptum profectus eſt ad bellum, Pan ſe in caprae figuram convertit. Igitur Dii immortales, poſtquam Pythonem* (Typhonem) *digna poena affecerunt, Pana aſtrorum memoria decoraverunt.* Haec enim, aliaque his concinentia, quae adferri poſſent, ſatis innuunt, Panem nihil aliud eſſe, quam Solem, Typhonis aduerſarium iuxta et victorem. Et ſimulacrum Panis, quod in vrbe *Panopoli* ſuperioris Aegypti, Numini hinc dedicatum erat, quodque STEPHANVS in articulo πανὸς πόλις deſcripſit, ad ſolem referri debere, non vno indicio certiſſime conſtat. Addere poſſum, illud ipſum Panis ſimulacrum, vti a STEPHANO deſcriptum videmus, perquam ſimile eſſe ſimulacro *Hori*, vel *Priapi*, quale ab Aegyptiis fingi conſueuiſſe, vidimus ſupra cap. IV. §. 6. quod duo haec ſigna inter ſe comparanti facile patebit. Sed ea de re mox §. 10. Deprehenderunt igitur veteres in illo Panis ſimulacro, *Hori*, id eſt *Solis*, inſignia. Et quamuis Panem cultum Panopoli, aliqua ratione a Pane Mendeſio diſtuliſſe, non negem, quod mox videbimus, in Pane tamen illo Panopolitano, ſymbola quoque hirci Mendeſii agnoſcere oportet ſatis luculenta. Quinimo *Oſiris* ipſe, ſiue *Sol*, quoties non inſignibus phallicis apud Aegyptios exornatus legitur? Et quid illa aliud nobis ſubindicant, quam eximiam, qua Oſiridi cum hirco Mendeſio intercedit, ſimilitudinem et affinitatem? Saepius hoc in libro de *Iſ. et Oſir.* obſeruat PLVTARCHVS. Sed ex pluribus hunc

* Vide et HYGINI Fab. 196. et *Scholiaſten* in *Germanici Aratea* p. 119. 120. Edit. Sant-Andr. apud quem nonnulla ex HYGINO et AMPELIO corrigi poterunt.

hunc tantum adſcribo eius locum, qui p. 371. occurrit *. Πανταχῦ δὲ καὶ ἀνθρωπομορφὸν Ὀσίριδος ἄγαλμα δεικνύουσιν ἐξορθιάζον τῷ αἰδοίῳ, διὰ γόνιμον καὶ τρόφιμον. *Multis etiam in locis oſtenditur ſimulacrum Oſiridis, humana ſpecie, erecto veretro, ad indicandam vim gignedi et alendi.* An non diceres, ſermonem eſſe de hirco Mendeſio, niſi nomen Oſiridis expreſſum videres? Ad haec, vt alia taceam, docet idem ille ſcriptor p. 365. fin. eſſe Oſiridi aliquod nomen Ἀρσαφῆς, quod ex lingua Aegyptiorum interpretatur τὸ ἀνδρεῖον. Eſt autem Ἀρσαφῆς, vt vere olim interpretabatur optimus talium rerum index B. LA CROZIVS **, τὸ μέγιον τὸ τῆς γενέσεως αἴτιον, vt verbis vtar DIODORI, loquentis de hirco Mendeſio p. 87. fin. Neque aliter indicaſſent viri eruditi, qui in vertendo aut explicando illo PLVTARCHI loco operam aliquam impenderunt, ſi gnari fuiſſent ſermonis Aegyptiaci. Nam *Arſaphes* Aegyptiis non ſonat *fortem* aut *virilem*. Sed ſine vlla qualicunque mutatione, ⲈⲢ-ϪⲰⲪⲈ, ipſis dicitur τὸ αἴτιον τῆς γένεσεως. Idque Graeci aliter, quam Ἀρσαφῆς, ſcribere aut pronuntiare nequeunt. Reſpondet voci Aegyptiacae exacte τὸ ἀνδρεῖον, ex vſu *** graecorum ſatis noto. Nihil nunc addo de PLVTARCHI toto contextu, et de ſacris Aegyptiorum, multiplici ratione, interpretationi la Crozianae fauentibus. Iam ergo nobis veram rationem et ſignificationem hirci Mendeſii plene explicare licebit. Fuit nempe ille Symbolum Solis, omnia inſeminantis, progenerantis, nutrientis et maturantis.

§. 10.

* Hoc verum eſſe non videtur, ſi legas, vt editum eſt πανταχῦ. Malo itaque legere πολλαχῦ, et ſic verti.

** Chronologie de Mr. DES VIGNOLES. T. II. p. 740.

*** LVCIANVS in Dialogo Clonarii et Leaenae Tom. II. p. 716. Edit. Salmur. HESYCHIVS in voce φαληρίς. Alia adferre piget.

De Pane, culto in Aegypto ſuperiori Panopoli eiusque ſimulacro.

§. 10. Satis de hirco Mendeſio dictum. Scimus autem, *Pani* Deo, vt cum Graecis loquar, etiam in alia Aegypti regione, Thebaide nempe, in vrbe *Panopoli*, quam Graeci ab hoc Deo, lingua ſua ita appellitant, ſacra facta fuiſſe, etſi aliud ibi eſſet Dei huius ſimulacrum ſymbolicum, isque illic non *Mendetis* nomine, verum alio gauderet. *Panopolis*, vt Graeci eam vocant, vrbibus Aegypti et antiquioribus et praeſtantioribus, annumerata ſemper fuit. Meminit eius HERODOTVS Lib. II. c. 91. qui tamen eam non graeco, ſed avito Aegyptiaco nomine *Chemmin* nuncupat. Meminerunt eiusdem * alii multi. Quae HERODOTVS de ſacris Perſeo, heroi graeco, in vrbe illa inſtitutis, deque templo ipſi dedicato, narrat, me non capere, vltro profiteor. Meris vero et puris coniecturis, quae ſane non deſunt, inhaerere velle, meum non eſt. Sed Numen hic aliquod cultum olim fuiſſe, quod Graecis placuit interpretari *Panem*, vel ipſum vrbis *Panopolis* nomen, ſatis docet. Atque id teſtatur quoque DIODORVS p. 16. In ** nummis etiam Panopolitarum, ſub imperio Romanorum percuſſis, *Panem* videmus expreſſum; ſed profecto Graecum, non Aegyptium. Neque id mirum cuiquam videri debet, cum Graecorum ac Romanorum temporibus, templa Deorum in Aegypto, Numinibus Graecis quoque patuerint, et conſecrata fuerint, quod vel ex ſolis nummis abunde colligere licet. Sed extabat in vrbe eadem, et veriſimiliter ante Ptolemaeorum aetatem, aliud *Panis* ſimulacrum, antiqua Aegyptiorum religione conſecratum, in quo ſymbola Theologiae Aegyptiorum genuinae deprehendas. Simulacrum hoc STEPHANVS, incertum ex quo ſcriptore vetuſtiori, iſtum ad

* Vide MARSHAMI Canonem p. 401. CELLARII Geograph. antiq. Africae p. 79.

** IO. VAILLANT Aegyptus Numiſmatica p. 212.

ad modum delineat, in voce Πανὸς πόλις. Ἔστι δὲ καὶ τοῦ θεοῦ ἄγαλμα μέγα, ὀρθιακὸν ἔχον τὸ αἰδοῖον. — Ἐπαίρει τε μάστιγας τῇ δεξιᾷ σελήνῃ, ἧς εἴδωλόν φασιν εἶναι τὸν Πᾶνα. *Eſt vero etiam* in hac vrbe *magnum Dei ſimulacrum, in quo apparet erectum veretrum — dextraque flagellum intentat Lunae, cuius idolum eſſe aiunt Pana.* Si quis cum hac deſcriptione *Panis*, componere dignatus fuerit illam *Priapi*, vel *Hori* Aegyptiorum, quam ex SVIDA deſcripſimus ſupra cap. IV. §. 6. fateri cogetur, vnam alteri eſſe ſimillimam. Nam quod de ſimulacro *Hori* narratur, eum dextra geſtaſſe *Sceptrum*, ſiue *virgam*, id ipſum in ſigno *Panis* innuit *flagellum*, quod in ſignis Harpocratis toties conſpicitur. Aut quod ſcriptor hic habuit pro *virga*, ille putauit eſſe *flagellum.* Reliqua explicare opus non eſt. Quid vero, dices, hoc ſibi vult, quod ſimulacrum Panis *flagellum* dicatur *intentaſſe Lunae?* Per *Lunam* auctor, quisquis fuit, haud dubie deſignauit *Iſidem*, cuius forte in vicinia templum erat, et poterat is eſſe ſitus huius ſimulacri, vt videretur flagellum extendere verſus illud templum, tanquam Iſidi in illo templo cultae minaretur. Plura enim Deorum templa, Panopoli conſtructa fuiſſe, non modo veroſimile; ſed et certum eſt; quandoquidem etiam hodie templorum * duorum ampliſſima rudera illic loci cernuntur. LVCAS HOLSTEINIVS in notis ad Stephanum p. 356. a. exiſtimabat, apud HELIODORVM, in Aethiopicis Lib. VI. p. 276. (Edit. Commelin.) commemorari Ἶσιν χεμμιάτιδα, quaſi diceres *Iſin Chemmiacam*, vel *Panopolitanam;* at vero in loco HELIODORI cit. mentio tantum eſt *Iſiados*, mulieris Aegyptiae, quae *Chemmiatis* dicitur a *Chemmi* vico quondam Aegypti inferioris. Forte vero etiam in templo

* RICHARD POCOCKE's Obſeruations on Egypt. Lib. II. c. II.

Panis Panopolitani dedicata erat ſtatua Iſidis, ea ratione collocata, vt *Pan* videretur eam ictibus flagri ſui ferire velle. Ceteroquin flagrum illud in ſignis Deorum Aegyptiorum, nunquam Iſidi, ſemper vero Typhoni, genio vel Daemoni malo et malefico intentatum eſt. Quod porro auctor ille anonymus apud STEPHANVM, auguratur, Panem illum, cuius ſimulacrum deſcripſit, eſſe *imaginem*, vel *Symbolum Lunae*, in eo vtique fruſtra eſt. Inſignia illius ſimulacri talia profecto ſunt, vt * *Solem*, non vero *Lunam* deſignent. Quis non intelligit, eo ſpectare veretrum erectum, de quo plus diximus, quam voluiſſemus, niſi id res haec exegiſſet. Quantumuis enim Aegyptii docerent, Lunam eſſe naturae Maſculo-foemininae, quod Libro I. c. III. tetigimus, Iſis tamen vbique per totam Aegyptum, honores, vti nomen, habebat Deae, non Dei: et omnia eius ſimulacra, quantum nouimus, eam nonniſi Deam ſequioris ſexus repraeſentarunt. Idem quoque de flagro, quod in ſimulacro Panopolitano vibratum a Pane fuiſſe, docemur, omnino eſt cogitandum. Iſis Typhonem ** ſiſtro abigit. Horus vero vel Harpocrates idem facit flagro, idque ei veluti proprium eſt. Cum autem Harpocrates ſit ſol, Typhon vero Daemon vel genius maleficus, quem flagro repelli credebant Aegyptii, manifeſto ad hanc eorum Theologiam alluſit PROCLVS *** *Hymno in Solem*, vbi eum ita alloquitur

Δειμαίνουσι δὲ σεῖο θοῆς μάστιγος ἀπειλήν,
Δαίμονες ἀνθρώπων δηλήμονες ἀγριόθυμοι
Ψυχαῖς ἡμετέραις δυεραῖς κακὰ πορσύνοντες.

Te

* Attentionem meretur, quod RICHARDVS POCOCKIVS in Obſeruationibus de Aegypto Lib. II. c. II. p. 77. refert, ſe in ruderibus templi Panopolitani manifeſta indicia deprehendiſſe, *Solis* illic *culti*. Templum illud erat ſine dubio templum *Panis*.

** PLVTARCHVS de Is. et Oſir. p. 376.

*** In FABRICII Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 510.

Te vero metuunt, tua ſi quid flagra minentur
Inuiſi nobis genii, ſemperque feroces
Qui miſeris moliri animis mala millia norunt.

Alludunt haec, vti dixi, et manifeſto, ad Theologiam Aegyptiorum de Sole, cuius ingentem admiratorem fuiſſe Proclum novimus; ſed quouis tamen pignore certaverim, auctorem illum, forte inuitum et imprudentem, vitulo etiam Gnoſticorum hic araſſe. Simulacrum itaque Panis Panopolitani, ſymbolum erat Solis, illudque ipſum, opinor *, quod anonymus auctor apud SVIDAM deſcribit, quodque ait eſſe *Hori* ſiue *Priapi* Aegyptiorum. Quod ſi autem Panem illum Panopolitanum cum hirco Mendeſio conſeras, facile obſeruabis, duos hos re ipſa vnum idemque ſymbolice deſignare, nec differre, niſi ſpecie externa. Symboli vtriusque, et Medeſii, et Panopolitani, vnum erat idemque ingenium, eademque ſignificatio, quae ſine dubio ratio eſt, quod Graeci et huic et illi, vnum *Panis* nomen tribuerint.

Pan cultus Panopoli, Aegyptiace dicebatur Chemmis, vel vti alii ſcribunt Iſchmun.

§. 11. Ipſi vero Aegyptii duobus his Numinibus, Mendeſio, et Panopolitano, diuerſa omnino nomina indiderunt. Quodnam fuerit Dei Mendeſii verum nomen, multis expoſuimus §. 1. et 7. Mendeſia et Praefectura, et vrbs, nomen habuit a Deo tutelari *Men*[illegible] Vti vero *Panopolis*, vernaculo Aegyptiorum ſermone dicebatur *Chemmis*, ita nomen idem quoque geſſit Deus vrbis illius Protector, a quo vrbs nomen hoc ſine dubio mutuata eſt. *Chemmeos* meminit HERODOTVS Lib. II. c. 91. et apud eum *Panopolis* nomen plane non legitur. Ex HERODOTO nomen vrbis iſtius antiquum repetit STEPHANVS, in voce χέμμις, qui tamen interpretationis cauſa non addit, hanc eandem eſſe Graeciſque dici *Panopolin.* Sed PLVTARCHVS ex Theologia Aegyptiorum fabulari narrat*, Panas et Satyros, quos Graecia men-

 dax

* Supra cap. IV. §. 6.

dax capripedes ſinxit, habitaſſe circa * *Chemmin.* Quis eſt, qui non illico perſpiciat, deſignari in illis fabulis vrbem, quam Strabo Lib. XVII. p. 559. Πανῶν πόλιν, *Vrbem Panum* appellat. Sed dubium omne, ne quis ceſpitare poſſit, aufert DIODORVS, qui in Aegypto ipſe fuit, vbi haec de *Pane* habet p. 16. Τέτῳ καὶ πόλιν ἐπώνυμον κατὰ τὴν Θηβαΐδα πεποιηκέναι, καλεμένην μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων χέμμιν, ἢ χεμμώ, μεθερμηνευομένην δὲ Πανὸς πόλιν. *Dicunt etiam, huic vrbem cognominem in Thebaide, quam incolae Chemmin, vel Chemmo vocant, Graeci vero Panopolin interpretantur, extructam eſſe.* Et quis dubitet, ex *Chemmi*, genuino et antiquiſſimo vrbis illius nomine, corruptum eſſe ** *Akmin*, ſiue *Achmin*, vel, vt alii efferunt, *** *Ichmin*, quod vrbi eidem hodie nomen eſt. Quando autem ea eſt pronuntiationis Copticae hodiernae ratio, vt vocibus a conſonante incipientibus, ſoleant nonnunquam pronuntiando **** praemittere vocalem, pronum eſt coniicere; *Akmin* aut *Achmin*, aut etiam *Ichmin*, proprie ſcribenda eſſe *Chmin*, aut ſimili aliquo modo, quod quam prope abſit a *Chemmi*, explicatione non eget. Latere in nomine huius vrbis, nomen etiam Numinis cuiuspiam, religione Aegyptiorum olim conſecrati, non dubitabit, qui omnia rite expendere volet. Et opportune ſane Scriptores Arabes, de rebus Aegyptiorum antiquiſſimis loquentes, ſubſidio hic nobis veniunt. Ex

* Apud Plutarchum p. 356. legitur χέννιν perperam pro χέμμιν, quod viri docti iam dudum animaduerterunt.

** VANSLEB *hiſtoire de l'Egliſe d'Alexandrie* p. 18. Eiusdem *relation d'un voyage d'Egypte* p. 18. et plerique recentiores itinerariorum compilatores.

*** IOH. LEO AFRICANVS in Deſcriptione Africae p. 724. GOLIVS ad Alfraganum p. 102.

**** Sic quod ſcribitur *Ptebio, humilitas*, pronuntiant Copti *ibtauio*. Vocem *Nuti*, id eſt *Deus*, pronuntiant *Ibnudi*, et ſic in aliis.

Ex eorum libris, quorum lectione a teneris imbutus fuerat, haec obſeruat IO. LEO AFRICANVS in Deſcriptione Africae, p. 724. *Ichmin* * *antiquiſſimam totius Aegypti ciuitatem*, ICHMIN *filius Misraim*, *qui a Chus*, *filio Hen* (Ham) *ortum duxit*, — *condidit*. Ex MACRIZIO, hiſtorico Arabe inclyto, haec refert VANSLEBIVS in hiſtoria itineris ſui Aegyptiaci, ex gallico, in latinum ſermonem conuerſa p. 5. *Miſraimus quatuor poſt ſe reliquit filios*, ISCHEMVM, *Atrib*, *Sa*, *et Copt*. ISCHEMVNI *teſtamento legauit regionem*, *quae a Copto ad Memphim vſque extenditur*. Illius vero regionis, quam MACRIZIVS ait relictam fuiſſe Iſchemuni teſtamento, caput olim erat *Chemmis*, vel *Panopolis*. Similia his leguntur in MVRTADII Arabis *admirandis Aegypti*, ex verſione gallica VATTIERII p. 116. Paulo aliter GELALEDDINVS, in Aegypto natus, ſcriptor hiſtoriae Aegypti Arabs, non parum celebris, ex quo iſta refert KIRCHERVS in *Oedipo* Tom. I. p. 28. 29. *Omnem vero regionem ſupra Copt*, *vſque in Eſmun* (veterum Syenen) *et quod infra*, *vſque in Eſmum* (Chemmin, ſiue Panopolin) *in orientali et occidentali plaga*, *Eſmun filio dedit*, *et habitauit Eſmun* (Panopolin) *et appellata fuit ab ipſo Eſmun*. Non eſt, quod dubitem, *Ichminem* illum, vel *Iſchemunem*, vel *Eſmunem*, eſſe antiquiſſimum Aegyptiorum *Panem*, a quo Panopolis *Chemmis* dicta eſt. In Coptorum libris nomen hoc ſcribitur ϣⲙⲓⲛ (*Schmin*) vel ϣⲙⲟⲩⲛ, (*Schmun*) quarum vocum ſignificationem mox videbimus. Hoc ſine dubio eſt *Chemmis*.

§. 12. Gratia igitur merito habenda eſt ſcriptoribus Arabicis, qui nomen illud conſeruarunt, nobisque ad inquirendum in illius origines, viam aperue- *Is vero idem plane eſt cum Esmuno Phoenicum.*

 runt.

* Antiquitatem vrbis illius praedicat etiam STRABO, L. XVII. p. 559.

runt. Quando vero iidem credere nos iubent, *Ichminem* illum, vel *Eſmunem*, filium fuiſſe Miſraimi, regemque Aegypti ſuperioris, aſſentiri ipſis omnino non poſſum. Nimis haec ſapiunt fabulas Arabum, in quibus confingendis, ipſos fertiles inprimis fuiſſe, neminem fugit. Ac praeterea aduerſantur iis, quae de filiis Miſraimi, tradit diuinus Scriptor MOSES, Gen. X. 13. 14. Sed eſſe tamen *Eſmunem* antiquitatis vltimae, dubitare non poſſum. Phoenices certe *, Aegypti olim incolae, qui ante Moſen, relicta patria ſua, partem Phoeniciae, vel Syriae, occupatam ſibi ſubiecere, *Eſmunis*, vel *Eſmuni* Numen in Aegypto iam coluerant, eiusque Sacra in Phoeniciam poſtea deportarunt. Graeci *Eſmunum* hunc Aegyptiorum et Phoenicum, *Aeſculapium*, neſcio quamobrem, interpretantur. Extat de eo locus memorabilis in DAMASCII vita Iſidori, quem apponere non grauabor **. Ὁ ἐν Βηρύτῳ Ἀσκληπιὸς οὐκ ἔςιν Ἕλλην, οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοίνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, οὓς Διοσκόρους ἑρμηνεύουσι καὶ Καβείρους, Ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔσμουνος, ὃν Ἀσκληπιὸν ἑρμηνεύουσιν. Οὗτος κάλλιςος ὢν θέαν, καὶ νεανίας ἰδεῖν ἀξιάγαςος, ἐρώμενος γέγονεν, ὥς φησιν ὁ μῦθος, Ἀςρονόης, θεοῦ Φοινίσσης, μητρὸς θεῶν εἰωθὼς τὲ κυνηγετεῖν ἐν ταῖσδε ταῖς νάπαις, ἐπειδὴ ἐθεάσατο τὴν θεὸν αὐτὸν ἐκκυνηγετοῦσαν, καὶ φεύγοντα ἐπιδιώκουσαν, καὶ ἤδη καταληψομένην, ἀποτέμνει πελέκει τὴν αὐτὸς αὐτοῦ παιδοσπόρον φύσιν· ἡ δὲ τῷ πάθει περιαλγήσασα, καὶ Παιᾶνα καλέσασα τὸν νεανίσκον, καὶ τῇ ζωογόνῳ θέρμῃ ἀναζωπυρήσασα, θεὸν ἐποίησεν, Ἔσμουνον ὑπὸ Φοινίκων ὠνομασμένον ἐπὶ

* Vide la Chronologie de Mr. DES VIGNOLES, Tom. II. p. 29. et inprimis les Diſſertations hiſtoriques et critiques de Mr. I. PH. BARATIER ſur Benjamin de Tudole p. 356. 357. etc.

** Apud PHOCIVM in Bibliotheca Cod. CCXLII. p. 1074.

ἐπὶ τῇ θέρμῃ τῆς ζωῆς, οἱ δὲ Ἔσμουνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν, ὅτι ὄγδοος ἦν τῷ Σαδύκῳ παῖς, ἐν σκότῳ διολυγίῳ πῦρ ἀνάψας. *Aeſculapius Beryti in Phoenicia cultus, non eſt graecus, neque Aegyptius, ſed aliquis Phoenix indigena. Nam Saduco nati ſunt filii, quos Dioſcuros et Cabiros interpretantur. Poſt hos octauus natus eſt* ESMVNVS, *quem Aeſculapium interpretantur. Hic cum ſpecie eſſet pulcherrimus, et iuuenis aſpectu praeſtans* *, *Aſtronoë Dea Phoeniſſa, Deumque mater, cum, vt fert fabula, adamauit. Is vero, dum venationi deditus, ſenſiſſet, Deam ſibi inſidias ſtruere, ſeque, dum fugeret, inſequi, ac iamiam comprehenſuram eſſe, virilia ſecuri ſibi amputauit. Ipſa hoc caſu dolens, iuuenemque Paeana vocans, recreatum vitali calore, in Deos retulit, quem Phoenices* ESMVNVM *dicunt, ob calorem vitae. Alii octauum malunt interpretari, quoniam octauus fuerat Saduci filius, qui in denſis tenebris magnam lucem accendit.* Dum locum hunc cogitationibus voluo atque reuoluo, variae in mentem veniunt coniecturae, nam et medica opus hic eſſe manu, lector peritus non facile dubitabit. Verum ea, qualiacunque ſunt, premere malo, donec aliquid certi adferre, bonisque rationibus ſtabilire queam. Ceterum, quae multis narrabat DAMASCIVS, in pauciora contraxit SANCHVNIATHON, aut quisquis ſub illo nomine latet, cuiusque haec verba ſuppeditat EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. I. c. X. p. 37. fin. *Sydico, qui iuſtus dicitur (nempe* צדיק) *vna ex Titanidibus genuit Aeſculapium*, vbi is deſignatur, qui lingua Phoenicum dicebatur *Eſmunus*. Quis vero eſt, qui fabulas has Phoenicum de *Eſmuno* legit, et nonnihil attentius penſitat, qui non fateri cogatur, magnam his, cum Aegyptiorum traditioni-

 bus

* Illa eſt *Aſtarte* Sidoniorum ac Phoenicum Dea, quod SELDENVM non fugit. Vide eum *de Diis Syris* Synt. II. cap. II. fin. p. 261.

bus fabuloſis, de Oſiride, Ammone et Hercule, intercedere cognationem atque affinitatem, vt nihil dicam de Adonide, quem ab Eſmuno diuerſum non eſſe, omnia loquuntur. Omnium illorum, quos diximus, geſta fabuloſa et ſymbolica, antiquiſſimis temporibus, quae naſcentem viderunt idololatriam, vni forte alicui adſcribebantur Numini ficto, variis tamen nominibus inſigni, quae ſequens aetas, creſcente iam in dieſque aucto Polytheiſmo, ad Entia plura conficta tranſtulit.

Ab Esmuno Aegyptio, duae in Aegypto vrbes, nomen hoc acceperant.

§. 13. Quod vero DAMASCIVS hariolatur, *Eſmunum* Phoenicem, quem Graeci *Aeſculapium* interpretantur, Aegyptium non eſſe; ſed mere et pure Phoenicium, in eo fidem meretur nullam. Ea, quae hactenus diſputauimus, contrarium euidenter probant. Quem Phoenices *Eſmunum* dixiſſe, Graeci obſeruant, is in Aegypto idem omnino nomen habebat, et nonniſi ex Aegypto in Phoeniciam tranſiit. Arabes eum, vt vidimus, vocare ſolent *Ichmin*, vel *Iſchmun*, vel denique *Eſmun*. In libris vero Coptorum nomen id effertur ϣⲙⲓⲛ (*Schmin*) et ϣⲙⲟⲩⲛ (*Schmun*). Ita enim vocant vrbem, quam Graeci efferunt χέμμιν, id eſt *Panopolin* et quae ab *Iſchmune*, vel *Eſmuno* nomen habet. In KIRCHERI *Scala* Coptico-Arabica p. 210. legimus ϣⲙⲓⲛ, (*Schmin*) *Achmim*, id eſt *Panopolis*. Ex eo liquet, Vrbem *Panopolin*, in Graecorum ſcriptis percelebrem, et ab antiquo Numine denominatam, Aegyptiis, genuino ipſorum ſermone dictam fuiſſe *Schmin*. Sed, quod ſilentio inuoluere nolim, paulo ante ibidem legitur ϣⲙⲟⲩⲛ ⲃ̄; id eſt, *Schmun ſecunda*. Sunt igitur, erantque olim, duae nominis huius vrbes in Aegypto. Nempe altera eſt *Panopolis*, de qua diximus, altera eſt *Hermopolis magna*, in Heptanomide, vel Aegypto media, ſita, nam et haec nomine iſto olim clara fuit, et idem hodieque

dieque retinet. Peregrinatores noſtri, vbi de hac vrbe loquuntur, nomen ipſi tribuunt * *Achemoun-ain*. Eudem argumento huic aliquam inferet MICHAEL WANSLEBIVS, qui in *hiſtoria Eccleſiae Alexandrinae*, gallice ſcripta, Part. I. c. VI. vbi catalogum exhibet vrbium Epiſcopalium in Aegypto, haec notauit, p. 21. ISCHMVN IRROMAN, *ſiue* ISCHMVN ROMANORVM, *vrbs eſt exſtructa ab Iſchmune, filio Miſraimi.* Et mox ISCHMVN-EIN *graece Hermopolis* ** *ſuperior, ſita in Aegypto media*, quam etiam *Heptanomida* appellant. Prior *Iſchmun*, teſte WANSLEBIO dicitur *Irroman*, id eſt *Romanorum*. Eadem haec ergo eſt, quae in *Scala* KIRCHERI ſic effertur ϣⲙⲟⲩⲛ *** ⲛⲉⲣⲙⲁⲛⲥ; ſed pro vltima hac voce ſcribendum videtur ⲛⲣⲱⲙⲁⲛⲥ, id eſt *Iſchmun Romanorum.* Altera WANSLEBIO audit *Iſchmunein*, quam vocem non explicat. Alii, vt iam monuimus, eandem pronuntiant **** *Achemoun-ain.* Coptos ſcribere auguror hoc nomen ϣⲙⲟⲩⲛ-ⲛⲟⲩⲉⲓⲛⲓⲛ, (*Schmun-enueinin*) id eſt *Schmun-graecorum*, vt ſic diſtinguatur a *Schmun-Romanorum.* Aegyptii lingua ſua vernacula, Graecos ſemper dicunt † ⲟⲩⲉⲓⲛⲓⲛ, (*Veinin*) quemadmodum †† Perſae

* Nouveaux Memoires des Miſſions Tom. II. p. 208. T. V. p. 217. POCOCKE's obſervations on Egypt Lib. II. cap. 1.

** Eſt enim et alia *Hermopolis* in Aegypto inferiori.

*** Ceterum in verſione N. Teſtam. Coptica, *Romani* dicuntur ⲛⲣⲱⲙⲉⲟⲥ, Act XV. 37. XXII, 25. etc.

**** In PAVLI LVCAE itinerario vltimo Tom. II. p. 70. nomen hoc effertur *Chemoumeine*, pro *Chemoun-eine.*

† Ioh. XII. 20. Act. VI. 1. IX. 29.

†† Apud ARISTOPHANEM in Acharnenſ. p. 375. Edit. Genev. Legatus regis Perſarum, loquens Perſice, graecos

Perſae et Barbari in genere, Graecos appellare ſolebant *Iaonas*, nempe a *Iavane*, Graecorum progenitore. *Hermopolis* iſta in KIRCHERI *Scala*, nominatur etiam p. 210. *Schmun ſecunda.*

Eſmunus et Phoenicibus et Aegyptiis ſignificavit octauum.

§. 14. Sed quis tandem erit *Eſmunus* ille, a quo in Aegypto, vrbes antiquiſſimae, ipſi cognomines, Graecis vero *Panopolis*, et *Hermopolis* dictae, nomen acceperunt. Dictu id quidem perdifficile eſt. Et quando a ſcriptoribus graecis, ſubſidium hic nullum expectare licet, res vtique aliter, quam coniecturis confici nequit. Opportune tamen DAMASCIVS de *Eſmuno* Phoenicum monuit, nomen hoc quosdam interpretari *octauum*, §. 12. Neque vitio verti poteſt * viris ſummis, quod arbitrati fuerint, ex ſermone hebraico id explicandum eſſe, cum conſtet, diſcrepantiam inter dialectos, hebraicam, illamque Phoenicum, eſſe non adeo magnam, hebraeis vero השמיני ſignificet *octauum*. Sed ſciendum tamen, Aegyptiis ſimiliter plane, *octauum* dici ϢⲘⲞⲨⲚ et ϢⲘⲎⲚ. Quid vero, quaeſo, ϢⲘⲞⲨⲚ, (*Schmun*) differt ab *Eſmuno?* praecipue ſi cogites, Coptos, quod monuimus §. 11. (not. ****) nonnunquam vocibus a conſonante incipientibus, praemittere pronuntiando vocalem, qui in ſcribendo non exprimitur. Eſtne igitur dubium, hanc, quam dedimus, eſſe veram et genuinam originationem *Eſmuni*, illius *Eſmuni*, a quo et *Panopolis* et *Hermopolis* nomen habuere? Et porro etiam ex omnibus dictis, ſatis liquet, *Eſmunum* priſcum fuiſſe Aegyptiorum Numen, cui certa de cauſa, nomen *octaui* inditum voluerunt. Suſpicor autem, primos Deos, quos gens Aegyptiorum, ſibi praeter vnum

cos vocat Ἰαοναῦ idque alius, ibid. p. 376. interpretatur Ἰάονας. Vide et ibidem Scholiaſten veterem. Sic in *Perſis* AESCHYLI, Perſae, Graecos vocant ἰάονας. v. 178. SELDENVS de Diis Syris Synt. II. cap. 11. extr. BOCHARTVS Geogr. Sac. Part. II. Lib. I. cap. XII.

vnum verum Deum olim elegit, numero fuiſſe ſeptem. Non videbor abſurda dicere, ſi aſſeruero, primaeuos illos ſeptem Aegyptiorum Deos, alios non eſſe, quam quos vocare ſolemus *Planetas*. Id ſaltem fide ** optimorum ſcriptorum nititur, Aegyptios omnium primos, a ſeptem Planetis, diebus nomina indidiſſe. Equidem nihil hic definio, dummodo mihi concedatur, primos Aegyptiorum deos, publice et ſolenniter cultos, numero fuiſſe ſeptem, illisque, neſcio quo tempore, acceſſiſſe, qui ea ipſa de cauſa, ϢⲘⲞⲨⲚ, id eſt *octauus* nuncupari meruerit. Obſeruatu certe indignum non eſt, HERODOTVM, *** quoties *Panis* Aegyptiorum mentionem iniicit, addere, quod hic ſit ex *octo* Diis, quo fere ſubinnuere mihi videtur, ſe ex relatione ſacerdotum percepiſſe, Panem in Deorum numero eſſe *octauum*. Quaedam huius rei veſtigia etiam apud DIODORVM reperio, is enim vbi p. 13. coeleſtes Deos Aegyptiorum recenſet, ſeptem hos primo numerat, *Solem*, *Saturnum*, *Rheam*, *Iouem Ammonem*, *Iunonem*, *Vulcanum*, *Veſtam*, hisque ſuperaddit τελευταῖον, qui *vltimus* prioribus *additus eſt*, nimirum *Mercurium*. Is igitur ad ſeptem Deos, vltimus adeoque *octauus* ſuperacceſſit. Non abs re erit, hic monuiſſe, alteram ex duabus Aegypti vrbibus, quae in honorem cani cuiusdam Numinis, nomen ϢⲘⲞⲨⲚ geſſerunt, eſſe *Hermopolin*, vrbem *Mercurio* conſecratam. Hic igitur Sacra illi fiebant Numini, quod Aegyptiace dicebatur *octauum*. Quicquid autem ſit, nam diutius rebus his obſcuris immorari non iuuat, illud ex dictis omnibus ſatis liquet, Numen illud Panopoli cultum, quod Graecis interpretari *Panem* mos eſt, tempore

** HERODOTVS L. II. c. 82. DIO CASSIVS L. XXXVII. p. 42. Edit. Steph. Adde SELDENVM de Iure Nat. Lib. III. c. 19. 20. etc. et la Chronologie de Mr. DES VIGNOLES Tom. II, p. 683. etc.

*** Lib. II. c. 46. 145.

tempore antiquiſſimo, et auito Aegyptiorum ſermone, dictum fuiſſe *Schmen* et *Schmun*, vnde *Chemmis*, graece *Panopolis* denominata eſt; ſed cuius notitia diſtincta, iam dudum, vt opinor, intercidit.

In Aegypto quoque ſuperiori olim cultus fuit Antaeus, qui idem eſt cum Mendete.

§. 15. Sunt porro rationes, quibus, vt credam, inducor, in Praefectura Panopolitana, praeter *Eſmunum*, Deum antiquiſſimum, et eo nonnihil iuniorem, *Panem* illum, de quo §. 10. diſſerebamus, *Mendetem* quoque, ſiue hircum Mendeſium, cultum inueniſſe. Commemorant nempe Geographi, in Aegypto ſuperiori vrbem, non procul a *Panopoli* diſſitam, nomine *Anteopolin*, ſiue *vrbem Antaei*. PTOLEMAEVS vrbem hanc ad orientem Nili locat, in media terra, et Panopoli vicinam facit. In itinerario ANTONINI vrbes hoc ordine recenſetur p. 166. edit. Weſſelingii

Pano	M. P. IV.
Selino	M. P. XVI.
Anteu	M. P. XVI.

Et in HIEROCLIS pariter *Synecdemo* p. 731. eiusdem Editionis, vrbes iſtae coniunguntur, ΑΝΤΕΟΥ, ΠΑΝΟC. *Antaeopolis*, *Panopolis*. Diodoro dicitur *Vicus Antaei* p. 18. Pluribus adferendis libenter ſuperſedeo. Exiſtimatur autem vrbi nomen hoc inditum fuiſſe ab *Antaeo* gigante, quem Hercules pugnando vicit, quia nempe in antiquitate remota; alius quis celebris, qui nomen iſtud geſſerit, non occurrit. Et ſane DIODORVS *Antaeum* quendam hiſtoriae Oſiridis fabuloſae immiſcet, eumque ait ab Oſiride Libyae et Aethiopiae praefectum fuiſſe p. 15. Ego id vltro et perquam lubens largior, *Antaeum* Aegyptium, pertinere ad fabulas ſacerdotales de Oſiride. Verum quid quaeſo ad hunc, *Antaeus* graecorum fabulis clarus? qui POMPONIO MELAE in extrema regnaſſe Mauritania dicitur Lib. III. verſ. fin. * *conditor vrbis Tingi*, quae hodie *Tanger* audit, in quo etiam

* PLINIVS Lib. V. c. I.

iam tractu erat ** *regia eius*, *certamenque cum Hercule*, qui poſt illum deuictum et interdictum ***, *cum vxore eius Tinge*, a qua vrbem denominauerat, *conſueuit* ****. Tingi etiam, tempore Sertorii, Antaei oſtendebatur ſepulchrum. Quid igitur ille, a temporibus Oſiridis et Herculis Aegyptiorum tantopere remotus, quid, inquam, ille in Aegypto? Cur in eius honorem illic vrbs conderetur? Aut qua re meruit, vt in ordinem Deorum Aegyptiorum cooptaretur? Nam *Antaeum* Aegyptium, in vrbe ſibi cognomini, habuiſſe Templum, aram et ſacra, ambigi non poteſt. Sacros Deo huic fuiſſe crocodilos PLVTARCHVS ſatis ſubinnuit in libro *de ſolertia animal.* p. 976. Et ſi rem acu tetigit nuperus per Aegyptum peregrinator, RICH. POCOCKIVS, vidit is templum *Antaeo* conſecratum, inque eius ruderibus, Inſcriptionem Graecam, ſed mutilam, et temporis iniuria, partim exeſam, partim luxatam, deſcripſit, in qua *Antaei* nomen legitur. Veroſimile eſt, cultui cano, Antaei Aegyptiorum priſci, cuius templum forte tempore Perſarum deſtructum fuerat, poſtea ſub imperio Ptolemaeorum, ſucceſſiſſe ſacra Numinis, magis ad cultum Graecorum detorti. Sed in vetuſtioribus Aegyptiorum Monumentis, Numen aliquod inuenio, vernacula gentis illius linguae, *Entes*, vel *Antes*, nuncupatum. In prima MANETHONIS regum Aegyptiorum poſt diluuium Dynaſtia, ſicut eam EVSEBIVS in Chronicon ſuum retulerat, apud SYNCELLVM p. 55. rex octauus dicitur Οὐβιέντης, (*Vbi - Entes*) quod Aegyptiace hoc modo ſcribendum eſſe opinor. ⲞⲨⲎⲂ-ⲈⲚⲦⲎⲤ, (*Ueb-Entes*) vel, vti etiam commode pronuntiari poteſt, *Ueb-Antes.* Id vero ſignificat *Sacerdotem Antis*, vel *Endis.* In

** Idem ibid.

*** PLVTARCHVS in Sertorio p. 572.

**** PLVTARCHVS ibidem.

In hiſtoria rerum Aegyptiacarum, talia regum nomina oppido frequenter occurrunt. *Sacerdotem Vulcani*, eundemque Regem Aegypti, memorat HERODOTVS Lib. II. c. 141. Qui in Scriptura *Hophra* dicitur, HERODOTO vero *Apries*, et Alexandrinis interpretibus *Vaphres* Οὐαφρὴς, Ierem. XLIV. 30. Aegyptiis, de quo non dubito, ſonabat ⲞⲨⲎⲂ-ⲪⲢⲎ, (*Uab-phre*) *Sacerdotem Solis*. Ⲃ in hoc nomine, vt euphoniae conſuleretur, abſorptum eſt a Φ. Et ſic quoque Hebraei pronuntiarunt, חפרע. In Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS, deprehenditur aliquis Πενθεοάθυρις, quod aliter interpretari non poſſum, quam *P-Hont-Athor*, id eſt, *Sacerdotem maximum Veneris.* Erat itaque *Entes*, vel *Antes*, nam vtroque modo pronuntiari poteſt, Numen Aegyptium, cuius ſe ſacerdotem dixit *Vbi-entes*. Et quis poterit eſſe ille *Antes*, niſi ⲈⲚⲦⲎϪ, *Endes*, vel *Antes*, idem plane cum *Mendete* hirco. Vide §. 7. adeoque Numen illud, quod Graeci de Agypto loquentes, proprie *Panem* interpretantur. Eo nos manu ducit ipſum *Antaei* nomen, ſicut id explicuimus. Colebatur illud *Antaei* Numen, in regione *Pani* conſecrata, aut quae huic contigua erat, atque in vrbe, quae temporibus vetuſtioribus, ad Praefectum Panopoliticam pertinere potuit. Erantque aliae etiam vrbes in tractibus contiguis, quae *Panis* nomine gaudebant. Talis erat Πανὸς κώμη, *vicus Panis*, STEPHANO memoratus, qui propius ad mare rubrum ſpectabat. Talis erat etiam Ἀνταίου Πόλις, quae, ſi rationem habere velis temporum antiquiorum, et ſacrorum primitus in honorem *Antaei* inſtitutorum, graece vertenda fuiſſet Πανὸς πόλις, *Vrbs Panis.*

PAVLI ERNESTI IABLONSKI

PANTHEON AEGYPTIORVM

SIVE

DE DIIS EORVM

COMMENTARIVS

PARS II.

Francofurti ad Viadrum

SVMTIBVS IOAN. CHRIST. KLEYB.

MDCCLII.

ILLVSTRISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINC

DOMINO

CAROLO LVDOLPHO

S. R. I. LIBERO BARONI

DE DANCKELMANN

ET PRANGIN

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS STATVS, BELLICARVMQVE RERVM MINISTRO, CONSISTORII SVPREMI BEROLINENSIS, VTI ET SENATVS ECCLESIASTICI REFORMATI, ET RERVM ECCLESIASTICARVM OMNIVM SVMMO PRAESIDI, ACADEMIARVM REGIARVM SCHOLARVMQVE CVRATORI SVPREMO, CAVSARVM, ADHAEC GALLICARVM, CIVILIVM ET ECCLESIASTICARVM GVBERNATORI

DYNASTAE IN LODERSLEBEN,
OPHAVSEN,
ITEMQVE RELIQVA
MVSARVM PRVSSICARVM STATORI

DOMINO SVO BENIGNISSIMO

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME BARO

DOMINE BENIGNISSIME

Auſimne, *BENIGNISSIME* DOMINE, Pantheo huic Aegyptiorum, quod publicae luci expono, Illuſtriſſimum T V-V M, et terris noſtris auſpicatiſſimum Nomen praefigere? Equidem minime

ignoro, TE huius generis munuſcula dedignari non ſolere, quippe qui literas elegantiores ſemper amaueris, ac foueris, iisque pretium ſuum ſtatuere, mature didiceris; ſed ego tamen, cui Prouincia longe alia, a multis iam annis demandata eſt, dum librum hunc de Religione Diisque veterum Aegyptiorum, TIBI humillime offero, extra oleas vagatus eſſe, non abs re videri potero. Adſunt tamen rationes non inidoneae, quas ad tuendum hocce meum conſilium afferre poſſum, quasque nec TV ipſe, ILLVSTRISSIME DOMINE, pro innata TIBI aequitate et indulgentia improbabis. Nam profecto argumentum hoc, cui illuſtrando operam meam qualemcunque impendi, attentione Theologi

Chri-

Chriſtiani indignum cenſeri nec debet, nec poteſt. An non permulti hodie Theologiam naturalem, ſoli rationis dictamini innixam, vltra modum omnem extollunt, ipſique Reuelationi diuinitus acceptae, cum ſummo huius dedecore, ac detrimento, anteponendam eſſe ſomniant? Quid vero ad horum hominum audaciam, dicam an veſaniam, pro merito retundendam aptius cogitari poteſt, quam ſi doctrinae Theologicae gentium politiſſimarum, quam ratiocinando ſibi conſtruxerunt, color illitus detrahatur, et natiua facies, ac genuina ſed miſerrima indoles, oculis omnium nuda ſiſtatur? Id vero eſt, quod in Pantheo facere conatus ſum. Expoſui ratiocinationes Theologorum Aegyptiorum,

quorum ſapientiam totus olim orbis admiratus atque aemulatus eſt, vt ex iis colligi queat, quid ratio ſibi ſoli relicta, luceque Reuelationis diuinae deſtituta poſſit, et quae ſint eius in diiudicandis diuinis rebus vires. Deinde vero nec hoc praetermittendum eſſe duco, primas Operis huius lineas, ductas a me iam fuiſſe, A. P. C. N. MDCCXXI, quo tempore linguas ſanctiores, quibus diuina Reuelatio Veteris et Noui Teſtamenti conſignata eſt, publice docendi et tradendi munus hic mihi incumbebat. Accidit, vt eodem anno, in conſortium Academiae Regiae ſcientiarum Berolinenſis cooptarer, eaque occaſione, hortatu amicorum quorundam iam beatorum, La Crozii praeſertim et Vi-

GNO-

GNOLII, laborem hunc, cui finem nunc impoſui, exantlandum in me ſuſciperem. Verum enim vero, cum breui poſt noua munera, aliaque negotia ſuperueniſſent, labor ille tenebris perpetuis nocteque aeterna iacuiſſet obrutus, et veluti ſepultus, niſi ante paucos annos, rationes grauiſſimae abſolutionem operis olim inchoati ſuaſiſſent, aut potius inuito extorſiſſent.

Accipe igitur ILLVSTRISSIME DOMINE, CVI totius vitae omniumque actionum rationem reddere teneor, accipe inquam et hoc Munuſculum perquam tenue et leuidenſe, fronte ſerena, et qua ſoles aequitate, illud ex animo offerentis aeſtima. Deus vero TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, Eccleſiarum

noſtrarum Columen, Reipublicae Ornamentum decusque praecipuum, meum Praeſidium, quam diutiſſime ſoſpitem et incolumem conſeruet. Ita ex intimo pectore vouet et precatur

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME BARO

DOMINE BENIGNISSIME

NOMINIS TVI ILLVSTRISSIMI

Dabam Francofurti
ad Viad. D. 1. Maii
MDCCLII.

Humillimus et obſequentiſſimus cultor

PAVLVS ERNESTVS IABLONSKI.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

Poſtquam in Praefatione ad Partem primam huius *Panthei*, teſtatus iam ſum, Benevole Lector, rationes eſſe momenti plane ſingularis, quibus me permoueri paſſus ſum, vt opus hoc, per annos plurimos preſſum et neglectum, nunc tandem luci publicae exponerem, paucis tantum Te compellabo. Vides Operis iſtius Partem ſecundam et tertiam, nonnihil ſerius Tibi offerri, atque volueram, et ſperare Te quoque iuſſeram. Morae illius cauſam ſcito fuiſſe praecipuam, valetudinem aduerſam,

ſam, quae ſuperiori vere, ac aeſtate fere tota corpuſculum non mediocriter afflixit. Factum eo eſt, vt nonniſi anno iam inclinato, ea quae etiamnum deſiderabantur, Bibliopolae optimo tradere potuerim.

Fatebor tamen etiam, nec inuitus, Partes duas *Panthei* poſtremas, multo plus negotii mihi faceſſiuiſſe, longeque diutius patientiam meam exercuiſſe, et velut ad languorem dediſſe, atque initio credideram.

Dum, antequam iſta ſcriberem, *Panthei* mei Partem primam accurate relegi, quaedam inter legendum ſe mihi obtulerunt, de quibus Te hic monere, aequum duco.

P. 78. nomen *Neithae*, ſiue Mineruae Aegyptiacae, a verbo ⲛⲉⲓ deduxi, quod *decernere*, ſiue *ordinare* ſignificat. *Erit ergo*, ita ſonant verba mea, ⲛⲉⲓⲧ, *decernens*, *conſtituens*, *ordinans*. Huius etymologiae, poſt adhibitum iterum diligens et ſerium examen, necdum me poenitet. Aſt, vbi ante aliquod tempus, occaſio mihi eſſet ſubnata, eam accuratius explorandi, analogiam grammaticam requirere deprehendi, vt a ⲛⲉⲓ, formetur ⲛⲏⲓⲧ, et ⲛⲏⲓⲑ, quod vtrumque recte et analogice adhiberi poteſt. Poſterius, ⲛⲏⲓⲑ nempe, *Neith*, vides eſſe, ipſiſſimum PLATO-

NIS

NIS νηϊθ', ſine vllius literulae vel leuiſſima mutatione. Prius vero, ⲚⲎⲒⲦ ſcilicet, ſiue *Neit*, comparet in compoſitis, quae attuli p. 57. 58. Memineris modo, p. 57. pro *Neits-teits*, vti vitioſe editum eſt, ſcribi oportere *Neit-teits*.

P. 91. aſſerui, vocem ⲒϨ, *Ich*, id eſt *Spiritum*, vel *Daemonem*, ſermone Aegyptiorum, bonam ſolere habere ſignificationem. Id vero de antiquiori Aegyptiorum dialecto intelligi percupio. Nam in vſu eorum Eccleſiaſtico, et in Scripturae interpretatione, ab ipſis adornata, vbi vox ⲒϨ aliquo modo aequipollet voci graecae Δαίμων, et Δαιμόνιον, videas vocem Copticam ſumi etiam ſenſu peióri, e. c. Matth. VIII. 16. 28. 31. XVII. 18. Sed hoc, non ſecus, atque apud Graecos, vſus Eccleſiaſticus, vbique praeualens, inuexit.

P. 118. *Thermuthin* Deam interpretatus ſum Ⲑ-ⲈⲢ-ⲘⲞⲨ-Ϯ, *Thermuti*, quod Aegyptiis *mortiferam* ſonat. Et hanc quidem interpretationem reiici merito poſſe, haud exiſtimauerim. Relegenti tamen haec mea, in mentem venit alia, quam Lectoris huiusmodi rerum ſtudioſi iudicio ac arbitrio ſubmitto. Sermone Aegyptiorum vetuſto, ⲈⲢⲘⲞⲨ, *Ermu*, dicitur *Lunaticus*, σεληνιαζόμενος, Matth. IV. 24. XVII. 15. Eſſet igitur analogice prorſus, Ⲑ-ⲈⲢⲘⲞⲨ-Ϯ, *Thermuti*, *quae Lunaticum facit*, aut *morbum Lunaticorum infert*.

ſert. Quod cognomen quam bene Deae huic conueniat, ex iis quae de Tithrambone, a Thermuthi haud quaquam diuerſa, diſputauimus p. 112. ad 116. colligi abunde poterit.

P. 173. locum attuli PLVTARCHI, in quo et haec de Ioue Aegyptiorum leguntur: ὑπ' αἰσχύνης ἐρημίᾳ διέτριβεν, in quibus latine reddendis, verſionem retinui vulgatam, quae ita habet: *pudore ductum in ſolitudine vixiſſe.* Iam vero deprehendere mihi viſus ſum, ab ipſo auctore ſcriptum fuiſſe: ὑπ' αἰσχύνης ἠρεμίᾳ διέτριβεν. *Pudore ductus, quieti ſe dedit.* Ἠρεμία, *quies*, manifeſto hic opponitur *motui pedum*, vel *greſſui commodo*, quem poſtea demum Iſis perhibebatur Ioui expediuiſſe. Appoſite prorſus ad hanc meam emendationem, PLVTARCHVS idem, ſcribit p. 370. de Perſarum Deo: Τὸν δὲ ταῦτα μηχανησάμενον θεὸν ἠρεμεῖν, καὶ ἀναπαύειν, id eſt, vti vertit interpres vulgatus: *Deum qui iſta machinetur, quieſcere ad tempus.* Id ipſum de Aegyptiorum Ioue, dicere voluit EVDOXVS, hic a PLVTARCHO ad teſtimonium vocatus.

Alia de quibus dici etiam aliquid poſſet, nunc quidem malo omittere. In prima Operis huius Praefatione, alia quaedam promiſi, *Pantheon* ſubſecutura. At enim vbi poſtea conſilium iſtud aequa lance paulo maturius expendi, res ipſa, vt illud mutarem, me ſatis monuit. Neque enim videbatur,

batur, ea praeſertim qua nunc ſum aetate, laborem argumentis his impendendum, fructus, qui forte ex eo ſperari poſſet, compenſaturus eſſe. Et profectò, quantum attinet ad *Aegyptum Sacram*, quam aliquando moliebar, video operam iſtam a praeſtantiſſimo RICH. POCOCKIO, in *Deſcriptione Aegypti*, iam occupatam, mihique, profecto non inuito, praereptam fuiſſe. Is enim in iſthoc argumento, plerumque tam diligenter et feliciter verſatus eſt, vt Spicilegio nonniſi tenui, locum reliquerit. Et in iſto Spicilegio, a labore quidem aliquid, vix vero ab ingenio, quicquam ſperare licebit. *Explicationem* porro *Tabulae Bembinae*, qualem dare Tibi poſſem, habes iam re ipſa, B. L. in *Pantheo*. Omnes enim Tabulae illius imagines, in quibus explicandis, aliquam, non ſine ſucceſſu collocaſſe operam cenſeri poſſem, et in hoc *Pantheo*, vti dixi, et in *Miſcellaneorum Berolinenſium* Parte VI. et VII. luce aliqua a me perfuſas videre poteris. Illas quas iam explicui, commentario vberiori illuſtrare, operae vix pretium ferret. Pleraque enim ex *Pantheo* repetenda tantum eſſent. In reliquis vero, de quibus ſententiam meam qualemcunque nondum aperui, Dauum me non Oedipum profiteor. Neque etiam vacat, huius generis labori, in poſterum, magno cum boni temporis diſpendio, diutius inhaerere. Supereſt Syntagma *de Sacerdotibus Aegyptiorum, eorumque variis ordinibus*; verum poterit eo

 tan-

tanto facilius, et ſine vlla iactura, carere Lector, quod praecipua et vtiliora, quae de argumento hoc dicere poteram, tum in *Pantheo*, Lib. V. cap. V, tum in *Prolegomenis*, cap. II, atque III, et ſatis quidem prolixe, perſecutus iam ſim. Habes igitur hic, B. L. quaecunque de Theologia et Religione Aegyptiorum, deque ſingulis eorum Diis patriis, obſeruatu digniora, Tibi a me offerri poſſe, exiſtimaui.

Dixi Lib. IV. cap. IV. §. 1. *Panthei*, veram originem cultus animalium, ac ſigillatim bouis, in Aegypto, mihi hucuſque nondum exploratam ſatis atque perſpectam eſſe, etſi ea de re, aetate noſtra, a viris et doctrina et ingenio praeſtantibus, diſputatum fuerit plurimum. Cum aliquanto poſt, ſententiam hac de re meam, praeſente Matrona perilluſtri, non natalium magis et dignitatis ſplendore, quam virtute incomparabili, et rarae doctrinae copia, inclyta, profeſſus ac paulo acrius tuitus eſſem, illa tum mihi regeſſit, ſe quidem iudice, haud ita difficulter, initia et progreſſus cultus iſtius idololatrici poſſe inueſtigari. Et ea profecto, quae confeſtim hanc in rem afferebat, ita erant comparata, vt et mihi, et aliis qui vna aderant, ſingulari veroſimilitudinis ſpecie, ſe commendarent. Non dedignata eſt eadem, quae paucis coram ediſſeruerat, Scripto poſtea vberiori explicare, idque perbenigne mecum communicare. Beneficio huic aliud

aliud etiamnum ſuperaddidit, precibusque meis id dedit, vt integrum mihi ſit, peringenioſum hoc et elegans Scriptum, Tecum etiam B. L. communicare, et purpureum hunc pannum meo aſſuere Operi. Ego in Scripto illo nihil omnino mutaui, verum hoc tantum effeci, vt latino cultu indutum, ab omnibus legi poſſet. Quando Matrona illuſtris, omnique veneratione digniſſima, in Diſſertatione illa aſſerit, Taurum inter animalia omnia primum, in vſum idololatricum adhibitum fuiſſe, paucis tantum monebo, fauere huic eius ſententiae res Aegyptiorum antiquiſſimas, et traditiones gentis illius, quas Graeci nobis conſeruarunt. Quod ſi enim ipſam hiſtoriam Moſaicam conſulamus, * teſtabitur illa, cultum idololatricum ab Aegyptiis primum, Heliopoli, ſiue One, oblatum fuiſſe Soli. Nouimus autem ** eoſdem, et, quod probare difficile non eſt, eodem tempore, Mneuin Taurum ſacrum Heliopolitanum, Soli conſecratum, tanquam ſymbolum eius ſacroſanctum, impenſa quoque veneratione proſecutos fuiſſe. Eſtque, ſi quidquam aliud, longe veroſimillimum, *** *Iſraëlitas in deſerto, haec ipſa Heliopolitarum Sacra*, olim in Aegypto conſpecta, ob oculos habuiſſe,

 cum

* Vide *Prolegomena* ad *Pantheon* §. 9.

** *Pantheon* Lib. IV. cap. IV. §. 3. 5.

*** Ibid. Lib. IV. cap. II. §. 16.

cum vitulum aureum, religioſis ritibus mox colendum, ſibi formarent. Diſcimus etiam * ex AELIANI teſtimonio, fuiſſe inter Prophetas Aegyptiorum, qui affirmarent, Taurum ex cunctis animalibus primum, diuinos apud ſe conſecutum eſſe honores. Fuiſſe autem illum Mneuin Heliopolitanum, mihi quidem omnia loqui videntur. Haec erant, quae Te, B. L. ſcire volebam. Scribebam Francofurti ad Viadrum, poſtridie Dominicae *Miſericordias Domini*,

MDCCLII.

* Vide ibid. cap. IV. §. 1.

COGITATIONES DE ORIGINE CVLTVS TAVRORVM

complexae rationes quaſdam probabiles, ex quibus perſpici queat, quanam de cauſa non Aegyptii modo, aliaeque Gentes, verum ipſi quoque Iſraëlitae cultu vitulorum, infinitum Numen offendere ſuſtinuerint.

Id omnium primo in tuto collocandum, Deum ſtatim poſt lapſum, promittentem Protoplaſtis ſemen mulieris, ſacrificia ſibi immolari voluiſſe, eique rei illud animal deſtinaſſe, cuius ex pellibus Adamo et Euae veſtes confecit. En huius ſententiae rationes!

Prima haec eſto. Quotiescunque Deus ipſe cum homine foedus pactus eſt, ſignum aliquod foederis viſibile elegit: verbi cauſa, cum Noacho eiusque poſteris foedus cum iniret, de diluuio terrarum orbi non amplius immittendo, Iris foederis ſacramentum fuit. Geneſ. IX. 3 - 17. Cum Abrahamo vero foedus ſanciens, de populis vniuerſi terrarum orbis in ipſo benedicendo, circumciſionem foederis ſignum inſtituit Gen. XVII, et peculiaris foederis denuo cum huius patriarchae poſteris initi Deut. V. 2. 3. ſignum quod oculis patebat, fuit arca foederis. *Fieri* prorſus igitur non potuit, vt Deus in primo maximique, ſi quod vnquam momenti, foedere, quod poſt lapſum cum humano genere pepigit, in quo id agebatur: fore, vt venturum ſit ſemen mulieris, ſerpentis caput contriturum, et ab hoc in calce vulnus accepturum, nullum quod oculis vſurpari potuiſſet, huic promiſſioni ſignum addiderit. Quodſi vero hoc, de quo dubium oriri nequit, factum, tum neque id ambigi poteſt, *ſacrificia* ei rei fuiſſe aptiſſima, cum S. Codex diſertis verbis, ea Chriſti extitiſſe typos doceat. Hebr. IX. (a). Oportet igitur ſonticam Moſi cauſam fuiſſe, ob quam in primo, quod cum hominibus lapſis Supre-

(a) Hinc admodum probabile fit; ſacrificium hoc perſimile fuiſſe iis, quae poſtea in ſacrificio a Manoa, eiusque vxore praeſente Angelo Domini, facta eſſe legimus Iud. XIII. 16 - 23. Multis enim pro-

premum Numen pepigit, foedere, ſigni viſibilis, quod alia occaſione nulla deſcribere intermiſit, mentionem non facere ſatius duxit.* Secunda ratio petita eſt ex iis, quae Scriptor idem ille ſacer, poſtquam foederis diuini primi pactionem retuliſſet, paucis ita tradit Gen. III. 21. *Fecitque Iehoua Deus Adamo et vxori eius tunicas pelliceas.* Pauca haec verba, ſacras literas praeuiis precibus ac meditate lectitanti, cogitationes ſuggerunt, quas expoſitum nunc imus. Primi parentes noſtri, ſub ea procul dubio coeli regione vbi neceſſitas veſtes nullas exigit, quales regiones hodieque poſt diluuium non deſunt, fixerant ſedes. Subligaculo igitur ipſis, ad nuditatem, quam poſt lapſum erubeſcebant, tegendam, opus tantum fuerat, ſed quod vel ex ſtramine, arundine, aut ramis arborum viridibus plecti perquam commode poterat, quale ſibi iam in paradiſo parauerant, quodque rerum, qua initio vſi ſunt, conditioni, adprime congruebat. Gen. III. 7. Vnde neceſſe non fuiſſe, vt, quo pelles ad velandos primos parentes Deo ſuppeterent, animalia necarentur, illaque alii rei deſtinata fuiſſe, meridiana luce clarius adparet. Cum vero etiam Geneſ. IX. 3. diſertis verbis memoriae tradatur, poſt diluuium demum animali-

 bus

profecto opus erat, vt primis parentibus perſuaderetur, ipſos eorumque poſteros miſeriis, in quas poſt lapſum inciderant; eripi poſſe quod tamen illorum ſaluti promouendae neceſſarium omnino erat.

bus veſci Deum hominibus permiſiſſe: nihil quod in animum inducas reſtat, niſi animal, ex cuius pelle Adamo atque Euae veſtes confecit Deus, ſacrificio, et hinc foederis, tunc a Deo cum ipſis initi, ſigno, adhibitum fuiſſe. (b) Rationem nunc tertiam accipe. Non Adami tantum filii Cainus, et Abelus, ſed Noachus etiam, gentesque primorum temporum omnes, immolarunt animalia, ſummum Numen ſe hoc pacto placaturos rati: quod nullo rationis humanae fuit nixum fundamento. Nam intelligi nequit, qua ratione mactatis combuſtisque animalibus, rerum omnium conditori, de criminibus admiſſis ſatisfieri poſſit. Deum igitur oportet ipſum iuſſa hac de re ſua nec non cauſas eorumdem hominibus, et primo quidem ſtatim homini, quod illa iam huius filii fecerunt, aperuiſſe. Habes argumenta tria non leuiſſimi ponderis, ſatis hoc conficientia, terrarum coelique Dominum ſacrificiorum omnium auctorem eſſe. Verum in eo nunc cardo vertitur, quodnam ſacrificio primo Supremum Numen adhibuerit animal. Quam ad quaeſtionem reſpondere pror-

(b) Cum Deus corporis nuditatem, animalis, quo in ſacrificium, hinc in foederis ſignum, vſus erat, pelle tegeret, egregium hoc erat ſymbolum iuſtitiae et ſanctitatis, quam lapſu mens eorum amiſerat, ſed et per ſemen mulieris promiſſum et nunc in ſacrificio adumbratum, recuperatum ibat: quae etiam veſtis ſalutis et pallium iuſtitiae in Sacro Codice audit Eſaiae LXI. 10.

prorſus eſſet ſuperuacaneum, niſi relatum legeremus, et priſcos Aegyptios (quibus Noachi filiis qui ante diluuium vixerant, eoque omnia, quae ab initio rerum hominibus euenerant, habuere comperta, religio quaſi manu tradita fuerat) et Iſraëlitas, quibus nunquam veri Dei cognitio defuit, bis vitulum adoraſſe. Hoc autem ipſum anſam praebet coniecturae, Deum, iuuencum in primum ſacrificium elegiſſe, eoque ad ſuperſtitionem abuſos Adami poſteros, foederis ſignum, quod ſane ſalutis recuperatae auctorem ſubinnuebat, pluris atque ipſum foederis ſcopum feciſſe, quod hodieque in Sacris omnibus, praeſertim in Romana eccleſia vulgus adſolet facere. Res, tum inprimis, cum primum inſolitis illis Sacris Deum offenderent Abrahami poſteri, geſtae, ſententiam hanc fundamento non prorſus deſtitui oſtendunt. Nam Exodi XXXII. relatum legimus, cum prima vice per quadraginta dies totidemque noctes in monte coram Deo ageret Moſes, ad Aaronem acceſſiſſe populum ac dixiſſe: *Age fac nobis Deos, qui anteant nobis, iam enim Moſi viro illi, qui eduxit nos e terra Aegypti, quid factum ſit, ignoramus.* His verbis Aaronem, Deorum qui anteire ipſis promiſerant, ſignum viſibile poſcunt, quoniam, quid ſigno illi quod oculis vſurpauerant, et quo hucuſque Dii illi vſi fuerant, eueniſſet, ignorabant. Obſeruandum hic inprimis venit, Deos, inuiſibili modo ſibi anteituros, egregie notos ipſis fuiſſe. Deus enim per Moſen ipſis nun-

nunciauerat, Exodi XXIII. 20 - 22. *Ecce ego mitto angelum ante te ad ſeruandum te in hac via, et introducendum te in locum illum quem praeparaui. Caue tibi ob praeſentiam eius et auſculta voci eius, ne exacerbes eum: nam non feret defectionem veſtram, quia nomen meum eſt in eo. Nam ſi ſedulo auſcultaueris voci eius et feceris omnia quae dicam* (Deus ſe angelumque ſemper in parallela quaſi linea collocat) *plane inimicabor inimicos tuos et hoſtiliter agam cum hoſtibus tuis.* Confer cum his c. XIV. v. 19. Nec porro latuit ipſos, angelum hunc gentis illorum auctori Abrahamo adparuiſſe, ipſique promiſiſſe, fore, vt ex poſteris eius homo ipſe naſcatur, et cum Iacobo luctatum fuiſſe. Nimis enim recens harum rerum fuit memoria, quam vt fugere illos potuerit. Hinc igitur ab Aarone Deorum horum ſignum, quod oculis ſubiici poſſit, efflagitant. Et dixit eis Aaron, *rumpentes detrahite inaureis aureas -- et acceptas e manu illorum formauit illas caelo, conflauitque vitulum.* Miraculorum in Aegypto patratorum adiutor, coeli terraeque conditorem oculis qui viderat ſuis XXIV. 9. 10, quo pacto ſignum illius quod oculis expoſitum eſſet, vitulum elegiſſet, niſi extitiſſet vetus traditio hiſtorica, ex qua ipſi innotuiſſet, Deum ipſum aliquando animal hoc, typum Meſſiae, populo nunc anteeuntis, conſtituiſſe. Huic autem rei nullum tempus opportunius eſſe potuit eo, quo mortalibus lapſis ſemen mu-

mulieris foedere inito promiſit, ſerpenti hominum miſerorum ſeductori caput contriturum, inque huius foederis ſignum, iuuencum immolare iuſſit. Diuinum hocce Dei mandatum labente tempore effecit, vt animal quod primi foederis cum homine lapſo initi ſignum Deus eſſe voluerat, in magna eſſet apud omnes veneratione, quae ſenſim in cultum idololatricum degenerauit. *Tum*, ita ſacrae pergit auctor hiſtoriae, *dixerunt*, (totus videlicet populus,) *hi ſunt Dii tui Iſraël, qui eduxerunt te e terra Aegypti.* Hoc de vitulo, quem Aaron ipſis videntibus, aliquot ab exceſſu ex Aegypto menſibus, ex inauribus aureis, conflauerat, quo dicere potuerunt modo? Oportet igitur cauſam idoneam fuiſſe, ob quam hoc animal ſignum ſymbolumque illius, qui ex Aegypto ipſos eduxerat, habuerunt: cuius rei ſacrificium, eius de qua dictum fuit, indolis, occaſionem ſubminiſtrare ſolum potuit. *Quod videns Aaron*, inquit Sacroſanctus auctor, *exſtruxit altare coram eo, proclamauitque Aaron dicendo, feſtum Iehouae cras eſto:* qui in vitulo igitur colendus fuit. Hinc ſimul intelligitur, cur Moſes primi foederis ſymbolum nullum commemoret. Vidit ſcilicet ſuperſtitionem, ad quam aeui ſui mortales eodem abuſi ſunt, ideoque ſciens prudensque primi ſacrificii hiſtoriam totam omiſit, ne prolixior eius deſcriptio augeret diuturnioremque redderet gentium ſuperſtitionem. Quemadmodum aeneum ſerpentem confregit Ezechias, quod ad ido-

idololatriam eo abuſus populus eſſet 2. Reg. XVIII. 4. quamquam et is ipſe foederis aliquando ſymbolum a Deo conſtitutus eſſet Num. XXI. 8. 9. Meſſiaeque typus fuerit Ioh. III. 14. 15. Obſeruatu porro dignum eſt, Deum populo Iudaico varii generis ſacrificia praeſcribentem, diſertis verbis iuſſiſſe Pontificem maximum, vt pro peccato ſuo in ſacrificium iuuencum, cuius ſanguis ſanctuario inferendus erat, ſemper adhiberet. Leuit. IV. 3. XVI. 6. 11. Adamus igitur Pontifex maximus primus cenſeri cum poſſit, huius ſacrificium pro peccato iuuencum pariter fuiſſe probabile eſt.

DE
DIIS AEGYPTIORVM
LIBER III.

De Luna iiſque Numinibus, quae ad Lunam referuntur.

CAPVT I.

De Iſide magna Aegyptiorum Dea, id eſt Luna.

Iſis Aegyptiis Numen fuit omnium maximum. §. 1. Lunam illi dixerunt *Iob*, et ſub nomine hoc primitus, et ab ipſis, et ab Argiuis, culta fuit. §. 2. Nomini *Iob*, apud Aegyptios ſucceſſit aliud, ſymbolicum, *Iſis*, quo pariter Sacerdotes *Lunam* ſubinnuere voluerunt. §. 3. Hinc ratio patet, ob quam Iſidem Aegyptii reliquis Diis antepoſuerint. §. 4. Eadem de cauſa, Iſidi, tanquam cauſae efficienti, tribuebantur incrementa Nili fluuii. §. 5. Quod ex doctrina phyſica Aegyptiorum diſtinctius explicatur. §. 6. Iſidis nomine Aegyptii quoque ſubinnuebant Terram. §. 7. Cuius rei ratio explicatur. §. 8. Per

Per Iſidem Aegyptii praeterea intelligebant Naturam rerum ſublunarium omnium. §. 9. Qui vero Iſidem cum Neitha, ſeu Minerua, confundebant, et recentiores Philoſophi Graeci, eam pro Natura etiam rerum vniuerſa habebant. §. 10. Fabularum de Iſide ſacrarum explicatio hic omittitur. §. 11. Interpretationes nominis *Iſis*, ex graeco, hebraico, et arabico ſermone, petitae reiiciuntur. §. 12. Et quae ex lingua veteri aegyptiaca petitae eſſe, falſo iactantur. §. 13. Noſtra de ſignificatione nominis huius ſententia. §. 14. 15.

§. 1.

Iſis Aegyptiis Numen fuit, omnium maximum.

O*ſiridem*, ſiue *Solem*, cuius varia nomina, cognomina, et cultum; Libro ſuperiori expoſuimus, ſubſequitur nunc *Iſis*, eiuſdem et ſoror, et vxor, et mater quoque, qua nihil aliud indicare voluiſſe Aegyptiorum Sapientes, quam *Lunam*, eiuſque diuerſa, cum attributa, tum effecta, et ſaepe antehac monuimus, et Libro hoc pluribus oſtendemus. Idque vel ex eo intelligere quiuis poteſt, quod Deorum omnium, quos vetuſta Aegyptus idololatrica coluit, *Oſiris*, *Iſis*que, habiti ſemper fuerint ſanctiſſimi et maximi, et omnium etiam religioſiſſime a cunctis culti. Tempore certe HERODOTI, quo religio Aegyptiorum, admiſtione quadam Sacrorum peregrinorum, nondum vehementer adulterata erat *, ſoli *Oſiris* et *Iſis*, honore aequali, ab omnibus accolis Nili colebantur, eoque reliquorum Deorum turbam antecellebant. Ea etiam de cauſa, PLVTARCHVS, doctiſſimus Scriptor, librum, quo doctrinam Aegyptiorum de Sacris omnem explicare voluit, *de Iſide et Oſiride* inſcripſit. Cuius rei quaenam poterat eſſe cauſa alia? quam quod

* HERODOTVS Lib. II. cap. 42.

quod * *vetuſtiſſimi in Aegypto mortales, duos eſſe Deos exiſtimarent, aeternos et primos, Solem et Lunam,* ——— *hosque Deos mundum vniuerſum gubernare ſtatuerent, nutrientes et augentes omnia,* ——— *horumque naturam Deorum, plurimum conferre ad generationem omnium,* ——— *ideoque totum naturae vniuerſae corpus, Sole et Luna conſummari.* Et, quod mirari poſſis, non modo in cultu populari Aegyptiorum, *Oſiris Iſis*que, reliquos Deos omnes antecellebant, verum ipſi quoque *Oſiridi*, praeponi ſolebat *Iſis.* HERODOTVS igitur **, vbi de duobus hiſce maximis Aegyptiorum Numinibus loquitur, primo loco *Iſin* ponit, et huic *Oſirin* ſubiungit, non ſecus atque PLVTARCHVS in libro, quem *de Iſide et Oſiride* conſcripſit. Eſtque Scriptoribus vetuſtis tritum valde ac familiare, vt, ſicubi ad Sacra Aegyptiorum delabuntur, *Iſiorum* nomine, omnia complectantur, tanquam vno *Iſidis* Numine, ac nomine, tota Aegyptiorum religio comprehenderetur. Et hoc forte dicere voluit vetus quidam Grammaticus, vbi haec ſcripſit ***: *Iſis dicitur, quaſi ſola Dea. Hoc enim Aegyptiis placet.* Id quidem, non lingua eorum docet; ſed Sacra tamen non obſcure loquuntur. Certe longe plura *Iſis* per totam Aegyptum Templa habuit, adeoque ſolennius frequentiusque a populo culta fuit, quam *Oſiris.* Cuius rei non adeo obſcurae rationes infra annotabuntur.

§. 2. *Iſidis* nomen, non cum ipſa Aegyptiorum idololatria, aut cum impio Lunae cultu natum, vel in ipſis incunabulis praui huius cultus, apud Aegyptios auditum iam fuiſſe, mihi perſuadeo. Nomina exer- *Lunam Aegyptii dixerunt* Ioh, *et ſub hoc nomine primitus et ab*

* DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 10. 11.

** loc. cit.

*** IVNIVS PHILARGYRIVS, in *Virgil.* Georg. Lib. III. v. 153.

ipſis, et Argiuis, eorum colonis, culta fuit.

exercitui Coelorum, vel Aſtris, in Aegypto impoſita, primitus erant ſimplicia et ſignificationis propriae, ex communi ſermonis vſu depromta. *Solem* gens illa primo coluit ſub nomine *Solis*, *Lunam* ſub nomine *Lunae*. Vbi vero procedente tempore, Sacerdotes illius gentis, ſcientiam rerum diuinarum omnem ſibi ſolis vindicaſſent, et ad religionem, fabulas, aenigmata, et Myſteria addidiſſent, res poſtulauit, vt nominibus Deorum propriis, ex communi ſermonis vſu petitis, ſubſtituerentur alia, allegorica, aenigmatica, et Myſtica. *Solem* Sacerdotes populo, ſub nomine *Oſiridis*, adorandum propoſuerunt, *Lunam* vero ſub nomine *Iſidis*. De *Sole*, quod primis idololatriae in Aegyptum introductae temporibus, ſub nomine ⲪⲢⲎ, (id vero *Solem* ſignificat) honoratus cultusque fuerit, * alio loco diſſeruimus. *Lunam* Aegyptii vernaculo ſermone appellant ⲒⲞϨ, *Ioh*, et praepoſito articulo generis maſculini, ⲠⲒ-ⲒⲞϨ, *Pi-Ioh*, nam Aegyptii, quemadmodum noſtri etiam Germani, *Lunam* deſignabant nomine generis maſculini, quod et ** veteres obſeruarunt. Verum fateri tamen cogor, me in ipſis Aegyptiorum veterum Monumentis antiquis, *Lunae* ſub nomine *Ioh* cultae, veſtigia quaequam hactenus non deprehendiſſe. Forte alius tale quid poſthaec obſeruabit. At in hiſtoria Argiuorum, qui conſenſu omnium, originis fuerunt aegyptiacae, veſtigia illius rei, quam dixi, occurrunt ſatis luculenta. Quem enim quaeſo latet *Io* Argiua, Inachi filia, ſtupro Ioui cognita, ab eodem poſtea in vaccam mutata, et in Aegyptum translata, vbi diuinos honores conſecuta, nomenque ſacrum *Iſidis* adepta eſt? Num de veritate eius, quod dixi, iure quis dubitauerit, cum fabula haecce, quondam inter Graecos, et, ſi

* Lib. II. cap. I. §. 8.
** Vide ſupra Lib. I. cap. III. §. 6.

ſi credimus * HERODOTO, etiam inter Barbaros celebratiſſima, citra ambages tradat, *Ionem* Argiuam, et *Iſidem* Aegyptiam eſſe eandem? Inachus, qui annis circiter centum et viginti, natiuitatem Moſis anteuertiſſe creditur, quique Argis imperaſſe primus traditur, non modo gente a veteribus perhibetur Aegyptius fuiſſe, verum et ** ex Aegypto Myſteria, id eſt doctrinam de rebus diuinis ſecretiorem, in Graeciam inuexiſſe. Et certe ipſum *Inachi* nomen, ac ſimiliter alia tum hominum, tum locorum nomina, in hiſtoria Argiuorum antiquiſſima occurrentia, non melius atque certius, quam ex Aegyptiorum lingua explicari poſſunt. Huius Inachi filia perhiberi ſolet *Io*, quod tamen de Inacho aliquo *** iuniori intelligendum videtur, niſi dicere malis, *Ionem* appellari *Inachi* filiam, quia **** ab eo longa ſerie genus ducebat. Verum mihi, latere hic aliquid, ex Aegyptiorum conſuetudine tractum, videtur. *Inachus* nomen eſt, et primi Argiuorum regis, et inclyti in Argolide fluuii. Et huius quidem *Inachi* fluuii filiam extitiſſe *Ionem*, † Poëtae fingere ſolent. Id vero fabulas Aegyptiorum aperte redolet ††, qui principes gentis ſuae Deos, Nilo flumine prognatos eſſe, fingere conſueuerant. Narrant Graecorum fabulae, vaccae formam ſubiiſſe *Ionem*, et ſatis norunt, qui rerum Aegyptiacarum expertes non ſunt †††, *Iſidi* Aegyptiae, quippe quae

* Lib. I. cap. 1. et 5.

** EPIPHANIVS aduerſus haereſes p. 11.

*** Eius mentio apud HYGINVM Fab. 145.

**** Stemma Ionis, ex ſtirpe Inachi oriundae, videri poteſt, in APOLLODORI *Bibliothecae* Lib. II. init. et HYGINO, Fab. 145.

† OVIDIVS Metamorph. Lib. I. v. 583. 584.

†† Vide ſupra Lib. I. cap. II. §. 9. not. * et cap. III. §. 9. not. ***

††† HERODOTVS Lib. II. c. 41. DIODORVS Lib. I p. 11. AELIANVS de Anim. Lib. X. cap. 27. PLVTARCHVS de Iſide p. 372.

Luna eſſet, cornua bubula, tantum non ſemper addi conſueuiſſe. Sed praecipuum argumentum, ipſum *Ionis* nomen nobis ſuppeditat. Nam, vti dixi, Ἰὼ, *Ioh*, Aegyptiis *Lunam* ſignificat, neque habent illi, in communi ſermonis vſu, aliud nomen, quo Lunam deſignent, praeter ⲒⲞϨ. Et Argiuos quoque, Aegyptiorum quippe colonos, nomine hoc ipſo nihil aliud indicaſſe, aperte teſtatur EVSTATHIVS in his *: Ἔνθα βοῦς ἦν ἐν ἀγάλματι τῆς Ἰοῦς, ἤτοι τῆς Σελήνης· Ἰὼ γὰρ ἡ σελήνη, κατὰ τὴν τῶν ἀργείων διάλεκτον. *Ibi vacca erat, imago Ionis, vel Lunae.* IO *enim ſermone Argiuorum* LVNA *dicitur.* Suffragatur huic IOHANNES MALALA, in cuius *Chronographia* haec legimus, p. 27 **: Οἱ ἀργεῖοι μυστικῶς τὸ ὄνομα τῆς σελήνης τὸ ἀπόκρυφον Ἰὼ λέγουσιν ἕως ἄρτι. *Argiui Lunam nomine myſtico et arcano* IO *dicunt, etiamnum hodie.* Nempe poſtquam apud Argiuos, linguae auitae Aegyptiacae ſucceſſit graeca, Sacerdotes tamen, in Sacris quibuſdam, nomen *Lunae* priſcum *Io*, videntur retinuiſſe, quod cum vulgo ignotum eſſet, pro myſtico haberi coepit, eiuſque rei memoria Argis ad ſeram poſteritatem dimanauit. Quando vero Graeci praeterea fingunt, *Ionem* Argiuam, in vaccam conuerſam, tandem perueniſſe in Aegyptum, ibique *Iſidis* nomine compellatam cultamque fuiſſe, an non ſubinnuunt, *Lunam*, antea ſub nomine proprio et vulgari *Ioh* cultam, Seculis labentibus ſymbolo vaccae repraeſentari coepiſſe, et tum ſymbolico quoque *Iſidis* nomine donatam fuiſſe? Id autem, ſi recte coniicio, anno circiter 320, poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, contigiſſe, *** antehac iam monui.

§. 3.

* Commentario in *Dionyſium Periegeten* v. 94. vel p. 23. Edit. Rob. Steph.

** Ita legendum. Totidem verbis haec eadem habes in *Chronico Alexandrino*, vel *Paſchali*, p. 96. Edit. Raderi, vel 41. Edit. Pariſ.

*** Lib. II. cap. I. §. 9. et 16.

§. 3. Vel illa ipſa, quam nunc explicui, fabula Graecorum ſymbolica, et longe antiquiſſima, ſatis vnumquemque docere poteſt, *Iſidis* Numine et nomine, Sacerdotes Aegyptiorum nihil aliud voluiſſe deſignare, quam *Lunam*, magnam illam gentium fere omnium Deam. Idque etiam teſtimoniis veterum diſertis videmus confirmatum. DIODORVS *Siculus* obſeruat Lib. I. p. 10. vetuſtiſſimos Aegyptios *exiſtimaſſe, duos eſſe Deos, aeternos et primos, Solem nempe et Lunam, quorum iſtum Oſirin, hanc vero Iſin appellarint.* Idem p. 22. extr. et 23. ſcribit, eandem Deam a quibuſdam dici *Iſidem*, ab aliis vero *Lunam*. Conſimiliter DIOGENES LAERTIVS talem nobis antiquam Aegyptiorum Philoſophiam ac Theologiam repraeſentat, *Solem ac Lunam Deos, alterumque Oſirin; alteram Iſin appellatos.* In *Prooemio* §. 10. Quibus iungo PLVTARCHVM, vt qui in libro, quo vniuerſam Aegyptiorum Theologiam explicare anniſus eſt, *de Iſide et Oſir.* p. 372. memoriae prodiderit. *Iſidem vero eandem cum Luna eſſe pronuntiantes, etiam eadem vtramque imagine repraeſentant, in qua cornua addita, Lunae indicant illuminationes falcatas; nigrae autem veſtes, occultationes eius et obumbrationes deſignant, quibus Solem deſiderans ſectatur. Itaque et ad res amatorias Lunam inuocant: et iis rebus praeeſſe Iſidem, Eudoxus affirmat.* Sed omnium maxime hoc ipſum ex iis intelligitur, quae de *Iſide* Aegyptii praedicare, quaeue illi attribuere ſolebant, et quorum nos etiam praecipua in ſequentibus breuiter tangemus. Non valde ab hac *Iſidis* interpretatione recedunt, qui eam cum Graecorum *Cerere* conferunt, *Cererem*que appellitant. Illam enim terrae fertilitatem, quam *Cereri* ſuae, Numini maximo, Graeci in acceptis ferebant, Aegyptii adſcribebant *Lunae*, quamuis et alia comparationis huius poſſit reddi ratio, quam ſuo loco infra exponemus §. 7.

Nomini IO, ſucceſſit in Aegypto aliud, ſymbolicum ISIS, *rem eandem deſignans.*

Hinc ratio patet, ob quam Iſidem reliquis Diis antepoſuerint Aegyptii.

§. 4. Ex eo iam explicari facile poterit, quamobrem Aegyptii, in Theologia populari, et in cultu publico, Iſidem cunctis Numinibus reliquis, ipſique adeo Oſiridi, praetulerint, quod iam §. 1. monuimus. Lunam enim veteres in vniuerſum, ad generationem, conſeruationem, et incrementa corporum terreſtrium omnium concurrere, exiſtimabant, quinimo hic principatum quodammodo ipſi tribuebant. * *Hoc eſſe* ſidus arbitrabantur, *quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcedens inaniat. Ideo cum incremento eius augeri conchylia, et maxime Spiritum ſentire, quibus ſanguis non ſit. Sed et ſanguinem hominum, etiam cum lumine eius augeri ac minui: frondes quoque ac pabula (vt ſuo loco dicetur) ſentire eadem penetrante vi.* Huiuſmodi obſeruationum pleni ſunt veterum libri *de Re Ruſtica*, plena eſt hiſtoria naturalis PLINII, ne de aliis dicam, qui obiter rem eandem nonnunquam tangunt. Ab hac perſuaſione alieni non fuerunt Aegyptii, quod multis exemplis, ſi res id exigeret, probari poſſet. Ex eorum igitur doctrina ſcribit PLVTARCHVS *de Iſide* p. 367: Τὴν σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν, εὐμενῆ καὶ γοναῖς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι, *Lunam, vt quae lumen habeat genitabile et humectans, proſperam eſſe et animalium procreationi, et ſtirpium pullulationi.* Neque minus eandem ad generationem quoque corporis humani conferre plurimum, veterum erat opinio. Hinc enim eſt, quod IVLIVS FIRMICVS in *Praefatione* Libri V. *Matheſeos*, ſic eam alloquitur: *Tuque Luna, etiam humanorum corporum mater.* Nec aliam ea de re fuiſſe ſententiam Aegyptiorum, ex hac ipſorum fabula aenigmatica colligere licet, ** *Hori, cum is eſſet in iudicio damnatus, Spiritum et ſanguinem*

* PLINIVS Hiſt. Natur. Lib. II. cap. 99.

** PLVTARCHVS de Animae procreatione e *Timaeo* p. 1026.

nem patri, carnem et adipem matri fuiſſe adiudicata. Habuerat igitur Horus ab *Oſiride* patre, id eſt *Sole*, Spiritum et ſanguinem. Erat enim haec Aegyptiorum perſuaſio, * cor ſedem eſſe Animae, eamque ſanguine veluti nutriri. Sed a matre *Iſide*, id eſt *Luna*, carnem et pinguedinem acceperat Horus. Rem hanc eandem Aſtrologi verbis planis et perſpicuis ita exprimere ſolebant, ** *Solem auctorem et dominum eſſe Spiritus, Lunam corporis.* Et credibile eſt, ad hanc Aſtrologorum doctrinam, ab Aegyptiis acceptam, FIRMICVM reſpexiſſe. Ex DIODORO etiam, hanc Aegyptiorum doctrinam, retulimus §. I. *Solem et Lunam Mundum vniuerſum gubernare, nutrire et augere, hosque Deos ad generationem omnium plurimum conferre.* Gemina his ſunt, quae leguntur apud *** veterem Grammaticum, in haec verba: *His duobus reguntur omnia terrena, calore quidem Solis per diem, humore vero Lunae per noctem* —— *Penes ipſam et corporum omnium ratio eſſe dicitur et poteſtas.* Similia tradit PROCLVS Lib. I. in Timaeum p. 15. vnde haec adſcribemus: Πᾶσα γὰρ ἡ γένεσις ἐκ τε ἡλίου κυβερνᾶται καὶ σελήνης, μειζόνως μὲν ἀπ' ἐκείνου καὶ πατρικῶς, ἀπὸ δὲ ταύτης δευτέρως. *Omnis enim generatio a Sole et Luna procuratur et diſpenſatur; ſed ab illo tamen primario, ac veluti a patre, ab hac vero ſecundario.* PROCLVS equidem in omni generatione et Prouidentia rerum ſublunarium, Principatum tribuit Soli, et locum ab hoc tantum ſecundum Lunae. Verum in cultu Aegyptiorum populari, honor primarius ac praecipuus Iſidi ſiue Lunae

 deferri

* HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. cap. VII.

** SELDENVS de Diis Syris Syntag. I. cap. I. p. 92. et SALMASIVS de Ann. Climacter. p. 125. Adde omnino MACROBIVM Saturnal. Lib. I. c. XIX. fin.

*** *Interpres* antiquus *Horatii* Cruquianus ad Carmen Seculare p. 299. a.

deferri ſolebat, eo quod ſibi perſuaderent, bona omnia huic terrae, per Lunam, tanquam cauſam eorum proximam et immediatam diſpenſari. Etenim Aegyptii, * *Lunam mundi matrem appellabant, et naturam ex vtroque mixtam ſexu ei adſignabant, quod impleta et grauida facta a Sole, rurſum ex ſe in aërem emittat ac diſſeminet genitabilia principia.*

Eadem de cauſa, Iſidi tanquam cauſae efficienti, tribuebantur incrementa Nili.

§. 5. Accedit ad haec, quae dixi, et iſta Iſidis tam impenſe ab Aegyptiis cultae ratio, quod incrementa Nili, quibus fertilitatem ſuam omnem debet Aegyptus, ab illius Numine, ceu cauſa proxima, plerique deriuarent. Eam in animo ſine dubio habuit PINDARVS, ** vbi mentionem fecit *Daemonis*, vel *Numinis Nilo praeſidentis*, et ſecutus hunc PHILOSTRATVS, qui in deſcriptione imaginis cuiuſdam, Nilum repraeſentantis, ita ſcribit: *** Ἐν Αἰθιοπίᾳ, ὅθεν ἔρχεται Νεῖλος, ταμίας αὐτῷ δαίμων ἐφέστηκεν, ὑφ᾽ οὗ πέμπεται ταῖς ὥραις σύμμετρος. *In Aethiopia, vnde delabitur Nilus, moderator ipſi adſtat Daemon, a quo ſuis conſtitutis temporum vicibus tempeſtiue mittitur.* Ille vero *Daemon*, ſiue Deus, incrementorum Nili moderator, alius non eſt, quam *Iſis*. Apud LVCIANVM igitur, in Deorum dialogis, Iupiter, Ionem in Aegyptum miſſurus, vt illic nomine *Iſidis* honoretur, hanc ipſi tribuit praerogatiuam. † Τὸν Νεῖλον ἀναγέτω. *Nilum excitet atque attollat.* Eo ſpectant et haec SERVII ††: *Iſis eſt genius* (δαίμων) *Aegypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus, receſſusque ſignificat: per ſitellam, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit* ad-

* PLVTARCHVS de Iſide p. 368.

** Apud PHILOSTRATVM in *vita Apolloni. Tyanei* Lib. VI. cap. XII.

*** In *Iconibus* Lib. I. p. 737. Edit. Morelli.

† Operum T. I. p. 124. Edit. Salm.

†† in *Virgilii* Aeneid. Lib. VIII. v. 696.

adfluentiam omnium lacunarum. Ex eo ſane orta eſt fabula illa vulgaris, quae erat in ore omnium Aegyptiorum, * *lachrymas Iſidis efficere, vt quotannis Nili aquae augeantur, et agros Aegyptiorum copioſe irrigent.* Et ſacrae hae Iſidis lachrymae, quae Nilum excitabant, eoque Aegyptum tot tantisque beneficiis implebant, incolis illius regionis adeo charae erant, et exoptatae, ** vt earum memoriam, quouis anno ſolenniter celebrarent. Tangit rem eandem LVTATIVS Grammaticus non indoctus, in *Scholiis* ad *Statii Thebaid.* Lib. I. 265. vbi *Coptos*, inquit, *eſt ciuitas Aegypti, in qua Io verſa in Iſidem colitur: cuius Sacris, ſiſtro celebratis, Nilus exaeſtuat.* Et poſt pauca interpoſita: *Prouentum fructuum Aegyptii quaerunt vſque ad veros planctus. Nam irrigatio Nili ſupradictorum fletibus imploratur.* Id tantum hic venit monendum, Scriptorem hunc, non indoctum, vt dixi, errore quodam, vt videtur, μνημονικῷ, id tribuere lachrymis incolarum Aegypti, quod ipſi quidem, ſacris Iſidis ſuae lachrymis, in acceptis ferebant. Per lachrymas vero Iſidis intelligo effluuia quaedam Lunae, quibus talem vim videntur tribuiſſe Aegyptii. Videtur autem ſuperſtitio haec popularis, adeo animis Aegyptiorum olim omnium inſediſſe, tamque altas apud eos radices egiſſe, vt ne poſt extinctam quidem in illa regione per Chriſtianos, ac Mahumedanos, priſtinam idololatriam, potuerit euelli. Poſtquam nulla amplius in Aegypto Iſis colitur, *** incolae tamen firmiter ſibi perſuadent, certo per annum die, *guttam* cadere, quae fermenti inſtar aquas Nili augeat, vt ab illo die adſcendere incipiat, idque etiam

* PAVSANIAS in *Phocicis* p. 881.

** SYNESIVS de Prouidentia p. 111. Edit. Petauii, qui tamen lachrymas illas non recte interpretatur.

*** Vide *Miſcellanea Berolinenſia*, T. VII. p. 431.

etiam ſatis diu, peregre in Aegyptum aduenientes, incolis credidere. Quidnam vero, fabula hac ſymbolica, re ipſa gentis illius Theologi ac Philoſophi innuere voluerint, ex obſeruationibus eorum de incremento Nili, intelligi poteſt, idque Scriptores nonnulli veteres nos docebunt. Erat nempe ea Aegyptiorum ſententia, permagnum et valde efficacem eſſe Lunae, cum in res terreſtres omnes, tum maxime vero in Nilum, eiusque augmenta influxum. Erat itaque Elephantinae, in finibus Aegypti ſuperioris, ſignum aliquod ſymbolicum viſendum, quo ſubinnuebatur, * *magnam eſſe in ſigno arietis, adeoque Veris principio, Lunae vim ad cogendas eliciendasque aquas.* Itaque ** ab illo tempore, initia incrementi Niliaci expectabant, et numerare quodammodo incipiebant Aegyptii. Vera autem fluuii huius incrementa, quae oculis ſubiici iam poſſent, a primo Nouilunio aeſtiuo expectabant. Diſcimus id a PLINIO, cuius haec ſunt verba Lib. XVIII. c. 18: *In Aegypto Nilus coloni vice fungens, euagari incipit Solſtitio et noua Luna: ac primo lente, deinde vehementius.* Dixerat idem Lib. V. c. IX: *Incipit creſcere Luna noua, quaecunque poſt Solſtitium eſt.* Quibus iungere poſſumus haec SOLINI c. 35. ex Editione Salmaſ. *Nonnulli affirmant, fontem eius, qui Phialus vocatur, ſiderum motibus excitari, —— non tamen ſine certa legis diſciplina, hoc eſt Lunis coeptantibus.* Itaque ex ſententia Aegyptiorum, vera Nili incrementa a noua Luna pendebant ac procurabantur. Credebant porro Aegyptii, modum et menſuram incrementi Niliaci, mirificam habere ad Lunam, eiusque viciſſitudines relationem, ita, *** *vt incrementa mutationibus*

* EVSEBIVS Praep. Euang. Lib. III. cap. XII.

** Vide ſupra Lib. II. cap. II. §. 7.

*** PLVTARCHVS de Iſide p. 368. ARISTIDES in *Aegyptio* fol. 92. a. Edit. graec.

tationibus lucis in Luna reſponderent. Maximum enim Nili incrementum, apud Elephantinen, dicebant *eſſe cubitorum 28, quot dies ſunt menſtruae circuitionis Lunae, apud Mendetem et Xoin, vbi eſt minimum, cubitos aequare 6, quot diebus Lunae orbis ſit dimidiatus. Medium apud Memphim, ſi iuſtum ſit, 14 cubitis conuenit, et reſpondet tempori plenilunii.* Quia igitur haec erat Aegyptiorum perſuaſio, Iſidem aſſerebant incrementa fluuii ſui efficere et moderari.

§. 6. Antequam ad alia progrediar, abs re non fuerit, breuiter monuiſſe, veram cauſam mirabilis incrementi anniuerſarii Niliaci, antiquis ignotam non fuiſſe, eosque rem hanc omnem, a Sacerdotibus Aegyptiis didiciſſe. Non aliter hi, rationes incrementi illius explicabant, atque nunc docti homines noſtri Aeui, niſi quod in illorum doctrina, *Iſis* ſiue *Luna* interueniret. Nam illi beneficium hoc inſigne in acceptis ferebant. MARSHAMO aſſentiri prorſus non poſſum, * aſſeueranti, cauſam veram incrementi Niliaci, Sacerdotibus Aegyptiorum minus cognitam, Graecos primum inueſtigaſſe, quantumuis HERODOTVM atque STRABONEM, idem ſentientes adduxerit. Non inuitus quidem largior, paucos tantum fuiſſe in Sacerdotum ordine, de tota hac re bene pleneque edoctos, illos nempe, qui Scientiis Sacris omnibus, rite erant initiati, vnde euenit, vt plerique, peregrinis ſciſcitantibus, ſatisfacere nequiuerint. Id forte HERODOTVS expertus eſt, quem MARSHAMVS ad teſtimonium vocat. Credo etiam, illos ipſos Sacerdotes, quibus ratio omnis incrementi Nilotici, cognita recte et perſpecta erat, eam tamen aliis non ſemper aperuiſſe; ſed plerosque ratiunculis illis falſis, quas eruditorum in Aegypto vulgus proferre ſolebat et probare, ludificaſſe. Id ratio inſtitutionis Myſti-

Id ipſum ex doctrina Aegyptiorum phyſica diſtinctius explicatur.

* In *Canone Chronico*, p. 80. 81.

Myſticae, apud Sacerdotes Aegyptios receptae, ſecum vehebat et exigebat. At non facile quisquam mihi perſuaſerit, Scribas Sacrorum, Myſteriis rite initiatos, origines Nili, veraſque incrementi illius cauſas ignoraſſe. Norunt hodie omnes, qui id ſua intereſſe putant, in Aethiopia, quam et Habeſſiniam vocamus, a Menſe Martio, vſque ad Septembrem, pluuias cadere continuas, et plerumque vehementes valde, easque eſſe cauſam veram et proximam incrementi Niliaci: has vero pluuias produci e nubibus, quas ventus Septentrionalis, in Aegypto tempore eodem continuo ſpirans, ſecum vehit, et in Aethiopiam protrudit, vbi tandem in pluuias reſoluuntur. Quod iam ad prius attinet, quod ſcilicet pluuiae, tanta copia, verno et aeſtiuo tempore in Aethiopia cadentes, vera ſint incrementi Niliaci cauſa, id Sacerdotes Aegyptios minime latuit. Si * MARSHAMVS rem acu tetigit, AGATHARCHIDES *Cnidius*, qui floruit, regnante in Aegypto Ptolemaeo Philometore, veram incrementi Niliaci cauſam primus literis mandauit, quam ab aliis Graecis acceperat. Scribit autem is, ** *in montibus Aethiopiae, pluuias quotannis continuas eſſe, ab aeſtiuo Solſtitio, vſque ad Aequinoctium autumnale, eſſeque rationi conſentaneum, Nilum hyeme contrahi, quando a Solis fontibus naturaliter procurrit, aeſtate autem ab effuſis imbribus increſcere.* Et poſt Agatharchidis aetatem, id ipſum, ab aliis Graecis pluribus, obſeruari et tradi videmus. Verum Agatharchide hoc, haud paulo antiquior, EVDOXVS, magnus Aſtronomus, rem eandem quoque memoriae prodidit, et quidem acceptam a Sacerdotibus Aegyptiis. Id enim EVSTATHIVS, inclytus Homeri interpres, hunc in modum teſtatur: *** Ἐκ τῶν ἐν Αἰθιοπίᾳ

* *Canone Chronico* ad Secul. V. p. 82.

** Apud DIODORVM *Siculum*, Lib. I. p. 39.

*** In *Homeri* Odyſſeae Lib. IV. p. 1505. Edit. Rom.

Αἰθιοπίᾳ γινομένων θέρους σφοδρῶν ὑετῶν πληροῦται Νεῖλος, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Εὔδοξός φασι· λέγοντες πεπύσθαι τοῦτο ἀπὸ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ Ἱερέων. *Ex imbribus, qui per aeſtatem in Aethiopia cadunt vehementibus, Nilus augetur, ſicut affirmant Ariſtoteles et Eudoxus, dicentes, ſe id ex ſermone Sacerdotum Aegyptiorum didiciſſe.* Poſtremum hoc de Eudoxo proprie accipiendum eſt, quem ſcimus, * per annos tredecim, Sacerdotibus in Aegypto familiariter vſum, eorumque diſciplina imbutum fuiſſe. Et ea, quae de rebus Aegyptiorum tradidit, plerumque talia ſunt, vt librorum illius iacturam non poſſim non aegerrime ferre. Ab Eudoxo, aut forte a Platone, qui cum Eudoxo in Aegypto Sacerdotes audiuit, id videtur Ariſtoteles accepiſſe, etſi ** STRABO nominet quendam Thraſyalcen, a quo id habuerit. Et quomodo res haec potuiſſet latere Aegyptios, vicinos Aethiopum, et frequentia cum his commercia exercentes, ſi cognita fuit Graecis, tanto terrarum et marium interuallo, ab Aethiopibus ſemotis. Quicquid Graeci ea de re cognitum habuerunt; non videntur niſi per Aegyptios diſcere potuiſſe. Poſterius pariter, quod nimirum imbrium in Aethiopia, ad augendum Nili aquas cadentium, vera cauſa ſit ventus Septentrionalis, nubes eo impellens, veteribus non minus atque nobis, probe perſpectum fuit. Docet hoc PLINIVS Lib. V. c. 9: *Cauſas huius incrementi varias prodidere ——— imbres Aethiopiae aeſtiuos, iiſdem Eteſiis* (id eſt ventis Septentrionalibus) *nubila illo ferentibus e reliquo orbe.* Similia habet MELA Lib. I. c. IX: *Creſcit Nilus ——— quod per ea tempora flantes Eteſiae, actas a Septentrione in meridiem nubes, ſuper principia eius praecipitant.* Et ita*** alii quoque

* STRABO Lib. XVII. p. 554.

** Lib. cit. p. 543.

*** PLVTARCHVS de Iſide p. 366. C. D.

que rem exponunt. Neque vero ab illis diſſenſiſſe Sacerdotes Aegyptios, iam iam videbimus. Recte prorſus et vere, vir quidam peringenioſus et egregie doctus, Aegyptiorum de tota hac re obſeruationes et ſententiam, hunc ad modum repraeſentauit: * *Ex plurium annorum experientia obſeruauerant Aegyptii, incrementa Nili ſemper praecedere Eteſias, quae, dum Sol cancrum tranſit, a Septentrione verſus meridiem flantes, nubes in Aethiopiam, vnde Nilus oritur, protrudebant, ibique in vnum cogebant, vnde pluuiae eliciebantur copioſiſſimae, quae fluuium vehementer augebant, eoque in Aegyptum ſummam abundantiam inuehebant; etiamſi pluuia nulla irrigaretur. Forſitan hanc rerum ſeſe ſubſequentium ſeriem non ita diſtincte percipiebant, atque ego illam nunc deſcripſi. Verum id ſaltem ex continua experientia certo ſciebant, flatum Eteſiarum, vel ventorum Septentrionalium, ſemper ſequi exundationem Nili, et hanc eſſe vel maiorem vel minorem, prouti impetus venti iſtius eſſet vel fortior vel remiſſior, et pro ratione durationis illius.* Haec vir eximius de primis Aegypti incolis obſeruat, et iſta eorum ſcientia, labentibus annis, accedente quippe noua ſemper experientia, noua quoque ſubinde cepit augmenta. Sciuerunt igitur Aegyptii, inundationem Nili, eiusque diuerſos gradus, pendere ex impetu ventorum Septentrionalium, ceu vera cauſa. Ea vero ipſis etiam ſedebat ſententia, *Iſidem* ſiue *Lunam* ventos hos diſpenſare ac temperare, vnde patet, ex doctrina eorum phyſica explicandum eſſe, quamobrem Nili augmenta, ad Iſidem, tanquam cauſam eorum efficientem referrent. Ex illa doctrina Aegyptiorum phyſica repetendum eſt, quod apud LVCIANVM, Iupiter de Ione ita loquens introducatur: ** Τὴν δὲ Ἰὼ

* Mr. PLVCHE Hiſtoire du Ciel Part. I. p. 34 Edit. primae.

** In Dialogis Deorum T. I. Opp. p. 123. 124. Sunt autem verba Iouis ad Mercurium.

Ἰὼ διὰ τοῦ πελάγους ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀπαγαγὼν Ἶσιν ποίησον. Καὶ τὸ λοιπὸν ἔστω θεὸς τοῖς ἐκεῖ. Καὶ τὸν Νεῖλον ἀναγέτω, καὶ τοὺς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω. *Ionem vero per pelagus in Aegyptum abducens, Iſin facito. Sit illa deinceps Aegyptiorum Dea, Nilumque augeat, et ventos illi immittat.* Apud eundem, Zephyrus ventus haec ad Mercurium fatur: * Ἡμῶν ἔσαι δέσποινα, ὅντινα ἂν ἡμῶν ἐθέλῃ ἐκπέμψαι, ἢ κωλύσαι ἐπιπνεῖν: *Erit Iſis noſtra* (ventorum) *domina, vt quemcunque noſtrum volet, emittat, vel prohibeat ſpirare.* Hic eſt Stylus Theologiae Aegyptiorum mythicae et ſymbolicae. Planis vero et perſpicuis verbis id ita declaratur: ** *Vulturis ſpecie*, quae Aegyptiis ſymbolum erat Iſidis, *ſignificant, Lunam vim gignendi ciendique ventos habere.* Neque tamen hoc Aegyptiis proprium aut peculiare fuiſſe, cenſeri debet. Nam et *** Graecorum Aſtronomi credebant, ex poſitu Lunae pendere, vt hic vel ille ventus ſpiraret, vtque impetus illius eſſet, modo fortior, modo vero etiam lenior. Niſi modo hoc acceperunt ex Aegyptiorum obſeruationibus et diſciplina.

Iſidis nomine Aegyptii quoque ſubinnuebant terram.

§. 7. Vti vero *Oſiris* maritus Iſidis, in Aegypto non modo colebatur *coeleſtis*, *Sol* videlicet; verum et *terreſtris*, ſiue *Nilus*, quippe † quem Aegyptii haberent pro quodam *Oſiridis* defluxu, eaque de cauſa, in Sacris eum *Oſiridis* nomine nonnunquam inſignirent, ita iidem praeter *Iſidem coeleſtem*, quae *Luna* eſt, religioſe quoque colebant *terreſtrem*, ipſam

* In Dialogis Marinis; ibid. p. 199.

** EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. cap. XII.

*** GEMINVS in Elementis Aſtronomiae p. 7. Edit. Petau. VIRGILIVS Lib. I. Georg. 430. 431. PLINIVS Lib. XVIII. c. 35.

† Vide ſupra Lib. II. cap. I. §. 4.

ipſam ſcilicet *terram*, quae proinde *Iſidis* nomine quoque deſignabatur. * Πρὸς τὰς Μύςας, inquit HELIODORVS, Ἶσιν τὴν γῆν, καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον καταγγέλλουσιν. *Myſteriorum periti Iſin terram, Oſirin vero Nilum eſſe affirmant.* Idem MACROBIVS docet Saturn. Lib. I. c. XXI: *Nec in occulto eſt, neque aliud eſſe Oſirin, quam Solem, nec Iſin aliud eſſe, quam terram.* Et eodem Libro cap. XX. fin. *Iſis eſt vel terra, vel natura rerum ſubiacens Soli.* Et ſic ** alii quoque. Quin imo, ſi vera narrat SERVIVS, nil niſi hoc, nomen *Iſidis*, lingua Aegyptiorum ſignificabat. *** *Iſis*, inquit, *lingua Aegyptiorum eſt terra: quam Iſin volunt eſſe.* Eoque referri poteſt, quod, † ſicuti veteres obſeruant, *bos* Aegyptiis *terrae* ſymbolum fuerit. Et vero oppido notum tritumque eſt, Aegyptios ſymbolo bouis foeminae, vel vaccae, *Iſidem* plerumque deſignaſſe. Dubium mihi non eſt, quin hac praecipue de cauſa, Graeci *Iſidem* Aegyptiam, cum *Cerere* ſua comparare, eamque *Cereris* nomine, vt plurimum inſignire ſolerent. Ipſe HERODOTVS *Iſidis* Numen ita interpretatur ††: Ἶσις δέ ἐςι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ. *Eſt autem Iſis Dea illa, quae a Graecis* Δημήτηρ (id eſt *Ceres*) *appellatur.* Interpretationem hanc ſequuntur ††† ex Graecis plerique, vbi Deae illius mentionem iniiciunt. *Cereris* vero nomen

* Aethiop. Lib. IX. p. 424. Edit. Bourdelot.

** ORIGENES aduerſus Celſum Lib. V. p. 257. DIODORVS Lib. I. p. 11. et alii.

*** In L. VIII. Aeneid. 696. Sic etiam ISIDORVS Origin. L. VIII. cap. XI.

† PLVTARCHVS de Iſide p. 366. MACROBIVS Saturnal. Lib. I. cap. XIX.

†† Lib. II. c. 59.

††† DIODORVS p. 21. extr. STEPHANVS in voce Βύσιρις CLEMENS *Alexandrinus* Lib. I. Strom. p. 322. ex LEONE Aegyptio, vt alios taceam.

men et Numen Graeci hunc in modum interpretantur: * Δήμητρα οἱονεὶ γῆς μητέρα ἔσαν, *Cererem Graeci* Δήμητρα *nominarunt, quaſi dicas matrem terrae.* Alii nomen hoc ita explicant: ** Δημήτηρ παρὰ τὸ γῆ καὶ τὸ μήτηρ, γημήτηρ. *Ceres Graecis dicitur* Δημήτηρ, *videlicet a* γῆ, *quod eſt terra, et* μήτηρ, *quod matrem ſonat. Eſt enim ipſa mater terra*, id eſt *terra*, quae omnia producit, nutrit, alit. Faciunt huc iſta LVCRETII de rerum Natura Lib. V. 796:

Linquitur, vt merito maternum nomen adepta
Terra ſit, e terra quoniam ſunt cuncta creata.

Eodem modo de *Iſide* Aegyptiorum, loquuntur etiam Graeci, Aegyptios nempe ſecuti: *** Οἱ σοφώτατοι Αἰγύπτιοι, inquiunt, θεῶν ἀπόγονοι, γῆν μητέρα καταλαμβάνεσι. *Aegyptii mortalium ſapientiſſimi, Diis quippe progeniti, terram matrem eſſe intelligunt.* Vbi de *Iſide* ſermo eſt, quam in Sacris Aegyptiorum, *matrem* dici conſueuiſſe †, aliunde etiam nouimus. Neque tamen exiſtimandum eſt, vnum idemque eſſe per omnia *Cereris* Graecae, et *Iſidis* Aegyptiae Numen, aut idem omnino de *Iſide* ſua praedicaſſe Aegyptios, quod de *Cerere* Graeci. Contrarium enim res ipſa loquitur. Optime DIODORVS p. 13. ex mente Graecorum ait, τὴν Ἶσιν μεθερμηνευομένην ἐγγιςά πως Δήμητραν εἶναι, *Iſidem, ſi eam graece interpretari velis, proxime ad Cereris Numen accedere.* Nam per *Cererem* Graeco-

* PHVRNVTVS de natura Deor. cap. 28.

** Auctor *Etymologici Magni* in hac voce, et ſic plurimi alii.

*** Pſeudo - CALLISTHENES, in vita Alexandri M. apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. XIV. p. 148.

† PLVTARCHVS de Iſ. p. 374. DIODORVS p. 11.

rum Theologi intelligebant fertilitatem, et bonorum copiam, terrae a Diis conceſſam; et idem fere Aegyptiis ſignificabat *Iſis*, vbertatem nempe et fructuum abundantiam, quae a Luna in terram deriuaretur.

Illius rei ratio explicatur.

§. 8. Poſſet quis ſuſpicari, rationem ob quam Aegyptii terram, nomine *Iſidis* vel *Lunae* inſigniendam eſſe cenſuerint, ex dogmatibus ipſorum arcanis philoſophicis repetendam eſſe. Docemur namque * a PROCLO, τὴν σεληνιακὴν σφαῖραν, αἰθερίαν γῆν καλεῖσθαι παρ᾽ αἰγυπτίοις, *Aegyptios ſphaeram lunarem vocare terram aetheream.* Ab his idem iſtud procul dubio acceperunt ** *Phyſici, qui Lunam aetheream terram vocauerunt.* Lunam ergo crediderunt Aegyptii corpus eſſe opacum, terrae noſtrae non multum diſſimile. Sicuti igitur illam vocare ſolebant terram coeleſtem, ita pariter terram, quam eiuſdem cum Luna naturae indolisque eſſe volebant, nuncupare potuerunt Lunam, ſed terreſtrem. Certe Pythagoraei, qui id videntur hauſiſſe ex diſciplina Aegyptiorum, dicebant ***, terram noſtram eſſe, ἓν τῶν ἄστρων, *vnum ex Aſtris*, id eſt *Planetis*, et Lunae perſimilem. Sed vera traditionis huius Aegyptiacae ratio eſt, quam verbo tetigi §. 7, quod a Luna in terram noſtram bona omnia deriuari, eamque fertilitatis et vbertatis, mundum laetificantis, atque per Nilum in Aegyptum ſe diffundentis, cauſam eſſe proximam, firmiter tenerent. Itaque *Iſidis* nomine non deſignabant totum terrarum orbem; ſed Aegyptum tantum, cui ceu vxori, Oſiris

* Lib. I. in Timaeum Platonis p. 45.
** MACROBIVS in Somnium Scipionis Lib. II. cap. XI. p. 41. et cap. XIX. p. 65.
*** SIMPLICIVS Lib. II. in Ariſtotelem de Coelo fol. 124. a. et b.

Oſiris terreſtris, vel Nilus, ſe iungeret, quamque congreſſu ſuo fertilem redderet. Vide §. 7. *Aegyptiis*, inquit PLVTARCHVS, de Iſide p. 363. *Nilus eſt Oſiris, qui cum Iſide, id eſt terra, congreditur.* Quin imo, vt auctor idem nos docet p. 366. *corpus Iſidis terram putant, non vniuerſam; ſed quam Nilus inuadens ac coiens foetam reddit.* Nam partem Aegypti ſterilem ac aridam, Nilo quippe inacceſſam, non *Iſidis* nomine cenſebant, verum *Nephthyn* appellabant, quod PLVTARCHVS pariter docet, et nos pluribus explicabimus Libro V. Quando igitur *Iſin* Aegyptii vocitabant *terram*, facile eruditi perſpiciunt, ipſos hoc nomine non adeo ipſum terrae corpus intellectum voluiſſe, quam abundantiam potius, et laetiſſimam fertilitatem, quae Lunae beneficio, ad terram permanaret. *Luna* enim ex Aegyptiorum ſententia erat * ἡ κυρία τῆς γῆς θεὸς, *Dea quae terrae dominium et praeſidium ſibi vindicaſſet.*

Per Iſidem Aegyptii intelligebant etiam naturam rerum ſublunarium omnium.

§. 9. Verum ne hic quidem ſubſtitit Aegyptiorum ſuperſtitio. Nam Iſidis Numen, etiam ad vniuerſam rerum omnium naturam tranſtulerunt Aegyptii. Teſtatur id MACROBIVS Lib. I. Saturn. cap. XXI. *Iſis nihil aliud eſt, quam terra, naturaue rerum.* Et cap. XX. fin. *Iſis eſt vel terra, vel natura rerum ſubiacens Soli.* Similiter ATHENAGORAS in Supplicatione pro Chriſtianis. p. 24. Edit. Pariſ. Τὴν Ἶσιν φύσιν αἰῶνος, ἐξ ἧς ** πάντες ἔφυσαν, καὶ δι' ἧς πάντες εἰσι, λέγουσι. *Iſin dicunt eſſe naturam aeui, ex qua nata ſunt omnia, et per quam omnia exiſtunt.* Tale Numen Graecia quoque coluit, eiusque in Sacris illius Gentis, mentio ſaepe deprehenditur. In Marmore elegantiſſimo, quod Apotheo-

 ſin

* PLVTARCHVS de Iſide p. 367.

** Melius et hic, et mox, pro πάντες, legeretur πάντα.

ſin *Homeri* repraeſentat, conſpicitur etiam infans, in angulo extremo, cui ſubſcriptum legitur ΦΥΣΙΣ, id eſt NATVRA, ſi modo illic Natura rerum vniuerſa intelligi queat. Verum nemini dubium eſſe poteſt, quin de ea ſermo ſit * in hac Inſcriptione Gruteriana:

ΦΥCIC ΠΑΝΑΙΟΛΟC
ΠΑΝΤ. ΜΗΤ.
id eſt:
OMNIFORMIS NATVRA
OMNIVM MATER.

Eamque in nummo aereo ſcite inſculptam, cum hac inſcriptione ΦΥΣΙΣ ΠΑΝΑΙΟΛΟΣ, *Natura omniformis*, exhibet GRAEVIVS in Lection. Heſiod. cap. XVII. Antiquiores tamen Aegyptii, *Iſidis* nomine, non naturam vniuerſam videntur intellexiſſe; ſed *Lunam* tantum, et naturam rerum ſublunarium. Hinc certe eſt, quod MACROBIVS *Iſin* interpretetur *naturam rerum ſubiacentem Soli*, qui nempe in Lunam, et per hanc in res ſublunares ageret, §. 4. Similis interpretationi huic, eſt illa PLVTARCHI, de Iſide p. 372: *Iſis eſt ea naturae pars, quae quaſi foeminea, omnes in ſe recipit ortus, tanquam nutrix quaedam et commune receptaculum* —— *a multis dicta Myrionymos, id eſt innumeris praedita nominibus: quod ratio eam in omnes formas ſpeciesque vertat.* Concinit his egregie doctrina Aegyptiorum, qualem DIODORVS refert, ſupra iam adductus, §. 1. *totum naturae vniuerſae corpus, Sole et Luna conſummari.*

§. 10.

* GRVTERI Theſaurus Pag. XXVI. Inſcript. 7. vbi legendum, ſicuti hic editum eſt.

§. 10. Qui vero *Iſidem* cum *Neitha*, vel vt volunt Graeci, Aegyptiorum *Minerua* confundunt, quod ſane multi faciunt, Deam hanc naturam totius Vniuerſi deſignare contendunt, idque non ſine ratione probabili. Tale quid enim ſatis aperte ſubinnuit celeberrima Inſcriptio Templi Saitici, in honorem Neithae conditi, de qua * loco alio plura diximus. Id enim, ſi genuina cenſeri poteſt, fere ſonabat: *Quae ſunt, quae erunt, quae fuerunt, ego ſum. Tunicam meam nemo reuelauit. Fructus quem peperi, Sol eſt.* Id de *Neitha* dici ex Aegyptiorum ſententia vere poterat, quia per illam intelligebant cauſam omnium rerum primam, a qua eſſet, quicquid exiſteret. De *Iſide* vero dici idem proprie non poterat, niſi quatenus nomen illud eſſet paulo generalius, quod aliis etiam Numinibus, adeoque *Neithae* etiam nonnunquam tribueretur. PLVTARCHVS itaque, ** vbi inſcriptionem Saiticam adfert, ait eam poſitam fuiſſe *in Templo Mineruae, quam eandem cum Iſide arbitrantur.* Sic *Bubaſtin*, quam Graeci *Dianam* interpretantur, eandem habitam fuiſſe cum *Iſide*, Libro hoc, ſuo loco oſtendetur. Et idem plane dicendum de *Buto*, ſiue *Latona* Aegyptiorum. Neque hoc mirum videri cuiquam debet. Nam *Iſidem* Aegyptiis proprie deſignaſſe *Lunam*, capite hoc rationibus idoneis euicimus. Rem eandem ſignificabant ipſis quoque *Bubaſtis*, et *Butus*, videlicet *Lunam*, ſed alia tamen aliaque relatione ſpectandam, alioque effectu praeditam, quamobrem *Iſidis* ſiue *Lunae* nomen generale, ipſis quoque attribui rectiſſime poterat. Sed recentiores Aegyptiorum Philoſophi, dogmatibus Graecorum, vti cenſeo, iam vehementer imbuti, in vna *Iſide*, Deorum reliquo-

Qui Iſidem confundebant cum Neitha, et Philoſophi recentiores, eam pro natura quoque rerum vniuerſa habebant.

* Lib. I. cap. III. §. 7.
** De Iſide et Oſir. p. 354.

liquorum fere omnium attributa et proprietates agnouerunt, et religioſe coluerunt. Et haec ratio omnium maxima ac praecipua fuiſſe videtur, quod *Iſis* reliquis in Aegypto Diis anteponeretur, et illius Sacra, Sacra fere gentis iſtius omnia complecterentur, ac veluti abſorberent. Id vtique ſubinnuunt iſta SIMPLICII verba: * Διὸ καὶ τὴν Συρίαν Ἀταργάτην (ita lege) τόπον θεῶν καλοῦσιν, καὶ τὴν Ἶσιν οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς πολλῶν θεῶν ἰδιότητας περιεχούσας. *Idcirco etiam Deam Syrorum Atergatin, vocant locum Deorum, ſicut et Aegyptii Iſin ſuam, eo quod plurimorum Deorum proprietates in ſe comprehendant.* Coniungit hic SIMPLICIVS Syrorum *Atergatin*, cum *Iſide* Aegyptiorum, vt quae apud diuerſas gentes rei fere eiuſdem ſymbola eſſent ſacra. De Dea Syria, ** Scriptor alius id memoriae prodidit: *Deam hanc Venerem quidam, alii Iunonem, nonnulli eam, quae incunabula et ſemina omnibus ex humido praebuit, cauſam et naturam arbitrantur eſſe, et quae principium omnium bonorum, quae in homines redundat, ipſis commonſtrauit.* Conſimilia his et plura etiam, de Iſide ſua praedicabant Aegyptii recentiores, praeceptis Philoſophiae graecanicae imbuti, et ab eo tempore Dea illa vere μυριώνυμος, *innumeris nominibus praedita*, quod ex PLVTARCHO, §. 9, intelleximus, potuit nuncupari. Talem nobis *Iſidem* ſiſtit APVLEIVS, vbi eam hunc in modum alloquitur Metam. Lib. XI. init. *Regina coeli, ſiue tu Ceres alma frugum parens originalis, — — ſeu tu coeleſtis Venus, quae primis rerum exordiis ſexuum diuerſitatem generato amore ſociaſti, — — ſeu Phoebi Soror, quae partu foetarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educaſti, —— ſeu*

* In Ariſtotelis Lib. IV. Auſcult. Phyſic. fol. 150. a.
** PLVTARCHVS in vita Craſſi p. 553. fin.

ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina, triformi facie laruales impetus comprimens, terraeque clauſtra cohibens, —— vario cultu propitiaris: iſta luce foeminea conluſtrans cuncta Moenia, et vdis ignibus nutriens laeta ſemina, et Solis ambagibus diſpenſans incerta lumina, quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas eſt inuocare. Ad quae apud eundem Dea haec de ſe iſta reſpondet: *En aſſum tuis commota precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, Seculorum progenies initialis, ſumma Numinum, regina Manium, prima coelitum, Deorum Dearumque facies vniformis: quae coeli luminoſa culmina, maris ſalubria flamina, Inferorum deplorata ſilentia, nutibus meis diſpenſo: cuius Numen vnicum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multiiugo, totus veneratur Orbis,* et quae plura ibi in eundem ſenſum ſequuntur, ſed prolixiora, quam vt hic deſcribantur. Poſtquam ſic *Iſis* Aegyptia, temporibus Ptolemaeorum, vultum habitumque graecanicum ſenſim induit, et ipſi Sacerdotes Aegyptii de ea tradere coeperunt, quod de natura diuina docuerant in Graecia Pythagoraei, Platonici, et ex parte etiam Stoici, Sacra eius Graecis etiam arriſerunt, maioremque in modum placuerunt, indeque factum eſt, vt in vrbes Graeciae permultas introducerentur; ſed et illic ad ingenium Theologiae graecanicae, tum phyſicae, tum mythicae, tum denique politicae, ſemper magis attemperarentur. Ex Graecia Sacra haec tranſierunt in Italiam quoque, et ſi * TACITO credimus, in ipſam noſtram Germaniam, qua de re plura forte nos docebit SIGISMVNDVS SAEMLERVS, Paſtor Dibauienſis, in Sileſia, meritiſſimus, et Antiquitatum Germanicarum, quarum in Muſeo ſuo diuitem congeriem

* *de moribus Germanorum* cap. IX.

geriem poſſidet, inueſtigator ſolers. Quod vt propediem faciat vir clariſſimus, mecum optabunt omnes, qui literis elegantioribus bene cupiunt.

Fabularum de Iſide ſacrarum explicatio omitti hic debuit.

§. 11. Fabulas Aegyptiorum de Iſide ſacras, quarum ſane permultas veteres referunt, hic non attingam. Etenim priſcas genuinas Theologiae Aegyptiacae de Iſide traditiones fabuloſas, quae doctrinam Sacerdotum phyſicam occultabant, poſtea, a Graecis praeſertim, vario modo interpolatas, nouisque acceſſionibus auctas fuiſſe, mihi tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Illas vero acceſſiones, a genuinis traditionibus allegoricis, vti e manibus Sacerdotum primitus exierunt; ſemper diſcernere, res eſt altioris indaginis, et operoſam diligentiam poſcit, quam breuis haec tractatio non capit. Non pauci tamen ex λόγοις ἱεροῖς Sacerdotum, per ſe non ita difficulter intelligentur, ſi ea, quae hic de *Iſide* obſeruauimus, quae Libro II. de *Oſiride* et *Horo* diſſeruimus, et quae Libro V. de *Typhone* eiusque vxoribus dicentur, in conſilium adhibeantur. Sunt vero etiam fabulae aliae, quarum rationem ita facile reddi non poſſe auguror, cum doctrina Sacerdotum Aegypti, de Diis ſuis arcana, omnique viſu occultari ſolita, tota et in omni ſuo nexu cognita nobis et perſpecta non ſit. Quare omne hoc, quicquid eſt, ſilentio nunc praeterire ſatius duco.

Explicationes nominis Iſis, ex graeco, hebraico, et arabico ſermone petitae, reiiciuntur.

§. 12. Tempus iam eſt, vt, quae de Iſidis Numine, Aegyptiorumque de ea doctrina, hucusque obſeruauimus, ex gentis huius auito ſermone confirmemus, nominiſque *Iſidis* interpretationem, quam iudicamus eſſe veriorem, lectoribus offeramus. Plvtarchvs, quo nemo diligentius in varias veterum de *Iſide* ſententias inquiſiuit, in libro toties citato *de Iſide et Oſiride*, nomen *Iſidis* ex graeco ſermone interpretari annisus eſt. Ita enim in limine illius libri. Cleae, vt videtur, cui librum inſcripſit,

rem

rem inprimis gratam facturus, diſſerit: *Ipſam diuinitatem appetit, quisquis veritatem, ac eam cumprimis, quae circa naturam Deorum verſatur, ſtudioſe inueſtigat, et Sacris quodammodo initiatur, qui ea addiſcit et ſcrutatur. Eſt hoc ſtudium quauis caſtimonia, et quauis functione miniſtrorum ſacrorum ſanctius, eſt quoque gratiſſimum Deae illi, quam impenſa religione colis, ſapientem et ſapientiae amantiſſimam, cuique, quod vel nomen ipſum indicare videtur, cognitione et ſcientia nihil magis proprium eſt.* Diceres, Scriptorem alias grauem, hic quidem ludere voluiſſe, qui ab ἴσημι, voce graeca, quae *ſcire* ſignificat, nomen *Iſidis* deducit. Aliam quoque is ipſe, in libro eodem, ſed plane ſimilem nobis originationem proponit, p. 375. Verba breuitatis ergo, latine tantum conuerſa appono. *Eam ob rem, id quod in natura eſt genitale et ſalutare,* ISIN *vocant, ab* ἱέσθαι, *id eſt eundo, tanquam euntem cum Scientia et ſe mouentem, cum ſit motus animatus et prudens. Etenim minime eſt nomen illud barbaricum; verum vti Graeci* Θεὸς, DEOS, *a* θεατὴς, *quod* SPECTATOREM, *et* θέειν, *quod* CVRRERE *ſignificat, denominarunt, ita Deam hanc, reſpectu habito ad eius et ſcientiam et motum, tum Graeci tum Aegyptii dixerunt* ISIN. Ita auctor egregius, vt gratiam captaret Cleae, Sacris Aegyptiorum, graeco ritu initiatae, et Philoſophorum praeceptis etiam imbutae, ſuauiter et docte nugari dedignatus non eſt. Probe ceteroquin ſciebat, nomina Aegyptiaca, non ex graeco, ſed ex vernaculo Aegyptiorum ſermone explicanda eſſe, quod ipſe ille eius liber, vbique, exemplis innumeris teſtatur. Sunt et hodie viri eruditionis laude, merito ſuo, praeſtantes, qui ad Hebraeorum dialectum confugiunt, vt ex ea veram nominis *Iſis* ſignificationem eruant, et quomodocunque explicent. His videas pla-

placere, *Iſin* nihil aliud eſſe, quam Hebraeorum אשה, id eſt *foeminam*. Malunt illi, vocem in ſolo Aegyptio natam, deriuare ab עסיס, quod Hebraeis *ſuccum* et *muſtum* ſignificat, proprie *calcatum*, quod nempe *calcando* exprimitur, et intelligi volunt ſuccum terrae. Quidam ex Arabica lingua aliquid afferunt, quod ad *Iſidis* nomen ipſis videtur applicari poſſe. Verum haec talia mihi videntur eſſe, vt a cordato lectore veniam me impetraturum eſſe confidam, ſi diutius illis non inhaeream.

Et quae ex lingua Aegyptiaca petitae eſſe, falſo iactantur.

§. 13. Non deſunt, qui ſe veterem Aegyptiorum linguam adiiſſe, et ex illa nomen Deae celeberrimae explicuiſſe ſe putant, ſed quibus tamen conatus non felicius ceſſit. Huc referas licet, quod in MEGISERI *Theſauro Polyglotto* legitur, *terram* Aegyptiace ſonuiſſe *Iſi*. Ex eodem fonte manauit, quod * In Oratione Dominica, ſtylo antiquo Coptico, vt falſo iactatur, condita, et ab homine prorſus imperito, male conſarcinata, verba haec ἐν τῇ γῇ, *in terra*, reddantur *ben iſi*. Decepit hos homines veterum quorundam auctoritas, qui cum ſcirent, *Iſin* Aegyptiis ſacrum quoddam Symbolum eſſe *terrae*, aut potius laetae vbertatis, quam ex ſententia Aegyptiorum, Luna cum terra communicaret, ſibi ſunt imaginati, *Iſin* genti huic, in communi ſermone, ſignificaſſe *terram*. Ea de re nonnihil diximus §. 7. Idem ſentiendum de illorum interpretatione, qui *Iſin* Aegyptiis *annum* ſignificaſſe autumant. Praeiuit illis HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. cap. 3. vbi haec inueniuntur. Διόπερ ȣ̓κ ἀλόγως τὸν ἐνιαυτὸν Ἶσιν λέγȣσιν. *Ideo non abs re annum Iſin appellant.* Sed ſi quis caput illud

* Extat in Collectione Oration. Dominical. *Chamberlayniana*, p. 30. Adde illic Prolegomena Venerandi et Celeberrimi WILKINSII.

illud attente perlegerit, mox deprehendet, auctorem proprie non loqui de nomine *Iſidis*, verum de *Sothi*, ſeu Sidere *caniculae*, quae vtique *Iſis* dici poterat, quoniam Deae huic Sacra erat. Neque etiam id ſignificatur, *Sothin* Aegyptiorum lingua deſignare *annum*; verum aliqua tantum ratione nomine *Sotheos* intelligi quoque annum, cuius rei rationes capite ſequenti exponemus. Hae igitur interpretationes nominis *Iſis*, minime ſunt literales; verum ſymbolicae tantum et allegoricae: non interpretationes vocis; ſed rei voce illa ſubindicatae.

Noſtra de ſignificatione nominis Iſis ſententia.

§. 14. Mihi olim in mentem venit, idque etiam * alio loco profeſſus ſum, vocem *Iſis*, Aegyptiace ita ſcribendam eſſe, Ⲓ—ϭ̅ⲥ̅, quod lego *I-ſöis*, idque interpretor, *Dominam euntem*, vel *ſe mouentem*. Nam Ⲓ, Aegyptiorum ſermone dicitur *ire*, adeoque *moueri* et *progredi*. ϭ̅ⲥ̅, porro, *Sois*, et *dominum* et *dominam* Aegyptiis ſignificat. Et *Iſin* quidem Aegyptiis dici *dominam*, peruulgatum eſt, et ** vberiori interpretatione non eget. Nota ſunt illa *Iſidis* de ſe ipſa apud APVLEIVM verba: *Aegyptii cerimoniis me prorſus propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Iſidem.* Dici vero Deam hanc *euntem*, vel *ſe mouentem*, et rei ipſi, quam ſupra explicuimus, et Theologiae, non minus Aegyptiacae, quam Graecae, ac Romanae, et aliarum quoque gentium, quam maxime conuenit. Sic Romani *** *Ianum, quem Solem demonſtrari volunt, et Mundum, dictum putabant* ab

* in *Remphah illuſtrato* p. 68.

** Poterit tamen, qui volet, hic conferre Lib. II. cap. I. §. 2.

*** MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. VII.

ab eundo, quaſi Eanum. Conſimili modo Graeci * Apollinem vocare ſolebant Ἰήϊον, nimirum ἀπὸ τȣ̃ ἰέσθαι καὶ ἰέναι, *quod Sol per orbem impetu fertur.* Et in vniuerſum *Deum*, Graecis dictum fuiſſe Θεὸν, ἀπὸ τȣ̃ θέειν, a *currendo*, et *eundo*, ** permulti quondam exiſtimarunt. Eorum ſententiam in his expoſuit *** Poëta,

> — *Deum namque ire per omnes*
> *Terraſque, tractuſque maris, coelumque profundum.*
> *Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,*
> *Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.*

Quae etiam in Iſidis Numen, ſicuti illud explicuimus, congruere manifeſtum eſt. Solent etiam veteres Deae huius nomen eundem in modum interpretari; ſed perperam ex ſermone graeco. PLVTARCHVM nomen *Iſis* deducere ἀπὸ τȣ̃ ἰέσθαι, *ab eundo*, obſeruauimus §. 12, quam originationem adfert etiam CLEMENS *Alexandrinus*, Stromatum L. I. p. 322. Plura huius modi adduci poſſent. Sed, vt verum fatear, non videtur haec etymologia nomini *Iſis*, vti a Graecis effertur, reſpondere. Nomen illud non modo Aegyptiis omnibus cariſſimum, ſemperque in ore erat, ſed et inter ipſos Graecos quoque erat longe celeberrimum, et vſu frequenti tritiſſimum. Et cum tamen Graeci omnes illud conſtanter *Iſis* efferant, et ab hac ſcriptione nunquam recedant, de alia potius originatione cogitandum eſſe cenſui.

§. 15.

* APOLLODORVS apud MACROBIVM Saturn. Lib. I. c. XVII.

** PLATO in *Cratylo* p. 52. Edit. Graec. Baſil.

*** VIRGILIVS Georg. Lib. IV. v. 221.

§. 15. Sciendum igitur eſt, Aegyptiis Ϲl, *Si*, et cum articulo generis maſculini, Πl-Ϲl, *Pi-ſi*, vel cum articulo indefinito, Ꝺϒ-Ϲl, *U-ſi*, deſignare πλησμονὴν, *abundantiam* et *ſatietatem*. Geneſ. XLI. 30. Leuit. XXVI. 5. XXV. 19. Pſ. CVI. 15. Iam vero obſeruauimus, l, Aegyptiis dici *venire*, *ire*. Erit igitur l-Ϲl, *I-ſi*, *abundantia permanans*, vel terram permeans et peruadens. Quae denominatio, vt quiuis intelligit, tum ad Lunam, abundantiae terreſtris cauſam, tum ad terram quoque abundantia donatam referri poteſt. Poſtquam Sacerdotibus Aegyptiorum placuit, vt Diis nomina imponerentur ſymbolica, *Solem* a praecipuo effectu, quem mortales omnes in eo obſeruant, *Oſirin* dixerunt, * id eſt *temporis et anni effectorem*, *Lunam* vero, ** quae ad Aegyptiorum annum non pertinebat, ab alia perutili et benefica poteſtate, quam ipſi in terram noſtram tribuebant, §. 4, 8, denominarunt *Iſin*, quaſi dicas *cauſam abundantiae*, *terram totam permeantis et commouentis*. Nominibus huic non valde diſſimilibus, *** Graeci etiam *Cererem* ſuam honorare et colere conſueuerant. Non autem abs re erit, et illud obſeruaſſe, ꝹϒlϹl, *u-iſi*, ſermone Aegyptiorum dici *inflare*, *tumeſcere*, *diſtendere*, quam vocem interpretes Scripturae Copti adhibent de muliere adulterii ſuſpecta; quae iubebatur aquam maledictam bibere, ex qua, ſi adultera eſſet, venter intumeſcebat. Numer. V. 21. 22. Vbi tamen ſyllaba prima Ꝺϒ, vti in permultis aliis, pro-

Idem argumentum continuatur.

* Vide *Panthei* noſtri Lib. II. cap. I. §. 14. etc.

** CENSORINVS de die nat. cap. 18.

*** IS. VOSSIVS Obſeruat. in Catullum p. 84.

proceſſu temporis, cum ipſa radice videtur coaluiſſe. Sic radix ipſa eſſet ICI, *iſi.* Erit igitur *Iſi*, et cum terminatione Graecorum *Iſis, quae inflat.* Dea namque haec Nilum, fluuium ſtato tempore credebatur inflare ac augere, §. 6. Idque beneficiorum omnium praecipuum erat atque maximum, quod ab eius Numine et petebant, et expectabant Aegyptii. Nilus ab Iſide inflatus, atque tumeſcens, in campos Aegyptiorum adſcendebat, illoſque quaquauerſum inundabat, et huius inundationis fructus multo exoptatiſſimus erat CI, *Si*, πλησμονὴ, *abundantia, ſatietas*, vel, ſi mauis, I-CI, *I-ſi, abundantia ac vbertas procedens*, et per totam Aegyptum ſe diffundens. Vtrumque hoc, forte, Sacerdotes Aegyptiorum, in nomine *Iſidis* voluerunt coniungere, idque, niſi vehementer fallor, in *Tabulae Bembinae* vel *Iſiacae* Segmento ſecundo, illiuſque tum initio, tum fine, figuris quae in Editione Friſii Amſtelaedamenſi, literis Q, et Q, et deinde EE, ac EE, deſignantur, ſcite admodum ac ingenioſe videmus depictum. In figura vtraque conſpicitur *Nilometrium*, portatile nempe, quod in Pompis Niliacis circumferri ſolebat, et de quo nos plura obſeruabimus infra cap. III. et IV. Nilometrium illud ab vtroque latere circumſtant mulieres, quarum, me quidem iudice, vtrauis *Iſidem* deſignat, terram nempe Aegypti, ab vtraque Nili ripa, ad dextram et ſiniſtram ſitam, quam fluuius ille, inundatione ſua foecundat. Et hoc ipſum ſignificare vocem, qua Hebraei terram Aegypti nuncupant, מצרים, quae terminationem habet dualis numeri, vt innuatur nempe, terra illius regionis bipertita, hinc cis, illinc trans Nilum, acute * vir doctiſſimus

* VITRINGA in Ieſaiae cap. XIX. To. I. p. 335. b.

ctiſſimus obſeruat, cuius obſeruationi fauet egregie Figura *Tabulae Bembinae*, de qua loquimur. Ceterum in priori Figura, lit. Q, et Q, mulier vtraque Nilometrium circumſtans, vbera prae ſe fert flaccida, inania, pendentia. In altera vero lit. EE, et EE, vtraque mulier vbera geſtat turgida, inflata, multoque lacte diſtenta. Nam in priori figura adumbratur terra Aegypti, aduentum Nili, eiuſque fertilem impraegnationem ſitiens, et etiamnum expectans. In poſteriori vero, Iſis cenſetur Nilum iam inflaſſe, hocque beneficio terrae fertilitatem iam induxiſſe, vt ſic foeta et grauida effecta iam ſit. Id imago illa ſymbolice repraeſentat, idque nomen quoque *Iſidis*, vti auguror, Aegyptiis ſubinnuebat.

CAPVT II.

De Sothi, ſiue Iſide oriente in Sidere Caniculae.

Summa dicendorum. §. 1. Sothis ſecundum quoſdam videtur et Iſin, et Caniculae ſidus deſignare. §. 2. Sed proprie et vere Sothis deſignat ſidus Caniculae; hoc vero Iſidi ſacrum eſſe voluerunt Aegyptii. §. 3. Sidus Caniculae apud Aegyptios ſacrum erat Iſidi, (1) quia omnia huius modi ſidera alicui ex Diis maioribus attribuebantur. §. 4. (2) Quia Iſis, cui ſacra erat Sothis, ſiue Canicula, re ipſa videtur fuiſſe Neitha, vel Minerua, ad quam ſidus hocce quam commodiſſime referebatur. §. 5. (3) Quia ſidus Caniculae, ad Iſidem etiam proprie ſic dictam, id eſt Lunam, relationem habet ſingularem. §. 6. (4) Quia principium etiam periodi Sothiacae, modo ſingulari Lunae conſecratum erat. §. 7. Aliae praeterea rei illius rationes adferuntur. §. 8. Sothis ſermone Aegyptiorum non canem deſignat, vt quidam credidere. §. 9. Quid cenſendum ſit, de originatione Plutarchi, qui Sothin interpretatur grauidam. §. 10. Sothis recte exponi poſſit *initium*, aut etiam *initium temporis*. §. 11. Additur interpretatio alia, priori, quoad rem perſimilis. §. 12.

§. 1.

Summa dicendorum hoc capite

Sothis nomen apud Aegyptios a temporibus antiquiſſimis, percelebre fuit, eo cum maxime, quod a *Sothi* annum ciuilem auſpicarentur, eamque ob rem periodum ſuam magnam annorum Iulianorum 1460, quibus abſolutis annus ipſorum, ad priſtinum ſuum principium, *Sothin* nempe, reuertebatur, *Sothiacam* nuncuparent. Nobis de nomine iſthoc celebri, agendum ideo hic eſt, quia, ſi veteres quoſdam audimus, *Sothis* nihil aliud fuit, quam

quam *Iſis* ipſa, aut ſaltem aliquod illius cognomen. Et ſi *Tabulam Bembinam*, ſiue *Iſiacam* attente contemplamur, apparebit, medium illius occupare *Sothin*, ibique *Iſidem* repraeſentari, in ſumma veluti gloria fulgentem et regnantem. Duo igitur hic mihi excutienda eſſe video, *primo* quidem, quidnam per *Sothin* Sacerdotes Aegyptiorum deſignare proprie voluerint, *deinde* vero, quam ſignificationem vox iſta in priſca Aegyptiorum lingua habuerit. Prima rei huius explicatio erit *realis*, ſecunda *verbalis.*

Sothis ſecundum quosdam videtur et Iſin, et Caniculae ſidus deſignare.

§. 2. *Sothin* Aegyptios ad *Iſidem* retuliſſe, dubio omni caret. Id res ipſa, et quae veteres de *Sothi* memoriae prodiderunt, ſatis aperte loquuntur. Verum quaeri merito poteſt, num *Sothis* fuerit ipſius *Iſidis* aut nomen, aut cognomen. Nam ſunt ex veteribus, qui id teſtentur. *Aegyptii*, inquit * DAMASCIVS, *Sothin Iſin eſſe aſſerunt, Graeci hanc ad Sirium Stellam referunt, et Sirium tanquam canem Orionis venatoris pingunt.* Idem ſubinnuere voluiſſe videtur, auctor Inſcriptionis antiquae, in honorem Iſidis poſitae, vbi ita de ſe illa loquitur: ** *Ego ſum, quae in canis ſidere oritur.* Vnde ſidus idem *** Graeci etiam dixerunt *Sidus Iſidis.* Idem ſignificat HORAPOLLO, *Hieroglyphic.* Lib. I. c. 3. *Annum demonſtrare volentes, Iſin, hoc eſt foeminam pingunt: quo etiam ſigno Deam ſignificant. Eſt autem apud eos Iſis ſidus, quod Aegyptii quidem nomine Sothis, graeco vero Aſtrocyon dicitur.* Videntur autem Scriptores hi id ſignificare voluiſſe, *Iſi-*

* in *vita Iſidori*, apud PHOTIVM in *Bibliotheca*, Cod. CCXLII. p. 1043.

** DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 24.

*** *Scholiaſtes* graecus *Apollonii Rhodii* in Lib. II. Argon. 518.

dem Aegyptiis etiam dici *Sothin*, et vtroque nomine deſignari ſidus illud, quod Graeci κύνα et ἀϛροκύνα, Latini vero *caniculam* appellare ſolent. Paulo diſtinctius ERATOSTHENES in *Cataſteriſmis* cap. 33. vbi *caniculae ſidus* deſcribit, id ita explicat: *Canis in capite Stellam habet vnam, quae dicitur Iſis*, (dicere voluit *Sothin*) *in lingua vnam, quam Sirium vocant.* Paria habent alii, interque hos HYGINVS, cuius in *Poëtico Aſtronom.* Lib. II. cap. 36. haec ſunt verba: *Canis habet in lingua Stellam vnam, quae ipſa Canis appellatur: in capite autem alteram, quam Iſis ſuo nomine ſtatuiſſe exiſtimatur, et Sirion appellaſſe propter flammae candorem, quod eiuſmodi ſit, vt praeter ceteras lucere videatur.* Et certe * micat illa Stella, inter minores omnes, luce clariſſima, quae ratio Aegyptios commouiſſe videtur, vt ab eius exortu annorum ſuorum initia ducerent.

Sed proprie Sotbis deſignat Sidus caniculae; illud vero Iſidi conſecrarunt Aegyptii.

§. 3. Si omnia quae veteres de *Sothi* literis mandarunt, inter ſe conferantur, apparebit facile, omnia ad duo haec redire. I. *Sothis* proprie non eſt nomen *Iſidis*, aut Deam hanc quomodocunque deſignat; verum ſignificat aut *ſidus caniculae*, ac illam ſigillatim Stellam, quae in capite conſtellationis illius praefulget, aut forte illius potius exortum, a quo initium verum anni putabant Aegyptii. Id PLVTARCHVS recte obſeruat, vbi affirmat, ** *Iſidis Stellam, a Graecis vocari canem, ab Aegyptiis Sothin.* Et poſt alia quaedam intermedia: *Canis Sidus Iſidi ſacrum Aegyptii cenſent.* Eſt itaque *Sothis* nomen Stellae, non Deae. Idem *** alio loco memo-

* ALPHONSVS VIGNOLIVS, in Diſſert. de annis Aegyptiac. Miſcell. Berol. Tom. IV. p. 3.

** de Iſide et Oſir. p. 359.

*** *de Solertia Animalium* p. 974.

memorat *ſidus, quod Graeci caniculam et Sirium, Aegyptii vero Sothen appellant.* Neque aliter CHALCIDIVS, in Timaeum Platonis cap. CXXIV: *Hanc eandem Stellam* ἄστρον κυνὸς *quidam, Aegyptii vero* * Σῶθιν *vocant.* II. Hanc vero Stellam, ſiue mauis Sidus, eiuſque exortum Iſidi ratione ſingulari ſacrum eſſe voluerunt Aegyptii, eaque de cauſa, multi in eas inciderunt cogitationes, *Sothin*, quomodo appellabatur Sidus Iſidi conſecratum, eſſe quoque ipſius Iſidis nomen. PLVTARCHVM vidimus affirmantem, *Sidus*, quod Graeci *caniculam*, Aegyptii *Sothin* vocarent, *eſſe Iſidis.* Idem p. 365. extr. monet, *ex Sideribus Sirium*, ſiue caniculam, *Iſidi adſcribi.* Et p. 376: *Aegyptios exiſtimare, Sidus caniculae eſſe Iſidi proprium.* Quibus iungimus THEONEM, cuius in Scholiis ad Arati Phaenomena, p. 22. Edit. Oxon. haec ſunt: Ἡ τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται, καὶ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν εἶναι τὸν κύνα λέγουσι, καὶ τὴν ἐπιτολὴν αὐτοῦ. *Canis ortus, circa horam vndecimam* (noctis) *apparet. Ibi Aegyptii initium ponunt anni, et canem, eiuſque ortum ſacrum volunt Iſidi.*

§. 4. Ex iis quae diximus, noua oriri poteſt quaeſtio, qui nempe factum ſit, vt, cum *Sidus caniculae*, ab *Iſide*, ſiue *Luna*, tantopere diuerſum ſit, Aegyptii tamen illud *Iſidi* ſacrum voluerint, et quodammodo proprium. Eius rei rationem promere poſſum aliquam generalem, illique ſubiungam alias ſpecialiores. Generalis rei huius ratio iſta eſt, quod Aegyptii Sidera Coeli omnia notabiliora, et ſplendidiora, alicui ex Diis maioribus attribuere conſueuerint. De Planetis notus eſt locus ** ACHIL-

Sidus caniculae apud Aegyptios ſacrum erat Iſidi, (1) quia omnia huiuſmodi Sidera alicui ex Diis maioribus attribuebantur.

 LIS

* Ita FABRICIVS in notis, recte.

** in Arati Phaenomena, Vranolog. Petau. p. 136.

LIS TATII; ex quo diſcimus, *Saturni ſtellam Aegyptios dixiſſe Stellam* NEMESEOS: *Iouis Stellam eoſdem nominaſſe* OSIRIDIS, *Stellam Martis vero* HERCVLIS, *ac Mercurii vocaſſe Stellam* HORI, *vel Apollinis.* Singuli itaque Planetae vni alicui ex Diis maioribus apud Aegyptios ſacri erant et proprii. Idem etiam in Conſtellationibus locum habuiſſe, ex hoc PLVTARCHI teſtimonio ſatis conſtare poteſt. * *Etiam reliquorum Deorum corpora, Sacerdotes aiunt, poſt mortem apud ſe depoſita religioſe coli, eorum ſcilicet Deorum, qui ortus et interitus expertes non ſint. Eorum autem animas in coelo fulgere, et eſſe Stellas. Nam* ISIDIS *Stellam vocari a Graecis canem, ab Aegyptiis Sothin: Orionem eſſe* HORI, *et* TYPHONIS *vrſam.* Et interiectis quibuſdam: *Orionis et canis ſidus, alterum Horo, alterum Iſidi Sacrum Aegyptii cenſent.* Poſtremum hocce ſine dubio ex auita et genuina Aegyptiorum Theologia profectum eſt. Nam in prioribus, dogmata quaedam Theologiae graecanicae, traditionibus Aegyptiorum priſcis admixta, cordatus quiuis et idoneus rerum harum arbiter deprehendet. Supponitur enim in illis, Deos Aegyptiorum, Iſidem, Horum, et ſimiles, fuiſſe Heroes, ortus interituſque non expertes, quorum poſt mortem animae, in Stellas fuerint translatae. An non hoc apertiſſime fabulas Graecorum prodit, quales ab Aegyptiis admitti, ** diſertis verbis negat HERODOTVS, Graecorum omnium, qui de rebus Aegyptiacis, exquiſita diligentia ſcripſerunt, antiquiſſimus. Neque hoc latebat ACHILLEM TATIVM, Scriptorem diligentem et accuratum, is enim obſeruat, id eſſe Sphaerae graecanicae proprium, in quo ab Aegyptiorum Sphaera differat,

* *de Iſide et Oſir.* p. 359.
** Vide *Prolegomena* §. 18.

differat, * quod *nomina Stellarum ab inſignibus heroibus deſumſerint*, tanquam illi in Stellis cognominibus viuant. Orientales in vniuerſum Stellis praeficiebant certos quoſdam Genios, quos Gnoſtici, voce Scripturaria appellare ſolebant Angelos, Aegyptii vero Deos, Oſirin, Iſin, Horum, et ſimiles, non quod horum Animas, poſt interitum corporis, in Sidera migraſſe arbitrarentur; ſed quod iis Stellas quaſdam ſingulari ratione ſacras eſſe, eorumque influxu veluti animari cenſerent. Simili ergo ratione *Sidus caniculae*, religione Aegyptiorum, *Iſidi* conſecratum erat.

§. 5. Sed ſunt tamen etiam rationes ſpecialiores, ob quas Aegyptii *Sidus caniculae*, *Iſidi* potius, quam alii ex Diis maioribus attribuere maluerint. Re ipſa Numen illud, quod in *Sothi* oriri tradit Inſcriptio, allata §. 2, arbitror ab antiquioribus Aegyptiis habitum fuiſſe *Neithae*, ſeu *Mineruae*. In *Tabula Bembina*, rei huius, quam dixi, indicia extare luculenta, ** alio loco pluribus monui. Et certe *Sothis*, vel *ortus Caniculae*, Aegyptiis non modo erat annorum ciuilium principium; ſed diem hunc eundem Sacerdotes etiam perhibebant eſſe natalem totius Mundi. Eruditis ignotus non eſt hicce PORPHYRII locus: *** Ἀιγυπτίοις ἀρχὴ ἔτȣς ȣ̓χ' ὑδροχόος, ὡς Ρωμαίοις, ἀλλὰ Καρκίνος. Πρὸς γὰρ τῷ Καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν κυνὸς ἀςέρα Ἕλληνές φασι. Νȣμηνία δὲ ἀυτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολὴ, γενέσεως κατάρχȣσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. *Aegyptiis initium anni non aquarius eſt, vt Romanis; ſed cancer. Prope cancrum autem eſt Sothis, quam Graeci*

(2) *Quia Iſis, cui ſacra erat Sothis, vel canicula, re ipſa videtur fuiſſe Neitha. Et ad hanc Sidus caniculae commodiſſime referebatur.*

 canis

* in *Iſagoge* ad Phaenomena Arati p. 164.
** Lib. I. cap. III. §. 14.
*** *de Antro Nympharum* p. 264. fin. Edit. Cantabrig.

canis Stellam dicunt: et prima menſis dies ipſis eſt Sotheos ortus, qui generationis mundi ducit initium. Hinc de *ortu caniculae*, ſiue *Sothi* SOLINVS tradit cap. 32: *Hoc tempus Sacerdotes natalem mundi iudicarunt.* Non diſcrepant ab his verba * AENEAE GAZAEI, in *Theophraſto*, ſiue *de immortalitate animarum*; dummodo comparentur cum PORPHYRII loco, nunc adducto. Sic vero ille: Οἱ τῶν αἰγυπτίων προφῆται τοῦ παντὸς τὴν ἀρχὴν καὶ γένεσιν λέγοντες, ἐπέστησαν καρκίνῳ τοῦ κόσμου τὴν ὥραν. *Prophetae Aegyptiorum, initium rerum omnium indicaturi, cancro mundi conditi tempus adſcribunt.* Nam vt dicebat PORPHYRIVS, *prope cancrum eſt Sothis*, vel, Sothis oritur, dum in cancro Sol moratur, in Leonem iam iam tranſiturus. Erat igitur Prophetis Aegyptiorum, *Sothis* totius mundi natalis. Et cui igitur potius Sidus illud dicarent, quam *Neithae?* ** in qua creatorem et conſeruatorem rerum omnium colebant. *Neitham* vero Aegyptii *** cum *Iſide*, certo reſpectu eandem putabant, et ſaepe conſundebant, inprimis poſtquam eam † τόπον θεῶν vocare conſueuerant. Hac igitur de cauſa fieri potuit, vt *Sothin Iſidi* potiſſimum ſacram eſſe vellent.

(3) *Quia Sidus caniculae, etiam ad Iſidem proprie ſic dictam, id* §. 6. Verum ne opus quidem eſt, vt de *Neitha* hic cogitemus, etſi tamen eam in vniuerſum minime excludamus. Sunt rationes ponderis non minimi, quae *Sothin*, vel *caniculae ſidus*, *Iſidi* proprie ſic dictae, id eſt *Lunae*, ſatis ſuperque vindicent. Si enim *Sothin* ex mente Aegyptiorum conſiderare

* In *Bibliotheca magna Patrum* Pariſina Tom. XII. p. 647.

** Vide ſupra Lib. I. cap. III. §. 7. 8.

*** PLVTARCHVS de Iſide p. 357. et 376.

† Vide ſupra, hoc libro III. cap. I. §. 10.

ſiderare velis, tanquam totius mundi natalem, ille etiam, ſecundum eiuſdem gentis doctrinam, *Lunae* ratione ſingulari, ſacer erat et proprius. Id non melius, quam ex hac Aegyptiorum de Scarabaeo trá- ditione intelligi poteſt *: *Vbi Scarabaeus ſobolem procreare vult, bouis fimum nactus, globulum ex eo, eiuſdem cum mundo figurae fingit: quem vbi ab ortu in occaſum auerſis pedibus volutarit, ipſe rurſum, vt orbi perſimilem figuram edat atque exprimat, in ortum conuertitur. —— Hanc itaque pilam in terra defoſ- ſam reponit in dies octo et viginti: nam et totidem diebus Luna duodecim Zodiaci ſigna perluſtrat, ſub qua toto illo tempore permanens animatur ac ſemen vitale ſuſcipit Scarabaeorum genus. Nono autem et viceſimo die apertam pilam in aquam coniicit (eum enim diem eſſe putat, quo et Luna cum Sole congre- diatur, et mundi inſuper fiat generatio), quae dum in aqua aperitur, prodeunt animalia, hoc eſt Scara- baei* Non ſuperuacaneum duco, verbis hiſce HORAPOLLINIS ſubiicere, quae ad ea commen- tatus eſt IO. CORNELIVS de PAVW: *Die vigeſi- mo nono, quo Luna Solis congreſſum appetit, Mun- dus hic viſibilis et ὑλικὸς, ortus eſt ſecundum Aegy- ptios. Scis quid de mundi ortu fabulentur illi: huius tota machina producta fuit die vigeſimo nono, cum dies viginti octo latuerat, et ipſo illo puncto diei vige- ſimi noni, quo Sol cum Luna congreditur, ſe viſen- dam praebuit, natiuitatiſque habuit horam.* Ibidem vir eruditus, qui iam ad plures abiit, ſe alias hac de re plura dicturum eſſe, pollicitus erat, et nos quoque idem faciemus, ſi ad *Tabulam Bembinam* explicandam, manus aliquando admouere licebit. Confirmat hoc MACROBIVS Lib. I. *in Somnium Scipionis*, cap. XXI. ſequentibus verbis: *Aiunt*

eſt, Lunam, relationem habet ſin- gularem.

C 5 *Aegyptii,*

* HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 10.

Aegyptii, in hac genitura mundi, —— *horam fuiſſe mundi naſcentis; cancro geſtante Lunam.* Et quibusdam intermediis: *Duobus quidem luminibus,* (Soli et Lunae,) *ſingula tantum ſigna* Zodiaci, *in quibus tunc fuerant,* (cum mundus naſceretur,) *aſſignauit antiquitas, Cancrum Lunae, Soli Leonem.* Et norunt, qui Aſtrologorum praecepta conſuluerunt, *Leonem* domum eſſe *Solis, Cancrum* vero *Lunae.* En igitur *Cancrum,* prope quem eſt *Sothis, Lunae* modo ſingulari ſacratum!

(4) *Quia etiam principium periodi Sothiacae, Lunae ſingulari ratione ſacrum fuit.*

§. 7. Forte tamen ea, quae Sacerdotes Aegyptii de natali totius mundi aenigmatice tradebant, re ipſa, nouam tantum anni conſtitutionem, ab *ortu caniculae* incipientis, reſpiciebant. Id * viri quidam doctiſſimi, ratione ſatis probabili ſuſpicati ſunt, idque aliquando, ſi viſum fuerit Deo, ad *Tabulam Bembinam,* nouo argumento confirmatum dabo. Videntur itaque Sacerdotes Aegyptii rationem habuiſſe peculiarem, ob quam *Sothin,* ſiue *caniculae ſidus,* quatenus annum auſpicatur, *Iſidi* proprium ſacrumque eſſe voluerint. Rationem illam in his aperuiſſe mihi videtur DODWELLVS **: *Mundi autem praeterea natalem diem hunc appellabant, quod non vnius duntaxat coeleſtis orbis in eo circuitus denotaretur, vt in motu ſolari anni canicularis magni, tunc enim redire credebatur Sol ad idem Coeli punctum, vnde ab illius anni initio diſceſſerat, et quidem in eodem menſis ciuilis die, eademque hora.* —— *Mundi itaque ille fuit apud Aegyptios circuitus, quo fieret non Solis modo, ſed Lunae etiam ἀποκατάςασις, ita vt non ſibi tantum, verum etiam inuicem reſponderent in eodem ſitu, eodemque inter ſe reſpectu. Sacrorum*

* DODWELLVS in Append. ad Diſſertat. Cyprian. §. 14. DES-VIGNOLES Chronologie Tom. II. p. 694.
** DODWELLVS, vbi ſupra.

crorum enim cauſa diximus ab Ethnicis id genus cyclos fuiſſe excogitatos. In Sacris autem, non Solis tantum; ſed Lunae etiam rationem habebant propter Neomenias. Illam itaque Lunae cum Sole in eundem locum ἀποκατάστασιν XXV *annorum circuitu contingere credebant.* etc. Liquet ex his, in Feſto *Sotheos*, ſeu noui anni auſpiciis, rationem Aegyptios habuiſſe, non tantum *Caniculae*; ſed etiam *Lunae*, quae ad Feſtum illud concurrere credebatur, vt illi igitur, Caniculae ſidus merito ſacrum propriumque dici potuerit. Suſpicor itaque, Sacerdotes Aegyptios, propter rationem, quam nunc intelleximus a DODWELLO explicatam, primum diem nouae Periodi Sothiacae talem elegiſſe, in quo cum *Caniculae ortu*, ſiue *Sothi*, noua Luna concurreret. Nam Aegyptios Neomeniarum rationem habuiſſe prorſus ſingularem, easque ceu dies multo auſpicatiſſimos, impenſa laetitia celebraſſe, multis modis teſtatum eſt: Et hinc factum eſſe videtur, vt tempore inſecuto, longe plurimi per Aegyptum, annum quidem auſpicarentur a *Sothi*, ſiue ipſo *Caniculae ortu*; verum non pauci tamen a coitu Lunae, quae *ortum Caniculae* praecederet, quod ex VETTIO VALENTE, Aſtrologo clariſſimo; ſed inedito, * SALMASIVS nos docuit. Cur hi, quaeſo, anni initium in noua Luna ponerent, niſi id in primo anno nouae periodi obſeruatum fuiſſet? Quod ſi igitur cum prima *Sothi* concurrit *noua Luna*, ratio iam manifeſta eſt omnibus, cur dies ille *Iſidi*, ſiue *Lunae*, ſingularem in modum ſacer eſſet dicatuſque.

§. 8. Cum ratione nunc ſubminiſtrata, aliam praeterea coniungendam eſſe putamus. Nempe in ortu Caniculae, Aegyptii ex certis quibuſdam ſignis de prouentu totius anni iudicium ferre ſolebant. *Adduntur eius rei praeterea rationes aliae.*

Docet

* *de annis Climactericis* p. 113. 114.

Docet id HORAPOLLO in Hieroglyphicis Lib. I. cap. 3: Κατὰ τὴν τέτε τε ἄςρε ἀνατολὴν, σημειέμεθα περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ μελλόντων τελεῖσθαι. *In ſideris Caniculae exortu, ex ſignis quibuſdam obſeruamus, quae toto anno euentura ſunt.* Non tamen mihi haec videntur intelligenda de iis, quae hominibus euentura eſſent, bona malaue, vti IOH. CAVSSINVS verba auctoris noſtri interpretatur. Sed prognoſtica haec ſpectabant tantum prouentum frugum, leguminum et ſeminum, quod ex PALLADIO liquet, cuius verba adſcribere non grauabor. Ita illa ſe habent: * *Graeci aſſerunt, Aegyptios hoc more prouentum futuri cuiuſque ſeminis experiri: aream breuem loco ſubacto et humido nunc excolunt, et in ea diuiſis ſpatiis, omnia frumenti vel leguminum ſemina ſpargunt: Deinde in ortu Caniculae, qui apud Romanos quartodecimo Calendarum Auguſtarum die tenetur, explorant, quae ſemina ortum ſidus exurat, quae illaeſa cuſtodiat. His abſtinent, illa procurant; quia indicium noxae aut beneficii, per annum futurum generi vnicuique, ſidus aridum praeſenti exitio vel ſalute praemiſit.* Alii, fateor, rem hanc ab Aegyptiis acceptam, non ad fruges tantum, ſed ad permulta alia quoque, extenderunt.

De Cilicibus id obſeruat MANILIVS Aſtron. Lib. I. v. 387:

Subſequitur rapido contenta canicula curſu,
Qua nullum terris violentius aduenit aſtrum,
Hanc qui ſurgentem, primo quum redditur ortu,
Montis ab excelſo ſpeculantur vertice Tauri
Prouentus frugum varios, et tempora diſcunt,
Quaeque valetudo veniat, concordia quanta.
Bella facit, pacemque refert, varieque reuertens
Sic mouet, vt vidit, mundum, vultuque gubernat.

* *de re ruſtica* Lib. VII, Tit. IX. p. 967. Edit. Geſn.

De Ceis etiam CICERO refert, eos * *ortum caniculae diligenter quotannis ſolere ſeruare, coniecturamque capere ——— ſalubriſne an peſtilens annus futurus ſit: nam ſi obſcurior quaſi caliginoſa Stella extiterit, pingue et concretum eſſe Coelum, vt eius aſpiratio grauis, et peſtilens futura ſit: ſin illuſtris et perlucida Stella apparuerit, ſignificari coelum eſſe tenue, purumque et propterea ſalubre.* Vtrum et hoc ab Aegyptiis tractum; an vero a Ceorum Theologis labentibus annis additum fuerit, aliis diiudicandum relinquo. Quicquid ſit, illius rei mentionem hic faciendam eſſe putaui, quia omne hoc, quicquid eſt, ſecundum quosdam pendet ex poſitione Lunae, ſiue domo, quam illa ſub ortum Caniculae occupat, vt nôtauit auctor *Geoponicôn* Lib. I. cap. 8. Hoc arbitror ex fontibus Aegyptiorum dimanaſſe, vt in quorum Theologia Luna ad res fere omnes interueniret, ideoque eos *Caniculae* Sidus *Iſidi* vel *Lunae* conſecraſſe. Neque etiam ſilentio inuoluendum, cum ortu Caniculae in Aegypto, incrementa Nili omnibus iam manifeſta fieri, vnde Sidus hoc ** Aegyptii dicere conſueuerunt ὑδραγωγὸν, *ciens aquam*, et ab hoc termino *** multi incrementa illa deducere ac numerare ſoliti ſunt. † Alibi vero oſtendimus, haec fluuii incrementa Aegyptios ad *Iſidem*, ſiue *Lunam*, tanquam veram illorum cauſam retuliſſe. Vti igitur iidem *Sothin*, ſiue *Sidus Caniculae* venerati ſunt, ceu ὑδραγωγὸν, *quae aquas Nili cieret atque augeret*, quod modo obſeruabamus, ita

* *de Diuinatione* Lib. I. fin.

** PLVTARCHVS de Iſide p. 365. fin.

*** DIODORVS p. 16. PLINIVS Lib. V. cap. IX. SOLINVS cap. 35. Edit. Salmaſ. TIBVLLVS Lib. I. Eleg. VIII. 21. 22. THEO in Aratum p. 22. AELIANVS de Anim. Lib. X. cap. 45.

† Supra, cap. I. §. 5. 6.

ita * eodem nomine inſignierunt etiam *Lunam*, quod nimirum haec cum Caniculae ſidere concurrens, augmenti Niliaci, illo tempore ab omnibus conſpiciendi, vera cauſa eſſet. Hac igitur etiam de cauſa, *Sothis* in Aegypto ſacrata erat *Iſidi*.

Sothis Aegyptiis non ſignificat canem, vt quidam credidere.

§. 9. Videamus nunc iam, quidnam *Sothis*, Aegyptiorum ſermone auito proprie ſignificauerit. Ex Veterum teſtimoniis ſupra obſeruauimus, §. 3, nomine hoc Aegyptios deſignaſſe *Sidus Caniculae*, κύνα, aut illius *ortum*. Seduxit hoc eruditorum nonnullos, vt exiſtimarent, *canem* animal, priſca illius gentis lingua dictum fuiſſe *Sothin*. Praeiuit illis ſine dubio KIRCHERVS, qui ** in *Scala magna*, Coptico-Arabico-Latina, quam e Cod. *MS.* edidit, haec habet, p. 165. ⲠⲒⲤⲰⲐⲒⲤ ·2· ⲠⲒⲤⲒⲰⲒⲐⲒ. *Canis*, quae tamen nugiuendulus ille, vt multa alia, e cerebro proprio tantum hauſiſſe videtur. Ex hac lacuna hauſit BOCHARTVS, quod paulo confidentius hunc ad modum ſcribit: *** *Sed Canis Aegyptiis erat Σῶθις, vt hodieque apud Coptos.* Hinc eſt, quod videas, eruditos quoſdam viros *Sothin* interpretari *Anubidem*, nam hicce ab Aegyptiis capite fingebatur canino. Verum profecto operam oleumque perdunt, qui interpretationi huic, aliquid qualecunque ſuperſtruunt. In Coptorum libris, *canis* nuſpiam *Sothis* dicitur, ſemper *U-hor*, ⲞⲨϨⲰⲢ. Nec habet interpretatio illa fundamentum aliud, niſi hoc, quod Sidus, quod *Sothin* Aegyptii dixerunt, Graeci κύνα, id eſt *Canem*, vel, vt loqui ſolent Scriptores latini, *caniculam*, appellitauerint. At vero conſtellationum coeleſtium, non

* EVSEBIVS *Praeparat.* Euang. L. III. cap. XII.
** Vide et eiuſdem *Prodromum Coptum* p. 145. 147. 148.
*** in *Hierozoico*. Part. I. col. 691.

non erant eaedem apud Graecos et Aegyptios imagines, et multo minus earundem nomina inter ſe conueniebant. * *In Sphaera Aegyptiaca neque draco cenſetur, aut nominatur, neque vrſae, neque Cepheus; Sed aliae formae, aliaque nomina illis ſunt indita.* ** Quam Graeci *Hydram* appellabant, Aegyptii dicebant *Nilum*. Et ſic in aliis. Et in vniuerſum *Chaldaeos et Aegyptios aliis formis et nominibus expreſſiſſe ſigna coeleſtia, certiſſimus teſtis eſt Hero in Aſtronomicis*, inquit IS. VOSSIVS Obſeruat. in Catullum p. 302, ex cuius verbis intelligi non poteſt, ſitne HERO ille, quem teſtem laudat, in lucem editus, an vero in Bibliothecis, inter Codd. MSS. etiamnum lateat. Certe poſt inſtitutam inquiſitionem multiplicem, etiam apud viros longe eruditiſſimos, rerumque harum peritiſſimos, nihil ea de re comperire potui. Et apparet etiam, diligentiſſimo et laborioſiſſimo FABRICIO, Hamburgenſi, ignotum penitus librum hunc fuiſſe, vt qui mentionem illius, *** in *Bibliotheca Graeca*, omnino nullam fecerit. Sed video tamen FRIDERICVM LINDEBROGIVM † alicubi citaſſe HERONEM *Alexandrinum* περὶ ὀνομάτων ἀστρονομικῶν *pag.* 31; qui eſt haud dubie is ipſe, ad quem VOSSIVS etiam prouocauerat. Diſcas quoque ex eo, librum hunc typis deſcriptum, publicique iuris factum, libris omnino rarioribus eſſe adſcribendum. Ceterum eadem de re quoque egerat olim NIGIDIVS in †† *Sphaera barbarica*, quam diſtinxerat a ††† *Sphaera*

ra

* ACHILLES TATIVS in Iſagoge ad Aratum, in PETAVII Vranolog. p. 164.

** THEON ad Arati Phaenom. p. 58.

*** Vide illius Volumen II. ſiue Lib. III. cap. XXIV. p. 594.

† Notis ad Ammianum Marcellinum p. 123. Edit. Hamburg.

†† Citatur a SERVIO in Virgilii Georg. Lib. I. v. 19.

††† Idem in Georgic. Lib. I. v. 43.

ra Graecanica, quam et ipſam ediderat. Ex eo igitur, quod Aegyptii Sidus *Caniculae*, ſermone ſuo *Sothin* nuncuparent, conſequi nulla ratione poteſt, *Sothin* Aegyptiis proprie ſonare *canem*.

Quid de Plutarchi originatione cenſendum ſit, qui Sothin interpretatur grauidam.

§. 10. Videmus etiam, PLVTARCHVM vocem hanc eandem, ex auita Aegyptiorum lingua, longe alia ratione interpretari, quantumuis in ea videatur fuiſſe ſententia, ſignificationem vocis Aegyptiacae effeciſſe, vt Graeci Sidus illud dixerint *κύνα*, *Canem*, vel, vt Latini loqui amant, *Caniculam*. Ita enim ille: * *Σωθὶ αἰγυπτιςὶ σημαίνει κύησιν ἢ τὸ κύειν, διὸ καὶ παρατροπῆς γινομένης τοῦ ὀνόματος, ἑλληνιςὶ κύων κέκληται τὸ ἄςρον, ὅπερ ἴδιον τῆς Ἴσιδος νομίζουσιν. Sothi Aegyptiace ſignificat κύειν, id eſt grauiditatem, et vtero geſtare. Et hinc facta inclinatione, Stella Caniculae, quae propria Iſidis cenſetur, graece dicta eſt κύων, quaſi dicas Canem.* De *παρατροπῇ*, quam hic Scriptor optimus comminiſcitur, quaſi ex *κύειν*, vtero geſtare, temporis proceſſu natum fuerit *κύων*, *Canis*, nihil addo, illa enim fabulae ſimillima videtur. Ceteroquin vero interpretationem, quam hic auctor idem adfert, lingua Coptorum mirifice confirmat. Sciendum vero, Coptis ⲱϮ, *oti*, ſonare *vterum*, et addita nota generis foeminini Ⲧ-ⲱϮ, *T-oti*. Vide Exod. XIII. 2. 12. 13. 15. ϬⲒ porro, *Si*, eſt *accipere*. Erit igitur ϬⲒ-ⲱϮ, *Si-oti*, *quae accipit vtero*, id eſt *concipiens*, et *vtero geſtans*. Graeci rem eandem, locutione plane ſimili, dicunt, *ἐν γαςρὶ λαμβάνειν*, et *ἔχειν*, *vtero accipere*, et *vtero geſtare*. Pondus non leue, iis quae dixi, addere videntur, quae in *Scala magna Kircheriana* occurrunt.

* *de Iſide et Oſir.* p. 375. extr. 376.

runt p. 52. ϭι ωϯ, *cauda ſcorpii*, *ſiue Statio Lunae prope Caniculam.* Ita haec olim in vſum meum deſcripſi, nam liber ipſe nunc prae manibus non eſt. Verum fateor libenter, me ea non ope-re, nec ſcire, quid de iis iudicandum ſit. Nam ſcorpius a cancro et canicula, interuallo nimio quanto diſtat. Videtur tamen hic ad *Sothin* digitus intendi, nomenque hoc, ita fere, vt interpretatus ſum, literis Coptorum ſcribi. Et ex hoc loco, hauſiſſe videtur KIRCHERVS, quod * toties fidenter affirmat, Sothin Coptice ſcribi ϲι ωϯ, *Si-othi.* Quomodocunque tamen res iſta ſe habeat, aliter quam ſic ſtatuere non poſſum, interpretationem eorum, qui *Sothin* exponebant *grauidam*, et *vtero geſtantem*, fuiſſe tantum coniecturam auctorum quorundam recentium, non inelegantem ſane, nec ingenio deſtitutam, et quae ** ex Theologia Aegyptiorum priſca de *Iſide*, illuſtrari poterat; ſed quae tamen erat tantum coniectura. Neque mirari quencunque oportet, a temporibus Ptolemaeorum, nomina Deorum in Aegypto, vix aliter, quam per coniecturas, et nonnunquam ſatis incertas, explicari potuiſſe. Nam et linguam ipſam, et adhuc multo magis rationem orthographiae, vti apud gentes pleraſque alias, ita etiam apud Aegyptios, varias, labentibus annis, ſubiiſſe mutationes, nemini obſcurum poteſt eſſe, aut dubium, qui ad conſiderandum linguarum diuerſarum origines et progreſſus, animum vnquam aduertit. Haec eſt ratio, cur videamus, Graecos pariter atque Romanos, in explicandis priſcis Deorum ſuorum nominibus adeo fluctuare, adeo incertos ancipiteſque ſemper haerere.

Omnes

* in *Prodromo Copto* p. 145. 147. 148.
** Vide Libri huius III. cap. I. §. 4.

Omnes illorum in hoc negotio etymologiae, nil ſunt, niſi purae putaeque coniecturae. Apud Aegyptios et hoc praeterea accidit, vt a temporibus Pſammetichi, ac praeſertim Ptolemaeorum, literae peregrinae, graecae videlicet, in vſu communi inuectae, antiquas paulatim pepulerint, quod in ſcribendis et pronuntiandis vocibus permultis, confuſionem non exiguam, et paulatim etiam incertitudinem, variumque et multiplicem diſſenſum circa res has eruditorum, poſt ſe non potuit non trahere. Denique et hoc tenendum eſt, Theologiam Aegyptiorum arcanam, ex qua vera nominum ſacrorum explicatio peti tantum poterat, regnantibus Ptolemaeis in Aegypto, paucis valde fuiſſe perſpectam, et ante natiuitatem Seruatoris, vt videtur, plane intercidiſſe, vt itaque in permultis, non niſi ſolis coniecturis locus eſſe potuerit. Si quis ea, quae de originatione nominis Oſiris, * ex PLVTARCHO, aliiſque quos ille laudat auctoribus antiquis, attulimus, meditate expenderit, a mea ſententia alienus eſſe non poterit. Licebit ergo mihi, etiam meam de vera nominis *Sothis* originatione et ſignificatione opinionem, beneuolo lectori offerre.

Vox Sothis interpretari licet initium, vel initium temporis.

§. II. Operae autem pretium eſt, obſeruare, in voce Σῶθις, vltimas duas literas, videri eſſe terminationem graecam, et a Graecis additas. Nam PETOSIRIS, Aſtrologus Aegyptius perantiquus, ex quo paſſim nonnulla deſcribit VETTIVS VALENS, auctor hucuſque ineditus, ** ſidus caniculae Aegyptiace appellat τὸν σῆθ, tametſi *** SALMASIVS autumauerit, ipſum Sidus Aegyptios dixiſſe Σῶθιν,

* Lib. II. cap. I. §. 10. 11. 12.
** Vide SALMASIVM de ann. Climacter. p. 113. 114. 615. MARSHAMVM in Canone Chronico p. 8.
*** Libro cit. p. 615.

Σῶθιν, Stellam vero, quae in ore canis locatur, Σὴθ, vel Σίτ. Argumentum, quo inductus vir ille ſummus, ita cenſuit, mihi quidem minus firmum videtur. Σῶθις aperte Graecorum terminationem prae ſe fert. Aegyptii vero nomen iſtud pronuntiabant Σὴθ, vel Σῶθ, quippe quod eodem redit. Nam in lingua Aegyptiorum, vocales, ac praeſertim ἢ, et ὢ, mirum in modum inter ſe permutantur. Auguror porro, voce Σὴθ, vel Σῶθ, priſcos Aegyptios, non tam ſidus ipſum, quam potius illius exortum, et diem, vel tempus, quo illud oritur, deſignare voluiſſe. Si opinio me non fallit, Aegyptii ortum caniculae denominarunt σὴθ, a re, in hiſtoria eorum, ac etiam religione, ſi quaequam alia, maxime memorabili, quod nempe a Sideris illius ortu, annos ſuos auſpicarentur. Vide ſupra §. 3. 5. Quibus nunc haec CENSORINI iungimus, *de die natali* cap. XVIII: *Aegyptiorum annum —— Graeci κυνικὸν, Latini canicularem vocamus, propterea, quod initium illius ſumitur, cum primo die eius menſis, quem vocant Aegyptii Thot, caniculae ſidus exoritur.* Et iſta THEOPHILI, veteris Aſtrologi inediti: * Τὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀρχὴν οἱ παλαιότατοι τῶν αἰγυπτίων καὶ σοφώτατοι ἀστρονόμοι ἐκ τῆς τοῦ κυνὸς ἀνατολῆς ὥρισαν εἶναι. *Vetuſtiſſimi et ſapientiſſimi Aegyptiorum Aſtronomi decreuerunt, anni principium putari debere ab ortu caniculae.* Et eius quidem rei hanc fuiſſe rationem addit, quod eodem tempore, Nilus augeri et adſcendere conſueuerit. Huius autem rei memoriam, Sacerdotes nomine *Sothis*, aut potius *Seth*, et *Soth*, quo deſignabant ortum caniculae, complecti et conſeruare voluiſſe, arbitror. Nempe ϪⲰ, *Dſo*, vel *So*, lingua Aegyptiorum

* Apud GAVLMINIVM in notis ad vitam Moſis Lib. I. cap. X.

admodum frequenter dicitur *caput*, et eadem quoque voce deſignari ſolet *principium* rei. Pro ϫⲱ vero, reperitur etiam ϫⲱϫ, Pſ. CXVIII. 22. Matth. XXI. 41. Actor. IV. 11. ϫⲱϫ vero ſatis commode a Graecis efferri potuit Σῶϑ, et, quoniam apud Aegyptios vocales ſaepe et vehementer permutantur, Σήϑ. Voce igitur hac deſignaretur *principium* κατ' ἐξοχὴν, *annorum* ſcilicet, et, vt volebant Aegyptii, etiam *totius mundi*. §. 6. 7. Ceterum, * cum ⲟⲉⲓϣ, *O-eiſch*, vel *O-eis*, antiquiſſima dialecto Thebaidis, *tempus* ſignificet, ſuſpicor omnium primo ortum caniculae dictum fuiſſe ϫⲱϫ-ⲟⲉⲓϣ, *Soth-oeis*, vel *Sothois*, id eſt, *principium temporum*, vnde forte Graecorum Σῶϑις re vera ortum eſt; ſed poſtea temporum decurſu, vocem fuiſſe abbreuiatam et contractam, ſolamque primam ſyllabam ϫⲱϫ, quae *principium* ſonat, retentam.

Alia interpretatio additur, priori quoad rem perſimilis.

§. 12. Eſt et aliud, quod mihi, rem hanc cogitationibus voluenti et reuoluenti, in mentem ſemel iterumque venit, quod lectoris eruditi et cordati iudicio beneuolo nunc ſubmittam. Certum eſt, veteres Aegyptiorum Aſtrologos, nomen hoc, quod Graeci ſcribere ſolent Σῶϑις, extuliſſe Σήϑ, §. 11. Ex quo ſequeretur, quod illic etiam monuimus, Σῶϑις ſic efferri ſecundum terminationem graecam. Non tamen negligendum in vniuerſum, quod ex teſtimonio PLVTARCHI diſcimus, (§. 10.) ex ipſis Aegyptiis, quoſdam vocem illam ſic interpretari ſolitos fuiſſe, tanquam proprio ipſorum ſermone ſonaret *Sothi*. Probabile mihi iam fit, vocem hanc, literis Copticis ſcriptam, re ipſa ſonuiſſe ⲧ-ϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ, *T-hueite*, quod in dialecto Thebaidis

* Vide ſupra Lib. II. cap. I. §. 14.

baidis antiquiſſima, *principium rerum* deſignat. Itaque interpretes Copti, verba illa Moſis Geneſ. I. 1. quae in verſione Alexandrina ſic ſonant: Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ȣ̓ρανὸν, in dialecto Thebaidos ita tranſtulerunt: * ϩⲛ ⲧⲉϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ ⲁⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ⲧⲁⲙⲓⲟ ⲛ̄ⲧⲡⲉ ⲙⲛ ⲡⲕⲁϩ. Ex eo intelligitur, priſcos Aegyptios, *principium* cuiuſque *rei* dixiſſe ⲧⲉ-ϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ, vel, quod plane idem eſt, ⲧ-ϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ, *T-hueite.* Nomen vero Aegyptiacum *Sothis*, Graeci ** nonnunquam efferunt Σῶθην, ex quo non inepte colligas, in Aegypto quosdam vocem illam pronuntiaſſe *Sothi*, alios vero *Sothe.* Hoc autem poſtremum eſſet *Thueite.* Ceterum vox Aegyptiaca ⲧϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ, proprie ſignificat *primam*, in genere foeminino, et ſubintelligitur aliquod ſubſtantiuum, vt loquuntur grammaticorum filii, generis foeminini. Non poteſt intelligi *dies*, nam vox Aegyptiaca, diem ſignificans, ⲡ-ⲉϩⲟⲟⲩ, ſemper effertur genere maſculino. Neque video, quodnam poſſit hic ſubſtitui aliud nomen, cui ⲧ-ϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ, *prima*, conueniat, niſi ϯ-ⲟⲩⲛⲟⲩ, *hora*, vox etiam foeminini generis. Etiam apud Scriptores exoticos, vbi adiectiuum aliquod numerale, abſolute et elliptice ponitur, ſaepius ſubintelligenda venit *hora*, vti in his TITI CALPVRNII *Ecloga* V. 60.

Verum vbi decliui iam NONA tepeſcere Sole
Incipiet, ſeraeque videbitur hora merendae.

Sic igitur ⲧ-ϩⲟⲩⲉⲓⲧⲉ proprie ſignificaret *horam primam*, ſiue diei, ſiue menſis, ſiue anni, ſiue

* Ita verba haec citata inueni in aliquo libro antiquo MS. in dialecto illa exarato.

** PLVTARCHVS *de ſolertia Animal.* p. 974.

ſiue denique etiam totius mundi. In dialecto communiori, ſiue inferioris Aegypti, vox Aegyptiaca effertur ⲧ-ϩⲟⲩⲓϯ, *t-huiti*, Luc. II. 2. Actor. XII. 10. Hoc videtur eſſe *Sothi*, vti prius *Sothe*, quemadmodum nonnulli vocem eandem pronuntiabant. Obſeruandum autem, literas has *Th*, et *S*, ſono ſibi inuicem perquam vicinas, in omnibus fere linguis, cumprimis vero Orientalibus, ſaepe permutari, ita vt litera eadem, a quibuſdam, vt *th*, ab aliis vero, vt *s*, et ab aliis denique, vt *t*, pronuntietur. Simili modo res etiam ſe habet in Aegyptiorum lingua. Vna eademque vox, a Graecis quibuſdam *Thuiti*, ab aliis vero *Suithi*, et contractius *Sothi* efferri poterat. Tandem etiam vocalis vltima *i*, et *e*, abiici coepit, quod in aliis quoque vocibus Aegyptiacis vſu venire, ex Coptorum libris certo nouimus. Sic igitur principium mundi, principium anni, principium menſium, a quibuſdam dictum fuit *Seth*, et *Soth*, ab aliis vero *Thoth*. Expoſitio haec mea, tanto probabilior erudito lectori videri poterit, quod * *Sothis*, de qua hic diſputamus, oriatur primo die illius Menſis, quem Aegyptii appellarunt *Thoth*, vel *Thoyth*. Vti igitur menſis ipſe, qui primus eſt menſium Aegyptiacorum, et a quo initia ducunt gentis huius anni, lingua ipſorum, recte dici potuit *Thoth*, vel *Thuit*, id eſt *Principium* temporis, ita prima quoque menſis huius dies, quae *primam horam* totius anni ſecum vehit, quod proprie ſignificat *Thuith*, eodem nomine quam optime inſigniri potuit. De hac vero obſeruatione arbitrari, penes eruditum lectorem eſto.

* In ſimiles fere cogitationes video incidiſſe etiam HENR. DODWELLVM in libro Anglico quem inſcripſit *a Diſcourſe concerning Sanchoniathons Phoenician hiſtory*, p. 25.

CA-

CAPVT III.

De Bubaſti, Aegyptiorum Numine, quod Graeci Dianam, ſiue Lucinam interpretantur.

Luna ſiue Iſis, ab Aegyptiis, pro diuerſa ad terram relatione, diuerſa nomina accipiebat. *Bubaſtis* referebatur ad *Lunam nouam*. §. 1. De *Bubaſti* Aegyptiorum Dea teſtimonia veterum. §. 2. Eam Graeci *Dianam* interpretantur. §. 3. Quia nempe Bubaſtis et virgo habebatur, et Luna, ac inſuper Lucina. §. 4. *Bubaſtis* erat aliquod *Lunae* Symbolum, ideoque certo ſenſu eadem cum *Iſide*, etſi huius perhiberetur filia. §. 5. Eaque de cauſa felis ipſi, ceu viua quaedam eius imago conſecrata erat. §. 6. Erat etiam eadem cum Aegyptiorum Εἰληθυία, ſiue *Lucina*, pluribus in locis culta. §. 7. De ſacris Lucinae huius antiquiſſimis et cruentis in Aegypto quaedam obſeruantur. §. 8. Lucina ſiue Bubaſtis Aegyptia, praeerat mulieribus parturientibus, et natiuitati infantum. §. 9. Erat autem *Bubaſtis*, ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, proprie Symbolum Lunae nouae. §. 10. Nomen *Bubaſtis* Aegyptiacum explicatur. §. 11.

§. 1.

Quemadmodum *Sol*, nomine *Oſiridis* apud Aegyptios inſignis, pro varia ad terram noſtram relatione, variiſque effectibus, nomina quoque diuerſa accipiebat, cultuque diſtincto concelebrabatur, ita *Lunae*, quam ab Aegyptiis nomine *Iſidis* religioſe cultam fuiſſe, cap. I. probauimus, idem etiam omnino contigit. Subinnuere hoc voluit CHAEREMON, *Sacrorum* in Aegypto *Scriba*,

Luna, ſiue Iſis, ab Aegyptiis, pro diuerſa ad terram relatione, diuerſa nomina accipiebat.

Scriba, vbi aſſeruit, * *ea quae de Oſiride et Iſide perhiberentur, et fabulas Sacerdotales omnes, ad Lunae modo creſcentis, modo ſeneſcentis varietatem, et ad Solis curſum referri.* Vna igitur eademque Luna, in Sacris Aegyptiorum, alia quodammodo cenſebatur, quando e radiis ſolaribus egreſſa, noua apparebat, et creſcere incipiebat, ideoque alio nomine, alioque cultu honorabatur; et rurſus alia habebatur, quando pleno Orbe lucebat; ſed et iam ſeneſcens, decrementa minabatur, mox ſecutura, nam et tum aliis decorabatur nominibus, alioque celebrabatur cultu. Si quid recte iudico, *Iſis* ſiue *Luna*, quando noua apparebat, a Sacerdotibus Aegyptiorum dicebatur *Bubaſtis*; vbi vero lucis plenitudinem aſſecuta fuiſſet, *Buti* nomine celebrabatur. Vel, vt ſententiam meam nonnihil diſtinctius explicem: Sacra *Bubaſti* fieri ſolita, referebantur ad *Nouam Lunam*, illiusque effectus; Sacra vero *Buti* inſtituta, ad *plenam Lunam*, bonaque ab illa ſperata. De Numine priori dicam hoc capite; ſequenti vero diſſeram de poſteriori.

De Bubaſti, Aegyptiorum Numine, teſtimonia veterum.

§. 2. Vt dictis, primo de *Bubaſti*, fidem faciam, res paulo altius repetenda eſt. *Bubaſteos* igitur, vt Numinis Aegyptiorum Sacroſancti, veterum complures mentionem faciunt. Inter illos antiquiſſimus eſt HERODOTVS, cuius en! verba e Lib. II. c. 137: Ἡ Βούβαστις κατ᾽ Ἑλλάδα γλῶσσαν ἐστὶ Ἄρτεμις. *Bubaſtis lingua graeca dicitur Diana.* Templum huic Deae ſplendidum ** in vrbe *Bubaſto* aedificatum erat, cuius auctor idem, eodem Libro, cap. 138 meminit quodque illic deſcribit. Idem cap. 156 ait: Ἀπόλλωνα

* in PORPHYRII Epiſtola ad Anebonem, praemiſſa Iamblicho de Myſter. Pag. VII. VIII.

** Erat et in Praefectura Heliopolitana Arx, et in ea Templum τῆς ἀγρίας Βουβάστιος, *Bubaſteos agreſtis*, teſte Epiſtola *Oniae* apud IOSEPHVM Antiqu. Lib. XIII. C. III. p. 638. Edit. Belgic.

λωνα καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις. Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις. *Apollinem et Dianam Aegyptii dicunt Bacchi et Iſidis liberos. Apollo vero Aegyptiace Horus dicitur: Ceres autem Iſis: Diana vero Bubaſtis.* In honorem huius *Bubaſteos*, ſiue *Dianae*, quotannis *Bubaſti*, in Templo huic Numini dedicato, Sacra celebrabantur pompa ſolenni, ad quam ex tota Aegypto, tempore * HERODOTI, vſque ad ſeptingenta hominum millia confluere ſolebant. Ad eam Pompam reſpicit forte OVIDIVS Lib. IX. Metam. v. 687.

Cum medio noctis ſpatio ſub imagine Somni
Inachis ante torum pompa comitata Sacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flauentibus auro,
Et regale decus; cum quo latrator Anubis,
SANCTAQVE BVBASTIS, variisque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet,
Siſtraque erant: nunquamque ſatis quaeſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

Sacra igitur *Bubaſtia* per totam Aegyptum celebria erant inprimis et Sacroſancta, vſque adeo, vt OVIDIVS *Bubaſtin* non vereatur appellare *Sanctam*. Aeuo etiam ** DIODORI *Siculi* in manibus hominum erat Inſcriptio quaedam, perantiqua vti ferebant, in qua laudi ſingulari ducebatur Iſidi, quod *ipſi aedificata eſſet Bubaſtus*, vbi nempe tanta religione, a populo vndecunque commeante, coleretur. Ipſis quoque Graecis et Romanis, *Sacra* haec *Bu-*

D 5 *baſtia*,

* Vide eum Lib. II. cap. 60.
** Vide eum Lib. I. p. 24.

baſtia, crebris ſermonibus, non parum celebrata erant. Meminit eorum GRATIVS *de Venatione* v. 42.

Vix operata ſuo, SACRA ad BVBASTIA, lino
Velatur ſonipes aeſtiuae turba Canopi.

Bubaſtin Aegyptiam, Graeci Dianam interpretantur.

§. 3. Numen hoc, quod auito Aegyptiorum ſermone *Bubaſtin* nuncupatum eſſe vidimus, graeci Sacrorum interpretes in Aegypto, *Dianam* interpretari conſueuerant, idque HERODOTVM teſtari intelleximus. Sicubi ergo veteres de *Diana* Aegyptiorum loquuntur, non aliam, quam hanc noſtram *Bubaſtin* intelligunt. Equidem ſi IVVENALEM audimus, *Dianam* Aegyptii omnino non coluerunt. Eſt notiſſimus hic eius verſus:

* *Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.*

Sed poteſt hic eſſe verborum illorum ſenſus, oppida permulta colere *canem*, *Anubim* videlicet, de quo plura dicentur Libro V, in quibus tamen nullus *Bubaſti*, vel *Dianae*, cultus offerretur. Aut potuit Poëta id intelligere de *Diana* Graecorum et Romanorum, montium nemorumque cuſtode, et venatorum Praeſide, quam ſane in *Bubaſti* ſua, Aegyptii non venerabantur. Forte etiam tempore illo, quo ſcribebat IVVENALIS, *Sacra Bubaſtia*, olim Aegyptiis Sacroſancta, ſummaque ſolennitate ac laetitia celebrata, a priſtino ſplendore magnopere deſciuerant, negl ectaque iacebant. Neque etiam Scriptor aliquis aetate illa iunior, nunc mihi ſuccurrit, qui de Sacris illius Deae, ceu ſuo etiamnum aeuo celebratis, loquatur. Non mediocriter ſuſpicionem hanc auget STRABO, ** qui loquens de Vrbe

* Satyra XV. 8. ** Lib. XVII. p. 553.

urbe *Bubaſto*, ſolum eius nomen commemorat, Templi vero ibidem viſendi ſumtuoſi et vere admirandi, mentionem plane nullam iniicit. Quicquid tamen ſit, illud dubio omni carere debet, Graecos Numen Aegyptiorum ſanctiſſimum, *Bubaſtin*, interpretari ſolere *Dianam*. Vnde STEPHANVS Ethnicographus, loquens de *Bubaſto*, vrbe Aegypti inferioris, ait, nomine hoc venire *et vrbem et Templum Dianae*, innuens, de quo dubitandi locus nullus eſt, noſtram *Bubaſtin*. Sic et Graeci alii, qui hanc tantum inter ſuam *Dianam*, Aegyptiorumque *Bubaſtin* differentiam obſeruant, quod * cum illa perhiberetur filia *Latonae*, haec *Baccho*, id eſt *Oſiride*, et *Cerere* ſiue *Iſide* prognata traderetur. Ex eo igitur ratio petenda eſt, quod quidam *Artemiſiam* herbam, ** appellauerint *Bubaſtheos cardiam*, id eſt *cor Bubaſtheos*. Nam herba illa graece nomen habuit *Artemiſiae*, *** *ex nomine Dianae, quae graece* Ἄρτεμις *dicitur*. Et idem plane Aegyptiis ſonabat *Bubaſtis*. Eodem ſpectant fabulae Graecorum, de Diana in felem conuerſa, vt Gigantum tyrannidem et tremendos impetus ſalua euaderet. Rem prolixe narrat OVIDIVS Metam. Lib. V. vbi et haec occurrunt v. 329.

Delius in coruo, proles Semeleia capro,
Fele ſoror Phoebi, niuea Saturnia vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Quibus

* HERODOTVS Lib. II. c. 156. PAVSANIAS in Arcadicis. Vtriuſque loca videbis deſcripta infra cap. IV. §. 4.

** APVLEIVS de herbis cap. 10. vbi tamen in Editione mea peſſime legitur *busbaſtheos cardiam*. Lege, vti hic ſcriptum dedi.

*** Idem ibidem cap. 12.

Quibus conſentiunt ea quae ex NICANDRO refert[1] ANTONINVS LIBERALIS in *Metamorph.* Fab. XXVIII. Nominantur illic Dii, qui vim Typhonis euaſuri, in Aegyptum aufugientes, formam mutarunt. Καὶ Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ Ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἴχθυς, Ἄρτεμις δὲ * αἴλουρος. *Apollo mutatus eſt in accipitrem, Mercurius in Ibin, Mars in piſcem Lepidotum, Diana in felem.* Nam haec reſpicere ad Dianam non Graecorum; verum Aegyptiorum, ſiue *Bubaſtin*, allata ex LIBERALI verba, iam ſic planum faciunt, idque ex eo non leuiter confirmatur, quod perhibeatur, mutationem illam contigiſſe, cum *Typhon* Deorum inimicus eos perſequeretur. Sciunt etiam eruditi, non quidem Dianae Graecanicae, at *Bubaſti* Aegyptiorum, felem habitam fuiſſe ſacram, eiuſque viuam quandam imaginem. Et hinc ſine dubio eſt, quod ** quidam memoriae prodiderint, *Bubaſtin* lingua Aegyptiorum *felem* dici, quod tamen ſecus ſe habere, infra videbimus. Id vero certum eſt, incolas vrbis *Bubaſti*, feles, in honorem Deae ſuae, tanto in pretio habuiſſe, *** vt eas poſt mortem, ceu ſacras, multo ſumtu conditas, ſepulchris intulerint. *Bubaſteos* vero Deae ſimulachra, aut in ſpeciem felis fingebantur, † qualia adhuc paſſim viſuntur, aut vbi etiam cetera quidem

[1] Ita locum hunc correxit SAM. BOCHARTVS Hierozoic. Part. II. col. 63. cum antea legeretur σίλουρος, eumque ſequuntur eruditi omnes. Adde HYGINI Poëtic. Aſtron. Lib. II. c. 28.

** STEPHANVS in Βούβαστος.

*** HERODOTVS Lib. II. c. 67.

† Vide *Tabulam Bembinam* Segmento III. Figura T. T. et *l'Antiquité expliquée* de MONTFAVCON To. II. Tab. CXXVI. Num. 1.

dem formam corporis humani prae ſe ferrent, * iis tamen caput felinum imponebatur.

Bubaſtin Graeci dixerunt Dianam, quod et virgo eſſet, et Luna haberetur, ac inſuper Lucina.

§. 4. Verum quam tandem putabis fuiſſe *Bubaſteos* Aegyptiacae cum *Diana* Graeca ſimilitudinem aut affinitatem? vt duo haec Numina inter ſe comparari, ac veluti permutari potuerint, vtque prior nomine poſterioris donaretur. Eſt inter Numen vtrumque aliqua diſcrepantia, quam in antecedentibus verbulo tetigimus. Nam alium Graeci *Dianae* ſuae ortum aſſignant, ex Ioue ſcilicet et Latona, alium Aegyptii Deae *Bubaſti*, ex Oſiride nempe et Iſide, §. 3. Aliam quoque Dianae Graeci curam imponunt, aliud veluti regnum attribuunt, volunt namque imperio eius ſingulariter ſubeſſe montes, nemora, fontes, feras, et quicquid ad venationem pertinet. Eruditis ignota non eſt *Diana venatrix* Graecorum et Romanorum. Horum vero omnium veſtigium plane nullum in Theologia Aegyptiorum mythica reperio. At ſunt tamen quaedam Numini vtrique communia, in quibus *Dianae* conuenit cum *Bubaſti*. Nam 1) *Dianam* Graeci fingunt virginem puram, caſtam, intactam: Ideoque a CALLIMACHO, Hymno in Dianam v. 6 introducitur a Ioue hoc petens

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Da mihi Pater virginitatem in aeternum cuſtodire.

Ad quem locum, plura huc ſpectantia dabit in Commentario EZECHIEL SPANHEMIVS. Idem omnino in fabulis Sacerdotalibus de *Bubaſti* tradebatur. Nullus certe ipſi tribuitur maritus, liberi nulli. Et

* MONTFAVCON Diar. Italic. p. 227. et eiuſdem *Antiquité expliquée*, loc. cit. num. 7. Adde PIGNORII Expoſit. Tab. Iſiacae p. 66. Edit. Amſtel.

Et non alia quam haec videtur fuiſſe cauſa, quod OVIDIVS Deam hanc *ſanctam Bubaſtin* dicendam eſſe cenſuerit, §. 2. * Apud Romanos enim *Sancta* et *Virgo* aequipollent, eſtque *ſancta pudicarum apud eos appellatio.* 2) *Diana* Graecis erat Symbolum aliquod Lunae, cuius vim et poteſtatem in illo religioſe venerabantur, quod vel Simulachra eius ſatis ſuperque teſtantur, quippe quae Lunam corniculatam in capite vt plurimum gerunt. Conſentit in eo tota Graecorum Theologia Phyſica, ex cuius praeceptis CICERO ſcribit de *natura Deorum* Lib. III. cap. 20. *Lunam Graeci Dianam putant.* Et OVIDIVS Metam. Lib. XV. 196.

Nec par aut eadem nocturnae forma Dianae
Eſſe poteſt vnquam: ſemperque hodierna ſequente,
Si creſcit minor eſt; maior, ſi contrahit orbem.

Et quid rei omnibus notae diutius inhaeream? *Bubaſtin* vero Aegyptiorum filiis nihil aliud fuiſſe, quam aliquod Lunae Symbolum, mox liquido probabitur, §. 5. 3) Graeci, quod mireris, ** Dianae, quantumuis virgini caſtae et pudicae, munus impoſuere obſtetricis, vnde ei nomen εἰληθύιας, vt Romani *Lucinae*, proprium eſſe voluerunt. Nam *** εἰλήθυιαι ſunt αἱ ἐπὶ τῶν τικτουσῶν θεαὶ, *Deae, quae mulieribus parientibus praeſunt.* HORATIVS ergo *Dianam* ſic precatur Carmin. Lib. III. Od. XXII.

Montium cuſtos nemorumque virgo
Quae laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho
Diua triformis.

Ad

* SPANHEMIVS ad Callimachum loc. cit. p. 126.

** PLATO in *Theaeteto*, p. 71. Ed. graec. Baſil. Vide inprimis SPANHEMIVM in Callim. p. 148.

*** HESYCHIVS in hac voce.

Ad quae verba haec commentatur *vetus Scholiaſtes* Cruquianus: *Ipſa quoque Lucifera, quod parientibus lucem ferat, vnde Lucina a parturientibus inuocatur, quod ideo ei datum eſt, quod prior a Latona Matre edita, in fratris Apollinis partu, eam iuuerit, et parturienti praeſtiterit ei obſtetricis officium.* In *Carmine Seculari* Poëta idem Deam iſtam his verſibus compellat:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres:
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

Id vero eſt, quod etiam Aegyptii de ſua *Bubaſti* praedicabant, in cuius tutela puerperas, et infantes partu in lucem edendos, eſſe volebant. Extat * NICARCHI Epigramma in mulierem, quae a nemine adiuta, fauſto partu, citra laborem filiam pepererat; cuius hi ſunt verſus vltimi:

Οὕτω Βούβαστις καταλύεται. εἰ γὰρ ἑκάστη
Τέξεται ὡς αὐτή, τίς θεοῦ ἐστὶ λόγος;

Hoc modo Bubaſtis inutilis redditur. Nam ſi mulier quaeuis
Sic pepererit, vt Philaenium, quis rationem habebit Deae?

Vide et quae dicentur §. 5. Huc etiam pertinent, quae veteres de Aegyptiorum Ἐιληθύια memoriae prodiderunt, quae alia eſſe non poteſt, quam noſtra *Bubaſtis*, et de qua nos §. 7 agemus. Haec fere ſunt, quae de *Bubaſti* dicenda erant. Ea tantum diſtinctius nonnihil euoluenda, bonis argumentis com-

* in *Anthologia Graeca*, Lib. I. Cap. LXXII. Epig. III. p. 154. Edit. Wechel.

communienda, et nonnullis obſeruationibus illuſtranda eſſe arbitror.

Bubaſtis erat ſymbolum aliquod Lunae, ideoque certo ſenſu cum Iſide eadem, etſi huius perhiberetur filia.

§. 5. *Bubaſtin* igitur Aegyptiorum, ad ipſorum *Iſin*, ſiue *Lunam* referri, aut re ipſa nihil aliud eſſe, quam Symbolum *Lunae*, in certa quadam ad terram noſtram relatione ſpectatae, certum eſt, multiſque rationibus probari poteſt. Euidens profecto eſt, in vetuſtis Aegyptiorum Monumentis, *Iſidem* eandem nonnunquam haberi cum *Bubaſti*, et Bubaſtin vice verſa eandem cum Iſide. Nam Inſcriptio illa antiqua, cuius ex DIODORO mentionem feci §. 2, affirmat, *Bubaſtum vrbem, Iſidi eſſe aedificatam*, adeoque etiam conſecratam. Scimus autem ex hiſtoria, Deae, quae in vrbe illa praecipue honorabatur, et a qua nuncupata etiam fuit *Bubaſtus*, proprium nomen extitiſſe *Bubaſtis*. §. 2. *Iſis* ergo et *Bubaſtis* hic deſignant vnum idemque Numen. De *Bubaſti* porro obſeruauimus §. 4, quod adeſſe credita fuerit mulieribus parturientibus, et Aegyptiorum *Ilithya*, ſiue *Lucina* ab omnibus habita. Hoc vero OVIDIVS refert ad *Iſidem*. Hanc enim inuocat, vt Corinnam parturientem adiuuet.

* *Iſi, Paraetonium, genialiaque arua Canopi*
Quae colis et Memphim, palmiferamque Pharon
Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua Sacra ſemper pius Oſiris amet,
Pigraque labatur circa donaria ſerpens,
Et comes in Pompa corniger Apis eat.
Huc adhibe vultus: et in vna parce duobus.
Nam vitam dominae tu dabis: illa mihi.
Lenis ades, precibuſque meis faue Ilithyia.
Digna eſt, quam iubeas muneris eſſe tui.

Et

* Amorum Lib. II. Eleg. XIII.

Et in his *Iſidem* cum *Bubaſti* permutari atque confundi, manifeſtum eſt. Poſſentque, ſi res id poſceret, * plura in eundem ſenſum adferri. Verum poteritne *Bubaſtis* eadem eſſe cum *Iſide*, cum in fabulis Aegyptiorum Sacris, illam huius venditatam fuiſſe nouerimus filiam? §. 3. An filia cum matre ſua cenſeri poterit, hoc ſenſu, eadem? Si ea, quae de *Bubaſti* et *Iſide* in fabulis Sacerdotum apud Aegyptios tradi ſolebant, hiſtorice explicanda, vel ex hiſtoria antiqua Aegyptiorum illuſtranda eſſent, abſurdus videri poſſem, talia aſſerendo. At in Theologia Aegyptiorum Symbolica, haec locum habere ſine vllo incommodo poſſunt. Sicut enim *Horus*, qui re ipſa erat cenſebaturque *Sol*, non minus atque *Oſiris*, ** huius tamen dici filius recte poterat, ita non minus apte *Bubaſtin* perhibere filiam *Iſidis* licebat, etſi vtraque Symbolum aliquod eſſet *Lunae*. Nempe poſt coniunctionem Solis cum Luna, quod eſt veluti vtriuſque connubium, Luna e radiis Solaribus emergens, noua apparet, eundoque creſcit, et tum Stylo ſymbolico, velut recens nata, conſiderari poteſt. Notum ſane eſt Studioſis rerum Iudaicarum, Hebraeorum Magiſtros ipſam *nouam Lunam*, ſiue coniunctionem Solis cum Luna *** appellare מולד, *natiuitatem*, vel *Lunam recens natam*. Sic etiam Poëtae loquuntur, quos inter HORATIVS ita canit *Carminum* Lib. III. Oda XXIII.

Coelo ſupinas ſi tuleris manus
NASCENTE LVNA, ruſtica Phidile.

En!

* Vide ſupra Lib. I. cap. V. §. 12. collat. cum 7.
** Vide ſupra Lib. II. cap. IV. §. 11.
*** MAIMONIDES *de conſecratione Calendarum* paſſim. BVXTORFFIVS in Lexico magno Talmudico voce מולד, col. 955.

En! habes *Lunam naſcentem.* Quod ſic *vetus Scholiaſtes* explicat: *Solent ruſticae mulieres in initio primae Lunae ad coelum effundere preces.* Quibus iunge haec LVCRETII Lib. V. v. 749.

Quo minus eſt mirum, ſi certo tempore LVNA
GIGNITVR, *et certo deletur tempore rurſus.*

Cum vero *Bubaſtis*, quod mox oſtendemus, Symbolum proprie fuerit Aegyptiis *Nouae Lunae*, eaque poſt congreſſum Solis cum Luna, tanquam recens nata in coelo appareat, et ab illo tempore incrementa capiat, iam vides, quomodo in Theologia Sacerdotum Symbolica, *Bubaſtis*, perquam commode, *Oſiridis*, id eſt *Solis*, et *Iſidis*, ſiue *Lunae* potuerit dici filia.

Eaque de cauſa, Bubaſti felis, tanquam viua eius imago conſecrata erat.

§. 6. Fatendum igitur eſt, *Bubaſteos* Numen, ex Aegyptiorum ſententia, reſpectum habuiſſe ad Lunam, aut habitam fuiſſe ipſam *Lunam*, nempe in certa quadam relatione ad terram noſtram ſpectatam. Mirifice id illuſtrat animal Deae huic dicatum et proprium, *felis* videlicet, quam viuam quandam eius imaginem eſſe aſſeuerabant Aegyptii. §. 3. Sunt enim prorſus mira, quae de animalis huius ad Lunam relatione, literis mandarunt veteres. Ea omnia ex Aegyptiorum diſciplina fluxiſſe, nullus dubito, et ſatis ſuperque ex illis intelligere licet, qua de cauſa gentis huius Sacerdotes, *felem Lunae* voluerint eſſe Symbolum. Quaedam, vt dictis fides conſtet, hic adferre, ſuperuacaneum non erit. Memorabilis eſt locus apud DEMETRIVM, quem cognominant *Phalereum*, de Elocutione §. 159. Edit. Oxon. Πολλοὺς δὲ καὶ (μύθους) προσπλάσσομεν προσφόρους καὶ οἰκείους τοῖς πράγμασιν. ὥσπερ τις περὶ αἰλούρου λέγων, ὅτι συμφθίνει τῇ σελήνῃ καὶ ὁ αἴλουρος, καὶ συμπαχύνεται, προσέπλασσεν, ὅτι

ἔνθεν

ἔνθεν καὶ ὁ μῦθός ἐστιν, ὡς ἡ σελήνη ἔτεκε τὸν αἴλουρον. — ὁ μῦθος ἐμφαίνει χαρίεν τι, αἴλουρον ποιῶν σελήνης παῖδα. *Multas autem praeterea fabulas fingimus vtiles et accommodatas rebus: veluti quidam de fele dicens, quod vna cum Luna extenuaretur, et pingueſceret, adfinxit: hinc et fabula exorta eſt, Lunam peperiſſe felem. —— Fabula illa prae ſe fert lepidum quiddam, dum facit felem Lunae foetum.* Fingit auctor hic, elegans ceteroquin lectuque dignus, fabulam de fele, quod eius pinguedo cum Luna et creſcat et decreſcat, ab oratore quodam excogitatam eſſe, in quo vtique fallitur. Nam id ex veteribus multi memoriae prodidere, neque dubito, quin fabula illa originis ſit Aegyptiacae, ſicut et illa, quae ibidem ſubiungitur, de Fele Lunae filia. An non enim lectori ſagaci confeſtim ſubolet, reſpici ad illam Aegyptiorum traditionem ſacerdotalem, *Bubaſtin*, quae ſub imagine felis repraeſentabatur, aut cuius imago erat viua felis, §. 3, filiam eſſe *Iſidis*, id eſt *Lunae*, §. 5? Fabulam aliam, ad idem negotium ſpectantem, adfert DAMASCIVS in *vita Iſidori*, his fere verbis: * *Felem aiunt Lunae dies numerare foetibus, quos edit. Septem enim primo, ſex partu ſecundo, tertio quinque, quarto quatuor, quinto tres, ſexto duos, ſeptimo vnum, et tot eſſe foetus felis, quot habet Luna dies.* Lunae enim dies ſunt XXVIII, et tot hic numerantur foetus, quos ſucceſſiue felis edere ſoleat. Similia habet PLVTARCHVS, vbi rationem reddit, cur in Siſtris Iſiacis, felis fingi ſculpique ſoleat, *de Iſ. et Oſir.* p. 376. *Felis*, inquit, *Lunam repraeſentat, ob animalis iſtius varietatem, ac vim noctu agendi, et foecunditatem. Dicitur enim vnum principio catulum parere, deinceps duos, tres, quatuor, vnoque ſubinde*

E 2

* apud PHOTIVM Cod. CXLII. p. 1047.

inde plures, donec ſeptem vno partu edat. Itaque XXVIII *parit, qui eſt numerus dierum Lunae. Verum hoc fortaſſis fabulae ſit ſimilius. Sed * felis oculorum pupillae impleri dilatarique videntur, ſub plenilunium, et Lunae lumine decreſcente, attenuari atque langueſcere.* Crediderunt itaque veteres, idque haud dubie ex diſciplina Aegyptiorum acceperunt, ſingularem prorſus eſſe felis cum Luna conſenſum, et quaſi συμπάθειαν, cumque illi animal hoc, *Bubaſti* ſuae conſecratum voluerint, eiuſque imaginem inprimis ſanctam habuerint, quis dubitet, quin aliquam Lunae virtutem ac poteſtatem, in Dea illa reueriti fuerint, populoque colendam propoſuerint? Neque parum hoc ex ipſo *Bubaſteos* nomine illuſtrare poſſumus. Verum ea de re poſtea videbimus.

Bubaſtis eadem erat cum Aegyptiorum Εἰληθυίᾳ, ſiue Lucina, pluribus in locis culta.

§. 7. Omittere hic nequeo, veteres ſubinde mentionem iniicere Deae cuiuſdam Aegyptiorum, quam Graeci Εἰληθύαν vocant, et a qua vrbs Εἰληθύας Aegypti ſuperioris, nomen accepit. DIODORVS *Siculus* Deam hanc antiquioribus Numinibus Aegypti accenſet, p. 12. *Aegyptii, inquit, Nilum ſuum pro Oceano habent, ad quem etiam Dii ſint orti: et ex omnibus totius Orbis Prouinciis, aiunt in ſola Aegypto, multas eſſe vrbes, ab ANTIQVIS DIIS, vt Ioue, Sole, Herme, Apolline, Pane, EILITHYIA, aliisque pluribus conditas.* Vrbs illa *Ilithyiae*, de qua auctor laudatus loquitur, ſita erat, vt dixi, in Aegypto ſuperiori, vbi eam in Praefectura Thebaea locat PTOLEMAEVS p. 122. Similiter STRABO Lib. XVII. p. 562: *Poſt Latopolin ſequitur vrbs Ilithyiae,* (ſiue Lucinae) *et Templum.*

* GELLIVS Noct. Attic. Lib. XX. cap. 8. et PROCLVS in Heſiodi Opera et dies Pag. CCII. Edit. Venetae Trincauelli.

plum. Sacra in Templo huius vrbis Ilithyiae fieri ſolita, erant deteſtanda, nam cruore humano altaria polluebantur. Ex MANETHONE refert id PLVTARCHVS de Iſ. p. 380: Καὶ γὰρ * ἐν Εἰληθύας πόλει ζῶντας ἀνθρώπους κατεπίμπρασαν, ὡς Μανέθων ἱςόρηκε, Τυφωνίους καλοῦντες, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν λικμῶντες ἠφάνιζον καὶ διέσπειρον. *In vrbe Ilithyiae viuos combuſſerunt homines, vt Manetho ſcribit, Typhonios appellantes, et cinerem eorum ventilando diſſiparunt, atque aboleuerunt.* Quinam vero ſint *homines* illi *Typhonii*, qui viui comburebantur, id docebit nos in his DIODORVS: ** Τῶν ἀνθρώπων τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι, τὸ παλαιὸν ὑπὸ τῶν βασιλέων φασὶ θύεσθαι πρὸς τῷ τάφῳ τοῦ Ὀσίριδος. *Homines quoque aiunt eiuſdem, quem Typhon habuit, coloris, antiquitus ad Oſiridis tumulum a regibus mactatos eſſe.* Nempe *** *Typhon colore erat rufus, ideoque eorum conſuetudinem vitabant Aegyptii, qui tales etiam eſſent adſpectu.* Neſcio tamen, num PLVTARCHVS paulo ante adductus, mentem MANETHONIS aut peruiderit, aut accurate expreſſerit. Nam PORPHYRIVS, Scriptor ſane diligens magnique pretii, rem eandem ex MANETHONE, ſed paulo aliter, hunc nempe in modum, refert: † Κατέλυσε δὲ καὶ ἐν Ἡλίου πόλει τῆς Αἰγύπτου, τὸν τῆς ἀνθρωποκτονίας νόμον Ἄμωσις, †† ὡς μαρτυρεῖ Μανεθώς. —— Ἐθύοντο δὲ τῇ Ἥρᾳ καὶ ἐδοκιμάζοντο, καθάπερ οἱ ζητούμενοι καθαροὶ μόσχοι καὶ συσφραγιζόμενοι· ἐθύοντο δὲ

 τῆς

* Ita hic et recte omnino legit MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 316.

** Lib. I. p. 79.

*** PLVTARCHVS de Iſide p. 362. 364.

† *de Abſtinentia* Lib. II. p. 223. Edit. Lugdun. et apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. IV. cap. XVI.

†† Sic ex EVSEBIO repoſui.

τῆς ἡμέρας τρεῖς, ἀνθ' ὧν κηρίνες ἐκέλευσεν ὁ Ἄμωσις τὰς ἴσες ἐπιτίθεσθαι. *Amoſis Heliopoli in Aegypto, ritum legemque mactandi homines ſuſtulit, ſicut teſtatur Manetho. —— Sacrificabantur autem Iunoni, iique ante non aliter explorabantur, *, atque id in vitulis fieri ſolet, ſollicite conquiſitis, ac deinde obſignatis. Tres autem quouis die mactabantur, in quorum locum Amoſis totidem imagines cereas hominum, illis magnitudine aequales ſubſtitui iuſſit.* Videmus et hic MANETHONEM citari, vti a PLVTARCHO. Sed hic tamen ex illo auctore refert, Sacra iſta immania fieri conſueuiſſe in *vrbe Ilithyiae*. At PORPHYRIVS, ex eodem Scriptore, aliam vrbem, *Heliopolin*, nominat, in qua crudele illud ſpectaculum editum fuerit. Dici tamen poſſe reor, MANETHONEM non vno in loco, de barbara priſcorum Aegyptiorum ἀνθρωποθυσίᾳ egiſſe. Forte, quod etiam ** MARSHAMO placet, olim et in *vrbe Ilithyiae*, et *Heliopoli* pariter, homines immolare moris fuit, et vtrumque hoc Sacerdos Aegyptius, ſed, vt videtur, locis diuerſis memoriae mandauerat. Praeterea vero aliam Deam PLVTARCHVS, aliam PORPHYRIVS ex MANETHONIS teſtimonio, nominat, in cuius honorem Sacra illa execranda fuerint inſtituta. PLVTARCHVS, dum teſtatur Sacra haec minime ſacra, in *vrbe Ilithyiae* celebrari conſueuiſſe, ſatis innuit, Deam fuiſſe *Ilithyiam*, cui carne humana litabatur. PORPHYRIVS vero credere nos iubet, victimas humanas *Iunoni*, tempore illo antiquiſſimo offerri ſolitas fuiſſe. Suſpicor, MANETHONEM re ipſa locutum eſſe de *Ilithyia*, cui ſcimus in Aegypto Templa erecta dedicataque fuiſſe, et quae Heliopoli etiam veroſimiliter altaria cul-

* Vide PLVTARCHVM de Iſide p. 363.
** in *Canone Chronico* p. 317.

cultumque habuit. Apud Graecos vero Ἐιλήθυια, ſicut apud Romanos *Lucina*, dicebatur non modo *Diana*; verum et *Iuno*. De *Diana* iam vidimus §. 4. De *Iunone* res eſt non minus certa, neque ignota. Refert itaque DIONYSIVS *Halicarnaſſeus*, Antiqu. Rom. Lib. IV. p. 220, Seruium Tullium ſtatuiſſe, quantum aeris quiuis pro liberis recens natis inferre deberet εἰς τὸν τῆς Ἐιληθύιας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, *in aerarium Ilithyiae, quam Romani Iunonem Lucinam vocant.* Et tritae ſunt illa *Glycerii* * apud TERENTIVM voces:

Iuno Lucina fer opem; ſerua me obſecro.

Eſt igitur Ἐιλήθυια nomen tum *Iunonis*, tum *Dianae*, atque vtrouis modo reddi poteſt. PORPHYRIVS ergo iure ſuo vtens, *Iunonem* interpretatus eſt Ἐιλήθυιαν. Sequitur ex eo, *Ilithyiam* Templum habuiſſe aut Sacellum, Heliopoli antiquiſſimum, in quo more impio Deae illi olim mactarentur homines. Rei huius, niſi me fallit opinio, veſtigium non ita obſcurum deprehendimus in HORAPOLLINE, Hieroglyph. Lib. I. c. X. *Aiunt*, ita is, *felem marem, iuxta varium Solis habitum et curſum pupillas commutare, ad ortum quidem Solis mane nonnihil extendi, ſub meridiem velut rotundas fieri, Sole ad occaſum vergente, obtuſiores, obſcurioreſque apparere. Vnde et quae apud Heliopolin eſt Dei Solis Statua, ſpeciem felis prae ſe fert.* Monere autem hic me oportet, haec vere ſingularia eſſe, omnibuſque aliis penitus indicta. Nam 1) felis naturam omnes, non cum Solis; ſed Lunae natura comparant, et ipſas has in pupillis mutationes, ad Lunae incrementa aut decrementa referunt. §. 6. 2) Felis apud Aegy-

 ptios,

* in *Andria* Act. III. Scena I.

ptios, non Solis, verum Lunae, ſiue Bubaſteos habebatur imago et Symbolum, quod Scriptores permulti, aut conceptis verbis docent, aut ſatis innuunt, §. 3. 3) Animal Soli dedicatum Heliopoli, quod eius dicere poſſis imaginem atque Symbolum, erat non felis: verum * leo. 4) Scimus autem porro ex teſtimonio MANETHONIS, et PORPHYRII, *Iunonem* vel Ἐιλήθυιαν Templum aut Sacellum habuiſſe Heliopoli, hanc vero Ἐιλήθυιαν Aegyptiam, non aliam eſſe, quam *Bubaſtin*, docebimus §. 9. Et huic denique ſacram et propriam fuiſſe *felem*, ex bonis Scriptoribus euicimus §. 3. Qui haec attente perpendet, mihi non ita difficulter largietur, HORAPOLLINEM, aut graecum eius interpretem, PHILIPPVM, errore aliquo μνημονικῷ ſeductum, *Soli* maxime ſane Heliopoli culto, id tribuiſſe, quod adſcribendum erat *Ilithyiae*, ſiue *Bubaſti*, quam in eadem vrbe ritibus ſolennibus olim quoque placatam fuiſſe, aut ignorabat, aut obliuioni tradiderat.

De Sacris Lucinae huius in Aegypto, aut [illegible]iſſimis et cruentis, quaedam obſeruantur.

§. 8. Quid vero iudicandum eſſe putabimus de abominandis victimis humanis, Ilithyiae, id eſt, vt interpretor, *Bubaſti*, in Aegypto offerri ſolitis? Quando hic manifeſtus veteres inter diſſenſus apparet, aliis rem hanc affirmantibus, aliis negantibus, operae pretium fuerit diſquirere, quibusnam potius fidem adhibere debeamus. HERODOTVS, cuius in rebus huiuſcemodi non exigua eſt apud me auctoritas, negat, conſuetudinem talem in Aegypto vnquam fuiſſe vſu receptam. Negat, quod Graeci quidam aſſeuerabant, Herculem, dum in Aegypto peregrinaretur, in vincula datum, ac ſacrificio ſolenni reſeruatum fuiſſe, addita hac ratione: ** *Quum haec dicunt Graeci, videntur mihi ſe et naturae Aegyptiorum,*

* AELIANVS de Anim. Lib. XII. c. 7.
** HERODOTVS Lib. II. c. 45.

ptiorum, et morum apud ipſos receptorum prorſus ignaros oſtendere. Quibus enim nullam pecudem fas eſt immolare, praeter ſues, boueſque mares, ac vitulos, ſi modo puri mundique ſint, et anſeres denique, qua ratione ii immolarent homines? Idem teſtatur quoque MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. VII. cuius tamen verba cum aliqua cautione accipienda ſunt. Ita autem illa ſe habent: *Quia nunquam fas fuit Aegyptiis, pecudibus aut ſanguine, ſed precibus et ture ſolo placare Deos, his autem duobus aduenis* (Serapidi et Saturno) *hoſtiae erant ex more mactandae: fana eorum extra Pomoerium locauerunt, vt et illi ſacrificii ſolennis ſibi cruore colerentur, nec tamen vrbana Templa morte pecudum polluerentur.* In eo, nimium feſtinando, aberrauit auctor alias laudatiſſimus, et quantiuis pretii, quod ex Saturno et Serapide, duos aduenas confinxerit, cum hic quidem, *Saturnus* et *Serapis* vnum tantum Numen deſignent. Deinde animaduerſione dignum quoque eſt, quod Aegyptiis omnem funditus ſacrificiorum cruentorum vſum denegauerit, cum tamen ſatis notum eruditis ſit, animalia quaedam, ſecundum Aegyptiorum leges ſacras, Diis legitime immolari ſolita, excipienda omnino fuiſſe. Id tum ex HERODOTO, cuius verba attulimus, et in vniuerſum ex tota Aegyptiorum hiſtoria, certum plane et teſtatum eſt. Illud vero Scriptor hic optimus, non obſcure innuit, a victimis humanis Aegyptios ſemper abhorruiſſe. Quid vero tum de MANETHONE, et, qui ſua forte ex MANETHONE hauſit, DIODORO fiet, quorum in contrarium teſtimonia protulimus §. 7? Sane omne hoc quicquid eſt, videtur ad vnius MANETHONIS teſtimonium auctoritatemque redire. Mihi vero compertum eſt, huiuſce viri teſtimonium, fidei ſaepenumero eſſe vehementer ſubleſtae. Idemque de illo eius teſtimonio, quod nunc excu-

 timus,

timus, dici etiam poſſe, non immerito ſuſpiceris. Multa ſane eam in rem adferri hic poſſent. Sed vbi tamen omnia ſeria aeſtimatione expendo, hic quidem MANETHONIS fidem a ſuſpicione ſiniſtra liberare malim. Nimirum, quod ſcite * MARSHAMVS obſeruauit, *Sacri horrendi veſtigium apud Aegyptios in victimarum ſigillo manſiſſe videtur.* ** *Sacerdotes enim, οἱ σφραγισαὶ dicti, bouem qui immolandus eſſet, ſigillo impreſſo notabant. In ſculptura autem ſigilli, vt retulit Caſtor, exprimebatur homo in genua deſidens, manibus poſt tergum deductis, enſe iugulo imminente.* Et ſane Amoſis, qui execranda ſacrificia humana ſuſtulit, aliquam tamen imaginem et memoriam barbari ritus ſupereſſe voluit. §. 7. Praeter illud rei huius veſtigium, quod MARSHAMVS nos notare iuſſit, aliud inſuper videor mihi inueniſſe, in placentis illis, quibus in certis quibuſdam ſacrificiis vti conſueuerant Aegyptii. De illis ita PLVTARCHVS de Iſide p. 362. *In ſacrificiis, quae menſibus Payni et Phaophi peragunt, placentas coquunt, quae pro inſigni aſinum vinctum impreſſum habent.* Inſigne igitur, placentis his impreſſum, *aſinus* erat *vinctus*, id eſt *Typhon*, quem Aegyptii Symbolo aſini adumbrare et repraeſentare ſolebant; qua de re loco ſuo plura dicemus. Et vero illi, quos olim in Aegypto vivos comburebant, dicebantur *Typhonii*, huic nempe Genio malefico ſimiles, quos Symbolo *aſini vincti*, vtpote miſeras mortique deſtinatas victimas, deſignatos fuiſſe, mihi plus quam probabile videtur. Non mediocre, id quod dixi, ex eo robur accipit, quod ex teſtimonio SELEVCI *Theologi* conſtet, placentas has, in Aegypto, victimis humanis, inque earum locum ſuc-

* in *Canone Chronico* ad Sec. XI. p. 317.
** PLVTARCHVS de Iſide p. 363.

ſucceſſiſſe. Docet hoc ATHENAEVS Lib. IV. p. 172. Πεμμάτων δὲ πρῶτον φησὶ μνημονεῦσαι Πανύασιν Σέλευκος, ἐν οἷς περὶ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις ἀνθρωποθυσίας διηγεῖται, πολλὰ μὲν ἐπιθεῖναι λέγων Πέμματα. Si quis verba haec cum iis PORPHYRII conferat, in quibus MANETHONEM citat, et quae attulimus §. 7, videbit illico, in illis ATHENAEI aliquid deeſſe. Res eſt euidens. Exiſtimem autem, hoc fere modo ſcripſiſſe noſtrum: Πολλὰ μὲν ἀντὶ ἀνθρώπων, πάλαι θυθέντων, ἐπιθεῖναι λέγων πέμματα. Locum ſic iam verto: * *Seleucus ait, Panyaſin primum placentarum mentionem feciſſe, vbi de victimis humanis, in Aegypto offerri olim ſolitis, narrat, dicens loco hominum immolatorum, poſtea placentas multas oblatas fuiſſe.* Verum cur tandem HERODOTVS, qui, quae hac de re literis prodidit, a Sacerdotibus in Aegypto accepiſſe videtur, cur, inquam, Herodotus pernegat, in Aegypto, ſacrificia humana vnquam, temporibus etiam antiquioribus, admiſſa fuiſſe? Huius vero rei iſthanc fuiſſe cenſeo cauſam. Immanem illum homines mactandi morem, credo in Aegypto quidem, et ab antiquo iam obtinuiſſe, verum ab ipſis tamen Aegyptiis non inſtitutum. Auctores inſtituti deteſtandi mihi fuiſſe videntur ** *Arabes* illi *Paſtores*, quorum in antiquiſſima Aegyptiorum hiſtoria ſit mentio, qui diu ante tempus peregrinationis Iſraëlitarum in Aegypto, totam hanc regionem ſubiugarunt, et per plura Secula tenuerunt. Illi enim cum multa alia in religione Aegyptiorum innouaſſe, tum etiam humanas victimas in Templa Deorum

* Seleuci huius, de eodem argumento loquens, meminit PORPHYRIVS *de Abſtin.* Lib. II. p. 223.

** Vide MARSHAMI *Canonem Chronicum*, ad Sec. VIII. p. 103. 104.

rum inuexiſſe videntur. Nam Arabes olim Sacrificia huiuſmodi inhumana lege ſanciuiſſe, et vſum illorum diu, etiam poſt Chriſtum natum, retinuiſſe, teſtimoniis, quae exceptionem non patiuntur, euinci facile poteſt. Ad Arabes opinor ſpectare, quae Hebraeorum Magiſtri, de modo conſecrandorum *Theraphim* referre ſolent. * *Mactabant*, inquiunt, *hominem primogenitum, cuius caput manu praeſcindebant, abſciſſum ſale et aromatibus condiebant, ſcribebantque inſuper diuinationes in lamina aurea, quas ponebant ſub lingua eius, et erigebant illud ad parietem; Tum loquebatur cum illis.* Sunt viri eruditionis laude florentes, qui haec a Iudaeis conficta eſſe augurantur, neque etiam ego perſuaderi mihi ſinam, huius generis fuiſſe decantata illa *Theraphim* Labanis. Verum Iudaei tamen haec depromſerunt ex Arabum antiquis conſuetudinibus. Similia certe de his tradit Scriptor plerumque accuratus et diligens, PORPHYRIVS, de Abſtin. Lib. II. p. 225: ** Καὶ Δουμάτιοι τῆς Ἀραβίας κατ' ἔτος ἕκαστον ἔθυον παῖδα: ὃν ὑπὸ βωμὸν ἔθαπτον, ᾧ χρῶνται ὡς ξοάνῳ. *Dumateni Arabes, quouis anno mactabant puerum, eumque infra altare ſepeliebant, et poſtea eodem, tanquam ſimulachro diuino vtebantur.* Aetate vero Mauritii Imperatoris, Seculo VI. ad finem vergente, morem iſtum etiamnum viguiſſe, vt *Saracenorum Sacerdotes pulchros adoleſcentes mactarent*, teſtem habemus Scriptorem illius aeui, IOHANNEM MOSCHVM *** in *Prato Spirituali* cap. 155. Haec omnia

* Apud SELDENVM de Diis Syris Synt. I. cap. II. p. 98. BVXTORFFIVM in Lexico Talmudico col. 2661. et HOTTINGERVM notis ad Godwinum p. 737.

** Adfert etiam iſta ex PORPHYRIO, EVSEBIVS Praepar. Lib. IV. c. XVI. fin.

*** in *Bibliotheca Magna Patrum* Pariſina To. XIII p. 1124.

omnia non mediocriter inter ſe conſpirant, ſeque mutuo et illuſtrant, et confirmant. Traditur porro mos ille, non modo in vrbe Ilithyiae viguiſſe, quam ab Arabibus Aegyptiis habitatam fuiſſe auguror, verum et *Heliopoli*, quae, vt diſerte ſcribit PLINIVS Lib. VI. c. 29. *Arabas conditores habuit*, nempe Paſtores illos, de quibus diximus, qui in vrbem recens conditam, ritum hunc genti ſuae familiarem, introducendum quoque cenſuerunt. Accedit ad haec, quod *Amoſis* Aegypti rex, atrocem illam conſuetudinem aboleuerit, id enim ex MANETHONE intelleximus §. 7. Hic vero eſt ipſe ille rex, * qui Heliopolin a Paſtoribus Arabibus recuperauit, eoſque ad Aegypti extrema, verſus Arabiam et Phoeniciam ſe recipere coëgit. *Mirum igitur non eſt*, quod pulſis Heliopoli Arabibus, Vrbem a Sacris vſque adeo barbaris purgauerit. Ita omnia ſponte concurrunt, ad ea, quae nunc adſtruxi, corroboranda.

§. 9. Redeamus nunc tandem ad ipſam Aegyptiorum *Ilithyiam*, ſiue *Lucinam*, a qua nonnihil eramus digreſſi. Videamus nunc, qualenam illud *Ilithyiae* Aegyptiacae Numen fuerit. Id enim non modo, quae de *Bubaſti* ſupra obſeruauimus, confirmabit; verum et vſui nobis eſſe poterit, ad indagandum, qua ratione ab *Iſide* diſtulerit *Bubaſtis*, et quamnam in hac, Lunae ad noſtram terram relationem Aegyptii celebrare voluerint. *Ilithyiam* vero eandem eſſe cum *Bubaſti*, dubitare nulla ratione licet. Graeci *Bubaſtin* Aegyptiacam, modo Ἄρτεμιν, id eſt *Dianam*, modo vero etiam *Ilithyiam*, interpretati ſunt. Nam haec duo idem ſignificant. Sane *Ilithyiam* Graeci dixerunt *Dianam*, §. 4. Et iidem *Bubaſtin* Aegyptiorum, *Dianam* pariter nuncupant,

Lucina, ſiue Bubaſtis Aegyptiorum, praeerat mulieribus parturientibus, et natiuitati infantum.

* MARSHAMVS *Canone Chronico* p. 315.

cupant, atque interpretantur. §. 3. Igitur et *Ilithyia*, et *Bubaſtis*, illud eſt Aegyptiorum Numen, quod *Dianam* Graeci reddunt. *Dianam* vero ſuam illi tum potiſſimum Ἐιλήθυιαν appellant, quando illam conſiderant, vt mulierum parturientium adiutricem et Protectricem §. 4. Atque hoc poſtremum Aegyptii etiam *Bubaſti* ſuae attribuebant. §. 4. 5. Manifeſtum hinc quoque eſt, *Ilithyiam* Aegyptiorum eſſe *Lunam*. Nam *Diana*, quae eadem eſt cum *Ilithyia*, Graecis Symbolum erat *Lunae*, quemadmodum *Bubaſtis* itidem Aegyptiis. §. 4. Omnium maxime vero *Diana*, tum, cum eadem reputabatur cum *Ilithyia*, a Graecis referebatur ad *Lunam*. Optime ita * VVLCANIVS. *Per* Ἐιλήθυιαν *Poëtae veteres adumbrarunt Dianam, hoc eſt Lunam.* —— *Cauſam vero hanc crediderim, quod Lunae ſidus, vt ait* PLINIVS, Lib. II. cap. 101. *foemineum ac mollem ſoluit humorem et trahit, et* ** *cuncta humifico ſuo Spiritu laxat, ideoque partum ſaepenumero celeriorem facilioremque reddit.* Haec ille ex mente veterum Philoſophorum. Idem profecto etiam tenendum de Aegyptiorum *Ilithyia*, ſiue *Bubaſti*.

Bubaſtis ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, Symbolum erat Lunae nouae.

§. 10. Ex eo iam facilius perſpicere poterimus, quamnam Lunae ad terram noſtram relationem, quamue poteſtatem in *Bubaſti*, ſpectauerint et coluerint Aegyptiorum filii. *Iſis* et *Bubaſtis* certo quodam ſenſu, nonniſi vnicum Numen conſtituunt, *Lunae* videlicet. §. 5. Sed differunt tamen etiam inter ſe, quandoquidem in Theologia Aegyptiorum mythica et ſymbolica, *Bubaſtis* filia perhibebatur *Iſidis*. Nempe *Iſis* Lunam in vniuerſum, omnem-

* in Notis ad Callimachi Hymnum in Iouem v. 12.

** Vide plura eum in ſenſum apud MACROBIVM Saturn. Lib. VII. cap. 16.

omnemque eius vim ac poteſtatem deſignabat. *Bubaſtis* vero, vt auguror, Symbolum erat *Lunae nouae*, recens quaſi natae, et porro creſcentis vſque ad Plenilunium. Vno verbo, *Bubaſtin* eandem Aegyptiis fuiſſe mihi perſuadeo, quam HORATIVS dixit, *Carminum* Lib. IV. Oda VI.

Rite creſcentem face noctilucam
Proſperam frugum, celeremque pronos
Voluere menſes.

Nam phaſes Lunae nouae, vel naſcentis et creſcentis, parturientibus, et frugibus quoque magnopere prodeſſe exiſtimabantur, adeoque, ex ſententia Aegyptiorum, Numini *Ilithyiae*, ſiue *Bubaſtis*, inprimis conueniunt. Hinc eſt, quod HORATIVS, in verbis modo adductis, *Lunam creſcentem* dicat *proſperam frugum*. Id quidem a multis non adeo tribuitur *Lunae nouae*, cuius Symbolum fuiſſe *Bubaſtin*, hic aſſero, quam potius *Plenilunio*. Ita PLVTARCHVS in *Sympoſiacis* Lib. III. p. 658. fin. Λέγεται δὲ καὶ πρὸς εὐτοκίαν συνεργεῖν ἡ Σελήνη, ὅταν, ἢ διχόμηνος, ἀνέσει τῶν ὑγρῶν μαλθακωτέρας παρέχουσα τὰς ὠδῖνας· ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν λοχείαν καὶ Εἰλήθυιαν, οὐκ οὖσαν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην, ὠνομάσθαι.* Τιμόθεος δὲ ἄντικρυς φησι,

* Διὰ κυανέων πόλου Ἄστρων
Διά τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.

Dicitur etiam ad expediendum partum Luna conducere, cum eſt plena, quod laxando humores, dolores mitiget. Hinc etiam arbitror, Dianam, Λοχείαν, id eſt partui praefectam, ac Lucinam, quae a Luna diuerſa

* Ita verſus hos legit HADRIANVS IVNIVS, Animaduerſ. Lib. IV. c. 23. Adde MACROBII Saturn. L. VII. cap. XVI.

diuerſa non eſt, cognominatam fuiſſe. Et diſerte Timotheus ait

> *Per coerulea coeli Sidera,*
> *Celeremque partu ſoluere Lunam.*

Et ſic idem in *Quaeſtionibus Romanis* p. 282. in haec verba ſcribit: Καὶ Λȣκίναν Ἥραν καλȣ̃σιν, οἷον φαεινήν, ἢ φωτίζȣσαν. Καὶ νομίζȣσιν ἐν ταῖς Λοχείαις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν, ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην —— Ἐυτοκεῖν γὰρ ἐν ταῖς πανσελήνοις μάλιστα δοκȣ̃σι. *Iunonem vocant etiam Lucinam, quaſi lucidam diceres, putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ſicut et Lunam ——— Facillime enim videntur mulieres ſub plenilunium prolem eniti.* Conſentit his PROCLVS, verum is veterum ſuper hac re ſententiam nonnihil diſtinctius explicat. Nam vbi dixerat, oculos felis decreſcente Luna attenuari, creſcente vero dilatari, iſta ſubiungit: * Καὶ ἁπλῶς, τὰ μὲν πληρȣμένης σελήνης ἐυθενεῖται· τὰ δὲ ληγȣ́σης αὐτῆς . . ** . . . . τοῖς μὲν ὠφελίμȣ τῆς ὑγρότητος ȣ̓́σης, ἣν διαχεῖ τὸ σεληναῖον φῶς αὐξόμενον· τοῖς δὲ βλαβερᾶς. *Creſcente Luna omnia vigent, beneque ſe habent: Decreſcente vero eadem, minuuntur ac detrimentum capiunt: illis enim humor, quem lumen Lunae ex ſe emittit atque diffundit, ſalutaris, his vero nociuus eſt.* Hic igitur *Luna noua*, ſiue *creſcens* minime excludenda. Quin imo ad hanc potiſſimum felicem in partu ſucceſſum, multi referre ſolebant. Λοχία τε ἡ Ἄρτεμις, inquit *** PORPHYRIVS, ὅτι ἡ τῆς Νȣμηνίας δύναμις προσθετικὴ εἰς τὸ τίκτειν. *Partui Diana praeeſt, indeque Λοχία dicitur, quod Nouilunio vis quae-*

* in Heſiodi Opera et dies, Pag. CII. a. Edit. Venetae.

** Hic aliquid deeſt, forte βλάπτεται, aut φθίνει, aut ſimile quid.

*** Apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. cap. XI.

quaedam inſit, quae pariendi facilitatem adſerat. Idque praecepta Scriptorum Rei Ruſticae prorſus confirmant. Totum igitur illud tempus olim, vti et nunc a multis, credebatur corporibus ſublunaribus inprimis proſperum et ſalutare, quo Luna, poſtquam noua apparuerat, creſcendo augebatur, donec plenilunium, ceu proſperi huius Status terminum attigiſſet. Atque eam ob cauſam, HORATIVS *Lunam creſcentem* praedicat *proſperam frugum.* Totius autem huius temporis, inprimis vero *Lunae nouae*, quae eſt eius initium, Symbolum Aegyptiis fuiſſe *Bubaſtin*, auguror. Spectat huc, quod legimus, in *vrbe Ilithyiae*, quae *Bubaſti* conſecrata erat, imagine aliqua ſymbolica, religioſe * *cultum fuiſſe tertium Lunae lumen*, lumen nempe, vt interpretor, quod Luna, tertio die a coniunctione cum Sole, terrae oſtendit. Tum enim ſplendor eius conſpicuus eſt omnibus, et ab omnibus obſeruatur, ipſaque creſcendo aliquem iam progreſſum fecit. Eandem ob rationem, quod ſupra iam monui, §. 5. *Bubaſtis* dicta videtur Aegyptiis filia Oſiridis et Iſidis, quia nimirum poſt coniunctionem Lunae cum Sole, tanquam eorum ſoboles, illico apparet, quaſi recens nata. Ipſum denique *Bubaſtis* nomen, nil niſi hoc Aegyptiorum filiis ſignificaſſe videtur. De hoc nunc diſpiciemus.

§. 11. Sunt ex antiquis nonnulli, qui nominis *Bubaſtis* rationem explicare nobis conantur. Erant, ** qui crederent, *Bubaſtin*, antiqua Aegyptiorum lingua ſonuiſſe *felem*: nulla profecto alia de cauſa, quam quod *felem*, ſymbolum eſſe *Bubaſteos* ſacroſanctum, ſcirent, oculiſque viderent. Eodem modo

Nomen Bubaſtis Aegyptiacum explicatur.

* EVSEBIVS Praepar. Euangel. Lib. III. cap. XII. ex PORPHYRIO.

** STEPHANVS *Byzantinus* in voce Βούβαστος.

modo quidam perſuadere nobis vellent, *Mendetem* Aegyptiis *hircum* ſignificare, *Anubim* vero *canem*, et quae ſunt his ſimilia, de quibus * antehac ſententiam meam expoſui. Alii ** a *Bubaſto* vrbe, quae *** in Scriptura פי בסת, *Pi-beſet* audit, nomen accepiſſe tradunt, cum certum potius ſit, *Bubaſtum* vrbem, a *Bubaſti* Numine, cui aedificata fuit, §. 5, nomen traxiſſe. Eſt etiam multis modis teſtatum, pleriſque in Aegypto vrbibus, inter quas etiam fuit vrbs *Ilithyiae*, a regionis illius Numinibus, impoſita fuiſſe nomina. §. 7. Eſt et alia nominis huius interpretatio, quam HIERONYMVS nobis ſuppeditat, in qua non ſine cauſa ceſpitant eruditi; ſed quae mihi tamen, ad indagandam veram, vt ſpero, et nominis et Numinis ſignificationem, faciem praetulit. Ita autem ille: † *Bubaſtus iuxta linguam Aegyptiacam, interpretatur oris experimentum.* Poſſet quis ſuſpicari, doctum hunc Scripturae interpretem, in animo habuiſſe linguam Hebraeorum, qua פי *os* ſonat, totumque nomen פי בסת, ex lingua eadem a quibuſdam explicari ſolet *os conculcatum*, vel *inquinatum.* Verum HIERONYMVS linguae hebraicae ignarus non erat, et ab illa didicerat diſcernere linguam Aegyptiorum, ex qua paſſim voces huius gentis, in Scriptura occurrentes, interpretari ſolet. Solenne enim ipſi erat, ſuper huiuſmodi vocibus conſulere linguae Aegyptiacae peritos. Itaque et illam *Bubaſti* interpretationem, videtur ab aliquo eiuſdem linguae bene gnaro, et petiiſſe et accepiſſe. Verum quid quaeſo eſt *oris experimentum?* *Os* hic, vt arbitror, *faciem*, *vultum*que totum deſignat. *Oris* vero *experimentum*, pro aliqua

* Lib. II. cap. VII. §. 2.
** Anonymus auctor Θεολογουμένων τῆς Ἀριθμητικῆς, p. 33.
*** Vide CELLARII Geograph. antiqu. Africae p. 57.
† Lib. IX. in Ezech. Opp. To. III. col. 916.

aliqua vultus mutatione accipio. Eſt nempe ⲡ-ϩⲟ-ⲃⲁϣⲧ, *P-ho-baſt*, Aegyptiace *vultum nudans*, vel *retegens*, quod dici poteſt de Luna, quando faciem, in coniunctione cum Sole, abſconditam, aut velatam, id eſt contemplationi hominum ſubductam, iam rurſus retegit, oculiſque noſtris conſpiciendam praebet. Nomine itaque hoc, ſatis clare deſignaretur *Luna noua*, cum a Sole modo receſſit, aut ex radiis eius emerſit. Aut poſſis nomen hoc etiam interpretari ⲡ-ϩⲟ-ⲟⲩⲁϣⲧ, *P-ho-u-aſt*, vbi tantum monendum, quod ſane perquam vulgare ac tritum eſt, *b*, et *u*, et *v* ſaepenumero inter ſe permutari. Id vero ſignificaret *multiplicantem faciem*, vel, *qui formam faciei ſaepe mutat.* Nemo non intelligit, referri hanc denominationem ad id, quod in Luna omnes obſeruant, quodque de illa ignotum eſſe nemini poteſt. Refertur nempe ad continuas illius viciſſitudines. * *Nam Luna ſemper in motu eſt, et TER DENAS FACIES ACCIPIT in reſtitutione menſtrua.* Eia! vere ⲡ-ϩⲟ-ⲟⲩⲁϣⲧ, *P-ho-u-aſt*, vel *P-ho-baſt*, et adiecta terminatione graeca *Bubaſtin*, id eſt, *varia multiplicique facie conſpicuam.* Poſſet eadem vox Aegyptiaca, ſatis commode etiam reddi *facie creſcens*, quod ad ea quae ſupra diſputauimus, omnium eſſet maxime accommodatum. Sic enim nomen Aegyptiacum *Bubaſtis*, id plane ſignificaret, quod HORATIVM de *Luna noua* audiuimus canentem

Rite creſcentem face noctilucam
Proſperam frugum, celeremque pronos
Voluere menſes.

* ARNOBIVS Lib. VI. p. 196.

CAPVT IV.

De Buto, vel Butone, Aegyptiorum Numine antiquiſſimo, quod Graeci Latonam interpretantur.

Summa dicendorum hoc capite. §. 1. Butus, ſiue Buto, antiquum fuit Aegyptiorum Numen, quod Graeci interpretantur Latonam. §. 2. Latonae huic Sacra inſtituta erant ſolennia valdeque celebrata in vrbe Buto, inferioris Aegypti. §. 3. De Butone hac vel Latona, traditiones Aegyptiorum. §. 4. Traditiones hae Aegyptiorum de Butone cum Doctrina Theologiae Phyſicae Graecorum conferuntur. §. 5. Latona in Theologia Graecorum Phyſica eſt Nox, et, vt recentiores quidam, Chaos primogenium. §. 6. Tentatur aliqua Theologiae Aegyptiorum, cum Theologia Graecorum, in hoc argumento conuenientia. §. 7. In Theologia tamen Aegyptiorum Buto, ſiue Latona, re ipſa referebatur ad Iſidem, vel Lunam, eratque huius aliquod Symbolum. §. 8. Id ex eo confirmatur, quod Latona illa perhibita fuerit Buti Horum et Bubaſtin nutrire. §. 9. Et quidem in paludibus Buticis, nam aqua paluſtri et fontana, credebatur Luna nutriri, et tum quaſi refecta, res etiam alias viuificare et roborare. §. 10. Obſeruandum hic quoque eſt, quod Veteres Lunam crediderint matrem eſſe roris. §. 11. Atque id videntur etiam in Latona Butica ſignificare et venerari voluiſſe Aegyptii. §. 12. Ex iis quae obſeruata fuerunt, tandem pateſcit, Latonam Buticam Symbolum fuiſſe Lunae plenae, vel Plenilunii. §. 13. Denique interpretatio nominis Aegyptiaci Butus vel Butω, lectori offertur.

§. I.

Summa dicendorum hoc capite. Bubaſtin vetuſtis Aegyptiorum Sacerdotibus Symbolum fuiſſe *Lunae*, et *nouae* quidem, ac etiamnum creſcentis, capite ſuperiori euincere conati ſumus. Generis fere eiuſdem exiſtimo fuiſſe

Butum,

Butum, vel *Butonem*, id eſt, vt Graeci interpretantur, *Latonam* Aegyptiorum. Multum quidem et Diuinitatis iſtius Aegyptiacae interpretatio atque explicatio, negotii mihi faceſſiuit; ſed poſt adhibitam tamen omnem, quam impendere potui, diligentiam, poſt expenſa accurate omnia rei momenta, poſt exploratas ſollicite veterum traditiones, quae vllo modo ad hoc noſtrum negotium ſpectant, poſt ſubductas rationes omnes, ita tandem ſtatuere coactus ſum, etiam *Butum*, ſiue *Latonam*, Aegyptiis Symbolum fuiſſe *Lunae*; verum aetatis quoddam quaſi robur iam conſecutae, et quodammodo ſeneſcentis, ac vim poteſtatemque ſuam praecipuam, circa *Plenilunium* exſerentis. Vti ergo *Bubaſtis* Symbolum aliquod erat *Nouilunii*, ita *Butonem* auguror fuiſſe Symbolum *Plenilunii*. Eam igitur in rem, vt quae aſſerui, bonis rationibus probem, et in debita luce collocem, ea primum, quae in veterum Aegyptiorum traditionibus, de *Butonis*, vel *Latonae* Numine, perhibita inuenimus, adferam: mox vero, quae forte ex Theologia Graecorum, ad illuſtrandum idem Numen, conquiri poſſe videbuntur, inſuper adiiciam: deinde meam de hac Aegyptiorum Diuinitate ſententiam, in medium proferam, et hanc denique, interpretatione nominis Aegyptiaci *Butus*, vel *Buto*, corroborabo.

§. 2. Erat ergo Genti Aegyptiorum Numen antiqua religione, impenſe cultum, quod ipſi ſermone vernaculo *Butum* appellabant, vel *Buto*, quod interpretes Sacrorum Graeci, a Pſammeticho rege inſtituti, *Latonam* interpretabantur. Si STEPHANVM *Byzantium* ſequimur, nomen illud Aegyptiis ſonabat Βȣτώ. Agens enim de vrbe *Buto*, Aegypti inferioris, quae Graecis communiter Βȣ̃τος audit, haec ſcribit: Ἐκαλεῖτο δὲ Βȣτὼ, ἀφ᾽ ἧς καὶ ἡ Λητὼ Βȣτώ. *Butus vrbs Aegyptiace vocabatur Buto.* *Butus vel Buto antiquum fuit Aegyptiorum Numen, quod Graeci interpretantur Latonam.*

 Vnde

Vnde etiam LATONA ab Aegyptiis dicitur BVTO. Et hoc nomine nos quoque eam nuncupabimus. Vrbs illa, in qua Dea haec ab Aegyptiis concelebrabatur, etiam HERODOTO Βȣτῶ audit Lib. II. c. 155. Sic idem c. 59. ἐς Βȣτȣ̃ν πόλιν. c. 83. ἐν Βȣτοῖ πόλι. c. 111. ἐκ Βȣτȣ̃ς πόλιος. Et ſic porro. Etiam apud EPIPHANIVM, in loco, cuius alias aliquoties meminimus, p. 1092, legimus τὴν Βȣτῶ, τὴν πολίχνην. Sed communius Scriptores vrbem hanc vocant Βȣ̃τον, *Butum.* Exiſtimat autem STEPHANVS, alios forte ſecutus, Deam *Buto*, ab vrbe cognomini, nomen ſuum traxiſſe, quod ſane Graecis ſolenne erat. At vero Aegyptii * vrbibus tantum non omnibus, certe praecipuis, nomina imponere ſolebant deſumta a Diuinitatibus inibi cultis. *Buto* igitur, vel *Butus*, ſi de vrbe ſermo ſit, Aegyptiis nihil aliud ſignificabat, quam *vrbem Butoni* (id eſt Latonae) *ſacram.* Idem ſonat, quod Graecis Λητόπολις, vel Λητȣ̃ς πόλις, quo nomine plures in Aegypto vrbes inſignes fuerunt. Inter illas olim celebritatem maximam conſecuta eſt *Latopolis*, vel Λητȣ̃ς πόλις, ſita e regione Mempheos, et illius aliquod ſuburbium, a qua per Nili tantum fluenta erat ſemota. Ex ea, ſi ** IOSEPHVM audimus, Iſraëlitae quondam egreſſi, mare rubrum et deſertum poſtea tranſierunt. Succeſſu temporis *** Cambyſes, Aegypto armis potitus, vrbem hanc euertit, eoque loco Babylonem aedificari iuſſit. Et hanc vrbem ideo quondam *Latopolin*, et Aegyptiace, vt credere par eſt *Butum*, dictam fuiſſe, quod in illa *Buto*, ſiue *Latona* Templum cultumque haberet,

* Vide Libri huius cap. III. §. 7.

** Antiquitat. Lib. II. c. XV. §. 1.

*** IOSEPHVS loc. cit. cum quo tamen conferre iuuabit VITRINGAM ad Ieſaiae cap. XIX. p. 533.

beret, docent haec STEPHANI verba: Λητȣ̃ς πόλις, πόλις Αἰγύπτȣ. Ἔςι δὲ μοῖρα Μεμφίδος, καθ' ἣν αἱ πυραμίδες, Λητȣ̃ς ἱερόν. Vbi legendum arbitror καὶ Λητȣ̃ς ἱερόν. Sic igitur verte: *Latopolis, vrbs Aegypti. Eſt vero pars vrbis Memphis, iuxta quam ſunt Pyramides, et Latonae Templum.* Pyramides ſitae erant trans Nilum, Latonae vero Templum, ſi bene coniicio, in quadam Inſula, inter Latopolin et Memphin, in Nilo fluuio, conſtructa, vbi fere hodie Nilometrium Cahirianum cernitur. Non ſatis autem mirari poſſum, * viros quoſdam eruditionis laude excellentes, aſſerere non dubitaſſe, *Latopolin*, ſiue *Butum* in Aegypto inferiori, non a *Latona* Dea; verum a *lato* piſce, illic loci culto, nomen habuiſſe. Non de vna eademque vrbe ita pronuntiant viri docti. Et erant, quod iam monui, plures in Aegypto inferiori nominis illius vrbes, quod iam pluribus perſequi huius loci non eſt. Sed omnes tamen illae vrbes de quibus loquuntur, ſitae erant in Aegypto, aut inferiori, aut media. Et ratio non eſt dubitandi, has omnes a *Latona* Dea cognominatas fuiſſe. Longe ab his diſſita erat alia *Latopolis*, vrbs Thebaidis, a finibus Aethiopiae non ita longe remota, in qua, tanquam loci illius diuinitas colebatur *latus* piſcis, eaque apud PTOLEMAEVM p. 122. non Λητȣ̃ς πόλις, ſed πόλις Λάτων ſcribitur, diſtinctionis ergo, *vrbs* nempe *Latorum*, piſcium. Clare id docet STRABO Lib. XVII. p. 559. 561.

§. 3. Erat igitur *Butus*, vrbs in Aegypto inferiori, magnitudine praeſtans et percelebris, prope *Sebennytum*, neque valde remota ab *oſtio Sebenny-* *Dea haec ſolenniter inprimis colebatur*

* MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 398. HOLSTENIVS et BERKELIVS ad Stephanum voce Λητȣ̃ς πόλις.

Buti, vrbe inferioris Aegypti.

bennytico *, in qua *Buto*, ſiue *Latona* Templum habebat ſumtuoſum inprimis et ſplendidum, vbi in honorem eius Sacra, magno apparatu, a permultis ex tota Aegypto illuc commeantibus, quotannis celebrabantur. Illic Dea haec Oraculum quoque habebat inclytum **, multorumque ſermonibus celebratum, ad quod conſulendum, homines vndecunque confluere ſolebant. Praeter *Latonam* colebantur etiam in eadem vrbe, ſumma religione *Horus*, quem Graeci *Apollinem* nominant, et *Diana*, Aegyptiace dicta *Bubaſtis*, non quidem, ceu e *Latona* in lucem editi, quae eſt Graecorum fabula; ſed tanquam Deae illius alumni, quos illa ſollicite nutriuiſſet. Templum Numinibus hiſce, Buti in quadam inſula conſtructum, inter admiranda Aegypti olim numerabatur. *Alia quoque*, inquit *** MELA, *in his terris mira ſunt. In quodam Lacu*, (Butico nempe) *Chemmis inſula, lucos ſyluasque, et Apollinis grande ſuſtinens Templum, natat, et quocunque venti agunt, pellitur.* Conſimilia de inſula hac natante, memoriae prodidit HECATAEVS, hiſtoricus nobiliſſimus et perantiquus, cuius haec apponere iuuat verba: † *In Butis, circa Templum Latonae, eſt inſula Chembis nomine, Apollini ſacra, eſt autem inſula mobilis, et circumnatat.* Sed operae pretium eſt, audire et HERODOTVM, teſtem rei huius oculatum, qui quae ipſe viderat, hunc in modum refert, Lib. II. c. 156. *Secundo loco, inter mirabilia huius loci ponenda eſt inſula, nomine Chemmis, in lacu profundo ac*

* HERODOTVS Lib. II. c. 59. 155. 156. Adde STRABONEM p. 551. STEPHANVM in Βῦτος.

** HERODOTVS Lib. II. c. 83. III. 133. 152. etc. et Lib. III. c. 64. AELIANVS Var. hiſt. Lib. II. c. 41. STEPHANVS in Βῦτος. STRABO p. 551.

*** *de Situ Orbis*, Lib. I. cap. 9.

† Apud STEPHANVM in voce Χέμμις.

ac ſpatioſo ſita, prope Templum, *quod Buti eſt* Latonae aedificatum. *Eam inſulam Aegyptii dicunt moueri et natare. Ego tamen illam nec vidi innantem, nec ſe mouentem, et magnopere miratus ſum, vbi iſtud audiui, tanquam verum eſſe poſſit, inſulam natare. In hac igitur inſula, Templum Apollinis,* (Hori) *magnum eſt, et arae triplices extructae. Protulit eadem palmas frequentes, aliasque partim fructiferas, partim ſteriles arbores.* Ad cultum *Hori*, in illo Templo ab antiquo peragi ſolitum, acceſſit poſtea regnantibus Ptolemaeis, cultus *Harpocratis*, in cuius honorem ſolennia quouis anno, ritibus operoſis illic celebrari conſueuerunt, quae prolixe deſcribit EPIPHANIVS p. 1092; nam illius tempore nondum videntur plane deſiiſſe. Propter haſce rationes, Sacra *Butica*, quae ad *Butonem*, ſeu *Latonam* praecipue referebantur, erant in tota Aegypto valde celebria, ab omnibus frequentata, et ſummo in pretio habita. Vnde PLVTARCHVS, loquens de Sacris Aegyptiorum, quae ipſis prae ceteris eſſent chara et venerabilia, * *Nilum*, *Memphim*, et *Butum* coniungit.

§. 4. De ipſa tamen hac Dea, *Butone* Aegyptiorum, pauca admodum ſunt, quae in veterum commentariis, literis mandata inueniantur. Summa eorum ad haec fere redit, quae HERODOTVS, a Sacerdotibus Aegyptiis accepta, hunc ad modum tradidit Lib. II. c. 156. *Ratio, quam Aegyptii reddunt, ob quam inſula, in qua extructum eſt magnificum Hori Templum, mobilis ſit ac natatilis, iſta eſt. Dicunt Latonam, quae fuit ex numero octo Deorum, quos Aegyptii habent primos et antiquiſſimos omnium, cum habitaret in vrbe Buto, vbi illius eſt Oraculum, ab Iſide, tanquam depoſitum aliquod, accepiſſe Horum,*

De Butone, vel Latona traditiones Aegyptiorum.

 rum,

* *de Iſide et Oſir.* p. 377.

rum, eumque in inſula, quae nunc dicitur natatilis, occultaſſe, ſicque ab inſidiis Typhonis immunem praeſtitiſſe ac ſeruaſſe, quo tempore Typhon omnia diligenter inueſtigans, etiam iſtum in locum peruenit, vt quaereret filium Oſiridis. Aegyptii enim perhibent, Horum ſeu Apollinem, et Bubaſtin, quam nos dicimus Dianam, liberos eſſe Oſiridis et Iſidis, Latonam vero ipſorum extitiſſe nutricem et ſeruatricem. Ex ſola hac Aegyptiorum fabula ſacra, Aeſchylus Euphorionis filius, hauſit id, quod de Diana is vnus ſinxit. Dixit autem, Dianam eſſe filiam Cereris, ideoque inſulam factam eſſe natantem. Ex HERODOTO deſumſiſſe videtur, quod eadem de re obſeruauit PAVSANIAS in Arcadicis p. 676: *Cereris vero filiam, non Latonae, fuiſſe Dianam, qui ſermo eſt Aegyptiorum, ab iis acceptum Graecos docuit Aeſchylus, Euphorionis filius. Buto* itaque, ſiue *Latona* Aegyptia, a Sacerdotibus non tradebatur *Hori* et *Bubaſteos* mater, quippe quod adſcriberetur *Iſidi*; verum *nutrix* et *ſeruatrix*, quae ipſos aduerſus machinationes vimque tyrannicam Typhonis protexit, aluitque Buti, et in lacubus vicinis. Tangit eandem Aegyptiorum fabulam ſacram, quam ex HERODOTO attuli, etiam PLVTARCHVS de Iſide p. 357 fin. vbi fabuloſas Aegyptiorum de *Iſide* traditiones commemorans, etiam hoc refert, quod ex Phoenicia in Aegyptum redux, *ad filium ſuum Horum, Buti enutritum*, (a Latona) *profecta fuerit.* Et in libro eodem p. 366: *Horum in paludibus, apud Butum a Latona dicunt enutritum eſſe.* Et in Sacris Buticis, ſolenniter quotannis celebratis, imaginem quandam huius rei repraeſentabant. Nam Sacerdotes Hori, * *Harpocratem adinſtar nutricum alebant et nutriebant, cum tamen ſenes eſſent, aetatis iam pro-*

* EPIPHANIVS Expoſit. Fidei p. 1092.

prouectioris. Ad eaſdem vero Sacras de *Latona Butica* fabulas, et hoc ſpectat, quod PLVTARCHVS narrat p. 354: ὡς ὁ Τυφὼν ὗν διώκων πρὸς τὴν πανσέληνον εὗρε τὴν ξυλινὴν σόρον, ἐν ᾗ τὸ σῶμα τοῦ Ὀσίριδος ἔκειτο, καὶ διέῤῥιψεν. *Typhonem, cum plena luna ſuem perſequeretur, reperiſſe ligneam arcam, in qua Oſiridis corpus iacebat, idque disieciſſe.* Haec enim contigiſſe circa vrbem Bütum, vbi *Latona* enutriebat Horum, ex hiſce Scriptoris eiuſdem verbis diſcimus p. 357 ſin. Τῆς δὲ Ἴσιδος πρὸς τὸν υἱὸν Ὧρον, ἐν Βούτῳ τρεφόμενον πορευθείσης, τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐκποδὼν ἀποθεμένης, Τυφῶνα κυνηγετοῦντα νύκτωρ πρὸς τὴν * σελήνην, ἐντυχεῖν αὐτῷ. *Cum autem Iſis, ad Horum filium, qui Buti enutriebatur, iter faceret, et arcam,* (in qua erat corpus Oſiridis) *extra conſpectum hominum depoſuiſſet, Typhonem noctu, plena cum eſſet Luna, venantem, in arcam illam incidiſſe.* Erat ergo *Hori* et *Bubaſteos* nutrix *Latona* ſiue *Buto*, quae eos alebat et educabat Buti. Et tamen erat ex octo Aegyptiorum primis principibuſque Numinibus, quod HERODOTVM ſupra teſtantem vidimus Lib. II. c. 156.

§. 5. Ex iis, quae de *Butone*, Aegyptiorum Numine attulimus, non difficulter colligere poterunt eruditi, cur Diuinitatem hanc Graeci *Latonam* interpretati ſint. Etenim apud Graecos *Latona* mater perhibebatur *Apollinis* et *Dianae*; Aegyptii vero *Apollini* ſuo, id eſt *Horo*, et *Dianae*, quam ipſi *Bubaſtin* nuncupabant, *Butonem* adiungebant, non quidem tanquam matrem; ſed tamen vt *nutricem* et *ſeruatricem*, ideoque honore eodem tria haec Numina dignabantur, ac inter ſe etiam coniungebant, non ſecus atque Graeci et Romani *Dianam* et *Apollinem*; *Traditiones Aegyptiorum de Butone, cum Doctrina Theologorum Graecorum de Latona conferuntur.*

* pag. 354. erat πρὸς τὴν πανσέληνον, et ſic quoque hic ſcribendum eſſe auguror.

linem, cum *Latona* ſociare ſolent. Vnicum hanc in rem adduco HORATIVM, qui ex eorum Praeceptis ita canit Carm. Lib. I. Od. XXI:

> *DIANAM tenerae dicite virgines:*
> *Intonſum pueri dicite CYNTHIVM,*
> *LATONAMque ſupremo*
> *Dilectam penitus Ioui.*

Quia igitur inter fabulas Graecorum, et Theologiam Mythicam Aegyptiorum, in hoc Numine magna intercedit affinitas, ſuperuacaneum videri nemini poteſt, ſi Theologiam Graecorum Phyſicam de *Latona*, in conſilium adhibeamus, experturi, num non illa nobis aliquid ad explicandam veram rationem Numinis Aegyptiaci ſuggerat, cum de hac illorum Diuinitate, praeter ea, quae iam retulimus, vix aliud quid memoriae proditum deprehenderimus. Aliquam ex Theologia Graecorum Phyſica, Numinis, nominiſque *Latonae* interpretationem ſubminiſtrat nobis PORPHYRIVS, Philoſophus magni nominis, et veteris Theologiae inueſtigator diligens. Sic autem is: * Τȣ̃ δὲ ὑπὸ Σελήνην φωτιζομένȣ ϗ σκοτιζομένȣ ἀέρος, ἡ Λητὼ σύμβολον. Ληθὼ γὰρ αὐτὴν εἶναι, διὰ τὴν κατὰ τὸν ὕπνον ἀναισθησίαν· ϗ ὅτι ψυχαῖς ὑπὸ Σελήνην γινομέναις λήθη, ξυνομαρτεῖ τȣ̃ θείȣ· Καὶ διὰ τȣ̃το ϗ μήτηρ Ἀπόλλωνός τε ϗ Ἀρτέμιδος, τῶν αἰτίων φωτισμȣ̃ τῇ νυκτὶ. καὶ ἐν τȣ́τοις ἡλίȣ ϗ σελήνης μητέρα φησὶν εἶναι τὸν ὑπὸ σελήνην ἀέρα· τȣ̃τον γὰρ εἶναι τὴν Λητώ. Quae ita ſunt latine reddenda: *Eius autem aëris, quem infra Lunam modo illuminari, modo tenebris obſcurari videmus, Latona Symbolum eſt, quippe quae* ληθὼ *quaedam,*

* Apud EVSEBIVM, Praepar. Euang. Lib. III. cap. XI. poſt init.

quaedam, id eſt obliuio ſit, partim, quia qui dormiunt, nihil perſentiſcunt, partim, quod animos illos, qui infra Lunam degunt, diuini Numinis obliuio comitetur. Eadem de cauſa, mater Apollinis et Dianae, quibus illuminatio noctis in acceptis ferenda eſt, Latona nuncupari ſolet, quibus nihil aliud ſignificatur, quam aërem, Luna inferiorem, quippe qui Latona ſit, Solis ac Lunae eſſe Parentem. Nolui explicationem hanc phyſicam Numinis *Latonae*, quam debemus Philoſopho, ſua aetate illuſtri, tacitus praeterire, tametſi parum omnino mihi arrideat. Et ſi omnia ſtudioſe expendo, non poſſum non iudicare, eam neque Graecorum, neque Aegyptiorum Theologiae conuenire. Recte aduerſus eam, niſi vehementer fallor, haec EVSEBIVS, loc. cit. repoſuit: *At enim, quomodo tandem aër parens eorum eſſe poſſit, qui illuminationis cauſae ſunt, praeſertim cum ipſe efficiatur potius, quam efficiat? Sol enim atque Luna variam ac multiplicem in aëre mutationem ac viciſſitudinem efficiunt.*

§. 6. Audiamus nunc aliam Numinis *Latonae* explicationem, ex veterum Graecorum Theologia Phyſica pariter depromtam, quae, cum eius permulti meminerint, videtur fuiſſe communior, neque etiam apparet, eam a Theologia Aegyptiorum multum abhorrere. Volebant igitur veteres Graecorum Theologi, per *Latonam* deſignari *Noctem.* Docet hoc PHVRNVTVS, de Nat. Deor. cap. 2. * Ἐξ ȣ̓ μὲν Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις ἐγέννηθησαν διὰ τῆς Λητȣ̃ς. Λητὼ γὰρ τὴν νύκτα ὀνομάζȣσι. —— λήθη τις ȣ̓̃σα. Ἐν γὰρ τῇ νυκτὶ καθευδόμενοι λανθάνονται πάντων οἱ ἄνθρωποι. *Ex Ioue Latona peperit Apollinem et Dianam. Latonam vero dicunt, vt*

Latona in Theologia Graecorum phyſica eſt Nox, et, vt recentiores quidam volunt, Chaos primigenium.

* Haec leguntur in Editione THO. GALEI. In prioribus deſunt.

vt quae ſit quaedam Λήθη, *id eſt obliuio. Nam qui noctu dormiunt, rerum omnium obliuiſcuntur.* Conſentanea his ſunt haec PLVTARCHI, in libro *de Feſto Daedalis apud Plataeenſes*: * Νὺξ δὲ ἡ Λητὼ, ληθώ τις ἔσα τῶν εἰς ὕπνον τρεπομένων. *Latona vero eſt Nox, quippe quae eorum, qui ſomno ſeſe dant,* ληθὼ *quaedam ſit, id eſt obliuio.* Et eodem modo *vetus Scholiaſtes Heſiodi* in Theogoniam, Pag. CXLI. a. Edit. Trincauelli: Λητὼ λέγεται ἡ λήθη καὶ ἡ νύξ. *Latona dicitur et obliuio et nox.* Et paſſim talia leguntur apud Veteres. Temperare mihi tamen iam nequeo, quin ex EVSTATHII in Homerum Commentariis, hanc eius obſeruationem apponam: ** Λητȣ͂ς ὑὸς ὁ Ἀπόλλων λέγεται, τȣτέςι νυκτός· δοκεῖ γὰρ ἐξ αὐτῆς, οἷα μητρὸς, ὁ ἥλιος γεννᾶσθαι, ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Τραχινίαις λέγει. ——— Λητὼ δὲ ἡ νὺξ, διὰ τὴν παρ' Εὐριπίδῃ σοφὴν καὶ ποτνίαν λήθην. ὑπνȣ͂ντες γὰρ νυκτὸς πάντων λανθανόμεθα. *Filius Latonae dicitur Apollo, id eſt noctis, videtur enim Sol ex illa, tanquam ex matre procreari, ſicuti et Sophocles in Trachiniis loquitur.* ——— *Nox vero* Λητὼ *nuncupatur, propter* λήθην, *id eſt obliuionem, quam Euripides ſapientem et venerandam appellat. Dum enim noctu ſomno nos dedimus, omnium rerum obliuiſcimur.* Verba SOPHOCLIS, ad quae in his reſpicit EVSTATHIVS, extant in Trachiniis v. 93.

Ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει, κατευνάζει τε φλογιζόμενον
ἅλιον ἅλιον αἰτῶ.

Quem nox aſtrifera e medio ſublatum
Progignit, et eundem luce fulgentem rurſus ſopit
Solem, Solem inuoco.

Noctem

* apud EVSEBIVM, Praepar. Euang. Lib. III. cap. I.
** in Iliados Lib. A. p. 22.

Noctem hanc, quam cum *Latona* eandem faciunt priſci Graecorum Theologi, NATALIS COMES interpretatur *Chaos* primitiuum, ex quo omnia creata ſunt. Hoc ſane ad Theologiam Aegyptiorum propius accedere videri poſſet. Quare haec eius verba adſcribere non grauabor: * *Latona —— poteſt etiam a λανθάνω, quod latere ſignificat, deduci, quia e tenebris Apollo et Diana nati ſunt, e confuſa ſcilicet rerum natura.* In ſimiles cogitationes video etiam incidiſſe GERHARDVM IOHANNEM VOSSIVM, virum omni memoria digniſſimum, quamobrem et hanc eius obſeruationem appono: ** *Heſiodus in Theogonia, vti et in Metamorphoſibus Ouidius, Apollinem et Dianam natos aiunt e Ioue et Latona. Vbi Iupiter eſt opifex mundi: Latona eſt materies vniuerſi, quae Λητώ, ſiue Latona, ἀπὸ τȣ͂ λήθειν, dicta eſt, quoniam, antequam lux foret, omnia in tenebris delituerint: vel quia, vt Platonici volunt, rudis illa indigeſtaque moles, innumeris latuit Seculis, vſque dum Mundi ille architectus, omnibus in orbem redactis, ſingulis ſuum tribuit decus.* Quae quidem, quomodo ad vetuſtam gentis Aegyptiacae Theologiam, non ſine magna veri ſpecie, applicari queant, nunc iam videamus.

§. 7. Volunt nempe, qui inter Graecos, Theologiae Phyſicae excolendae operam dederunt, per *Latonae* Numen nihil aliud intelligi, quam *Noctem*, ſiue iam *noctis* nomine indicetur pars illa diei naturalis, qua Sol Horizontem noſtrum relinquit, ſiue etiam ille ſtatus rerum omnium primigenius, quo *Ex doctrina Graecorum de Latona, collata cum Aegyptiorum Theologia, tentatur interpretatio Numinis Butici.*

*** *Vnus erat toto naturae vultus in orbe,*
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.

Et

* *Mytholog.* Lib. III. cap. XVII. verſus fin.
** *de origine Idololatriae*, Lib. II. cap. XII. fol. 186. b.
*** OVIDIVS Lib. I. *Metam.* initio.

Et hanc *Noctem*, ſiue ſumatur priori, ſiue poſteriori ſenſu, ab Orientalibus fere cunctis, ac ſigillatim ab Aegyptiis, per σωματοποιΐαν quandam, vt Numen magnum et potens, impenſa religione cultum fuiſſe, multis docuimus Lib. I. cap. I. Sed ibidem tamen demonſtratum quoque dedimus, Numen illud *Noctis* Aegyptiorum, ſermone ipſorum auito, ſonuiſſe *Athor*, illudque nomen Graecos communiter interpretari *Venerem*. Verum enim vero, hoc non obſtante, adſunt, quae nos ad credendum inducere queunt, *nocturnum* Gentis Aegyptiacae *Numen*, nonnunquam etiam nomine *Butonis* vel, vt cum Graecis loquar, *Latonae* deſignari. Obſeruauimus nempe Libro et cap. citato, §. 13, veteres Aegyptios, religioſis ritibus coluiſſe aliquam Ἀφροδίτην σκοτίαν, *Venerem tenebricoſam*, vel, quod idem eſt, *nocturnam*. Eandem vero diximus a DIODORO *Siculo* appellari Ἑκάτην σκοτίαν, *Hecaten tenebricoſam*. Et ex indiciis non valde obſcuris, colligere licet, Numini huic nocturno, ſiue illud *Venerem*, ſiue cum aliis *Hecaten* appellare libeat, aram ſtatutam, Sacraque facta fuiſſe in Templo Serapidis antiquiſſimo, ſito in inſula prope Pyramides, in quo Apidis fato functi corpus recondi ſolebat. Ibidem ſitum etiam fuiſſe Fanum aliquod *Latonae* Aegyptiacae, a qua *Letopolis*, Mempheos ſuburbium nomen traxit, diſcimus ex his ALEXANDRI *Polyhiſtoris*, e libro III. rerum Aegyptiacarum. * Λητȣ̃ς πόλις, πόλις Αἰγύπτȣ. Ἔςι δὲ μοῖρα Μέμφιδος, καθ' ἣν αἱ πυραμίδες, ** καὶ Λητȣ̃ς ἱερόν. *Latopolis, vrbs Aegypti. Eſt vero pars vrbis Memphis, iuxta quam ſunt Pyramides, et Latonae Templum.* Mihi dubitare omnino non licet, ſubinnui illud ipſum Sacellum, in

* Apud STEPHANVM *Byzantium* in voce Λητȣ̃ς πόλις.
** Vide ſupra §. 2.

in Templo Serapidis prope Memphim, quod alii *Veneris*, vel *Hecates tenebricoſae* nominant. Poterat merito Numen illud,* cui dedicatum erat hocce Templum, nuncupari *tenebricoſum* et *nocturnum*, quia * Templum illius omnibus erat inacceſſum et clauſum, praeterquam illis diebus, quibus *Apim* ſepeliri contingeret. Quae ſi ita ſe habent, vti ſuſpicor, ſequitur, cultum illic fuiſſe Numen aliquod, cui nomen Aegyptiacum fuiſſe *Athor* coniicio, Graecos vero illud modo *Venerem*, modo *Hecaten*, modo etiam *Latonam*, ob rationes, quas §. 6 expoſui, interpretatos eſſe. Nempe Numen illud praeerat *Nocti*, et *tenebris*, adeoque etiam tenebris Mortis, ad quas homines et animantia, relicta luce vitae huius, poſtliminio redire coguntur. Statum hunc etiam paſſim vocare ſolent *noctem*, vti CATVLLVS in notiſſimo *carmine ad Leſbiam*

Soles occidere et redire poſſunt:
Nobis quum breuis occidit lux,
NOX eſt perpetua vna dormienda.

et HORATIVS *Carminum* Lib. I. oda IV.

Vitae ſummae breuis ſpem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet NOX, fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia. ——

Et ſic nobiliſſimus Poëta, Aeneid. Lib. X. 746. et XII. 310.

—— *in aeternam clauduntur lumina NOCTEM.*

Quae quomodo ex interpretatione Theologorum Graeciae, de qua §. 6, etiam ad Latonam applicari queant,

* Vide infra Lib. IV. cap. III. §. 2. et 8.

queant, nemo eſt, qui non illico intelligat. Verum, inquies, quid haec ad *Butonem*, ſiue *Làtonam Buticam?* Sane non deſunt rationes, ex quibus veroſimiliter colligi queat, ea, quae de *Hecate Memphitica* commemorantur, etiam ad *Latonam Buticam* ſpectare. Ipſum *Latonae* huius nomen, quod *Buto* eſt, vel *Butus*, non leuiter id quod dixi, confirmare videtur. Teſtatur namque HESYCHIVS, Aegyptios ſermone patrio Βȣτȣ̀ς dixiſſe *ſepulchra*, in quibus mortuorum cadauera reponuntur. Verba eius ſunt. Βȣτοὶ τόποι παρ' αἰγυπτίοις, εἰς ȣ̔̀ς οἱ τελευτῶντες τίθενται. *Buti Aegyptiace dicuntur loca, in quibus mortui reconduntur.* Et interpretatio haec vocis Aegyptiacae, quae tamen ad *Numen Buticum* forte plane non ſpectat, minime contemnenda eſt. Etenim ex Coptorum libris intelligitur, ⲂⲎ, *Be*, *ſepulchrum* dici Aegyptiace. Matth. XXIII. 29. Analogiae autem grammaticae ſermonis Aegyptiorum non repugnat, ex ⲂⲎ, ſingulari, formari pluralem ⲂⲎⲞⲨⲦ, *Be-ut*, vnde addita terminatione graeca, natum eſt *Heſychianum* Βȣτοί. Aut a ⲂⲎ, *ſepulchrum*, formari etiam regulariter poteſt adiectiuum ⲂⲎⲞⲨⲦ, *ſepulchralis*. Poſſent ſic dici *ciſtae* vel *arcae ſepulchrales*. Sic etiam Βȣ̃τος poſſet dici Numen *ſepulchrale*, quod nempe *ſepulchris praeeſſe* crederetur, dummodo haec etymologia confirmari aliunde poſſet. Sed, vt verum candide fatear, praeter literarum et ſyllabarum ſonum, non eſt quicquam, ex quo concludi rite queat, Βȣτȣ̀ς HESYCHII, ſpectare ad *Butonem*, ſiue *Latonam* Aegyptiorum, Buti cultam. In ipſo Numine, et traditionibus Aegyptiorum de eo, nihil deprehendere poſſum, quod ad ſepulchra et tenebras mortis referri debeat, aut queat. Eſt tamen aliquid, quod praeterire nolim, quandoquidem videri poſſet quibuſdam, confici-

ſici ex eo poſſe, *Latonam* Aegyptiorum *Buticam*, a *Venere* eiuſdem gentis, *Athor* vocata, id eſt *Nocte*, adeoque a primo principio rerum omnium paſſiuo, vel materia chaotica, ex qua omnia ſunt formata, parum omnino differre. Nempe *Latonae Buti* cultae, ſacer erat *mus araneus*, quem Graeci μυγαλῆν vocant. Ideoque animalcula illa, quorum morſus venenatus habetur, mortua deportabantur *Butum*, vt ibi, ſecundum leges Sacrorum conditae, ciſtis illatae ſepelirentur, teſte HERODOTO Lib. II. c 67. Quin imo in fabulis Sacerdotalibus Aegyptiorum perhibebatur, *Latonam*, id eſt *Butonem*, vt perſecutionem Typhonis effugeret, ſe in *murem araneum* conuertiſſe, quod ANTONINVS LIBERALIS docet, Fabula XXVIII. Et aliunde etiam ſcimus, Aegyptios beſtiolam hanc honoribus diuinis affeciſſe. Putabatur enim, quod ex dictis iam ſic colligitur, ſacra et viua quaedam Latonae Buticae imago. Cur vero Aegyptii animal adeo vile et impurum tanto dignarentur honore, rationem hanc reddit PLVTARCHVS, *Sympoſ.* Lib. IV. Quaeſt. V. p. 670: Τὴν μυγαλῆν λέγουσιν ἐκτεθειάσθαι ὑπὸ Αἰγυπτίων τυφλὴν οὖσαν· ὅτι τὸ σκότος τοῦ φωτὸς ἡγοῦντο πρεσβύτερον. *Murem araneum diuinos honores reperiſſe apud Aegyptios, aiunt, eo quod coecus ſit. Nam tenebras luce eſſe priores cenſent.* En! igitur *murem araneum* ſymbolum *tenebrarum*, inſimulque *Latonae* imaginem, vnde concludi poſſe non immerito videtur, *Latonae* Numen cognationem habere cum *Nocte*, et *tenebris*. Quod ſi iam certum eſſet, id, quod PLVTARCHVS refert, omnino ita ſe habuiſſe, et ex priſca Aegyptiorum Theologia fluxiſſe, magnum id apud me pondus haberet, ad aſſerendum, *Latonae* Numen *nocturnum* fuiſſe, atque *tenebricoſum*. Verum auctor egregius non ſine cunctatione ita pronuntiat. *Aiunt Aegyptios* id tradere. Suſpi-

cor ergo, Graecos, cum ſcirent, murem araneum diuinos in Aegypto conſecutum eſſe honores, rei adeo mirificae rationem quaeſiuiſſe in animalculi huius coecitate, quam ei tribuunt non pauci; ſed quae re ipſa eſt imaginaria. Operae pretium eſt, ea de re adſcribere verba viri docti, qui ea literis prodidit, quae oculis antea ipſe ſubiecerat. Mus araneus * *eſt oculis paruis: quanquam autem totus paruus ſit, oculos tamen ei multo, quam proportione minores eſſe, ipſe obſeruaui, et propter hanc oculorum paruitatem viſum ei admodum hebetem eſſe puto, adeo, vt veterum quidam murem coecum appellarint.* Non igitur veram cauſam PLVTARCHVS nobis hic commemoraſſe videtur, ob quam Aegyptii, in *mure araneo*, colere voluerint ſuam *Latonam*. Et omnino ad tenebras mortis, aut noctis, quomodocunque eam accipias, Numen hoc relatum non fuiſſe, arbitror. Sunt etiam rationes, quae mihi perſuadent, *Latonam* illam, cuius Sacellum fuit in Templo Serapidis, prope Pyramides, de qua ſupra diximus, non fuiſſe *Numen Buticum*, cuius Templum, vna cum antiqua vrbe *Letopoli*, a Perſis dudum fuerat dirutum. Sed Dea illa, quae ab aliis etiam vocatur *Venus*, et *Hecate tenebricoſa*, a Graecis nonnullis *Latonae* nomine inſigniebatur, nam id Graecorum Theologia permittebat, et nouerant, in vicina Letopoli, Aegyptiorum *Latonam* olim enixe cultam fuiſſe.

Sed re ipſa Latona Butica referebatur ad Iſin, vel Lunam, erat que huius

§. 8. De alia igitur omnino *Numinis Butici*, vel *Latonae* Aegyptiacae interpretatione cogitandum nobis erit. Quod ſi autem ea, quae de Dea hac Aegyptios perhibuiſſe reperio, etſi pauca ſint, meditate penſito, et inter ſe confero, ſubit illa mentem meam cogitatio, Numen eius ad Lunam a priſcis Theo-

* CONR. GESNERVS de Quadrupedibus viuiparis p. 845.

Theologis relatum omnino fuiſſe. Sane Deam hanc, certo quodam ſenſu, ab Iſide, magno et ſacroſancto Lunae Symbolo, diuerſam non fuiſſe, probari negotio nullo poteſt. Saepe namque in Aegyptiorum fabulis ſacris, vbi *Iſis* nominatur, non Dea haec, proprie et cum diſtinctione ita dicta, intelligenda venit; ſed *Buto* ſeu *Latona*, vnde abſque vitio concludimus, multa quae de *Iſide* ſiue *Luna*, ab Aegyptiis praedicabantur, ad *Latonam* etiam applicari poſſe, et vice verſa, aut duas has Deas, ad vnum *Lunae* Numen referri. Ita PLVTARCHVS, haud dubie ex traditionibus Aegyptiorum, *de Iſide* p. 366 extr. Τῆς δὲ Ἴσιδος πάλιν ἀναλαμβανούσης τὸν Ὄσιριν, καὶ αὐξανούσης τὸν Ὧρον, ἀναθυμιάσεσι, καὶ ὁμίχλαις καὶ νέφεσι ῥωννύμενον, ἐκρατήθη μὲν, οὐκ ἀνῃρέθη δὲ ὁ Τυφών. *Rurſus vbi Oſirin Iſis recepit, et Horum nutrit ac educat, creſcentem ac roboratum exhalationibus, et nebulis ac nubibus: ſuperatus quidem, non tamen interfectus eſt Typhon.* Vides hic *Iſidem*, recepto marito ſuo, filium etiam *Horum*, vel quod hic idem eſt, *Harpocratem* nutrientem ac ſaginantem, quod tamen *Butonis*, ſiue *Latonae* munus proprium habitum fuiſſe, ad quod fabulae de ea Aegyptiorum inprimis reſpicere ſolent, ex §. 4 ſatis conſtare potuit. Ex eo ſequi etiam, facile perſpicient docti & idonei rerum talium iudices, ſigna vetuſta, in quibus *Iſis* repraeſentatur, *Horo* filiolo, vel *Harpocrati*, vbera praebens, quaeque in * Collectionibus Antiquariorum non pauca occurrunt, vere et proprie ad *Latonam Buticam* referri debere. Saepe igitur, vbi *Iſis* nominatur, re ipſa tamen, et maxime proprie, *Latona* Aegyptiorum intelligi debet. Eſt nempe in tantum vnum

aliquod Symbolum.

 vtriuſ-

* MONTFAVCON *Antiquité expliquée*, To. II. Tab. CV. CX. CXIII.

vtriuſque Numen, quod et haec et illa, aliquod Lunae Symbolum extiterit, religione Aegyptiorum conſecratum. Et hanc quoque cauſam eſſe credo, quod Aegyptii *Butoni*, vel *Latonae* ſuae, *murem araneum* dedicatum et ſacratum voluerint, quod §. 7 oſtendimus. Rationem dabit PLVTARCHVS, qui verbis, ſupra §. 7 allatis, illico haec ſubiungit: Τὴν μυγαλῆν τίκτεσθαι λέγουσιν * ἐκ μυῶν, πέμπτῃ γενεᾷ, νουμηνίας οὔσης· ἔτι δὲ μειοῦσθαι τὸ ἧπαρ ἐν τοῖς ἀφανισμοῖς τῆς σελήνης. *Murem araneum naſci aiunt e muribus quinta generatione, in nouilunio: atque iecur eius minui, quando lumen Lunae deficit.* Tribuebatur itaque animalculo huic aliqua cum Luna, eiuſque viciſſitudinibus, cognatio et ſympathia, quae ſine dubio ratio erat, cur illud Lunae conſecratum voluerint Aegyptii. Et hanc, aliis eorum obſeruationibus genuinis, de quibus cap. III. §. 6 quaedam notauimus, perſimilem eſſe, quis negauerit?

Id ex eo etiam colligitur, quod Latona illa perbibita fuerit, Buti Horum et Bubaſtin nutrire.

§. 9. Verum illa PLVTARCHI obſeruatio, quam retulimus §. 8: *Iſidem* (ſiue *Latonam Buticam*) *Horum educare et nutrire Buti, creſcentem exhalationibus, nebulis ac nubibus*, aenigmatis Aegyptiaci ſenſum genuinum, niſi me ſpes fallit, nobis recludet. Ex §. 4 abunde perſpici potuit, fabulas Aegyptiorum de *Latona* ſua, tantum non omnes, eo ſpectaſſe, vt Dea haec haberetur *Hori* et *Bubaſteos* nutrix, quae hos in paludibus Buticis aluerit et ſollicite educauerit. Hoc ipſo autem Sacerdotes ſubinnuebant, *Latonam Buticam*, diuerſam a *Lunae Numine* non eſſe. Vt vero id ex hominum iſtorum placitis certo demonſtremus, tenendum omnino nobis

* *Scholiaſtes Nicandri* p. 45. habet ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς, *ex mure et muſtela.* Idque nomen animalculi illius graecum confirmare videtur.

nobis eſt, veteribus fere cunctis, ac ſigillatim Aegyptiis perſuaſum fuiſſe, * *Oceanum*, et in genere omnem humorem, *Sidera ipſa tot et tantae magnitudinis paſcere.* Aegyptii vt hoc ipſum, more patrio, imagine aliqua ſymbolica adumbrarent, Harpocratem pingebant, loto, in locis paluſtribus humidiſque naſcenti, inſidentem, eo ſignificantes, ** *Solem ex humidis accendi*, aut, vt etiam loquuntur, ſplendidum hoc coeli ſidus *** *naſci et ali ex humore et exhalationibus.* Iidem dicere quoque ſolebant, et imaginibus ſymbolicis fingere, † *Solem et Lunam non curribus, ſed nauigiis vehi, innuentes, clariſſima haec Mundi ſidera, non ſecus ac res aliae, humore procreari atque ali.* Facilius iam nunc intelligi poterit, quidnam ſibi voluerint Aegyptii, dictitantes, *Horum*, qui hic quidem cum *Harpocrate* idem eſt, ideoque Solem ſubindicat, circa Solſtitium hybernum, renatum quodammodo ac renouatum, *exhalationibus, nebulis et nubibus enutritum, Buti creſcere, et adoleſcere.*

Idque in paludibus Buticis. Nam aqua paluſtri et fontana credebatur Luna nutriri, et tum res alias viuificare et roborare.

§. 10. Id vero attenta conſideratione dignum cumprimis eſt, quod fabula Aegyptiorum in ore habet, *Horum*, ſiue Solem renouatum, et *Bubaſtin*, id eſt Lunam naſcentem, (cap. IV. §. 10.) educatos nutritoſque fuiſſe in vrbe *Buto*, et quidem a *Latona*. Hoc ad inueſtigandam veram Numinis huius ſignificationem et interpretationem, nobis non parum proderit. *Buti* perhibebantur *Horus* atque *Bubaſtis* nutriri, eo quod prope hanc vrbem lacus eſſet ingens, veteribus non indictus. Meminit eius, praeter

* PLINIVS Lib. II. cap. 68.

** PLVTARCHVS de Iſide p. 335.

*** Idem *de Pythiae Oraculis* p. 400.

† Idem de Iſide p. 364. CLEMENS *Alexandrinus* Lib. V. Strom. p. 566. EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. cap. XI.

ter alios, etiam STRABO, excellens Geographus, p. 551. In hoc lacu tradebant Sacerdotes, *Horum* et *Bubaſtin*, cum eos Typhon perſequeretur, a *Latona* occultatos fuiſſe in inſula, vbi poſtea Numinibus his Templum dedicatum fuit ſplendidum, §. 4. In eodem lacu, vel paludibus, dicebatur etiam *Latona*, Deos hos nutriuiſſe, §. 4. Et praeter hunc *Buticum*, erant plures in vicinia lacus, veluti *Sebennyticus* memoratus SCYLACI in Periplo p. 43, et STEPHANO, in Σεβέννυτος, ac alii, vt igitur illa regio, certis praeſertim temporibus, eſſet valde paluſtris. Hanc vero nutritorum a *Latona* Deorum in paluſtribus Buticis, rationem adfert PLVTARCHVS, * *quia aquoſa et irrigua terra, maxime educit exhalationes, quibus ſiccitas reſtinguitur atque laxatur*. Hoc vero ex ſententia Aegyptiorum, et plerorumque veterum, beneficium erat Lunae, quae aqua paluſtri paſta et corroborata, calorem Solis temperaret humido lumine, et eidem tamen etiam nutrimentum praeberet. ** *Lunam* exiſtimabant *lumen habere genitabile et humectans, ideoque proſperam eſſe et animalium procreationi, et ſtirpium pullulationi, cum Sol viciſſim intemperato igni calefaciat exſiccetque natas et florentes ſtirpes: et ſuo ardore magnam partem terrae fecerit habitationibus ineptam.* Hanc igitur inter beneficia Solis atque Lunae veteres conſtituunt diſcrepantiam: *** *Duobus his reguntur omnia terrena, calore quidem Solis per diem, humore vero Lunae per noctem.* † *Nam vt calore Solis animantur ſemina, ita Lunae humore nutriuntur. Penes ipſam enim et corporum omnium ratio eſſe dicitur et poteſtas.* Hac

* *de Iſide* p. 367.
** PLVTARCHVS loco eodem.
*** *Scholiaſtes* vetus *Horatii* in Carmen Seculare p. 299. a.
† Idem ibidem, pluſculis interiectis.

Hac de cauſa APVLEIVS Metam. Lib. XI. init. de *Iſide* praedicat, quod *luce foeminea conluſtret cuncta Moenia et vdis ignibus nutriat laeta Semina.* Illam vero humidam et beneficam lucem, ſi eoſdem veteres audimus, Luna ſibi acquirit ex aqua dulci, qualis eſt lacuum, fontium, fluuiorum, et paludum, quam attrahit, inque ſuum aliarumque rerum vſum vertit. * *Stoici* certe *volebant, Solem e mari incendi, atque ali: Lunae vero a fontanis et lacuſtribus aquis dulcem mollemque ſubmitti exhalationem.* Et hanc communem fuiſſe Philoſophorum ſententiam, ſatis innuit PLINIVS, Lib. II. c. 101. Vbi, *Ferunt,* inquit, *Lunae foemineum ac molle ſidus, atque nocturnum, ſoluere humorem, et trahere, non auferre. — Sed in dulcibus aquis Lunae alimentum eſſe, ſicuti in marinis Solis.* Hanc igitur ob cauſam in fabulis Sacerdotum perhibebatur, *Latonam*, vel *Lunam Symbolicam*, Buti habitare, ſubinnuentes, eam aqua dulci fontana et lacuſtri, quae ibi reperiebatur copioſa, paſtam et corroboratam, alimentum deinde idem *Horo*, vel *Soli renouato*, et *Bubaſti*, id eſt, *Lunae* recens *natae*, et *creſcenti* ſubminiſtrare et diſpenſare.

§. II. Explicuimus igitur, quo ſenſu Aegyptiorum Theologi de *Latona* ſua *Butica*, id eſt *Luna*, dicere potuerint, quod *Horum*, ſiue *Solem recens natum*, aut *renouatum*, itemque *Bubaſtin*, ſeu *Lunam nouam* et *creſcentem*, nutriat, augeat, et educet. Luna nempe ex fontibus et paludibus dulcem aquam attrahit, eaque veluti ſatiata, nouo Soli alimenta praebet, et ipſa quoque viribus refecta, etſi poſt Plenilunium ſenſim deficiat, atque tandem plane euaneſcat, ſibi ipſa ſufficit, vt mox quaſi renata, lumen ſuum terrae rurſus oſtendat, et de nouo creſcat.

Obſeruatu praeterea dignum eſt, quod veteres Lunam crediderint eſſe matrem roris.

* PLVTARCHVS loc. cit. p. 367.

ſcat. Verum enim vero, huic generaliori *Latonae Buticae* interpretationi, aliam praeterea ſpecialiorem iungendam puto. Lunam veteres non modo matrem quandam humoris, quem ad ſe trahit, et quo res omnes alit reficitque, arbitrabantur; ſed et, deberi eidem copiam roris coeleſtis, herbis atque frugibus, certo praeſertim tempore, tantopere ſalutaris. Quaenam ſit roris vera ac proxima cauſa, quae origo, multi ex antiquis, ſe ignorare, maluerunt candide profiteri. Ipſe IOBVS cum his facere videtur, vbi Deum ſic rogantem introducit cap. XXXVIII. 28: *An eſt pluuiae pater? aut quis genuit guttas roris?* Ad quae Commentator praeſtantiſſimus, B. SCHVLTENSIVS, haec annotauit: *Senſus hinc talis eniteſcit* „conſidera mihi vel protrita illa, „et quae omnibus exploratiſſima habentur, pluuiam, „rorem, —— quem illis patrem quam matrem aſ„ſignas? „ *Percurre omnes cauſas ſecundas, vnde haec meteora gigni aiunt Philoſophi, et ſenties, te proximam originem vel vnius guttulae non poſſe indicare.* Sed erant tamen, qui rorem a ſideribus gigni autumarent, quos inter eſt FVLGENTIVS, cuius in *Mythologiae* initio hi leguntur verſus:

Vbi guttas florulentae mane rorant purpurae
Humor algens, quem ſerenis Aſtra ſudant noctibus.

vbi * poſterior verſus deſumtus eſſe videtur ex *peruigilio Veneris*, in quo haec occurrunt:

Humor ille, quem ſerenis Aſtra rorant noctibus.

At plerique malebant Lunae, etiam roris generationem adſcribere **. *Idque ſubinnuit Alcman, Poëta Lyricus,*

* Ita NIC. HEINSIVS ad Claudianum Lib. I. in Ruffinum v. 385.

** Apud PLVTARCHVM Sympoſ. Lib. III. p. 659.

Lyricus, *rorem Iouis*, (ſiue aëris,) *et Lunae filiam appellans.* Erat illa ALCMANIS ſententia celebris, ad quam ideo MACROBIVS etiam prouocat *Saturn.* Lib. VII. cap. XVI: *Aër ipſe proprietatem lunaris humoris, et patitur et prodit. Nam cum Luna plena eſt, vel naſcens* ——— *aër aut* * *in pluuiam ſoluitur, aut ſi ſudus ſit, multum de ſe roris emittit. Vnde et Alcman Lyricus dixit rorem aëris et Lunae* ** *filium.* Hinc ſine dubio eſt, quod Poeta Lunam dixerit *roſcidam*, id eſt roris matrem aut cauſam.

*** *Solis ad occaſum, cum frigidus aëra veſper*
Temperat, et ſaltus reficit iam roſcida Luna.

Et ex recentioribus quoque, nonnulli veteris Philoſophiae alumni, ab iſta perſuaſione alieni non ſunt. *Perexiguus autem vapor*, inquit † MYLAEVS, *a Luna, vt tradunt, ſereno; idque veris potiſſimum tempore, excitatus et calore deſtitutus, non multum ſurſum effertur. Sed conuerſus in pertenuem et ſubtilem aquam, ad conueniens ſtirpium alimentum, rore terras aſpergit.* Conſentit huic alius eiuſdem Philoſophiae Sectator: †† *Ad rorem iuuant etiam Aſtra nocturna, praeſertim Luna.* Et in eadem penitus ſententia fuiſſe etiam Aegyptios, tanto minus dubitandum, quod ſciamus eos aſſeruiſſe, Lunam eſſe matrem et nutricem corporum ſublunarium omnium, cap. I. §. 4. et cap. hoc, §. 10. et dulcem cum-

* Particulam hanc *in* ſupplendam eſſe duxi.
** In verbis ALCMANIS apud PLVTARCHVM, eſt θυγάτηρ. Vnde praeſtaret, et hic legere *filiam*.
*** VIRGILIVS Georg. III. 336.
† In *hiſtoria Naturae* To. II. *Penus artis hiſtoricae* p. 46.
†† FR. REINTZER e Soc. Ieſu, in *Meteorologia philoſophico-politica* p. 351.

cumprimis humorem ex fontibus lacubuſque, auidiſſime ad ſe trahere.

Atque id videntur etiam in Latona Butica ſignificare, et in- ... co- ... iſ- ... egyptii.

§. 12. Et hoc quidem eſt, ſi recte coniicio, quod in *Latona Butica*, Aegyptii tantopere coluerunt, haec praecipua eius vis et poteſtas, quam venerati in ea ſunt Niligenae. Neque ego id in idolorum et creaturarum cultoribus valde mirari poſſum. Eſt enim illa roris ad terram noſtram nocturna et matutina demiſſio, ingens quoddam naturae beneficium, et pretii inaeſtimabilis. Nam * *ros ex aëre in terram delapſus, nutrimentum plantarum euadit delicioſum. Terram idem humore benefico imbuit. Arborum folia, quaſi totidem manus, ſe incuruant, vt eum recipere ac imbibere poſſint: flores ſemet aperiunt, vt et ipſi theſauri huius fiant participes. Aduentus aurorae, liquorem hunc exquiſitum in poros ipſorum ingerentis, oppido ipſis pretioſus eſt.*

—— ** *humida dulces*
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tanguntur paſcua rore
Et matutinae lucent in gramine guttae.

Inprimis id in regionibus Sole vehementer aduſtis vſu venire experimur, vt, quanto illic rariores cadunt pluuiae, tanto copioſiores terram laetificent rores. De Aegypto et regionibus ſimilis indolis id obſeruat THEOPHRASTVS *Hiſtor. Plantar.* Lib. VIII. cap. VI. Ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Βαβυλῶνι, καὶ Βάκτροις, ὅπου μὴ ὕεται ἡ χώρα, *** ἢ σπανίως, αἱ δρόσοι τὸ ὅλον ἐκτρέφουσιν. *In Aegypto vero et apud Babylonem, et Bactra, vbi terra nullis aut raris imbribus*

* *Spectacle de la Nature*, de Mr. PLVCHE To. IV. p. 74.
** TITVS CALPVRNIVS Eclog. V. 52.
*** Particulam ἢ ſuppleui, ſenſu id neceſſario flagitante. Et ſic habet verſio latina.

bribus madet, rores omnia nutriunt aluntque. Ex quo fere PLINIVS deſumſit, quae habet Lib. XVIII. cap. 21. *In Bactris, Africa, Cyrene —— ſiccitas coërcet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens.* Neque etiam recentiores de Aegypto id obſeruare neglexerunt. Vide VANSLEBII Relationem itineris Aegyptiaci pag. 39. Eam ob rem * in Scriptura, promiſſio roris, magnam benedictionem innuit, vti eiuſdem denegatio malum ingens. Obſeruari et hic illud inſuper meretur, in Aegypto, eo ipſo tempore, quo Nilus, fertilitatis omnis, qua tellus illa gloriatur, vera cauſa, ex agris iam receſſit, et fruges e terra ſuccreſcentes, incolarum animos dulci ſpe oblectant, rorem Nili quodammodo vice fungi, ſegeteſque laetas facere. In aliis regionibus, tempore verno cumprimis, rores recreant germina; at alio modo res ſe habet in Aegypto. Illic enim ** ſub initium Nouembris, Nilus arua derelinquere incipit. *** Circa finem menſis eiuſdem, agri conſeruntur. Menſibus vero Decembri et Ianuario, fruges enatae, nutriuntur fouenturque rore tempeſtiuo. Poſtremum hoc, quod Aegypto proprium eſt, teſtatur, qui in illa regione peregrinatus, diuque moratus eſt, † PALLADIVS Helenopolitanus Epiſcopus, *Hiſtor. Lauſiac.* cap. XXXIII. vbi de Ptolemaeo Monacho, extrema Sceteos inhabitante, haec

* *Geneſ.* XXVII. 28. vbi vide CLERICVM. Adde HILLERI *Hierophyticon* Part. II. p. 107. et POCOCKIVM in *Hoſeae* XIV. 5.

** MAILLET Deſcription de l'Egypte Part. I. p. 87. Edit. in 8.

*** PLINIVS Lib. XVIII. c. 18. *Peregrinatio* Principis RADZIVILII p. 166.

† Iunge huic Scriptorem recentiorem, VANSLEBIVM, vbi ſupra.

haec habet: * Βασάσας ȣ̃ν ἐκεῖνος κεράμια.** κιλικίσια πλείονα, ἐκεῖσε ἀπήνεγκεν· καὶ τῷ Δεκεμβρίῳ καὶ Ἰανȣαρίῳ μηνὶ συναγὼν τὴν δρόσον ἐκ τῶν πετρῶν (δροσίζει γὰρ ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι τότε πολλὰ) τὰ κεράμια ἐπλήρωσεν. *Is igitur pocula fictilia complura eo deportauit. Et cum menſibus Decembri et Ianuario, rorem ex petris collegiſſet, ros enim hoc anni tempore copioſus illic locorum cadit, illo pocula ſua impleuit.* Obſeruari autem hic peruelim, in fabulis Aegyptiorum tradi ſolitum fuiſſe, quod Lib. II. cap. VI. §. 7. 8. probaui pluribus, *Harpocratem*, vel, quod hic quidem perinde eſt, *Horum*, eodem plane tempore, nimirum circa Solſtitium hybernum, inter lacuſtres flores et plantas natum, et *Buti* enutritum fuiſſe, a *Latona* nempe *Butica*. Vix ergo crediderim, iuſtam de iis, quae nunc diſſerui, addubitandi cauſam ſupereſſe cuiquam poſſe.

Ex iis quae obſeruata fuerunt, tandem pateſcit, Latonam Buticam, Symbolum fuiſſe Plenilunii.

§. 13. Omnia igitur, quae hucuſque in medium attulimus, quantum mihi intelligere datum eſt, inuicte probant, *Latonam* Aegyptiorum *Buticam*, Symbolum quodpiam fuiſſe *Lunae*, auita ipſorum religione conſecratum. Verum qua tandem ratione Dea haec differre cenſenda erit a Numinibus *Iſidis*, et *Bubaſteos*, quae pariter ad *Lunam* relata fuiſſe, locis ſuis vidimus, et a quibus tamen *Butonem*, ſiue *Latonam Aegyptiam*, etiam certa aliqua ratione diuerſam fuiſſe, dubitari prorſus nequit? Poterit nempe ex iis, quae propriis ſuis locis obſeruauimus, luculenter intelligi, *Iſidem* generatim *Lunam*, totam-

* In *Bibliotheca Patrum Magna* Pariſina To. XIII. p. 951.

** an forte legendum erit κυλικίσια, vt ſit diminutiuum a κύλιξ, *poculum?* κεραμίαν κύλικα inuenis apud HERODOTVM et PLATONEM. Vide IVNGERMANNI notas ad Iulium Pollucem Lib. X. cap. 53. p. 1386. Editionis vltimae.

tamque eius vim poteſtatemque deſignaſſe, *Bubaſtin* vero Symbolum fuiſſe *Lunae nouae*, et *creſcentis*, quod et nomen Aegyptiacum innuere mihi videtur. Reſtat igitur, vt *Buto*, ſiue *Latona*, Aegyptiorum filiis ſubindicauerit *Lunam plenam*, quando augmenti et incrementi metam contigit vltimam. Idque nunc rationibus quibuſdam in medium allatis, ad liquidum perducemus. Obſeruauimus autem * ſupra, *Bubaſtin* in fabulis Sacerdotalibus Aegyptiorum perhibitam fuiſſe filiam *Oſiridis* et *Iſidis*, id eſt *Solis* et *Lunae*, quia *Luna*, poſt conjunctionem ſuam cum Sole, et ex radiis huius emergens, *noua* apparet, et velut *recens nata*. Hoc ſane *Lunae nouae*, nempe oculis noſtris iam apparenti, conuenit. Poſtea creſcit eundo, donec aetatis iuſtum quaſi robur conſecuta, curriculi ſui metam vltimam in *Plenilunio* contingat. Hoc profecto mirifice congruit *Latonae Buticae*, quam fabulae Sacerdotum myſticae repraeſentabant Matronam aetatis adultae, *Hori* et *Bubaſteos* nutricem, ſeruatricem, tutricem. Non parum hoc ex eo illuſtratur, quod veteres exiſtimarint, *Lunam*, quo propius ad *Plenilunii* terminum accederet, eo maiorem quoque vim atque virtutem exſerere. ** *Diem* certe, *qua primum conſpiciebatur Luna, euitatis et praeteritis radiis Solis*, Aegyptii *bonum imperfectum nominabant*. Diuidebant autem Lunam, vſque ad Plenilunium creſcentem ***, in tres dierum quinarios. Primus quinarius erat imperfectus, tertius vero, a lumine vndecimo, vſque ad decimum quintum, vel ipſum Plenilunium, perfectiſſimus. Praeterea vero *Luna* alma, mater etiam

* Libro hoc III. cap. III. §. 5.

** PLVTARCHVS de *Iſide* p. 368.

*** PROCLVS in Heſiodi Opera et dies pag. CIII. b. Edit. Venetae Trincauelli.

iam credebatur roris, cuius dulci copia, regionem Aegypti, pluuia deſtitutam, eo tempore; quo etiam aqua Nili in agris campiſque deſiderabatur, mirifice recreabat. §. 11. 12. Id vero veteres communiter ad virtutem beneficam *Plenilunii* referre ſolebant. Ita PLVTARCHVS *Sympoſ.* Lib. III. verſus fin. p. 659: Δροσοβολεῖ γὰρ ὁ ἀὴρ ταῖς πανσελήνοις μάλιστα διατηκόμενος. *Maxime enim Plenilunio rorem iacit aër colliquatus.* Nec diſſidet MACROBIVS, qui in fine *Saturnaliorum* haec memoriae prodidit: *Aër ipſe proprietatem lunaris humoris et patitur et prodit. Nam cum LVNA PLENA eſt, vel cum naſcitur, (et tunc enim a parte qua ſurſum ſuſpicit, PLENA eſt) aër aut in pluuiam ſoluitur, aut ſi ſudus ſit, multum de ſe roris emittit.* Recentiores quoque ſecuti veteres, rem eandem ſibi obſeruaſſe viſi ſunt. Eorum placita ſequitur PETRVS VICTORIVS, qui Var. Lect. Lib. XIV. cap. XVII. ea de re ita pronuntiat: *Nec enim omnes noctes vno tenore eandem vim roris gignunt. Luna namque ſilente* (* id eſt in coitu Lunae, vel interlunio) *ros non multus deſcendit: contra autem IN PLENILVNIO, magna ipſius copia funditur.* Facit quoque cum iis FR. REINTZER in *Meteorologia*, p. 151: *Ad rorem etiam iuuant Aſtra nocturna, praeſertim Luna, maxime IN PLENILVNIO, in quo maiores ſunt rores; ideoque Luna dicitur roris mater, quia ſcilicet tempore molli, vapores illos etiam noctu educit, qui noctu terris incubantes, ſub crepuſculi initium ſoluuntur in aquas.* Ad eandem, quam nunc explicui, rem, ſpectare etiam auguror fabulam illam allegoricam, cuius meminit ** PLVTARCHVS,

* Vide notas eruditorum ad Catonem de Re Ruſtica cap. 29. p. 46. Edit. Celeberr. GESNERI.

** Vide ſupra §. 4.

CHVS,* *Typhonem*, cum *Buti*, vbi *Horus* nutriebatur, ſuem, venando tempore *Plenilunii*, perſequeretur, incidiſſe in arcam, qua corpus Oſiridis mortui conditum erat. Per *Typhonem* videtur hic intelligendum eſſe aliquod Principium noxium, quod *Lunae*, *plenitudinem* iam aſſecutae effectus exoptatos interciperet. Tales ſunt venti vehementiores. Nam vt ait PLINIVS Lib. II. cap. 60: *Rores neque gelu exiſtunt, neque ardoribus, neque ventis, nec niſi ſerena nocte.* Et Lib. XVIII. cap. 29: *Neque in nube, neque in flatu cadunt rores.* Et quoniam perhibebatur in fabulis myſticis, Typhonem perſequendo ſuem, beneficium Plenilunii interuertiſſe, hinc * ſemel quotannis, in *Plenilunio*, *Oſiridi* vel *Soli*, et *Iſidi* vel *Lunae*, ſus immolari conſueuerat. Qui haec omnia cum §. 4 conferre dedignatus non fuerit, facile animaduertere poterit, ea reſpicere Sacra *Latonae*, in vrbe *Buto* quouis anno redeunte fieri ſolita, tempore alicuius *Plenilunii*, in illius honorem religioſe et ſolenniter celebrati. Plura forte ea de re, in noſtra *Tabulae Bembinae* explicatione, aliquando obſeruabimus. Patere etiam ex his arbitror, Numen *Latonae*, non ſecus atque Sacra in honorem eius inſtituta, re ipſa ad *Plenilunium* ſpectaſſe.

Interpretatio nominis Aegyptiaci, Buto, vel Butus lectori offertur.

§. 14. Vbi iam nunc ad interpretandum nomen Deae huius Aegyptiacum, *Buto*, me accingo, monendus mihi eſt lector, non poſſe me non ſuſpicari, Graecos pronuntiationem et ſcriptionem vocis Aegyptiacae nobis non vſquequaque ſinceram et illibatam conſeruaſſe. Graeci nomen et Deae, et vrbis illi conſecratae, vel Βȣτὼ, vel Βȣ̃τον efferre ſolent.

* HERODOTVS Lib. II. c. 47. PLVTARCHVS de Iſide p. 354. init. AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 16.

ſolent. §. 2. Quo magis vero rem hanc cogitationibus reuoluo, eo magis perſuaderi me ſentio, ipſos Aegypti incolas, ſaltem vetuſtiores, non Βετὼ; ſed potius Μετὼ, aut Μεθὼ pronuntiaſſe. Profecto ſi Βετὼ verum nomen ſit, non bene hactenus intelligo, qua ratione, interpretatio eius commoda queat inſtitui, niſi ſit torta vehementer et coacta. At ſi, quod ſuſpicor, nomen Aegyptiacum vere ſonuerit Μετὼ, vel Μεθὼ, omnia ſponte fluent, ſuppetentque interpretationes plures, eaeque rei, quam exprimere debet nomen, bene prorſus accommodatae. Accedit, quod mihi non parum probabile videatur, PLVTARCHVM re ipſa nomen hoc efferre Μὲθ: Ait enim in libro *de Iſide*, p. 374. Ἡ δ' Ἶσις ἐστιν ὅτε καὶ Μὲθ προσαγορεύουσι. *Iſidem Aegyptii nonnunquam MVTH appellant.* Atque addit: Σημαίνουσι δὲ τῷ ὀνόματι μητέρα. *Voce illa matrem ſignificant.* Verum iſta de re, quam nunc ſuo loco relinquo, capite proximo nonnulla addam. Iam dudum vero monuerunt * viri docti, literam M, ſaepe tranſire in B, aut vtramque frequenter inter ſe commutari. Graecos id ipſum in vocibus Aegyptiis nonnunquam pariter feciſſe, exemplo aliquo luculento ** ſupra oſtendi. Eſt vrbs Aegypti celeberrima, Graecis dicta *Sebennytus*, quam incolae omnes hodie *Semanutham*, vel *Samanudam* appellant; in libris vero Coptorum *Somennuthi* nomen illud ſcribitur, idque eſſe vrbis illius nomen genuinum et antiquum, mihi quidem dubio omni carere videtur. Hic igitur in voce Aegyptiaca, literam M, Graeci in B conuerterunt, quod eoſdem in

* Vide IO. PASSERATII librum, rarius tamen obuium, *de literarum inter ſe cognatione et permutatione*, pag. 18.

** Lib. II. cap. III. §. 4.

in voce *Buto*, vel vti pronuntiandum mihi videtur, *Muto*, etiam factitaſſe coniicio. Poſſet autem Μȣτῶ, vel Μȣ̃τος, explicari ⲙⲱⲟⲩ-ϯ, *Mo-u-ti*, id eſt ἀντλῶν, vel ἀντλȣ̃σα, *quae aquam trahit* vel haurit, nempe ex terra, fontibus, et lacubus. Nam ϯ-ⲙⲱⲟⲩ, dicitur ἀντλεῖν, *aquam*, vel humorem quemcunque *haurire* Exod. II. 16. proprie *dare aquam*. Siue autem hic verbum ϯ, *dare*, praeponas, ſiue in fine adiungas, perinde eſt, et vtrumque analogia linguae Aegyptiacae permittit, quemadmodum Latinis, et *dare aquam*, et *aquam dare* recte dicitur. Haec ſignificatio, *Latonae Buticae* Aegyptiorum, id eſt *Lunae* egregiae conuenit. *Luna* enim, ſecundum PLINIVM Lib. II. c. 101. *humorem* terreſtrem *ſoluit* primum ac *trahit*, et eum deinde, quod docebant etiam Aegyptii, in commodum et ſalutem corporum diſpenſat. Et vero, quod ſupra vidimus, §. 10. Buti Luna ex paludibus aquam dulcem trahere credebatur. Ex *Mo-u-ti* Graeci videntur primo feciſſe Μȣ̃τον, aut Μȣτῶ, et vitiata paulatim pronuntiatione, Βȣ̃τον, et Βȣτώ. Poſſis etiam nomen hoc interpretari ⲙⲱ-ⲟⲩⲱⲧϩ, *Mo-u-oth*, quod rem eandem ſignificat. Nam ⲙⲱⲟⲩ eſt *aqua*, et *humor*, ex quo tamen in vocibus compoſitis fit ⲙⲱ, vel ⲙⲟⲩ, aut etiam ⲙⲏ, ⲙⲉ, et ⲙⲓ, quorum omnium exempla non infrequentia, in Coptorum libris occurrunt. ⲟⲩⲱⲧϩ vero eſt ἀντλεῖν, *humorem aqueum extrahere* et *haurire*. Ioh. II. 8. Eſſet igitur ⲙⲱ-ⲟⲩⲱⲧϩ, *Mo-u-oth*, quae *aquam ad ſe trahit*. Graeci id extulerunt *Muto*, vel *Buto*, aut *Mutum*, ſiue *Butum*. Forte etiam in mentem venire poſſet

cuipiam, linguae Copticae perito, vocem illam, quam nunc explicamus, Aegyptiis ſonuiſſe ⲙⲁⲩ-ⲓⲱϯ, *Mau-joti*, *Matrem-roris*. Nam in hac compoſitione, prior vox, ſignificat *matrem*, eaque frequentiſſime occurrit, poſterior vox *rorem* deſignat. Geneſ. XXVII. 28. Pſalmo CXXXIII. 3. Et hoc de Luna credidiſſe et docuiſſe veteres, monuimus §. 11. Vel ⲙⲁϩ-ⲓⲱϯ, *Mah-joti*, ſignificaret *haurientem*, et *trahentem rorem*, nam ⲙⲁϩ, etiam Aegyptiorum ſermone dicitur ἀντλεῖν. Geneſ. XXIV. 11. 13. etc. Ioh. II. 9. IV. 7. Verum fateor, interpretationem hanc a voce Aegyptiaca, vti eam Graeci efferunt, recedere aliquanto longius. Quod ad me attinet, libenter illud ⲙⲱ-ⲟⲩⲱⲧϩ, *attrahentem humorem* reliquis praeferrem. Verum iudicent eruditi. Superſunt aliae praeterea originationes, ſed quarum nonnullae magis ad PLVTARCHI *Muth* ſpectant. Ea de re autem in capite nunc ſecuturo dicemus.

CA-

CAPVT V.

De quibuſdam Iſidis cognominibus, Muth, Athyri, Methuer, Bubaſi.

Tranſitur a Nominibus Iſidis ad eiuſdem cognomina. §. 1. Cognomina Deorum, diſtinguenda ab epithetis, iisdem tribui ſolitis. §. 2. De *Muth*, Iſidis cognomine, quod explicatur. §. 3. *Athyri* aliud Iſidis cognomen, cuius interpretatio excutitur. §. 4. *Methuer*, Iſidis cognomen tertium, bene a Plutarcho explicatum. §. 5. His iungitur aliud illius cognomen *Bubaſis*. §. 6.

§. 1.

Numina Aegyptiorum, ad Lunam referri ſolita, aut in quibus Lunae virtutem, poteſtatem, et in terram noſtram beneficia, Gens illa venerata eſt, quorumque in veterum Monumentis mentionem deprehendimus, capitibus antecedentibus pro virili explicuimus. Ex illis perſpici potuit, haec omnia vnum *Iſidis* Numen ac nomen in ſe complecti. *Iſis* namque, quod iam ſemel iterumque monendum nobis fuit, omnia comprehendit, quae in Lunae rationibus ponebantur ab Aegyptiis, aut quae ipſi attribuebantur, etſi tamen diuerſas illius ad terram noſtram relationes, huiusque aut laetos aut triſtes effectus, ſub diuerſis nominibus populo adorandas et colendas proponerent. Cuius generis Numina ſunt, ominis quidem laeti et exoptati, *Bubaſtis*, et *Buto*, de quibus Libro hoc diximus, et ominis minus auſpicati, *Tithrambo*, de qua Libro hoc agendum nobis pariter fuiſſet, niſi id omne, grauibus de rationibus, Libro I. cap. V. iam occupaſſe- *Tranſitur a Nominibus Iſidis, ad illius cognomina.*

paſſemus. Idem vero, quod hactenus Libro iſto excuſſimus, argumentum, illuſtrant vtique etiam *Iſidis* quaedam cognomina; ab Aegyptiis illi tributa, nam illis poteſtatem ac beneficia Lunae, ex Aegyptiorum ſententia deſignari, cuiuis manifeſtum eſt.

Cognomina Deo- r... in- ...b ..., ...iis- ...litis. cognominibus Deorum Aegyptiorum.

§. 2. Antequam vero cognomina illa Iſidis Aegyptiaca, curatius expendamus, in anteceſſum abs re non erit monere, *cognomina* Deorum, ab *Epithetis* imponi iiſdem ſolitis, vehementer differre. *Epitheta* enim Diis, Poëtae cumprimis; ſed et quiuis pro lubitu tribuere poteſt, et re ipſa tribuit. Sic Iupiter Poëtis dicitur ὑψιβρεμέτης, *altitonans*, νεφεληγερέτης, *nubes cogens*, αἰγίοχος, *ſcuto praeſignis*, Apollinem iidem dicunt ἀργυρότοξον, *argenteum arcum geſtantem*, βαθυχαίτην, *intonſum*, *comatum*, et *plaga crinitum*, Mineruam Γλαυκῶπιν, *oculis caeſiis praeditam*, σεμνὴν, *venerandam*, παρθένον, *virginem*, et ſic porro. De hiſce epithetis Deorum, non inuenuſte iocatur LVCIANVS * in *Timone*, init. Ζεῦ φίλιε, ϗ ξένιε, ϗ ἑταιρεῖε, ϗ ἐφέστιε, ϗ ἀστεροπητὰ, ϗ ὅρκιε, ϗ νεφεληγερέτα, ϗ ἐρίγδουπε· ϗ εἴ τι σὲ ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, ϗ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα, τότε γὰρ αὐτοῖς πολυώνυμος γινόμενος, ὑπερείδεις τὸ πῖπτον τοῦ μέτρου, ϗ ἀναπληροῖς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ. *Iupiter amicitiae ſtator, hoſpitalis, ſodalitie, domeſtice, fulgurator, iuramentorum vindex, nubicoge, grandiſtrepe, et ſi quod aliud tibi cognomen, Poëtae furoris pleni tribuunt, maxime cum in verſu haerent, nam illi nomina multis modis augent, vt tu ruinam metri ipſis fulcias, et hiatus verſuum impleas.* Sunt tamen in his, quae LVCIANVS deridet, non nuda et tantum arbitraria Poëtarum epitheta; verum et genuina Iouis et vera cognomina. *Cognomina* hic

* Opp. Tom. I. p. 57. Ed. Salmur.

hic voco, quae Diis auctoritate publica, et ab omnibus tribuebantur, in Sacris, in precibus, hymniſque ſolenniter et publice cantari ſolitis. Cognomina illa Deorum, vt plurimum reſtricta erant ad certa Templa, in quibus Dii ſub cognomine ſtato et fixo, inuocabantur. Apud Graecos et Romanos, nullum Deo cuicunque dedicabatur Templum, cui non ſimul certum quoddam et proprium cognomen imponeretur, ſub quo peculiariter illic, certis quibusdam et definitis ritibus, religioſe colebatur. Argumentum hoc olim quidam SOCRATES perſecutus fuerat. Scripſerat enim, teſte DIOGENE LAERTIO, Lib. II. §. 47. ἐπικλήσεις θεῶν, quod interpretor *de cognominibus Deorum, quibus publice in Sacris inuocantur.* Id enim ἐπίκλησιν Graeci dicunt. Sic PAVSANIAS in *Achaicis* p. 590. de Hercule Burae culto: ἐπίκλησις μὲν καὶ τούτου Βουραϊκός. *Nam et hic cognomine Buraici colitur.* Idem in Atticis p. 105: Ἀφροδίτῃ ἐστιν Πρᾶξις ἐπίκλησις. *Veneri illi cognomen eſt Praxis.* Et centies id apud auctorem eundem legitur. ORPHEVS, ſiue quisquis auctor eſt, ſic vocem eandem adhibet in iſto verſu,

* Ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Sol, quem cognomine Bacchi inuocant.

De talibus autem Deorum cognominibus differuiſſe SOCRATEM *Coum*, docet *Scholiaſtes Apollonii* in Lib. I. Argon. v. 66. In loco enim quodam, quem is citat, obſeruauerat SOCRATES, Templum apud Doliona s prope Cyzicum, dedicatum *Apollini*, non eſſe *Apollinis Ecbaſii*, nec *Iaſonii*, ſed *Apollinis* cognomento *Cyziceni*. Talibus cognominibus Dii maiorum gentium honorabantur etiam in Aegypto. *Cnephum*, vel *Cnuphin*, re ipſa cognomen tantum

 fuiſſe

* Apud MACROBIVM Saturn. Lib. I. cap. XVIII.

fuiſſe *Vulcani* Aegyptiorum, * alio loco monuimus, etſi *Cnuphis* in Sacris popularibus, Deus haberetur a Vulcano diſtinctus. Aliud *Vulcani* cognomen apud Aegyptios fuit ** *Camephi*, quaſi dicas *Cuſtodem Aegypti*, quo Deum hunc in ſacris ſuis Hymnis inuocaſſe videntur regionis illius incolae. Talia igitur cognomina habuit etiam *Iſis*. Tria commemorat PLVTARCHVS de Iſide p. 374: Ἡ δ᾽ Ἶσις ἐστιν ὅτε καὶ Μοὺθ, καὶ πάλιν Ἀθυρὶ, καὶ Μεθύερ, προσαγορεύουσι. Σημαίνουσι δὲ τῷ μὲν πρώτῳ τῶν ὀνομάτων, μητέρα, τῷ δὲ δευτέρῳ οἶκον Ὥρου κόσμιον, —— τὸ δὲ τρίτον σύνθετον ἐστιν ἔκ τε τοῦ πλήρους καὶ τοῦ αἰτίου. *Iſidem nonnunquam MVTH, nonnunquam ATHYRI, aliquando etiam METHVER cognominant. Et prima quidem voce MATREM deſignant: ſecunda DOMVM HORI MVNDANAM ſignificant: tertium nomen compoſitum eſt ex PLENO, et CAVSALI.* Sed haec paulo diſtinctius iam, etſi tamen breuiter, euoluenda ſunt et explicanda.

De Muth *Iſidis cognomine, quod explicatur.*

§. 3. Primum igitur *Iſidis* cognomen, quod PLVTARCHVS refert, eſt Μοὺθ, *Muth*, quod ipſe interpretatur *matrem*. Et hoc quidem Iſidis cognomen SALMASIVS videtur in mente habuiſſe, vbi ſcripſit, *** *Aegyptiis* Ἶσι *eſſe matrem*. Certum eſt, *Iſi* tale quid literaliter non ſignificare. Sed *Muth*, quomodo cognominabatur *Iſis*, ſi vera docet PLVTARCHVS, *matrem* ſignificat. Idque poteſt eſſe verum, lingua ſaltem Aegyptiaca originationi huic non aduerſatur. *Matrem* enim Copti, voce perquam ipſis familiari, dicunt ⲙⲁⲩ, *Mau*. Solent vero iidem, voces deſinentes in vocali, aut diphthongo, non raro in fine, litera ϯ augere, qua ratione ex ⲙⲁⲩ, regulariter formatur ⲙⲁⲩϯ, *Maut*, idque

* Lib. I. cap. IV. §. 7. ** Ibidem §. 9.
*** *de annis Climactericis* p. 567.

idque ſignificat *matrem.* Graeci vocem iſtam extulerunt Μȣ̀θ, ſiue quod pronunciatio Aegyptiaca, quae ex noſtra hodierna aeſtimari non debet, non multum huic graecanicae diſſimilis eſſet, ſiue quod euphoniae conſulere vellent. Cur vero *Iſis*, ſiue *Luna*, in ſacris ipſorum Hymnis, appellaretur *mater*, ratio in promtu eſt, eamque ſatis explicuimus,* vbi de *Iſidis* Numine diſſeruimus. Quando vero PLVTARCHVS memoriae prodidit, Aegyptios ** *Lunam*, id eſt Iſidem, *appellaſſe matrem mundi* —— *eo quod grauida facta a Sole, rurſum ex ſe in aërem emittat ac diſſeminet genitalia principia*, ſuſpicatus aliquando ſum, hoc idem forte deſignari cognomine *Muth.* Sed tum in voce Aegyptiaca, litera ſub finem addenda erit vnica, *O.* Nempe *** ⲐⲞ, *tho*, patrio Aegyptiorum ſermone ſignificabat *mundum.* ⲘⲀⲨⲐⲞ, *Mau-tho* proinde vere et proprie ſignificabit *matrem mundi.* Potuerunt autem Graeci, in pronuntiatione, vocalem vltimam per aphaereſin abiicere, vocemque hanc contractius efferre Μȣ̀θ. Sed forte Μȣ̀θ nihil aliud eſt, quam illud ipſum Numen, quod Graeci communius Βȣτὼ, aut Βȣ͂τον ſcribunt, et *Latonam* interpretantur. Qua de re coniecturam meam, ſub finem capitis praecedentis ſatis expoſui.

§. 4. Sequitur apud PLVTARCHVM aliud *Iſidis* cognomen, Ἀθυρί, *Athyri*, quod ſignificare ait οἶκον Ὥρȣ κόσμιον, *domum Hori mundanam.* Quoniam vero de hac voce extat obſeruatio viri in his literis longe Principis, MAT. VEYSSIERE LA CROZE, eam non poſſum non hic adſcribere. Ita autem illa ſe habet: † *Conuenit* Ἀθὼρ *cum* Ἀθυρὶ PLVTARCHI

Athyri aliud Iſidis cognomen, cuius interpretatio excuti-

* Supra cap. I. §. 4. ** de Iſ. et Oſir. p. 368.
*** Vide *Panthei* huius Lib. I. c. IV. §. 6.
† *Theſaurus Epiſtolicus La-Crozianus* T. III. p. 159.

CHI — *vbi haec illius interpretatio additur* οἶκος Ὤρυ κόσμιος, *quaſi ex* HI, *vel* H, *alia dialecto, in fragmentis a* WILKINSIO *editis, Praefat. Pag.* VII. *et* ⲞⲨⲆ, *vniuerſo,* τῇ οἰκυμένῃ, *in Apocal. cap.* III. v. 10. *et* ⲆⲞⲨⲢⲞ, *rege. Erit igitur haec vox* HⲞⲨⲆⲞⲨⲢⲞ, *eliſo altero* Ⲇ, *et* Ⲟ *ſolo retento, ex illa pronuntiatione, quae* ⲆⲞ, *inſtar* τῦ Υ *Graecorum efferre ſolebat, teſte Hellanico, apud Plutarchum, qui Oſirin* Ὕσιριν *appellabant, ita referens ſe vocem illam a Sacerdotibus Aegypti pronuntiari audiuiſſe* etc. Non facile quis negauerit, interpretationem iſthanc viri doctiſſimi eſſe peringenioſam. Sed plura tamen prohibent, quo minus nunc pedibus in ſententiam eius eam. Nam 1. *domus* Aegyptiis nunquam dicitur H, neque in Dialecto vulgari, ſeu Aegypti inferioris, neque in Dialecto Thebaidis, quae nunc *Sabidica* dicitur. Et hoc vir egregius, poſtquam libros hac dialecto exaratos terere potuit, ſine omni dubio ipſe agnouit. In dialecto vtraque *domus* dicitur HI. Sed hoc tamen interpretationi *La-Crozianae*, fateor, non vehementer obeſſet. Nam I, in HI, praeſertim in voce, ex multis compoſita, pronuntiando abſorberi, aut euphoniae gratia omitti potuit. 2. *Hori* nomen, in lingua Aegyptiorum, non ſonabat *Uro*, aut *Uri*, quod interpretatio haec ſupponit, verum vti * alias probaui, *Or* vel *U-er*. Litera R nomen hoc claudebat. Si poſt tantum virum, coniecturam meam proponere fas eſt, vocem Ἀθυρ aut, quemadmodum ſcribere mallem, cum Spiritu aſpero Ἁθυρ, Aegyptiace interpretarer ϪⲀⲦ-ⲞⲨⲎⲢ-ⲎⲒ, *Chat-uër-ei*, quae vox nunc paucis mihi explicanda eſt. Primo igitur ϪⲀ, quod proprie vi vocis θέσιν, ſeu *poſitionem* ſignificat, veteribus

* Lib. II. cap. IV. §. 2. 13.

teribus Aegyptiis, vſu recepto deſignaſſe *mundum*, poſt * SALMASIVM, ** alias iam probaui. Solent vero Copti, quod monitum videbis §. 3, voces deſinentes in vocali, augere nonnunquam litera Ⲧ, quod inprimis in vocibus compoſitis, vbi earum alteram vocalis claudit, alteram vocalis auſpicatur, vſu venit quam ſaepiſſime, ſicut et in ea, cui explicandae operam nunc damus. Eſt igitur ϪⲀⲦ, *mundus*. Nomen vero *Hori*, Aegyptiace, literis Copticis ſcriptum, ſonare ϨⲞⲨⲎⲢ, *** Libro ſuperiori iam aſſeruimus. ⲎⲒ denique, quod modo nunc monendum nobis erat, *domum* ſignificat. Liquet igitur, ϪⲀⲦ-ϨⲞⲨⲎⲢ-ⲎⲒ, proprie ſecundum literam ſignificare, *Mundum, Hori domum*, quod Graeci extulerunt Ἀθυρί. Hanc interpretationem et linguae, et Theologiae priſcae Aegyptiorum conſonare, affirmare auſim. Quod ſi autem praeterea perſpectum nobis eſſet, qua occaſione, quaue de cauſa, Aegyptiorum Sacerdotes, in Hymnis ſacris, *Iſidem* cognomine hoc condecorauerint, explanare forte poſſemus, quidnam eo Theologi hi deſignare voluerint. Aſt ex PLVTARCHO diſcere id non licet.

§. 5. Tertium vero is cognomen *Iſidis* hocce addit, Μεθυὲρ, aitque in lingua Aegyptiorum, vocem hanc compoſitam eſſe, ἔκ τε τȣ̃ πλήρȣς ϗ αἰτίȣ, *ex PLENO et CAVSALI*, vt nempe ſignificetur ea, quae plena eſt virtutis cauſalis, vel effectricis, vel, in qua eſt inſignis facultas agendi et efficiendi. Et profecto id ipſum plane ſignificat † ⲘⲈϨ-ⲦϨⲞⲨⲎⲢ, *Meh-tu-er*, ex quo fere coniicere liceret, PLVTARCHVM

Methuer, Iſidis cognomen tertium, bene a Plutarcho explicatum.

* *de lingua Helleniſt.* p. 391. et *de annis Climacter.* p. 567.
** in notis ad Eratoſthenis Catalogum regum Thebaeorum. Vide VIGNOLII Chronolog. To. II. p. 759. 760.
*** Libro II. cap. IV. §. 13.
† Vide ſupra Lib. II. cap. IV. §. 13.

TARCHVM pro μεθυὲρ, quod nunc in eius Codicibus legitur, re ipſa ſcripſiſſe μεθουήρ. Verum in eſſerendis et ſcribendis nominibus peregrinis, Graecos, non ſemper rigidiſſimam accurationem ſeruaſſe, nouimus. Quamobrem vero *Iſis* diceretur *virtutis effectricis plena*, quippe quod cognomen illud ſignificat, ex Doctrina Aegyptiorum de hac Dea, quam Libri huius cap. I. explicuimus, perſpici abunde poteſt. Docebant namque gentis huius Philoſophi et Theologi, Iſidem eſſe matrem mundi, corporumque omnium cauſam, et continuo grauidam factam e Sole, concipere, et rurſus ex ſe emittere ac diſſeminare genitalia principia. Idque cognomine hoc *Methuer* ſatis perſpicue declaratur. Ceterum quoniam ⲞⲨⲎⲢ, eſt ipſum *Hori* nomen Aegyptiacum, §. 4. poſſet etiam *Mehtuer* verti, *plena Hori*, vt quae *Hori* eſſet et mater, et certo quoque ſenſu nutrix. Sed haec obiter tantum, et velut aliud agendo.

His iungitur aliud illius cognomen, Bubaſis, cuius tentatur interpretatio.

§. 6. Cognominibus hiſce *Iſidis*, a PLVTARCHO commemoratis, ſubiungo aliud, *Bubaſis*, cuius notitiam debeo Auctori *Etymologici magni.* Ita is ſcribit in voce Βούβαστις· Βούβαστις κώμη τῆς Αἰγύπτου, καὶ θεός· Ὅτι ἡ Ἰὼ, ἡ Ἰνάχου, εἰς βοῦν μεταβληθεῖσα, καὶ μετὰ τὴν διὰ γῆς καὶ θαλάσσης πλάνην, εἰς Αἴγυπτον παραγενομένη, ἐπιβᾶσα τὲ βροχθώδους τόπου τοῦ Νείλου, τῶν χηλῶν ἴχνη τῷ πηλῷ ἐνεχάραξεν. Ὁ δὲ τῆς χώρας βασιλεὺς, ἑωρακὼς τὸ μὲν τῆς ἐμπροσθίας χηλῆς, τῷ Ι ςοιχείῳ ἐμφερές. τὸ δὲ τῆς ὀπισθίας, τῷ ω, Ἰὼ τὴν βοῦν ὠνόμαςε. τὴν δὲ κώμην, Βούβαστιν, ἀπὸ τῆς τοῦ Βοὸς βάσεως. *Bubaſis. Ita in Aegypto dicitur et vicus quidam et Dea. Cum nempe Io, Inachi filia, in vaccam conuerſa, et deinceps terra marique multum iactata, in Aegyptum perueniſſet, vbi in loco, quem Nilus irrigauerat, ſubſtitit, ac vngularum veſtigia limo impreſſit. Videns vero regionis illius Princeps, veſtigium vngulae anterioris,*

literae

literae I, *poſterioris vero*, *literae* Ω, *ſimilem eſſe*, *vaccam nominauit* IO, *vicum vero*, *in quo vacca conſederat*, *ab ea re appellauit* BVBASIN. Lepidam ſane, aut potius anilem fabellam! Sed quae nihilo minus poteſt aliquid veri abſcondere, vti ſolent omnes Aegyptiorum fabulae allegoricae. Illis tamen hanc accenſere non auſim. Quo non obſtante, iſtud mihi penſitatione dignum viſum eſt, quod *Etymologici* auctor, ſecutus haud dubie Scriptorem quempiam antiquiorem, perhibeat, eſſe in Aegypto et vicum, et Deam, nomine *Bubaſin*, et quod huic fabulam de Ione in Vaccam commutata accommodet. Nam rei huic ipſa vox Aegyptia *Bubaſis*, mirum in modum fauet, quod inprimis mihi perſuaſit, ſubeſſe huic fictioni aliquid ſaltem veri. Nam ⲡϩⲟ-ⲃⲁⲥⲓ, *P-ho-baſi*, plane *vultum*, aut *faciem vaccae* Aegyptiorum ſermone ſignificat. Obſeruauimus autem * alibi, et res eſt ſatis nota, Aegyptios *Iſidi* ſuae, ad imitationem *Lunae*, cornua affinxiſſe bouina. A vero non abludit, ob hanc rationem Aegyptios *Iſidi* aliquod cognomen, hoc ſignificans, indidiſſe, eoque in Hymnis ſacris vſos fuiſſe, quemadmodum et *Bacchum*, cuius capiti pariter Graeci cornua addere ſaepius ſolebant, ea de re Ταυρόμορφον cognominatum eſſe ſcimus. Haec igitur *Bubaſis* Templum habebat in vico, cognomine ſibi, dedicatum. Erat, cum exiſtimarem, *Bubaſin* illam, cuius meminit *Etymologici* auctor, confundi cum Dea multo notiori, *Bubaſti*. Nam nomina haec parum differunt. Sed re accuratius perpenſa ſententiam mutaui.

* Libro hoc cap. I. §. 2.

CA-

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT VI.

De Planetarum apud Aegyptios cultu.

Planetas olim Aegyptii ſolenniter coluerunt; ſed is cultus poſtea in deſuetudinem abiit. §. 1. Planetarum nomina antiqua Aegyptiaca, vt plurimum, ignorantur. Id tamen ſcitur, Planetas ab Aegyptiis Diis aliis maioribus attributos fuiſſe. §. 2. Diſquiritur, cuinam ex Diis Aegyptiorum, apud ipſos, Planeta Veneris fuerit attributus. §. 3. Planetis tria apud Aegyptios indita erant nomina, vnum Dei, cui erant attributi, ſecundum poteſtatis, tertium coloris. §. 4. De Colore Planetarum, et nominibus, quae acceperunt ab eo apud Aegyptios. §. 5.

§. 1.

Planetas olim Aegyptii ſolenniter coluerunt; verum cultus ille poſtea in deſuetudinem abiit.

Libro huic *Panthei* noſtri tertio, quo cultum omnem, ab Aegyptiis in honorem *Lunae* inſtitutum, perſequi animus fuit, de Planetis etiam, quoniam admodum pauca nobis ſuppetunt, deque cultu ipſis exhibito, quaedam breuiter ſubnectemus. De *Planetis*, praeter Solem et Lunam, *quinque* reliquis, a Gentibus orbis terrarum propemodum cunctis, interque has, ab Aegyptiis quoque olim religioſe cultis, deque cultus huius in Aegypto origine ac veſtigiis luculentis, multa * in *Prolegomenis* noſtris diſputauimus, quae hic repetere, inutile et prorſus ſuperuacaneum eſſet. Poterit ex iis intelligi, in ipſius idololatriae apud Aegyptios inualeſcentis initiis, Planetis ſeu Numinibus magnis

* Vide §. 24 - 27.

magnis et potentibus, ſummos id eſt diuinos honores decretos habitoſque fuiſſe. Etſi enim id * diſerto teſtimonio Scriptoris fidei exploratae, quantum memini, ſaltem de Aegyptiis, probari non poſſit; adſunt tamen rei huius veſtigia complura, neque adeo obſcura, quae vtique dubium omne tollunt. Sed ſatis quoque mature cultus ille, Planetis quinque ſolenniter et publice oblatus, in deſuetudinem abiiſſe videtur. Quo tempore enim Graeci Aegyptum frequentare coeperunt, cultus ille dudum ſublatus iam erat, vnde factum eſt, vt HERODOTVS Sacrorum Aegyptiacorum inueſtigator diligentiſſimus, et alii qui ipſum ſequuntur, rei non

* Niſi forte huc trahere velis iſtos MANETHONIS verſus Lib. I. Apoteleſin. v. 263.

> Ῥέζε Κρόνῳ, καὶ Ἄρῃ, καὶ Ἑρμῇ, καὶ Κυθερείῃ,
> Καὶ Διῒ, καὶ Μήνῃ, καὶ ἠελίῳ βασιλῆϊ.
> Οὗτοι γὰρ κρατέουσι θεῶν, κρατέουσι καὶ ἀνδρῶν,
> Πόντου καὶ ποταμῶν πάντων ῥοθίων ἀνέμων τε,
> Καὶ γῆς καρποφόροιο καὶ ἠέρος ἀενάοιο.

Sacra fac Saturno, et Marti, et Mercurio et Veneri,
Et Ioui, et Lunae, et Soli regi.
Hi enim dominantur Diis, dominantur et hominibus,
Marique et fluuiis omnibus impetuoſis, ventiſque,
Ac frugiferae terrae et perenni aëri.

Quia verſus hi Sacerdotem Aegyptium magni nominis auctorem habent, pronum erit cogitare, haec e praeceptis Theologiae Aegyptiorum genuinae profluxiſſe, vnde ſequeretur, Planetas omnes VII aequali propemodum honore a cunctis Aegyptiis celebratos ac honoratos fuiſſe. Verum meminerit lector, MANETHONEM haec inculcare cultoribus Aſtrologiae, quos honore peculiari dignatos fuiſſe Planetas, extra dubium poſitum eſt. Deinde nec id diſſimulare poſſum, doctrinam MANETHONIS Apoteleſmaticam, Scholas Graecorum multo magis redolere, quam Adyta Aegyptiorum, et videri, non a Scriptore Aegyptio, verum Graeco potius profectam eſſe.

non modo huius mentionem iniiciant prorſus nullam; ſed nec aliquid memoriae prodiderint, ex quo coniectando tale quid erui recte poſſit. Videntur Sacerdotes hunc Planetarum cultum, ſibi poſtmodum ſolis reſeruaſſe, et ſcientia de Planetis, quam non indiligenter excoluerunt, ad ſuperſtitiones ſuas genethliacas abuſi eſſe. Plura de hac re, dabunt, vti dixi, *Prolegomena* noſtra.

[illegible]a- [illegible]ti- [illegible]mi- [illegible]gypti- [illegible],vt plu- [illegible]num, ignorantur. Id tamen ſcitur, ſingulos Planetas, alicui ex Diis maioribus, attributos fuiſſe.

§. 2. Si nomina, quae primitus Planetis indiderunt Aegyptiorum Maiores, etiamnum ſupereſſent genuina, vti aliorum Deorum nomina, id nos in argumentum hoc, omni qua poſſumus diligentia inquirentes, non mediocriter adiuuaret; at, quantum quidem mihi nouiſſe datum eſt, nomina haec, priſcis Aegyptiis vſitata, non amplius extant; verum alta et aeterna obliuione ſepulta iacent, niſi forte excipias vnum ἀρτής, vel ἐρτωσὶ, quod nomen illi Planetae, quem nos *Martem* vocamus, Aegyptios impoſuiſſe, teſtimoniis minime contemnendis nititur. Sed et de ipſo hoc nomine dubitare non immerito poſſis, num ſit aeui antiquiſſimi, aut non potius eo demum tempore excogitatum, quo Sacerdotes omnem de Planetis ſcientiam, ad artem ſuam genethliacam reſtringere coeperunt. Nomen certe Aegyptiacum Planetae *Martis*, virtutem et poteſtatem, quam ei tribuit Doctrina Genethliaca, aperte prae ſe fert. Quicquid ſit, poſtquam cultus Planetarum ſolennis et popularis in Aegypto deſiit, Stellas has, aliis Diis maioribus, a quibus veluti gubernarentur, aſſignare ac attribuere placuit. Docet hoc nos ACHILLES TATIVS, in *Iſagoge in Arati Phaenomena*, loco memorabili; ſed qui eruditis ignotus non eſt. Ita autem is habet: * Αἰγυπτίοις γὰρ, καὶ Ἕλλησι, τῦ Κρόνυ ὁ ἀςὴρ, καί τοι ἀμαυρότατος ὤν,

* In PETAVII *Vranologio* p. 136.

ὢν, Φαίνων λέγεται. Ἀλλὰ παρ' Ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται ὕτω· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Νεμέσεως ἀςὴρ. Δεύτερος ὁ Διὸς καθ' Ἕλληνας Φαέθων· κατὰ δὲ Αἰγυπτίυς Ὀσίριδος ἀςὴρ. Τρίτος ὁ τῦ Ἄρεως, παρὰ μὲν Ἕλλησι πυρόεις· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἡρακλέυς ἀςὴρ. Τέταρτος ὁ τῦ Ἑρμῦ — καλεῖται παρὰ μὲν Ἕλλησιν Στίλβων· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἀπόλλωνος ἀςὴρ. *Aegyptii et Graeci, Saturni Stellam, quamuis hebetiſſima ſit,* φαίνοντα, *id eſt lucidam vocant. Graeci quidem ita boni ominis cauſa nuncupant. Aegyptii vero Nemeſis Stellam. Secunda Iouis, Phaëthon a Graecis; ab Aegyptiis Oſiridis Stella nominatur. Tertia eſt Martis, quae a Graecis* πυρόεις, *ab Aegyptiis Herculis Stella dicitur. Quarta Mercurii Stella, quam Graeci* Στίλβοντα, *Aegyptii Apollinis Stellam appellant.* Deeſt hic nomen Stellae quintae, quae eſt Veneris, impoſitum ab Aegyptiis. Graecum quidem nomen auctor noſter refert: Πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης, παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἑωσφόρος. *Quinta eſt Veneris, Graecis Lucifer.* Verum nomen, quod Aegyptii eidem indiderant, omiſſum hic eſt, non ACHILLIS TATII, vt puto, ſed librarii in deſcribendo negligentis, culpa. *Saturnus* igitur Aegyptiis audiebat *Nemeſeos*, vel, * quod idem arbitror, *Tithrambonis Stella.* Iiſdem *Iupiter* dicebatur *Stella Oſiridis.* Vocabant porro *Martem, Stellam Herculis:* et *Mercurium, Stellam Apollinis*, vel *Hori.* Cuinam vero Numini *Stellam Veneris* dedicauerint Aegyptii, quia id ex teſtimonio Scriptoris cuiuſdam non ſcimus, coniecturam meam mox proponam. Ex his autem Planetarum denominationibus Aegyptiacis, quaedam ad Chaldaeos etiam, genteſque alias peruenerunt. De

* Vide ſupra Lib. I. cap. V. §. 4.

De *Martis Planeta* id infra docebimus §. 4. De *Stella* Mercurii* ita ſcribit APVLEIVS in libro *de Mundo* p. 58. *Hanc ſequitur Stilbon, cui quidam APOLLINIS, alteri MERCVRII nomen tribuerunt.* Sic et PLINIVS Lib. II. cap. 8. et MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XIX.

…iri- … Di- … pti- … apud … Pla- … a Veneris attributus fuerit.

§. 3. Numen illud, in cuius poteſtate et tutela eſſet *Veneris* Planeta, Aegyptios dixiſſe *Athor*, * nos vterque, B. LA-CROZIVS, et ego, aliquando perſuaſum habuimus, verum neuter ſatis tum fuerat memor eorum, quae ex ACHILLE TATIO hic obſeruauimus §. 2. Ex illis enim luce meridiana clarius pateſcit, Aegyptios Planetis nomina indidiſſe longe alia quam Graecos. Quodnam *Veneri* nomen impoſuerint Aegyptii, ex auctore illo quidem non diſcimus, excidit enim librariorum vitio; verum id tamen affirmare certo poſſumus, Aegyptios Planetam iſtum non retuliſſe ad *Venerem;* verum ad Numen aliquod ſuum ab illa diuerſum. Aliquando in mentem mihi venit, vero valde videri ſimile, Planetam hunc Aegyptios attribuiſſe *Iſidi* ſuae. Vix enim cogitari poteſt, Aegyptios Deae huic, cuius Numen, reliquis Diis Deabuſque fere in vniuerſum omnibus praeponebant, non aliquem ex Planetis aſſignaturos fuiſſe. Id tamen factum fuiſſe oportet, ſi *Veneris* Stella ipſi conſecrata non eſſet. Et praeterea negari non poteſt, magnam fuiſſe Planetae Veneris, cum *Iſide* ſiue *Luna*, ex veterum ſententia, cognationem. Inſigniter ea quae dixi, PLINIVS illuſtrat, qui et teſtari videtur, *Veneris* Planetam *Iſidi* fuiſſe attributum. Verba eius haec leguntur Lib.

* *Theſaurus Epiſtolicus La-Crozianus*, Tom. III. p. 159. et Tom. I. p. 177.

Lib. II. cap. VIII. *Infra Solem ambit ingens SIDVS, appellatum VENERIS, alterno meatu vagum, ipſiſque cognominibus aemulum Solis ac Lunae. Praeueniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt Sol alter, diem maturans: contra ab occaſu refulgens, nuncupatur veſper, vt prorogans lucem, vicemque Lunae reddens. —— Iam magnitudine extra cuncta alia Sidera eſt: claritatis quidem tantae, vt vnius huius Stellae radii vmbrae reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu eſt. Alii enim Iunonis, alii ISIDIS, alii * Matris Deum appellauere. ** Huius natura cuncta generantur in terris. Namque in alterutro exortu, genitali rore conſpergens, non terrae modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium ſtimulat.* Si quis haec mente voluens exiſtimauerit, *Veneris* Planetam, Aegyptios dixiſſe *Stellam Iſidis*, is auctoritate PLINII ſententiam ſuam tueri poſſe videbitur, neque me habebit contra nitentem. Si tamen, quod ſentio, dicendum eſt, crediderim ego potius, Aegyptios Planetam *Veneris* foecundum, attribuiſſe *Mendeti* ſuo, ſiue *Pani*, magno fertilitatis terreſtris promo condo, de quo Lib. II. cap. VII. prolixe diſſeruimus. Obſeruaui illic, §. *6*, crucem illam celeberrimam anſatam, in vetuſtis Aegyptiorum Monumentis toties occurrentem, ♀, quae *phallum* deſignat, *Pani* Mendeſio dedicatum fuiſſe. Et eodem plane ſigno, *Veneris* Planetam ab antiquis temporibus, in hunc vſque diem ſignificari conſueuiſſe, neminem fugit. Sed iudicent ea de re pro arbitrio lectores.

* PROCLVS in Paraphraſi Tetrabibli Ptolemaei Lib. II. p. 97. fin.

** Vide et IVLIANI Imp. Orat. IV. p. 150.

Planetis apud Aegyptios tria indita erant nomina, vnum Numinis, cui ... at- ... ie- ... is, ... s.

§. 4. Dudum iam * alicubi obſeruaui, quod ex variis indiciis collegeram, Planetae vnicuique apud Aegyptios, tria fuiſſe nomina, vnum *Numinis*, quod praeeſſe illi crederetur, alterum *virtutis*, qua inprimis valere exiſtimaretur, tertium *coloris*, qui obſeruari in eo poterat. De Numinibus, quae Planetis quinque praeeſſe exiſtimarentur, et a quibus Aegyptii nomina ipſis indidere, diximus §. 3. Sed habebant Planetae aliud praeterea apud Aegyptios nomen, tractum a virtute illa et poteſtate, quae ipſis ineſſe perhibebatur. Illius exemplum habemus in Planeta, quem vulgo *Martis* appellare ſolent, ** Aegyptii vero *Stellam Herculis*, §. 2. Huic enim aliud praeterea nomen Aegyptiacum tribuitur, ſignificans nempe eius virtutem ac poteſtatem, quod non vno modo ſcribi deprehendimus. VETTIVS VALENS, artis Aſtrologicae magiſter non infimus, nomen hoc effert Ἄρτης. Verba eius, ex inedito eius *Florilegio*, talia *** a viris eruditis citantur: Τὸν δὲ τοῦ Ἄρεως κιῤῥὸν, πυρωτὸς γὰρ καὶ τομὸς καὶ κατεργαστικὸς ὁ θεός. Αἰγύπτιοι γὰρ καὶ Ἄρτην αὐτὸν προσηγόρευσαν, ἐπεὶ τῶν ἀγαθοποιῶν καὶ τῆς ζωῆς παραιρέτης ἐστίν. *Martis vero Stella rubrum habet colorem. Nam facie ignea eſt Deus hic, eſtque ipſi vis diſſecandi et interficiendi. Ideoque Aegyptii ARTEN ipſum vocarunt, quo-*

* In *Remphah illuſtrato* p. 44. not. p.

** Ab Aegyptiis nomen hoc peruenit ad Chaldaeos. Nam de illis obſeruat MACROBIVS Saturn. Lib. III. cap. XII. *Chaldaei Stellam Herculis vocant, quam reliqui Martis appellant.* Idque ad alias quoque dimanauit gentes, teſte PLINIO Lib. II. c. 8. et APVLEIO *de Mundo* p. 58. Ed. Elmenhorſtii.

*** SELDENVS *de Diis Syris*, Synt. I. cap. VI. p. 186. SALMASIVS *de annis Climacter.* p. 596.

quoniam Stellarum beneficarum et vitae interuerſor eſt. Forte auctor hic reſpexit ad veram ſignificationem vocis Aegyptiacae, quae, vt iam iam videbimus, proprie ſonabat ἐρτωσὶ, potuitque illius nominis interpretationem haurire ab aliquo linguae Aegyptiacae perito. Vox certe *Ertoſi* talem, qualem dedit VETTIVS, patitur interpretationem. Nam ⲉⲣ, *er*, eſt *facere:* ⲧⲱⲥⲓ vero, *toſi* ζημίαν, *damnum* ſignificat, Actor. XXVII. 10. Philipp. III. 7. 8. Erit igitur ⲉⲣ-ⲧⲱⲥⲓ, *Er-toſi*, *damnum inferens.* Neque tamen improbauerim obſeruationem * virorum doctiſſimorum, qui exiſtimant, VETTIVM, nomen hoc Ἄρτης, ad linguam graecanicam inflexiſſe, et ex hac interpretatum eſſe ἄρτην, nimirum ab αἴρω, *e medio tollo*, vt ſignificetur *interfector.* Vocem genuinam Aegyptiacam, vt bene ** SALMASIVS animaduertit, conſeruauit nobis CEDRENVS, eamque, me quidem iudice, ſic optime interpretatur: Καλεῖται δὲ Αἰγυπτιςὶ Ἐρτωσι, τοῦτο δὲ σημαίνει παντὸς γένους ζωογονίαν, καὶ πάσης οὐσίας καὶ ὕλης φύσιν καὶ δύναμιν διατακτικὴν καὶ ζωογονικήν. *Stella Martis ab Aegyptiis vocatur ERTOSI: ſignificat autem hoc omnis generis procreationem et viuificationem, omniſque ſubſtantiae et materiae naturam et vim ordinantem atque procreantem.* Nempe ⲉⲣ-ⲧⲱϫⲓ, *Er toſi*, Aegyptiis dicitur τὸ αἴτιον τῆς φυτεύσεως, *vim habens et indens genitiuam ac ſeminalem.* Vox haec *Ertoſi*, et origine, et compoſitione, et ſignificatione vix differt a voce *Mendes*, quam *** ſuo loco prolixe explicuimus. Certe

* SELDENVS et SALMASIVS loc. cit.
** loco iam citato.
*** Libro II. cap. VII. §. 7.

te vtraque vox vi ſua rem eandem plane innuit. Expoſitionem vero hanc noſtram, cum interpretatione quam dedit CEDRENVS, egregie et examuſſim conuenire, cuilibet non poteſt non confeſtim eſſe perſpicuum. Omittere hic iſtud non poſſum, Theologiam Aegyptiorum, de Stella *Martis*, ſiue *Herculis* quam declarat nomen ἑϱτωσι, amice omnino conſpirare cum Orientalium aliorum Theologia, quam eximie illuſtrat THO. HYDIVS in libro *de Religione vet. Perſarum* cap. III. vnde ſequentia deſcribere non grauabor, quae leguntur p. 64: *Hoc nomine AZER, vel AZAR, antiquiſſimis temporibus ſignificatus fuit Mars* —— *et vetuſtiſſimis temporibus ſic dictus fuit Martius Menſis.* Ex dictis vero elucet, haec omnia ſpectare ad *Herculem* Orientalium, de quo nos Lib. II. cap. III. diximus, et cui Planeta-*Martis* apud illas Gentes ſacer erat. Pergit vero auctor, poſt plura interpoſita, hunc in modum: *A ſignificatione ignis et Martis, factum eſt, vt Martius Menſis, a Marte denominatus, Chaldaeis etiam dictus fuerit* אדר, Adar, *Syris* Odar, *Syro-Arabibus, Syriam habitantibus* Adar, *vel vt Perſae et Turcae ſonant*, Azar. *Is hodie annum ducit apud Syros, vt et olim fecit apud Romanos et Perſas.* —— *Nam cum ex ignea Stellae Martis influentia et rubedine, (vt credebant,) Annus inciperet caleſcere, anni initium ei dedicabant veteres omnes: atque ideo Romani, ineunte Menſe Martio, ſacrum ſuum Veſtalem ignem de nouo accendebant, cum exeunte vetere anno, eum emori ſiuerant, quod alio quouis tempore feciſſe nefas. Talis nempe ab eis facta eſt alluſio Symbolica, et quaſi Sympathetica, in magis fauſtum futuri Anni omen: vt ſcilicet, cum exeuntis anni calor, a Marte et igne profectus, deficeret, innueretur, ipſummet Numen, (ignem Sacrum)*

ill perſentiſcere et emori: et vt ineuntis noui anni vernum tempus eo fauſtius procedere poſſet, voluerunt ſignificare, quaſi vna cum ipſo Numine, annus nouo calore et vigore impraegnandus eſſet. Quae hic de *Marte*, ſeu *Hercule* Orientalium, obſeruauit vir harum literarum peritiſſimus, ea fere de *Hercule* ſuo Aegyptios tradidiſſe et praedicaſſe, fidem faciunt, quae de hoc Numine ſuo loco ediſſeruimus. Eadem, et forte etiam hac ipſa de cauſa, tribuebant Orientales, et cum illis Aegyptii, *Stellae Herculis*, quam alii *Martis* nuncupabant. Nam ἐϱτωσὶ, quod nomen Stellae huic proprium eſſe voluerunt Aegyptii, id luculenter et aperte teſtatur.

§. 5. Quia vero in Planetis diuerſus obſeruatur color, diuerſusque fulgor oculos noſtros percellit, Aegyptii ab hac coloris diuerſitate, diuerſa quoque ipſis nomina impoſuere. Docet hoc inter alios IVLIVS FIRMICVS, Matheſeos Lib. II. cap. II. vbi de quinque Planetis haec ſcribit: *Has Stellas non eodem nomine, quo nos, aut Graeci, Aegyptii nominant. Nam qui a nobis Saturnus dicitur, ab Aegyptiis* Φαίνων *vocatur. Quem nos Iouem vocamus, Aegyptii* Φαέθοντα *vocant: qui a nobis Mars, ab illis* πυϱόεις *dicitur: Quae a nobis Venus, ab illis* Φωσφόϱος *vocatur. Quem nos Mercurium dicimus, illi* ςίλβοντα *vocant.* Quae hic vides appellari *nomina Aegyptiaca*, ſunt re ipſa graeca, etſi ab aliis quoque pro Aegyptiacis venditentur. Ipſe ACHILLES TATIVS, §. 2, ad teſtimonium vocatus, ſcribit, *AEGYPTIOS et Graecos Saturni Stellam, quamuis ſit obſcurior, vocare tamen* Φαίνοντα, *id eſt lucidam.* Ergo, teſte hoc Scriptore, certe non contemnendo, non Graeci modo, verum et Aegyptii, Planetam Saturni vocarunt Φαίνοντα.

De colore Planetarum et nominibus, quae ab eo acceperunt apud Aegyptios.

Ita et vetus auctor * *de dierum ad numerum et nomina Planetarum inſtitutis appellationibus*: Τὴν δὲ τρίτην ἡμέραν αἰγύπτιοι ἀνέθεντο πυρόεντι, ἄρης δὲ ὗτος παρ' Ἕλλησι. *Diem* hebdomadis *tertiam Aegyptii conſecrarunt Pyroënti, is vero eſt qui a Graecis* Ἄρης, *vel* Mars, *vocatur.* Et tamen nomina haec, quae Aegyptiis tribuuntur, rè ipſa pura putaque Graeca ſunt, et ** a Graecis quoque paſſim adhibentur, vt genti ſuae propria. Dicere poſſes, nomina haec vocari Aegyptiaca, cum tamen ſint graeca, eo quod Alexandrinis, quorum vrbs ſita erat in Aegypto; ſed qui lingua, moribus, et ſtudiis vere erant Graeci, deberentur, iiſque quodammodo propria eſſent. Verum obſtat, quod nominibus his vſus iam fuiſſe deprehendatur ARISTOTELES, in *libro de Mundo*, tanquam vſu communi receptis, quae igitur Graecis ante Philoſophi huius aetatem, ideoque ante Alexandriam conditam, familiaria fuiſſe oportet. Iure ergo colligere nobis integrum erit, nomina illa vocari Aegyptiaca, cum tamen re ipſa ſint graeca, quoniam rem ab Aegyptiis acceperunt Graeci, eamque vocabulis graecis; ſed quae Aegyptiacis reſponderent, plane expreſſerint. Neque ita difficile eſſet, dummodo operae pretium ferret, voces genuinas vereque Aegyptiacas formare, quae denominationibus graecis, ab Aegyptiorum maioribus acceptis, ex aſſe reſponderent. Sed cum labor fructum non promittat, niſi oppido leuem

* Apud SALMASIVM de Annis Climact. p. 595. 596.

** ACHILLES TATIVS allatus §. 2. CENSORINVS *de die natali* cap. XIII. APVLEIVS *de Mundo* p. 58. CHALCIDIVS in Timaeum Platonis p. 309, et his omnibus multo antiquior, ARISTOTELES in libro *de Mundo* cap. II.

dem ac exiguum, manum ab eo abſtinere malui. Suſpicatus * aliquando ſum, pertinere huc Numen celebratiſſimum *Anubis*, quem Graeci ſolent *Mercurium* interpretari. De eo accipiebam, quod CICERO memoriae prodidit, *de Nat. Deor.* Lib. III. cap. 22. *Quartus* Mercurius *Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare.* Quibus gemina ſunt, quae leguntur apud ARNOBIVM *aduerſus gentes* Lib. IV. p. 135. *Quartus* Mercurius *Soboles Nili eſt; cuius nomen Aegyptia gens horret et reueretur expromere.* Id non videbatur mihi intelligi poſſe de illo Aegyptiorum *Mercurio*, quem vocant *Thot.* Nam illum vtique nominarunt, eſtque hoc nomen eius multo celeberrimum, et tot antiquioribus Graecis notum iam dictumque. Et praeterea CICERO ipſe Mercurium illum, *quem Aegyptii nefas habent nominare*, diſerte diſtinguit a *Mercurio Thot*, de quo paulo poſt diſſerit. Ergo videbatur id non applicari poſſe, niſi ad *Anubim.* Illius verum et genuinum nomen hactenus ignotum eſſe autumabam, nam *Anubis* videbatur nomen tantum eſſe coloris. Et *Anubis* certe, Coptice ſcriptum ⲁⲛⲛⲟⲩⲃ, *Annub*, vere Aegyptiis *aureum* ſonat, ſuntque plurima quae inuicte docent, hanc eſſe veram nominis illius originationem. Dicitur porro Planeta *Mercurii* a MANETHONE, Apoteleſm. Lib. II. v. 191. et 383. Χρυσοφαὴς Ἑρμῆς, *Mercurius adſpectu aureus*, vel *coloris aurei.* Ita plura concurrere videbantur, quae coniecturam hanc ſtabilirent. Verum diſſimulare nolo, me nunc, vbi rem hanc ab omni parte verſaui ac diligenter excuſſi, coniecturae priſtinae non potuiſſe non renuntiare. Rationes, quae me ad mutandum ſen-

* in *Remphah illuſtrato* p. 44. in not.

tentiam adegerunt, vbi ad *Anubidem* perueneri-mus, Lectoris iudicio ſubmittam. Ceterum Planetis ſingulis, tria Aegyptios impoſuiſſe nomina, exemplo *Martis*, ad oculum demonſtrari poteſt. Ille namque Planeta, a Numine, in cuius eum tutela eſſe volebant, Aegyptiis, vt credere par eſt, dicebatur ⲠⲤⲒⲞⲨ Ⲛ̀ϪⲰⲘ, *Stella Herculis*, §. 2, a virtute et poteſtate, quam demonſtrare credebatur, ⲈⲢ÷ⲦⲰϪⲒ, §. 4, et denique a colore, quem referre videtur, πυρόεις, *igneus*, quod hoc §. ſumus perſecuti. Aegyptii dixiſſent Ⲛ̀-ⲬⲢⲰⲘ, aut vocem *adhibuiſſent* aequiualentem. Haec ſunt, quae de Planetis eorumque cultu, ex Aegyptiorum placitis dicenda putaui.

DE

DE DIIS AEGYPTIORVM LIBER IV.

Qui eſt

De Nilo Flumine, Aegyptiorum Deo, et Symbolicis Numinibus ad Nilum relatis.

CAPVT I.

De Nilo Flumine ab Aegyptiis inter Deos ſuos culto.

Nilus inter Numina maxima ab Aegyptiis colebatur, cuius cultus cauſa paucis indicatur. §. 1. Primum Nili in Aegypto nomen fuit *Ieor*, vel *Iaro*, idque *fluuium* deſignat. §. 2. Idem fluuius ab Aethiopibus vocabatur *Siris*, ab Aegyptiis vero *Nilus*. §. 3. *Siris* Aethiopum, et *Schichor* Hebraeorum, non ſunt idem nomen; ſed inter ſe differunt. §. 4. Neque etiam *Siris* et *Oſiris* Aegyptiis idem ſignificabant. §. 5. Nomen *Siris*, ex vetuſta Aegyptiorum lingua explicatur. §. 6. Fluuii Aegyptiorum nomen proprium, genuinum et antiquiſſimum fuit, eſtque *Nilus*. §. 7. Nomen illud ex Aegyptiorum ſermone explicatur. §. 8. Nomen, quod Nilo olim etiam ſolebat indi, *Phruron*, explicatur. §. 9. De originibus Nili in Aethiopia, ne nunc quidem ſatis recte cognitis et perſpectis. §. 10. De fluuii eiuſdem incremento et decremento annuo. §. 11. Aquae Niloticae magna dulcedo et ſalubritas. §. 12. Mira etiam foecun-

foecunditas et olim et nunc celebrata. §. 13. Propter has rationes, Aegyptii Nilum diuinis affecerunt honoribus. §. 14. Eidemque Templa et Sacerdotes conſecrarunt. §. 15. Atque in eius honorem feſta ſolennia celebrarunt. §. 16. De imaginibus Nili olim in Aegypto vſitatis. §. 17.

§. 1.

...ter ...a ...tio- ...axi- ...ocum ...bat, diuiniſque ab illis colebatur honoribus.

A clariſſimis Mundi Sideribus, Sole et Luna, quae totus fere quaquauerſum terrarum Orbis, ſed peruerſus iam, et a vera Dei cognitione, veraque pietate iam repulſus, loco et vice Dei, religione ſumma celebrauit et coluit, tranſimus nunc ad Numen Aegypto penitus proprium et peculiare, fluuium nempe illius regionis maximum celeberrimumque, *Nilum*, quem merito dicere poſſumus Aegyptiorum veterum *Oſiridem terreſtrem*, cui tanquam bonorum omnium, quibus fruerentur, auctori et datori ſupplicabant accolae ſuperſtitioſi, non ſecus atque Ioui ſuo Graeci Romanique, Mithrae, qui Perſiam habitabant, gentesque aliae ſummis ſuis principibusque Numinibus. Hinc eſt, quod * Poëta illuſtrem hunc fluuium ſic alloquitur:

Nile pater, quanam poſſum te dicere cauſa
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.
Te canit atque ſuum pubes miratur Oſirin
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.

Quin imo ** *nihil Aegyptiis tanto erat in honore, tamque religioſe colebatur, atque Nilus*, *** *ad quem Solen-*

* PROPERTIVS Lib. I. Eleg. VIII.
** PLVTARCHVS de Iſide et Oſir. p. 353.
*** ARISTIDES Rhetor, in Aegyptio p. 93. b. Edit. graec. Florent.

Solennitates eorum ſacrae tantum non omnes ſpectabant. Etiam Graeci veteres, fluuios regionum ſuarum praeſtantiores, diuinis afficiebant honoribus, quod * Scriptores antiqui toties teſtantur, et Nummi populorum et vrbium, qui adhuc ſuperſunt, innumeri loquuntur. Verum ſi iſthanc ſpectes ſuperſtitionem, ſane Aegyptii, et horum aemuli, Indi, notiſſimi Gangis fluuii cultores, reliquas Gentes omnes, immane quantum ſuperarunt. Coluerunt autem Aegyptii *Nilum* ** propter ſummam, quam ab eo expectabant, et reipſa etiam percipiebant, vtilitatem. Huic enim fluuio, fertilitas et felicitas omnis, de qua beata ipſorum religio gloriari poterat, vnice debetur. Negari quidem non poteſt, in cultu Aegyptiorum populari, Deos principes et longe maximos, ſemper habitos fuiſſe, *Oſiridem* ſiue *Solem*, ac *Iſidem*, ſiue *Lunam*. Verum a magnis his Numinibus, *Nili* ſui exiſtentiam, incrementa, et mirabiles viciſſitudines, *** quod in ſuperioribus plus ſemel indicaui, in acceptis ferebant, ita etiam Numina illa praecipue propter *Nilum*, et cum reſpectu ad eum, tanta veneratione, tamque impenſo cultu dignabantur. *Sol* et *Luna*, ex Aegyptiorum ſententia, admirabilem fertilitatis vim communicabant, tempore debito, cum *Nilo*, et fluuius hic principia fertilitatis in ſe coelitus collata, in campos agroſque Aegyptiorum liberaliter effundebat. Quoniam igitur Aegyptii, in praeſentia vitae huius commoda et bona vnice intenti, experi-

* MAXIMVS TYRIVS, Diſſert. XXXVIII. poſt init. Adde GERH. IO. VOSSII de origine Idol. Lib. II. cap. 79. et SPANHEMII notas in Callimach. p. 117.

** MAXIMVS TYRIVS Diſſert. XXXVIII. poſt init. IVLIVS FIRMICVS de error. profan. relig. poſt init.

*** Lib. II. cap. I. §. 4. Lib. III. cap. I. §. 5.

perientia magiſtra didicerant, ingentem illam terrae ſuae bonitatem ac fertilitatem, fluuio huic immediate et proxime deberi, idcirco hunc, ceu verum felicitatis ſuae auctorem, continuis precibus laudibuſque concelebrabant, et vt Deorum praeſentiſſimum, ſolennitatibus, ritibuſque permultis religioſis, per totum annum aſſidue venerabantur. Sed non abs re erit, ea quae ad Theologiam Aegyptiorum de Nilo ſpectant, paulo vberius et diſtincte magis perſequi.

...um ...Ae- ...no- ...fuit ..., vel ...aro, idque fluuium *deſignat.*

§. 2. Et hic quidem ante omnia, de fluminis huius Aegyptiis omnibus ſanctiſſimi vero patrioque nomine diſſerendum mihi eſſe arbitror. In Scriptura vocatur יְאֹר, *Ieor*, quod *fluuium* interpretantur, aut vt alii malunt, *fluuii riuum*. Geneſ. XLI. 1. 2. 3. 17. 18. Exodi I. 22. II. 3. 5. et pluribus aliis in locis. Ezech. XXIX. 3. Rex Aegypti introducitur, arroganti hac oratione vſus: ואני יארי לי עשיתני. *Meus eſt* (Ieor) *fluuius, egoque feci mihi.* Hebraeorum magiſtri, et qui in intima linguae hebraicae perrumpere ſatagunt, animaduertentes, lingua populi Dei, proprie et communiter נהר, *nahar*, dici *fluuium*, exiſtimant, per יאר, non tam deſignari *fluuium* in vniuerſum ſpectatum, et totum, quam potius eius tantum *riuos* et *brachia*. Cenſent porro iidem, *Nilum* Aegypti fluuium, ea de cauſa ſaepius dici יאר, quod ope foſſarum, manu humana factarum, fluuius ille per Aegyptum totam, quaquauerſum ſe diffundat. Verum obſeruatio haec, nonniſi aliquam veritatis ſpeciem prae ſe fert, cum ſoliditate deſtituta ſit. Nam Amoſi VIII. 8. יאר מצרים, *fluuius Aegypti*, totum ſane ſignificat *Nilum*. Vera rei illius ratio, quod pro נהר, nonnunquam inueniatur יאר, haec eſt, quam etiam interpretes Hebraei obſeruant, et res ipſa abunde loquitur, quod Scriptores Sacri, voce יאר, *Nilum*, et hunc tantum, deſignare voluerint.

fuerint. Eſt igitur vocabulum hoc *Nilo* proprium et peculiare, nam eſt origine Aegyptium. Aegyptii ad deſignandum *fluuium*, vocem aliam non adhibent, quam ⲓⲁⲣⲟ, *Iaro.* Sic Geneſ. XLI. 1. 2. 3. &c. vbi in graeco eſt ποταμὸς, *fluuius*, Coptus interpres habet ⲓⲁⲣⲟ, et cum nota generis maſculini ⲫⲓⲁⲣⲟ, et ſic aliis in locis ſemper. Quoniam vero Scriptores Sacri gentis Hebraicae, vbi de *Nilo* loquuntur, et nonniſi de fluuio hoc agentes, voce יאר vtuntur, idque nomen fluuio iſti proprium deprehenditur, plus quam probabile eſt, ipſos Aegypti incolas, maximum illum et vnicum regionis ſuae fluuium, in communi ſermonis vſu, non alio nomine, quam ⲓⲁⲣⲟ, quod *fluuium* diximus ſignificare, ſolitos fuiſſe inſignire. Sicuti nempe Italis *vrbs* ſemper *Romam*, Ἄστυ vero Graecis ſemper *Athenas* ſignificabat; ita temporibus antiquiſſimis, Aegyptii per ⲓⲁⲣⲟ, *fluuium* per excellentiam, nonniſi *Nilum* innuiſſe videntur. Hanc auguror eſſe rationem, cur HOMERVS, vbi fluuii huius meminit, nunquam verum eius nomen adferat, quod forte ignorabat, cum Aegyptii tantum ⲓⲁⲣⲟ, *fluuium* ſuum creparent, verum * perpetuo eum αἴγυπτον nuncupet, quaſi dixiſſet *fluuium Aegypti*, quomodo Hebraei etiam loqui amabant. Amoſ. VIII. 8. Fuit igitur hoc primum fluuio illi nomen in Aegypto, etſi nominis iſtius, ſi a Scriptis Hebraeorum Sacris receſſeris, veſtigia nunc, a me obſeruata, nulla in memoriam reuocare poſſim. Neque tamen dubito, quin ipſum hocce nomen Aegyptiis, poſtquam illic radices egit idololatria, perquam venerabile extiterit, et Sacroſanctum.

§. 3.

* Odyſſ. Δ. 477. 483. Ξ. 258. 427.

Fluuius idem poſtea ab Aethiopibus Siris, ab Aegypti vero inco- [illegible]*us* [illegible]*ni-* [illegible]*it.*

§. 3. Tranſeo nunc breuitatis cauſa alia plura nomina et cognomina, quae, ſi vetuſtis nonnullis Scriptoribus fides adhiberi poteſt, *Nilo* olim adhaeſerunt. Ego enim illa non pro nominibus propriis, aut cognominibus, vſu publico conſtanti et perpetuo receptis, habeo; ſed pro epithetis tantum, quibus eum aut Poëtae, aut Scriptores alii, aut etiam fluuii huius accolae indigenae, ornare nonnunquam, pro re nata, ſoliti ſunt. Ne res haec, quam ſine detrimento cauſae meae omittere licet, et mea et lectorum meorum tempora nimium moretur, pergere malo ad nomina fluuio noſtro ab accolis impoſita, omnibus nota et vſitata, ſermonibus quoque veterum non parum celebrata, quaeque Scriptoribus etiam ſacris non indicta exiſtimantur, *Sirin* ſcilicet et *Nilum*. Incipio a *Siri*, quoniam iſtud fluuio Aegypti, prope illius fontes, dum adhuc Aethiopum agros peruagatur, priuſquam fines Aegypti attingat, nomen ab antiquo impoſitum fuiſſe deprehendo. Teſtatur hoc DIONYSIVS *Periegetes*, in Poëmate laudatiſſimo v. 221.

Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλȣ
Ὅς· δήτοι Λιβύηθεν ἐπ᾽ ἀντολίην πολὺς ἕρπων,
Σῖρις ὑπ᾽ Ἀιθιόπων κικλήσκεται. Οἱ δὲ Συήνης
Ἐνναέται στρεφθέντι μετ᾽ ȣ̈νομα Νεῖλον ἔθεντο.

Quae ſic verſibus reddidit Feſtus AVIENVS v. 334.

Eminus euoluunt hinc ſeſe pinguia Nili
Flumina; et intenti prolabitur aequoris vnda.
Hic qua ſecretis incidit flexibus agros,
Aethiopum in lingua Siris cluit: vtque Syene
Caerulus accedens diti loca flumine adulat,
Nomine ſe claro Nilum trahit, inque iacentem
Aegyptum fuſus fluctu premit arua marito.

Et

Et PRISCIANVS V. 210:

Hinc fluuii pinguis deſcendunt flumina Nili
Partibus a Libycis, qui currens Solis ad ortus,
Siris ab Aethiopum populis cognomine fertur:
Verſum cultores Nilum dixere Syenes.

Hi omnes igitur teſtantur, Nilum fluuium, in Aethiopia, dum illam peragrat, et ab illius regionis incolis vocari *Sirin;* eundem vero, vbi Syenen attigit, et ad fines Aegypti peruenit, nomen iam multo clarius atque celebrius *Nili* conſequi. Confirmat id Poëtae huius Commentator graecus, EVSTATHIVS, in Scholiis ad verſus allatos. Neque etiam rei huius, in deſcriptione Aegypti oblitus eſt PLINIVS Lib. V. cap. IX. vbi haec habet: *Nec ante Nilus, quam ſe totum aquis concordibus rurſus iunxit,* (quod fit in regno *Nubiae ſupra Syenen.*) *ſic quoque etiamnum Siris, vt ante nominatus per aliquot millia.* Similia de hoc fluuio notat SOLINVS in Polyhiſt. cap. 32: *Demum a cataracte vltima* (vbi incipit Aegyptus) *tutus eſt. Ita enim quaedam clauſtra eius Aegyptii nuncupant Relicto tamen hoc priore ſuo nomine, quo Siris vocatur, mox inoffenſus meat.* Et ibidem aliquam multis interiectis: *Ditionis Aegyptiacae eſſe incipit a Syene, in qua fines Aethiopum, et inde vſque dum mari intimatur, Nili nomen tenet.* Igitur ſimul atque Aegypti fines ingreſſus eſt *Nilus*, hoc nomine compellatur ab Aegyptiis omnibus, priori illo iam Aethiopibus relicto. Denique et haec STEPHANI Ethnicographi verba adducere iuuabit: Συήνη πόλις Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας ἐπὶ τῷ Νείλῳ. Μεθ' ἣν ὠνόμασαι Σίρις ὁ ποταμός. *Syene vrbs, quae Aegyptum ab Aethiopia diſterminat, ſita ad Nilum. Supra hanc vrbem vero, in Aethiopia, fluuius ille Siris nuncupatur.* Tanta conſenſione veteres omnes

vnanimiter tradunt, magnum Aegypti fluuium, ab Aethiopibus vocari *Sirin*, vbi vero arua *Syenes*, primae in Aegypto vrbis attigit, mutato iam nomine, ab Aegyptiis dici *Nilum*. Et profecto, antequam frequentiora Graeci cum Aegyptiis commercia inſtituiſſent, et hac occaſione, nomen *Siris*, fluuio *Nilo* ab Aethiopibus tribui ſolitum, Graecis innotuiſſet, nomen illud auditum aut cognitum fuiſſe non deprehendimus. Nemo hactenus in medium adferri potuit, qui ante *Plinii*, et *Dionyſii Periegetae* aetatem, *Siris* Aethiopici mentionem fecerit.

Siris Aethiopum, et Schichor Hebraeorum, idem nomen non ſunt; ſed ea inter ſe differunt.

§. 4. De hoc igitur *Nili* fluuii nomine, quo non Aegyptios; ſed Aethiopes tantum vſos eſſe clare liquet, plura non dicerem, niſi me virorum doctiſſimorum coniecturae, quibus magnam veroſimilitudinis ſpeciem conciliant, ad id compellerent. Sunt autem viri eruditionis laude illuſtres, qui iam dudum ſibi aliiſque perſuaſerunt, שיחור, *Schichor*, vel *Sichor*, fluuium in Scriptura memoratum, eſſe *Nilum* Aegypti, quippe qui etiam *Siris* ab incolis fuerit dictus, quod Hebraei *Sichor*, vel *Sior* extulerint. Et ego quoque olim, tantorum virorum nominibus et exiſtimatione inductus, inque ipſorum auctoritate paulo ſecurius requieſcens, * ſententiam hanc meam feci. Verum poſtea quam argumentum hoc omni mentis niſu et contentione accuratius explorandum ſumſi, poſtquam omnia, quae cogitationibus meis ſe offerebant, ſeria aeſtimatione librau, priſtinam ſententiam neceſſario mihi deſerendam eſſe, intellexi. Quorſum enim quaeſo, Scriptores ſacri, ex vltima Aethiopia, nomen fluuii arceſſerent, in ipſa Aegypto pleriſque, nedum gentibus

* in notis ad *Eratoſthenis Catalogum regum Thebaeorum*. Vide *la Chronologie* de Mr. DES VIGNOLES, To. II. p. 765.

bus aliis, plane ignotum et inauditum? inprimis cum ſuppeterent genuina fluminis illius nomina Aegyptiaca, nota omnibus, quibus Nilus ipſe ignotus non erat. Et an non illi nomen vere Aegyptiacum יאר, *Ieor*, de quo §. 2, adhibere ſolent, vbi de Aegypto indubitate loqui deprehenduntur? Adduci ergo, vt credam, minime poſſum, Hebraeorum *Schichor* exprimere Aethiopicum *Siris*; vero potius ſimillimum mihi videtur, *Schichor* illud eſſe nomen ex Hebraeorum lingua petitum, quod illi inter ſuos, aut Nilo in vniuerſum, aut alicui eius alueo indiderant, quodque ipſis Aegypti incolis potuit eſſe ignotum. Hebraeos namque habuiſſe nomina regionum et fluuiorum, ſibi plane propria et peculiaria, multo notius eſt, quam vt longa probatione egeat. Terram Aegypti, * quam incolae ipſi ſermone auito ſemper appellarunt *Chemi*, vel *Chami*, Graeci Ἄιγυπτον, Hebraei a primis inde temporibus vocarunt, vocantque hodie, *Mitſraim*. Et ſic, ne nimius hic ſim, in aliis. Alueos porro Nili fluuii diuerſos, habuiſſe etiam diuerſas propriaſque ſuas denominationes, ex *Geographia* PTOLEMAEI, gente Aegyptii, plus ſatis conſtat. Etenim vnus ex fluuii illius alueis, dicebatur *Agathodaemon*, alius *Taly*, alius *Thermuthis*, aut *Thermuthicus*, alii habebant cognomen aliud. Exiſtimo igitur, Hebraeos voce ex propria lingua depromta, et ſuis familiari, ac peculiari, vel fluuium totum, vel, quod veroſimilius eſt, aliquem illius alueum, a nigredine appellaſſe שיחור, *Schichor*. Non diſplicent verba viri de omni literarum genere praeclare meriti, GERH. IO. VOSSII, in hunc ſenſum ſcribentis: ** שיחור

* Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. IV. §. 9. et Lib. II. cap. II. §. 10.

** De origine Idolol. Lib. II. cap. 74. p. 346.

ad verbum ſonat nigrum. —— *Eſt vero Nilus turbidus et ſubfuſcus, ac nigricans: puta ob limum, quem aduehit ſecum, ex partibus ruens auſtrinis. Altera quoque nominis eius ratio eſt. Nam terram humectans, eam reddit nigram:* — *Sed, vt Geneſ.* XV. 18. *per* Nachal Mitzraim, *ita et Ioſuae* XIII. 3. *per* Schichor, *non Nilus integer capiendus; verum illud brachiolum Nili, quod alias* torrens deſerti *vocatur Amoſ.* VI. 14. —— *Quemadmodum vero Nilus Hebraeis ob nigricantes aquas, et quia terram humectando reddit nigram,* Sichor, *ſiue* Sior, *hoc eſt* niger *dictus eſt: ita et Graecis eadem de cauſa vocatus eſt* Μέλας, *Plutarcho et Euſtathio teſtibus, indeque et veteribus Latinis* Melo *appellatus.* Et viri huius praeſtantiſſimi ſententiam eruditi plurimi alii, non immerito amplectuntur.

Siris et Oſiris vnum idemque Aegyptiis minime ſignificabant.

§. 5. Qui *Schichor* Hebraeorum eundem volunt eſſe cum *Siri* Aethiopico, aut qui cenſent, *Nilum* Hebraeis ideo dici *Schichor*, quia eundem indigenae aut Aethiopes *Sirin* nuncupabant, cum hac ſententia aliam ſolent coniungere, quae inprimis ad hoc noſtrum *Pantheon* ſpectat, nomen videlicet *Siris* fluuii, et *Oſiris* Dei, eſſe vnum tantum idemque, eaque inter ſe nonniſi eo differre, quod in priori, O, per aphaereſin abiectum ſit. SCALIGERVM et SELDENVM, ſententiae huius ſtatores et fautores, * alio loco iam adduximus. Et quis numeret eruditos omnes, pedibus in eorum ſententiam euntes? Vnius tantum VOSSII verba huc tranſcribam, qui iis, quae attulimus §. 4, iſta mox ſubiungit: *Ex quibus etiam cognoſcere licet, cur Aegyptii, Plutarcho teſte, Oſirin effingant nigrum. Nempe nigrum colorem Nili attenderunt. Et quid ſi dicamus, ipſum nomen* Oſiris *eſſe ex* Schichor, *ſiue,*

* Lib. II. cap. I. §. 4.

vt mollius pronuntiant, Sior? *Nam* Sior *traiectis literis fit* Oſir, *vnde terminatione graecanica ac Romana* Oſiris *emergit.* Paulo aliter vir optimus rem aggreditur, quam alii, quos antea nominaui; ſed rei tamen ſumma ſemper eadem manente. Nempe traiectio literarum ipſi ſubſidio venit. Et quid non, beneficio felicis et foecundi huius inuenti, viri eruditi praeſtant? Haec ſane efficit, vt ex quolibet quidlibet nullo negotio exſculpere, et imperitis fucum facere poſſint. Verum profecto, vt quod res eſt dicam, duo haec nomina, *Siris* et *Oſiris*, nullam inter ſe, niſi in ſolo literarum ſono, affinitatem habent, neque rem eandem ſignificare poſſunt, quod mihi non inuiti largientur, qui et linguae, et Antiquitatum Aegypti, idoneam ſibi notitiam compararunt. Non magis voces illae Aegyptiacae ſeſe contingunt, aut aliquam ſignificationis cognationem probant, quam in Latinorum lingua, *lacerna* et *lucerna*, *olla* et *abolla*, *bolus* et *obolus*, *aceruus* et *ceruus*, *lego* et *ligo*, et infinita huius generis alia. Originationes eiuſcemodi, niſi aliunde, ac inprimis aut ex re ipſa, aut ex indole et vſu linguae certo ſtabiliantur, nil ſunt, niſi meri putique ingenii luſus, ſpecie aliqua acuminis minus exercitatos ludificantes; ſed omni ſoliditate vacui. Fluuium Aethiopes dixerunt non *Oſirin*; ſed *Sirin*: viciſſim Numen ſuum Aegyptii nunquam *Sirin*, ſemper tantum *Oſirin*. Duae hae voces toto coelo a ſe inuicem ſenſu et ſignificatione diſtant; altera Aethiopibus tantum, altera vero Aegyptiis in vſu fuit. Neque etiam cognationis huius inter Aethiopicum *Sirin*, et Aegyptium *Oſirin*, in tota Antiquitate, vel vola extat, vel veſtigium. Nam quod quidam *Sirium*, Aſtrum caniculae, in ſubſidium vocant, in eo penitus fruſtra ſunt. *Siris*, vt ſaepe diximus, eſt vox *Aethiopica*; at *Sirius*, nec Aethiopica, nec Aegy-

ptiaca; ſed *graeca.* Aegyptii ſermone ſuo vernaculo *Sirium* dixere *Sothin*, quod Libro III. cap. II. prolixe explicuimus. Oſtendimus et ibidem, ſidus illud non *Oſiridis* fuiſſe; verum *Iſidis.* Non negamus tamen, *Nilum* in Sacris nonnunquam *Oſiridis* nomine compellatum fuiſſe; ſed id tamen ideo factum non eſt, quod *Nilus* ipſe cenſeretur habereturque *Oſiris*, verum quod fluuium hunc Aegyptii celebrarent venerarenturque, * tanquam praeſtantiſſimum *Oſiridis* effluxum, ac *maxime* ſalutarem effectum.

...en Si- ... ex lingua vetuſta Aegyptiorum tentatur et explicatur.

§. 6. Quandoquidem aſſerui, ex teſtimonio veterum omnium, nomen *Siris*, *Nilo* impoſitum, ex Aethiopum lingua arceſſendum eſſe, dubius mecum ancepſque haereo, auſimne illius originationem lectori ex lingua Aegyptiorum petitam offerre. Nam tractu temporis, linguam Aegyptiacam, ab Aethiopum Habeſſinorum lingua euaſiſſe penitus diuerſam, in dubium vocari nequit. Sed aliter omnino res ſe habuit, in primis Aegypti habitari coeptae Seculis. Nam *Aethiopes*, non minus quam *Aegyptios*, ex *Mitſraimo*, Noachi nepote, deſcendiſſe, ex Tabulis Scripturae S. diſcimus. Fuit ergo primitus vna tantum duarum gentium lingua. Et non parum etiam probabile eſt, amicitiae commercia diu inter gentem vtramque viguiſſe, ex quo factum videtur, vt linguae, Aethiopes inter et Aegyptios, diu quoque ſeruata fuerit communio. Certe Sacrorum quorundam communionem ſatis arctam inter eos duraſſe vſque ad tempora Chriſtianiſmi in Aegypto dominantis, ** alibi monuimus. Rei ipſi igitur non repugnat, originem nominis *Siris*, Aethiopibus de Nilo loquentibus vſitati, inueniri etiam in Aegy-

* Vide *Panthei* noſtri Lib. II. cap. I. §. 4.
** Lib. II. cap. II. §. 4.

Aegyptiorum lingua. Verum originatio illa talis vſque indolis eſſe debebit, vt Aethiopum regioni cumprimis conueniat. Nam his vocis illius vſus frequentior, ſi non vnicus debetur. Venit igitur mihi aliquando in mentem, poſſe nomen hoc deriuari a voce *Sari*, quae in Aegyptiorum dialecto reperitur, et cuius etiam antiqui meminerunt. Eſt autem aliqua *iunci* ſpecies, olim in Aegypto ſic nominata. De ea THEOPHRASTVS, hiſtor. Plantar. Lib. IV. cap. IX. vbi *Papyrum*, idque, *quod vocant SARI*, coniungit. De *Sari* vero ſigillatim, ibidem haec addit: *SARI in aqua prouenit, circa paludes, inque campis quos Nilus recedens dereliquit*, quam poſtea pluribus deſcribit, et cum celeberrima *papyro*, in quibuſdam confert. De eadem *Sari* iſta leguntur apud PLINIVM Lib. XIII. cap. 23. *Fruticoſi generis eſt et SARI, circa Nilum naſcens, duorum fere cubitorum altitudine, pollicari craſſitudine, coma papyri, ſimilique manditur modo.* Ab eadem * Copti Sinum maris Arabici, quem vulgo *mare rubrum* vocant, dixerunt ⲫⲓⲟⲙ ⲛϣⲁⲣⲓ, *Mare Sari*, id eſt *iunceum*, quemadmodum Hebraei, ab Aegyptiis edocti, mare idem ſimili nomine ים־סוף, *mare iunceum* appellant. Nam mare hoc magna *iunci*, ſiue *Sareos* copia abundat. Quemadmodum vero mare illud, a *iunco*, et apud Aegyptios, et apud Hebraeos, nomen traxiſſe certum eſt, ita, cum eadem plane hic ſuppetat ratio, fluuius Nilus dici pariter potuit ⲓⲁⲣⲟ ⲛϣⲁⲣⲓ, *fluuius iunceus*, vel contractius ϣⲁⲣⲓ, *iunceus*, fluuium ſubintelligendo. Nam et in eo magna reperitur *iunci* copia. Ipſe IESAIAS Sacer Vates, eo nos ducit, in cuius *vaticiniorum* cap. XIX. 6. legimus:

 Et

* Videri poteſt Diſſert. V. *de Terra Goſen* §. 10.

Et repellentur fluuii, attenuabuntur, et exſiccabuntur riui Aegypti, arundo et alga languebunt. Vbi in hebraeo eſt סוף, a quo Sinus Arabicus, Hebraeis *Mare Suph* dicitur, ſicuti Aegyptiis idem, *Mare Sari* audit. *Suph* ergo, ſiue *Sari*, nam voces hae idem ſignificant, tam in mari rubro, quam in fluuio Aegypti creſcebat, et ab eo tam fluuius, quam mare denominari potuit. Hinc de *Nilo* BACCHYLIDES canit:

* Τὴν ἀχείμαντόν τε Μέμφιν, καὶ δονακώδεα
Νεῖλον.

Tranquillam Memphim, frondoſum et arundine
Nilum.

Similiterque OVIDIVS Metamorph. Lib. XV. 753.

Perque papyriferi ſeptemflua flumina Nili.

MELA Lib. III. cap. IX. de *Nigro* fluuio, quem cum *Nilo* confert, et ex quo Nilum originem ducere, cum aliis veterum nugatur: *Alit papyrum*, vbi iuuabit inſpicere notas IS. VOSSII, qui epigramma adducit Poëtae Anonymi, *budam*, ſeu *papyrum* dicentis *Niliacam.* Sic et PLINIVS Lib. V. cap 8: *Nigro fluuio eadem natura, quae Nilo, calamum et papyrum, et eaſdem gignit animantes.* Eo vtique reſpexiſſe videtur AESCHYLVS, qui Nilum e montibus Byblinis deducit, in *Prometheo vincto*, v. 810:

— ἔνθα βυβλίνων ὀρῶν ἄπο
Ἵησι σεπτὸν Νεῖλος εὔποτον ῥέος.

— *vbi de montibus Byblinis*
Nilus effundit fluxum venerandum potu iucundum.

vbi Scholiaſtes obſeruat, montes *Byblinos* ſic dici, ἀπὸ τῆς γινομένης παρ' αὐτοῖς βύβλȣ, *eo quod illic byblus*

* Apud ATHENAEVM Lib. I. p. 20.

byblus (vel papyrus) *creſcat.* Neque id plane in-uita rei veritate dixit. Teſtantur enim Aethiopes indigenae, * *eo tempore, quo imbres continui ac vehementiſſimi, totam Aethiopiam inundant,* ** *in lacubus, quos innumeri aquarum torrentes, in campis regnum Nubiae ab Aethiopia ſegregantibus, conficiunt, iuncos et arundines tanta excreſcere copia, tantaque altitudine, vt, vbi etiam Sol loca illa omnia iam exſiccauit, viae tamen, quae ab vna regia vrbe ad alteram ducunt, tranſiri non magis poſſint, quam durantibus continuis illis et copioſis pluuiis, quae produxerunt arundines.* Ex illis vero aquarum torrentibus, qui totas iunci et arundinum ſyluas progignunt, in Aethiopia ſucceſſiue formatur *Nilus,* qui proinde vere ϢⲀⲢⲒ *Sari,* id eſt *iunceus* dici poterat. Sed iudicent de re eruditi. Eſt enim mea tantum coniectura, quam lectoris cordati iudicio libens ſubmitto.

§. 7. Verum propriumque fluminis Aegyptii nomen, quod FESTVS AVIENVS *clarum* vocat, quia omnium gentium ſermonibus celebrabatur, eſt *Nilus.* Oſtendimus namque §. 3, veteres omnes, vbi hac de re loquuntur, vno ore teſtari, magnum fluuium Aegypti, inter Aethiopes *Sirin* nuncupari, ſed poſtquam fines Aegypti ingreſſus eſt, a regionis iſtius incolis celebre notumque omnibus *Nili* nomen accipere. Equidem et id magna ſua probabilitate non carere diximus §. 2, inter Aegyptios ipſos, fluuium hunc primitus, non aliud habuiſſe nomen, quam ⲒⲀⲢⲞ, id eſt *fluuii* per excellentiam, quia in-

Fluuii Aegyptii nomen proprium et auitum fuit eſtque Nilus.

* Vide *la Deſcription de l' Egypte* par Mr. MAILLET Part. I. p. 63.

** Similia retulerunt, quos Nero Caeſar in Aethiopiam miſerat, ad inueſtigandum caput Nili, teſte SENECA, Natur. Quaeſt. Lib. VI. c. 8.

incolae nullum, niſi vnum hunc fluuium, totam ſuam regionem liberaliter inundantem, nouerant, vnde conſequitur, aliquo demum tempore poſt, nomini huic generaliori, ſucceſſiſſe ſpecialius *Nili*. Quo tempore vſus communior nominis *Nili* praeualuerit, non ita facile definire et certo conſtituere licebit. Primus Graecorum, qui nomen fluuii huius proprium commemorauerit, eſt HESIODVS, illius enim in *Theogonia* v. 337 hi extant verſus:

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμὰς τέκε δινήεντας,
Νεῖλον τ' Ἀλφειόν τε, καὶ Ἠριδανὸν βαθυδίνην.
Thetys autem Oceano flumina peperit vorticoſa,
Nilumque, Alpheumque, et Eridanum, profundos
vortices habentem.

Ex quo * vetus Grammaticus colligit, Heſiodum aetate iuniorem eſſe Homero, cum hic *Nili* nomen videatur ignoraſſe, ideoque fluuium hunc *Aegyptum* ſemper appellauerit, ille vero *Nilum* vero nomine deſignauerit. Et ab eo tempore Graeci omnes, tum qui Aegyptum ipſi adiere, tum etiam reliqui, vbi de fluuio illo loquuntur, non alio vtuntur, quam *Nili* nomine. Cum vero certum ſit, Scriptores Graecos, quando fluuiorum peregrinorum, *Euphratis*, *Tigris*, *Araxis*, *Phaſis*, *Iordanis*, *Indi* et *Gangis*, aliorumque mentionem faciunt, nomina iſta, quibus in Orientis regionibus ab incolis in hodiernum vſque diem inſigniuntur, adhibuiſſe, eaque tantum ad orthographiam graecanicam nonnihil inflexiſſe, quis dubitet, quin etiam verum patriumque *Nili* nomen retinuerint, literiſque prodiderint? Et ſunt etiam multi eorum, qui Aegyptum totam peragrarunt, et de rebus memoratu digniori bus cunctis ſollicite et curioſe percontati ſunt, Herodo-

* *Scholiaſtes Heſiodi* vetus ad locum citat. P. CXXXVIII. Edit. Venetae Trincauelli.

rodotus, Diodorus Siculus, Strabo, Ariſtides Rhetor, et inſuper alii, qui tamen aliud, quam *Nili* nomen non audiuerunt, idque in Scriptis ſuis nobis reliquerunt. Accedit, quod etiam reliquorum Orientalium, Iudaeorum, Arabum, Perſarum, et vno verbo omnium libri, flumen Aegypti, nomine *Nili*, nulloque alio, ſemper deſignent. Videntur Aegyptii, poſtquam arma extra Patriae fines protulerunt, cumque aliis gentibus commercia colere coeperunt, eoque aliorum illuſtrium et magnorum fluuiorum notitiam adepti ſunt, ſuo, vt eum ab aliis tanto melius diſtinguerent, *Nili* nomen impoſuiſſe.

§. 8. *Sunt viri doctrina excellentes*, multiſque in meliores literas meritis ornati, qui origines nominis *Nili*, in hebraico נחל, *Nachal*, quo nonnunquam ſiue *Nilus* integer, ſiue aliquis illius alueolus, in Scriptura deſignari ſolet, vnice quaeri debere arbitrantur. Et rebus iuſtum ſuum pretium ponere edocti vtique non eſſemus, ſi inficiaremur, opinionem hanc eſſe ingenioſam, ac inſignem blandientemque veri ſpeciem lectoribus offerre. Quid enim, inficiaſne quiſquam iuerit, nomen נחל, in Scriptura adhiberi, vbi de *Nilo* eſt ſermo? Et an non, vbi hoc certum eſt, prono alueo ſequitur, a נחל, *Nachal*, formatam eſſe vocem *Nili*, aut ſaltem Hebraeos nomen hoc נחל efferre? Trahunt huc etiam illa POMPONII MELAE Lib. III. c. IX. *In horum* (Heſperiorum) *finibus fons eſt, quem Nili eſſe, aliqua credibile eſt. Nuchul ab incolis dicitur.* Ad quem locum ex *Anonymo*, qui ſolet *Aethico* ſubiungi, haec laudat IS. VOSSIVS: *Fontem Barbari Dara nominant, ceteri vero accolae Nuchul vocant.* Verum *Nuchul* ille a Geographis locatur in Mauritania, longiſſime a fontibus et fluentis *Nili*, etſi veteres quidam, decepti forte etiam nomine *Nuchul*, in illa regione fontes Nili quaerendos eſſe, nugarentur.

Ni… men ex an- tiquo Ae- gyptiorum ſermone exponitur.

tur. *Nuchul* igitur ad *Nilum* re ipſa nulla plane ratione ſpectat. Sunt duo hi fluuii diuerſiſſimi. Et praeterea ex veterum vnanimi teſtimonio nouimus, *Nilum* nomine hoc non inſignitum fuiſſe, niſi poſtquam relictis Aethiopum finibus, prope Syenen, Aegyptum iam ingreſſus eſſet. Quod ſi vero etiam debita aeſtimatione penſitemus, quod viri docti, inque originibus linguae hebraicae eruendis magna cum laude verſati, nos docuerunt, נחל proprie ſignificare *torrentem*, rapido curſu inter montes decurrentem, et tempore hyemali largis pluuiis auctum quidem; ſed aeſtate plerumque exſiccatum, liquebit facile, nomen hoc נחל, *Nilo* nulla ratione competere poſſe, vt qui non torrentibus hybernis; ſed maximis totius Orbis fluminibus iure ſuo annumeretur. Mihi igitur meditate haec conſideranti, dubium ſupereſſe nullum poteſt, vocem נחל, non ſecus atque שיחור, linguae Hebraeorum propriam, et ab his tantum adhibitam eſſe, cum res ipſa aperte loquatur, *Nili* nomen, fluuio huic ſanctiſſimo, a Sacerdotibus impoſitum, ex eorum lingua depromtum eſſe, et nonniſi ex hac explicari debere. Haec quoque ratio effecit, vt interpretationibus nominis eiuſdem graecanicis, quae nos nulla ex parte iuuant, hic inhaerere ſuperuacaneum duxerim. Vt vero nunc etiam aliquam nominis *Nili*, ex Aegyptiorum lingua interpretationem Lectori offeram, candide profitebor, mihi iam dudum talem ſuſpicionem obortam eſſe, nomen illud Aegyptiacum, literis Copticis ſcriptum, ſonare ΝΕΙ-ⲀⲖΗΙ, *Nei ale-i*, quod paucis explicare mihi iam incumbit. Et primo quidem, quod * alio loco iam monui, ΝΕΙ, Aegyptiis dicitur *definire*, *ordinare*, *determinare*.

Spe-

* Lib. I. cap. III. §. 13.

Speciatim vero ⲚⲈⲒ, et cum nota generis foeminini ϮⲚⲈⲒ, eſt προθεσμία, *tempus praeſtitutum* et *certo definitum.* Gal. IV. 2. ⲀⲖⲎⲒ vero, vox oppido frequenter occurrens, ſignificat *adſcendere.* Ioh. VI. 17. 24. Actor. XXI. 2. Inde igitur enaſcitur compoſitum ⲚⲈⲒ-ⲀⲖⲎⲒ, μετὰ προθεσμίας ἀναβαίνων, *certo et determinato tempore adſcendens.* Priorem Syllabam accurate expreſſerunt Graeci, qui fluuium ſemper nominant Νεῖλον, *Nei-lum*, poſteriorem terminationem ſic ſatis ſeruat *Nei leus*, rex * veteribus non indictus, a quo ſecundum nonnullorum traditionem, quam fabuloſam iudico, fluuius nomen acceperit. Neque vero mirum cuiquam videbitur, Aegyptios ſacroſancto huic ſuo fluuio, nomen id impoſuiſſe a beneficio maximo ac praeſtantiſſimo, quod ab eo ſperabant quotannis votiſque enixis petebant, vt certo definito tempore, in agros ſuos adſcendens, ſolita eos fertilitate impleret ac bearet. Tantum hoc ſemper fuit Aegyptiis, eſtque etiamnum hodie beneficium, vt quando iam tempus illius praeſtitutum imminet, adeſtque, ** conceptis precibus, in *Liturgiis* ſuis, id a diuina benignitate efflagitent. Idemque hoc Nili ingens beneficium, veteres perſaepe commemorant, laudibuſque ornant. Inter eos eſt ACHILLES TATIVS, cuius verba e Libro IV. Eroticôn, p. 247. quia nunc dicta egregie roborant, non abs re erit adſcribere: Κάθηται δὲ αὐτὸς αἰγύπτιος, ἀναμένων καὶ ἀριθμῶν αὐτῷ τὰς ἡμέρας, καὶ ὁ Νεῖλος οὐ ψεύδεται, ἀλλ' ἐστιν ποταμὸς μετὰ προθεσμίας τὸν χρόνον τηρῶν, καὶ τὸ ὕδωρ μετρῶν. *Nili vero aduen-*

* DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 56. fin.

** Vide *Miſcellanea Berolinenſia* To. VII. p. 431. 434.

uentum Aegyptii cupide expectant, ac numerant dies. Ille ad PRAESTITVTVM TEMPVS ſe ſiſtens, aquaſque dimetiens, minime committit, vt tarditatis accuſari poſſit. Conſimiliter ARISTIDES *Rhetor*, miratur, * τὴν περὶ τὴν ἀνάβασιν αὐτοῦ τάξιν, *ORDINEM certum et CONSTITVTVM TEMPORIS, quem Nilus in adſcendendo ſeruat*, et quod αὔξεται τακτὰ, *CERTO TEMPORIS ORDINE incrementa capiat.* Eundem ad modum HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 423. Ed. Bourdelot. Nilum laudibus euehit, tanquam εἰς ἔτος ἀεὶ τεταγμένως τὴν ἀρουμένην ἐπομβρίζοντα, *qui quotannis ordine et TEMPORE CERTO arua imbris inſtar irriget.* Nec minus appoſite EVSTATHIVS ad Dionyſium Periegeten v. 222 obſeruat: Εἱρμῷ τινι καὶ τάξει φέρεται, καὶ οὐ παραπροθεσμεῖ τὴν ἀνάβασιν. Διὸ καὶ τῇ αὐτοῦ ὑπερβάσει φασὶ μετρεῖσθαι παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις τὸν ἐνιαυτόν. *Nilus ſerie quadam et DETERMINATO ORDINE fertur, et TEMPVS incremento ſuo PRAESTITVTVM nunquam praetergreditur. Eaque de cauſa Aegyptii ad incrementa huius fluuii computationem anni ſui attemperant.* Refert mox auctor ille eorum opinionem, qui fluuium Aegypti dictum eſſe Νεῖλος cenſerent, eo quod literae nomen hoc conſtituentes, numeros conficerent 365, quot nempe annus dies habet. Verum hae ſunt Graecorum inanes argutiae, quibus literae auitae Aegyptiacae nominis huius minime reſpondent, et de quibus Aegyptii priſci, qui alium habebant literarum et ordinem et valorem numericum, cogitare omnino non potuerunt. Iis quae attuli, vnicum hunc ALCIMI AVITI locum addo, ex *Poëmat.* Lib. I. v. 264. de *Nilo:*

Cuius

* In *Aegyptio* fol. 96. a. Edit. Graec.

Cuius in Aegyptum lenis perlabitur vnda
Dilatura ſuam CERTO *ſub* TEMPORE
terram.

Id plane eſt ⲚⲈⲒ-ⲀⲖⲎⲒ, quod Graeci auditum ab Aegyptiis, primo *Neileum*, deinde vero contractius *Neilum*, vel *Nilum* extulerunt.

§. 9. Supereſt aliud etiam *Nili* nomen Aegyptiacum, quod ex ERATOSTHENIS *Catalogo regum Thebaeorum* Aegypti depromo. In eo enim num. XXXVII. haec occurrunt: Θηβαίων ἐβασίλευσεν Φρουρῶν, ἤτοι Νεῖλος. *Thebaeorum rex trigeſimus ſeptimus fuit Phruron, id vero ſignificat Nilum.* Conſtans autem eſt Catalogi illius mos, vt primo ponatur regis cuiuſque nomen Aegyptiacum, et deinde eius interpretatio graeca addatur. Itaque *Phruron* Aegyptiis idem ſignificat, quod Graecis *Nilus.* Ante complures annos, ad locum illum haec me commentatum eſſe memini: * „Quomodo vero „*Phruron* poterit eſſe *Nilus?* Forte hic latet no„men illius fluuii, quo ab Aethiopibus praecipue, „et incolis Aegypti ſuperioris appellari conſueuerat, „*Siris* nempe, vel *Suris*, aut *Soris* &c. Singulare „literarum decus, LA CROZIVS exiſtimat, nomen „hoc latere in Menſe Aegyptiorum *Meſori*, quod „ipſe interpretatur *plenum Nilum*, et iſthanc inter„pretationem adſtruit Epigrammate, quod extat in „*Anthologia* Graecorum Lib. I. cap. XCI. n. I:

Καὶ Μεσορὶ Νείλοιο φέρει φυσίζοον ὕδωρ.

Et Meſori Nili fert almam aquam.

„Cui addi poteſt Epigramma XII. eiuſdem capitis, „in quo Poëta de *Auguſto* Menſe, qui cum *Meſori* „congruit, ita canit:

Τὰ

* in Chronologia B. ALPHONSI DES VIGNOLES, To. II. p. 764. 765.

— — Τὰ δ' ἐμὰ πτέρα Νεῖλον ἀγείρει

— — *Alae meae* (id eſt venti) *Nilum colligunt.*

Putabam nempe, in Catalogo illo Φρουρῶν, vt euphoniae conſuleretur, ſcriptum fuiſſe pro Φσουρῶν, Σουρῶν vero, *Suronem*, eſſe illud nomen *Nili*, quod communius efferri ſolet *Siris.* Exiſtimabam quoque, *Sirin* fluuium nomine hoc, non ab Aethiopibus ſolum; verum et incolis Aegypti ſuperioris inſignitum fuiſſe. Verum enim vero, cum id vnanimi teſtimonio veterum omnium contradicere ſentiam, §. 3, malo nunc explicationem proferre, magis vt ſpero placituram, et ab omni parte difficultatis minus habentem. Autumo igitur, Φρουρῶν nomen fuiſſe *Nili*, quo eum Aegyptii in Sacris illo compellabant tempore, quo agris iam decedebat, illiuſque aqua ſenſim quotidie deficiebat. Hoc enim ſane Φρουρῶν Aegyptiis innuit. Ϩⲣⲟⲩⲣ, *Hhrur*, vocem Aegyptii vſurpant de aquis ſubſidentibus, deficientibus, et ceſſantibus, ſicuti de aquis diluuii, iam decreſcentibus adhibetur, Gen. VIII. 1. 7, et de aquarum impetu ceſſante. Pſ. LXXXIX. 9. neque minus de re quacunque deſinente, vti Numer XI. 2. (vbi verba ⲁϥ-ϩⲣⲟⲩⲣ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲓⲭⲣⲱⲙ, vertenda ſunt, *ceſſauit ignis,*) et XVI. 48. Si voci huic addas notam generis maſculini, habebis Ⲫ-ϩⲣⲟⲩⲣ, quod Graeci aliter exprimere non poſſunt, quam Φρούρ, et ſi denique adiicias terminationem graecam, enaſcetur Φρουρῶν, quod in Catalogo ERATOSTHENIS legimus. *Nilus* proprie dicebatur hicce fluuius ab *adſcenſu*, quando ſe in agros effundebat. *Phruron* a *deſcenſu*, quando eosdem derelinquebat. Sed videtur nomen hoc poſterius nonniſi in Sacris quibuſdam adhibitum, auditumque fuiſſe. Illud tamen regi Thebaeo, forte tempore

pore Nili ex agris Aegyptiorum deſcendentis nato, imponere placuit. Symbolum huius *Phruronis*, ſiue *Nili deſcendentis* cernitur in *Tabula Bembina*, prope finem Segmenti ſecundi, in Figura GG. Editionis Amſtelaedam. Exhibetur illic *rana loto flori inſidens*. Nam * *lotus* proueniebat in campis vliginoſis Aegypti inferioris, poſtquam Nilus illis iam deceſſerat. Et eodem tempore, ** ex limo adhuc ſemihumido, progigni ranas exiſtimabant Aegyptii. Et memorabile omnino eſt, quod cum ϩⲣⲱⲟⲩⲣ, vti obſeruauimus, Aegyptiis dicatur *aqua ſubſidens*, ac ſenſim deficiens, iidem ranam vocarint ϫⲣⲱⲟⲩⲣ, quae fere vox eadem eſt, et nonniſi adſpiratione a priori differt. Sed hac de re forte aliquando plura ad *Tabulam Bembinam*.

De originibus Nili in Aethiopia, quae ne nunc quidem, ſatis cognitae ac perſpectae dici poſſunt.

§. 10. De *Nilo* Fluuio tot mirabilia commemorantur non a veteribus tantum; ſed et a recentioribus, vt mirum minime ſit, quod Aegyptii, ad cultum creaturarum procliues, etiam hunc ſuum fluuium diuinis fuerint dignati honoribus. Origines eius eruditi olim inter arcana Naturae retulerunt, etſi illas Sacerdotibus Aegyptiis non penitus ignotas fuiſſe, aſſeuerare auſim. Quicquid vero praeter hos, veteres reliqui de fontibus *Nili*, et originibus ſcriptum reliquerunt, adeo nihil ſolidum continet, adeo ab omni veritate remotum eſt, vt conſultius duxerim, id omne hic omittere. Seculo ſuperiori et hoc noſtro, firmiter crediderunt viri docti, origines has, tandem a Luſitanis in Habeſſiniae Regnum delatis, certo detectas, noſtrisque hominibus aeque cogni-

* Vide ſupra Lib. II. cap. VI. §. 9.

** OVIDIVS Metam. Lib. I. v. 422. collat. cum Lib. XV. 375. Adde HORAPOLLINEM *Hieroglyph.* Lib. I. cap. 25.

cognitas nunc eſſe, atque fontes Rheni, Danubii, Rhodani, et reliquorum in Europa noſtra fluuiorum, vulgi notitiae etiam patent. Extat de originibus *Nili*, relatio PETRI PAIS Luſitani, e Soc. Ieſu, qui fontes, vnde fluuius hicce prorumpit, oculis ſuis ſe ſpectaſſe, teſtatus eſt. Eam ex Schedis huius Loyolitae manu exaratis deſcripſit, ac ex ſermone Luſitanico in Latinum verſam, exhibet KIRCHERVS in *Oedipo Aegyptiaco*, To. I. p. 57. 58. Eandem in pauciora verba contractam dedit IOBVS LVDOLFFVS Hiſt. Aethiop. Lib. I. cap. VIII. eaque ita ſe habet: *In regno Goiam, et quidem parte eius occidentali, in Prouincia, quae vocatur Sabala, cuius incolae dicuntur Agous,* * *reperiri dicit duos rotundos fontes valde profundos, in editiore loco; humo circum tremula et paludoſa; aquam tamen ibi non redundare, ſed in montis radice exitum habere. Primum ergo riuum, ad ictum bombardae, Orientem verſus fluere, mox in Septentrionem flexum, quarta leucae parte, alium riuum accedere: paulo poſt duos alios, ex Oriente venientes, ſe illi iungere, mox aliis ſuperuenientibus augeri. Poſt diuturni itineris ſpatium, Iemam fluuium recipit. Deinde verſus Occidentem, viginti quinque leucas flexus, Orientem repetit, atque lacum ingentem ingreditur.* Quibus vir praeſtantiſſimus haec ſubiungit: *Iſta et ſequentia non diſcrepant ab iis, quae Gregorius,* natione Habeſſinus, *diſſeruit, alia duntaxat regionum nomina protulit, quae forte ſunt ſpecialiſſima illorum locorum, cum* Sahalae *nomen ſit generalius. Nam vt ille mihi narrauit, ſcaturigo eius eſt in terra quadam Secut dicta, in ſummitate Denglae, quod forte montis nomen*

* His non diſſimilia narrarunt, quos Nero Imperator in Aethiopiam miſit, ad inueſtigandum caput Nili, apud SENECAM Natur. Quaeſt. Lib. VI. c. 8.

nomen eſt. Fuerunt tamen * viri doctiſſimi, qui pro eo quo pollebant ingenii acumine, ex indiciis quibuſdam ſuſpicati ſunt, Luſitanos talia narrando, oſtentationi magis quam veritati litaſſe. Et ſane ea, quae hac de re, ex relatione Aethiopis cuiuſdam, narrat ** BENEDICTVS MAILLETVS, Conſulatu Nationis Gallicae, per annos plus quam ſedecim in Aegypto functus, inuicte docent, myſterium illud naturae, ne nunc quidem plene detectum eſſe, et tempore pluuiarum in Aethiopia, centum propemodum torrentes, ex continuis imbribus ortos, aut vehementer inflatos, ſic ad formandum Nili fluuium concurrere, vt quiſnam ſit illius verus ac genuinus fons, oſtendi nulla ratione queat.

§. II. Incrementa inclyti huius fluuii, quae in Aegypto quotannis ſtato ac determinato tempore incipiunt, deinde per menſes aliquot continuantur, ac tandem certo quoque vt plurimum tempore decreſcunt, admirationi omnium, materiam praebuerunt non minus foecundam. Norunt omnes, qui ſua id intereſſe putant, *** mirabilia illa Nili incrementa, initium ſumere Menſibus Aprili et Maio, ſed ita, vt vix a quoquam percipi queant. Circa tempus Solſtitii aeſtiui eadem omnibus magis iam conſpicua euadunt, ſemperque procedunt vſque ad Septembrem exeuntem. Circa initia Nouembris, agri quos fluuius hucuſque inundauerat, denudantur, et poſt aliquot dierum hebdomadas, recte et cum ſucceſſu conſeri poſſunt. Fluuius vero recedendo ſemper decreſcit, donec fere noui incrementi tem- *De fluuii eiuſdem incremento et decremento annuo.*

* LA CROZE *hiſtoire du Chriſtianiſme d'Ethiopie p. 69. 70. etc.*

** *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 48. 49. 50. etc. Edit. minoris.

*** MAILLET, vbi ſupra, Lettre II.

pus prope adſit. Et in his fluuii admirabilis, tum incrementis, tum decrementis, quae ſe tempore ordineque certo ſemper excipiunt, ſpem fiduciamque omnem ponunt Aegyptii, et ex eorum modo ac ratione, proſperitatem vniuſcuiuſque anni, a primis inde Seculis, in hunc vſque diem metiri ſolent. De cauſis incrementi, quouis anno redeuntis, ordinemque ſtatutum continuo ſeruantis, vehementer diſſenſerunt inter ſe veteres, qua de re plura non addo. * Hodie rerum huiuſcemodi auido nemini obſcurum eſſe poteſt, in Habeſſinorum vaſto Imperio, a Martio menſe vſque ad Septembrem, cadere continuos ac largos valde imbres, qui incremento Niliaco materiam ſubminiſtrant: hos vero imbres e nubibus produci, quas ventus Septentrionalis, in Aegypto tempore hoc plerumque ſpirans, ſecum vehit, et in Habeſſiniam protrudit, vbi tandem in imbres, Nilum augentes, reſoluuntur. Hanc veram incrementi Niliaci cauſam, Sacerdotibus Aegyptiis incognitam minime fuiſſe, et ex horum narrationibus, Graecis quoque, certe peritioribus, innotuiſſe, ſatis intelligi poterit ex Lib. III. cap. I. §. 6.

Aqua Nilotica a dulcedine et ſalubritate ſemper non parum commendari conſueuit.

§. 12. Magnae ſunt *Nili* virtutes, et prae aliis fluminibus praerogatiuae. Inter quas non poſtremo loco ponenda ſumma eius dulcedo et ſalubritas. Quod ad dulcedinem *Nili* attinet, illa iam olim non parum celebris fuit, et * a multis vehementer commendata. Vnde SENECA *Quaeſtion. Natur.* Lib. IV. cap. 2. hanc quaeſtionem proponit: *Quare Nilus dulcis eſt, ſi illi e mari vnda eſt? Nec enim vlli flumini*

* THEOPHRASTVS apud ATHENAEVM Lib. II. p. 41. fin. DIODORVS Lib. I. p. 38. ARISTIDES Rhetor in Aegyptio, fol. 96. b. HELIODORVS Aethiop. Lib. II. p. 110.

flumini dulcior guſtus. De Peſcennio Nigro narrant, quod, * *cum apud Aegyptum, ab eo limitanei milites vinum peterent, reſponderit*, Nilum habetis et vinum quaeritis? *ſiquidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolae vina non quaerant.* Et profecto dulcedine illius adeo capiebatur Ptolemaeus Philadelphus, rex Aegypti, ** *vt cum filiam Berenicen, Antiocho regi Syriae nuptum dediſſet, mittendam poſtea ad ipſam Nili aquam ſedulo curauerit, quo illam ſolam bibere poſſet.* Et antehac etiam, *** *ad Perſarum reges, Nili aquam, et ſalem Ammoniacum, ex Aegypto mitti oportebat.* Factum hinc, vt † *ſoli fere Aegyptii, lagenas aqua Niliaca, ſicut alii vino, ſollicite implerent, eaſque per plures annos reconditas ſeruarent, ac, ſicut nos vinum, a vetuſtate commendarent.* Neque aliter iudicant hodieque, quibus datum eſt, delicioſas Nili aquas in Aegypto deguſtare, quod praeter alios plurimos, teſtatur †† MAILLETVS, qui per longam annorum ſeriem, felicitate hac frui potuit. Conſtat equidem, Nili aquam limum ſecum vehere, ex Aethiopum terris, eoque eſſe turbidam et faeculentam, quod ſane ad bibendum non pellicit. Verum huic malo ſatis mature Aegyptii medelam pararunt, ††† vaſa fictilia ex terra poroſa conficientes, ſubtilibus foraminibus inſtructa, per quae aqua Nilotica percolata, eximie pura reddebatur. Et hoc ipſo remedio, cuius

 vſum

* SPARTIANVS in eius vita, cap. 7. To. I. Scriptorum Hiſt. Aug. p. 663.

** POLYBIVS apud ATHENAEVM Lib. II. p. 45.

*** DINON in hiſtoria Perſica, apud eundem p. 67.

† ARISTIDES Rhetor, vbi ſupra.

†† *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 19.

††† GALENVS, apud SPANHEMIVM in Callimachum p. 117.

vſum diuturna experientia comprobauit, * in hodiernum vſque diem vti ſolent, quamuis nec alia deſint. Et ſic cum dulcedine, puritatem, et ſplendorem limpidum, aquae Niloticae coniungunt. Sed nec minus praedicatur, aquae quam *Nilus* vehit, inſignis ſalubritas. *Illud*, inquit ** MAILLETVS, *in aqua Nilotica maximi eſt faciendum, quod, ſupra quam dici poteſt, ſalubris ſit. Quantamcunque illius copiam haurias, nullum exinde ſenties incommodum. Sunt, qui vſque ad tres Situlas vno die bibant, idque ſine vllo detrimento. Si per aeſtatem, quando pori corporis patent, hauriatur, continuo in ſudorem reſoluitur, ſed lenem, quique laſſitudinem non adfert. Tempore hyberno, quo aliter diſpoſitum eſt corpus, via ordinaria per meatus corporis tranſit, nullo maiori cum incommodo.*

Eiuſdem foecunditatem mirificam celebrarunt veteres miranturque recentiores.

§. 13. Verum nil tantopere in laudibus *Nili* ponitur, quam mirifica illa et celebrata Seculis omnibus fertilitas, quam aquae eius, non modo agris Aegypti infundunt; ſed animantibus etiam, quae ex illis bibunt. Ea igitur de cauſa veteres Nilum dicere ſolent *** πολυγονον, *valde foecundum, multaque producentem*, et † πολυγονώτατον, *omnium longe foecundiſſimum.* Nam aqua illius †† animantibus carnem auget, et pinguedinem inducit. ††† Quae aqua illius potantur animalia, foecunditate antecellunt alia. Quod et ipſum * Aegyptiorum vxores pariter experiuntur. Quin imo crede-

* MAILLET *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 21. fin.
** Vbi ſupra p. 19.
*** DIODORVS p. 9. 10.
† THEOPHRASTVS apud ATHENAEVM, p.41.fin.
†† PLVTARCHVS de Iſide p. 353.
††† AELIANVS de Animal. Lib. III. c. 33.
* PLINIVS Lib. VII. c. 3. SOLINVS cap. I. p. 4. Edit. Salmaſ.

credebant veteres, * *aquas eius adeo efficaces ad generandum alendumque eſſe, vt praeter id, quod ſcateret piſcibus, quod Hippopotamos crocodiloſque, vaſtas belluas, gigneret, glebis etiam vitam infunderet, ex ipſaque humo vitalia effingeret.* etc. ac etiam ** alimenta ſponte ſua ſine ſemine prouenientia, protruderet. *** *Certum* vero *eſt, mirabilem illam foecunditatem, quae aquis Nili propria eſt, aliam cauſam non habere, quam limum pinguem, qui ipſis in Aethiopia ſe iungit, dum vaſtas illas regiones peruagantur, quemque ſecum in Aegyptum vehunt. Tanta vero eſt limi huius pinguis et nitroſi, qui aquis Nili ſe paulatim admiſcuit, copia, vt fluuii, ſimulatque is Aegyptum ingreſſus eſt, partem decimam abſoluat, atque abhinc cum agris omnibus, quos attingit, fertilitatem et abundantiam communicet. Vbicunque Nili aquae limum hunc vehunt et relinquunt, campi reuireſcunt, et ſegete vberrima veſtiuntur, arboribus folia redeunt atque fructus, plantae laetiſſimum in modum, qui oculis obſeruari poteſt, creſcunt, homines ipſi, non ſecus atque animantia, nouis veluti alimentis reficiuntur, robuſtiores apparent, et indolis magis foecundae. Quae loca limus Nili contingere non poteſt, deſerta ſunt manentque horrida, ſterilesque arenae.* Haec Scriptor, in hiſce rebus fide digniſſimus, et eorum quae narrat, per plurimos annos, ſpectator diligens et accuratus. Rationem idem poſtea reddit, qui fiat, vt Nilus tantam pinguis limi copiam, ex Aethiopia in Aegyptum vehat, eoque agros illius foecundet, ſed haec apud auctorem ipſum legi malo.

* MELA Lib. I. cap. IX. HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 25. Adde BOCHARTI Hierozoic. Parte II. col. 67.

** DIODORVS p. 9.

*** MAILLET Part. I. p. 62.

Propter has ratio- nes, Nilum Aegyptii ...er Deus nume- ...it, ei- ...vi- ...ono- ...s detule- runt.

§. 14. His iam de cauſis, quas expoſuimus, Aegyptii Nilo ſuo, ab antiquiſſimis inde temporibus, honores detulere diuinos, vocantes eum * *Sanctiſſimum flumen*, ** *Patrem* ad haec *et Seruatorem ſuae regionis, ac Oſiridis defluxum:* Et *** in Sacris etiam hymnis, eum tanquam *frugum datorem, ſpiciſque copioſum ac locupletem* celebrantes. In Sacris etiam eum † ipſo *Oſiridis, terreſtris* nempe nomine condecorabant. Quod imitantes Graeci, *Nilum* veriti non ſunt, *Iouem Aegyptiorum*, ipſamque Aegyptum, et vicinam Libyam, *Dei huius Templum* appellare. Ita PINDARVS Pyth. IV. p. 239. Edit. Pauli Stephani:

— Χρόνῳ
δ' ὑστέρῳ νάεσσι πολεῖς ἀγαγὲν
Νείλοιο πρὸς πῖον τέμενος Κρονίδα.

— *vt tempore*
ſequenti in nauibus multos deducat
Nili ad pingue delubrum Saturnii.

Ad quae verba haec notat vetus interpres: Τέμενος Νείλου Διὸς τὴν Λιβύην φησὶ, ἤτοι τὸν Νεῖλον ἀντὶ τοῦ Διός φησιν· ἐπειδὴ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις τιμᾶται ὡς θεός· καὶ παρὰ τὸ Ὁμηρικόν:

†† Ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο
Ἢ Κρονίδην τὸν Νεῖλον φησίν· ὡς παρμένων
††† Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε —
Ἀναλογεῖ γὰρ τοῖς τοῦ Διὸς ὄμβροις τὸ τοῦ Νείλου ὕδωρ.

Poëta

* Pſeudo-HERMES in Dialogo Aſclepio, inter Opera Apuleii p. 91.
** PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. VIII. p. 729.
*** GREGORIVS NAZIANZENVS Orat. XXXIX. p. 626.
† Vide *Panthei* huius Lib. II. cap. I. §. 4.
†† Odyſſ. Δ. 581.
††† Citatur et ab ATHENAEO Lib. V. p. 203.

Poëta Libyam dicit Delubrum Nili Iouis, adeoque Nilum pro Ioue poſuit. Nam Aegyptii eum Dei loco colunt. Eſt et ab hoc Homerico tractum

Rurſus autem ad Aegyptum (Nilum) *a Ioue fluens flumen*

Aut Nilum Saturnium vocat, id eſt Iouem, quemadmodum et Parmeno Byzantius

Nile Iupiter Aegyptie

Nam aquae Nili analogiam habent ad imbres Iouis.

Vſque eo vero haec Aegyptiorum veſania, Fluuium ſuum ad Deorum ordinem dignitatemque euehentium, eumque impenſa religione colentium, progreſſa eſt, vt eum non modo aeternum ac immortalem praedicarent; verum et Deorum ſuorum omnium Patrem ac progenitorem dictitarent. Iactabant enim, * *ad hunc fluuium Deos ſuos ortos eſſe.* Quod quomodo explicarent, ex aliis Theologiae ipſorum placitis perſpicitur. Perhibebant autem, *Phthan* ſuum, vel, vti loquuntur Graeci, *Vulcanum*, Deorum omnium, quos reuerebantur, Patrem ac Principem, ** *natum eſſe Nilo.* Id ipſum etiam referebant *** de ſua *Neitha*, vel *Minerua*, vti et † de *Sole*, adeoque certo reſpectu etiam de *Oſiride.* Conſimilia de aliis etiam Aegyptiorum Diis, tradebantur in Sacris ipſorum fabulis, teſte CICERONE Lib. III. *de Natura Deorum.* Etſi hoc autem, quod †† in ſuperioribus iam monui, nihil aliud ſignificare mihi videatur, quam hoc, Deos illos Aegypto eſſe proprios, non aliunde arceſſitos, nullos-

* DIODORVS p. 12.

** Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. II. §. 9. not. *.

*** Ibid. Lib. I. cap. III. §. 9.

† Ibid. §. 8.

†† Ibid. Lib. I. c. II. §. 9. not. *.

nulloſque ipſis aſſignari Parentes, ſatis tamen id etiam teſtatur, in quanta apud Aegyptios omnes, *Nili* Numen veneratione habitum fuerit.

...ſſim igi-...er Ae-...n, ...u-...mpla ...ant erecta, Sacerdoteſque con...rati.

§. 15. Haec igitur cum ſic ſe haberent, quis eſt, qui non intelligat, *Nilo* fluuio, non ſecus atque aliis Diis, a ſuperſtitioſa Aegyptiorum gente, Templa erecta, Sacerdoteſque conſecratos fuiſſe. Ab eo nomen habuit vrbs olim non incelebris *Nilopolis*, * in qua et Templum fluuio huic dedicatum viſendum erat. Et extant paſſim ** Nummi, nomine Nilopolitarum ſignati. In hanc vrbem, *Apis*, Taurus Aegyptiorum Sacer, poſtquam recens inuentus, et priori mortuo ſuffectus eſſet, primum deducebatur, et inibi, antequam deduceretur Memphim, per dies XL paſcebatur, qua de re capite iam ſequenti dicendum nobis erit. Neque etiam dubitare licet, in vrbe illa, *Nilo* ſingulari modo ſacra, fuiſſe idoneum Sacerdotum Deo huic conſecratorum numerum, qui Sacra ipſius ſolenniter, ritibuſque conſuetis peragerent. Sed et aliis in vrbibus, in honorem magni huius ſui et benefici Fluuii, Aegyptios Templa conſtituiſſe, certum eſt. In *Catadupis*, ſiue *Catarractis Nili*, paulo ſupra Elephantinen vrbem; *** a quibuſdam commemorantur *Sacerdotes Nili*. Et ſi mentem HERODOTI recte percipio, is Lib. II. c. 90. ſubinnuit, in cunctis vrbibus ad Nilum ſitis, puta maioribus, fuiſſe Sacerdotes Nili, hiſque curam incubuiſſe, vt ſiue a crocodilo

* STEPHANVS in voce Νεῖλος, vbi conſule BERKELII et HOLSTENII notas.

** Vide BERKELIVM et HOLSTENIVM locis citatis, itemque HARDVINI Nummos antiquos illuſtratos p. 343.

*** HELIODORVS Lib. II. p. 110. Ed. Bourdel. vel 114. Edit. Commelin.

codilo necatos, ſiue fluuio ſubmerſos; in vrbe ad quam eiecti fuiſſent, condirent, ac in monumentis ſacris ſepelirent, his enim cadaueribus diuini quidpiam ineſſe, credebant veteres Aegyptii.

In [illegible] *quo*[illegible] *no*[illegible] *ſta ſolen- nia cele- brabantur in Aegypto.*

§. 16. Quandoquidem Populo Aegyptiorum viſum eſt, *Nilo* fluuio ſuo ſanctiſſimo, Templa et Sacerdotes decernere, per ſe omnino ſequitur, Feſta ſolennia in eiuſdem honorem celebrata quoque fuiſſe. Et facile fidem adhibemus vetuſtis Scriptoribus aſſeuerantibus, *Solennitates Aegyptiorum ſacras tantum non omnes ſpectaſſe ad Nilum.* §. 1. *Cum enim* Gens haec aut Soli, aut Lunae ſupplicaret, id eo potiſſimum fiebat, vt magna haec Numina, Fluuii ſui veluti Pater ac Mater, eum iuſto tempore inflarent, et in arua ſua mitterent. Dici igitur non immerito poterat, Aegyptios, quibus votorum omnium longe maximum et princeps erat, laetum Nili tempore debito incrementum, in Sacris ſuis ſolennitatibus, id ſemper ob oculos praecipue habuiſſe, ac, vt voti huius compotes euaderent, reliquos Deos precibus inuocaſſe, iiſdemque pro beneficio iſthoc accepto, grates perſoluiſſe. Verum et peculiares in honorem *Nili* Fluuii, inſtituebantur ab Aegyptiis ſolennitates, Pompaeque ſacrae. Eius generis, opinor, illa eſt, cuius PALLADIVS meminit hiſtor. Lauſiac. cap. LII. * *Erat autem in vno illorum pagorum Templum, magnitudine praeſtans, inque eo Simulachrum non parum illuſtre. Statua vero erat ex ligno fabricata, eamque ſolenni Pompa per pagos circumferebant impii Sacerdotes, ceremoniam hanc ſacram in honorem aquae Niloticae peragentes.* De eodem Feſto NICETAS SERRONIVS

NIVS

* In *Bibliotheca Magna Patrum* Pariſina, Tom. XIII. p. 980.

NIVS ſcribit: * *Olim autem Nilum honoribus afficientes, ac fertilitatis auctorem eum agnoſcentes, ipſi tanquam Deo feſtum ** ſpurciſſima et execranda libidine celebrabant.* Et hoc antiquior NONNVS quisquis eſt, in Collectione hiſtor. ad Gregorii Nazianzeni inuectiuas in Iulianum Lib. II. *** hiſt. 32. in Opp. Gregorii Tom. II. col. 529. *Apud Ariſtaenetum Rhetorem hoc legi, Aegyptios feſtum ſolenne Nilo publicitus celebrare, atque omnes tam viros quam mulieres ad vrbium theatra ſe conferre, illicque quas quiſque et quaeque epulas habeat, eſitare: ac tum inſtituta chorea communi, hymnos eoſdem Nilo cantillare, quos Ioui canere ſolent: tanquam videlicet Nilus Iouis opus ipſis exequatur, † et terras eorum riget.* Et iſto etiam antiquior LIBANIVS in Oratione *pro Templis*, ſeorſim edita: †† *Haec Aegypti vbertas donum Nili eſt. Nilum autem epulo excipiunt, vtque in Arua deſcendat, inuitant Sacra illa, quae niſi ſtato ac ſolenni tempore, et ab iis, qui ad hoc conſtituti ſunt, facta fuerint, nec ipſe Nilus vnquam aſcendere et exundare voluerit. Quod cum probe intelligerent ii, qui haec quoque Sacra libentiſſime ſuſtuliſſent, tamen ea abolere conſulto noluere. Sed*

Comment. in *Gregorii Nazianz.* Orat. XXXIX. col. 1019.

** reſpicit hic auctor ſine dubio Sacra Nilo per Sacerdotes androgynos peracta, de quibus loquuntur Scriptores veteres Eccleſiaſtici. Vide HENR. VALESIVM ad Euſebii Lib. IV. de vita Conſtantini cap. 25. Sed illa aeui ſunt recentioris, priſcis Aegypti incolis ignota.

*** In Editione Graeca Etonenſi eſt hiſtoria 25. et habetur p. 168. fin.

† Ita haec ex graeco verti debent.

†† Orationem hanc primus edidit IACOBVS GOTHOFREDVS Geneu. 1634. Locum allatum citat VALESIVS in notis ad Euſebii vitam Conſtantini Lib. IV. cap. 25.

Sed fluuium illum ex more inſtitutoque maiorum, epulo excipi paſſi ſunt. Celebratum vero fuiſſe iſthoc Feſtum in honorem Nili eo tempore, quo adſcenſus eius obſeruari iam poterat, docet nos IOHANNES CHRYSOSTOMVS in Homilia quadam, vnde haec ex latina verſione adſcribo: *Fluuios etiam adoratos eſſe, res Aegyptiorum, in hunc vſque diem teſtantur: Aſcenſui Nili ſacrificabant, non quod Deum ipſum propter creaturam ab ipſo conditam admirarentur, ſed quod aquam ipſam tanquam Deum venerarentur.* Omnium optime Feſti huius rationem nobis deſcribit HELIODORVS, in *Aethiopicis*, cuius verba, etiam ex interpretatione latina, deſcribenda eſſe duxi: * *Acciderat forte, vt tunc quoque Niloa, maximum apud Aegyptios Feſtum ingrueret: quod quidem circa Solſtitium aeſtiuum maxime, et quando initium creſcendi fluuius capit, celebratur, ac in ſummo honore prae ceteris omnibus habetur, propter eiuſcemodi cauſam. Deum eſſe fingunt Nilum Aegyptii, et ex Numinibus maximum ducunt, aemulum eſſe Coeli praedicantes fluuium, quod ipſis abſque nubibus et pluuiis aëriis, arua irriget.* Et interpoſitis plurimis: *Myſteriorum periti, terram Iſin, et Nilum Oſirin eſſe affirmant, rebus alia tantum nomina indentes.* Feſtum hoc Aegyptiis ſanctiſſimum et iucundiſſimum, depictum videmus luculenter in *Tabula Bembina*, cuius Segmentum ſecundum auſpicatur Figura, in qua *Nilometrium* exhibetur, cuius etiam ** apud HELIODORVM in deſcriptione *Feſti Niliaci*, mentionem fieri videmus. Sed quod videmus depictum in Tabula, eſt portatile, idque, vbi adſcenſus Nili obſeruari publice coeperat, Pompa ſolenni ex Aede Serapidis efferebatur, populoque

* Libro IX. p. 423. Edit. Bourdelot. Vide et p. 443. 444.
** Loc. cit. p. 443.

que oſtendebatur, et poſtquam fluuius idem adſcendere deſiiſſet, ſimili ſolennitate in eandem Aedem reducebatur, quod quidem vtrumque, in illa Tabula, oculis noſtris obiicitur.

[illegible] imagi- Nili [illegible]n- [illegible]ori- bus, in Aegypto vſitatis.

§. 17. Memorant veteres imaginem quandam *Nili* fluuii, et in Aegypto, et in aliis regionibus frequenter viſendam, cuius exempla et hodie reperire licet. Mentionem eius facit PLINIVS, vbi de lapide ferrei coloris, in Aethiopia et Aegypto reperiundo, nomine *Baſalte*, et haec habet. Lib. XXXVI. c. 7. *Nunquam hic maior repertus eſt, quam in Templo Pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus: argumento Nili*, XVI *liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.* Eiuſdem indolis videtur fuiſſe imago illa *Nili*, quam PHILOSTRATVS deſcribit, in *Iconum* Libro I. p. 737. Edit. Morelli. Sic autem ille: Περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι. Παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. Καὶ ὁ Νεῖλος αὐτοῖς ὑπεργάννυται, τάτε ἄλλα, καὶ ὅτι κηρύττουσιν αὐτὸν, ὅσος Αἰγυπτίοις προεχύθη. *Cubiti circa Nilum ludunt, pueri, corporis quantitati,* (cubitali nempe) *cognomines: Iis Nilus ſummopere oblectatur, cum ob alia, tum vel maxime, quod ipſum, quanta ſe altitudine euexerit, inque agros Aegyptiorum euagatus ſit, annuntient.* Extat Romae in Bibliothecae Vaticanae aedibus, * *figura Nili decumbentis, quae notas teſſeraſque nobiliſſimi fluuii praefert, videlicet Troglodytas homunciones, cymba vectos, captandis crocodilis; ipſis crocodilis prope adeſt trochilus auis. — pueri ſexdecim totidem incrementi Niliaci cubitos indicant.* In hac pictura, quam graecorum artificum ingenio deberi, mecum, opinor, fatebuntur omnes Anti-

* MONTFAVCON in *Diario Italico*, cap. XX. p. 278. extr.

Antiquitatum Aegyptiacarum bene periti, id ſaltem ex diſciplina Sacerdotum Aegyptiorum tractum eſſe arbitror, quod cubiti Nili adſcendentis, quos accolae illius ſollicite numerabant, per pueros altitudinis cubitalis, a qua et dicebantur πήχεις, id eſt *cubiti*, deſignati legantur. Nempe Sacerdotes, qui rationem numerandi per *cubitos* incrementa Nili inuenerant et adhibebant, *cubitos* hos, in lingua ſua ſacra, allegorica, vel Sacerdotali, appellabant *pueros*, hos vero pingebant altitudine cubitali, et forte eos etiam *cubitos*, Aegyptiace ⲙⲁϩⲓ *mahi*, nuncupabant. Graeci certe, vt vidimus e PHILOSTRATO, pueros hos πήχεις, *cubitos*, vocabant, tum quod eſſent longitudine cubitali, tum quod cubitos Nili adſcendentis ſubinnuerent. Et ſic paſſim Graeci hos pueros, Nili comites appellant. Idcirco Nilo adſtabant pueri tales XVI, quod in picturis a PLINIO et MONTEFALCONIO viſis, diſerte obſeruatur, quoniam totidem Nili increſcentis cubiti, circa Memphim, enixis omnium votis expetebantur, qui, ſi adeſſent, exoptatam terrae fertilitatem inducebant. * *Iuſtum incrementum*, inquit PLINIVS, *eſt cubitorum* XVI. Sed in Aegypto ſuperiori plures, in inferiori verſus mare, pauciores requirebantur. Haec Sacerdotum Aegyptiorum, incrementa Niliaca per pueros cubitalis magnitudinis ſubinnuentium, locutio allegorica, fabulam nobis de *Pygmaeis* produxit. Nam cum Sacerdotes de pueris cubitalibus, πηχυαίοις et πυγμαίοις, in libris ſuis loquerentur, aut eodem Stylo allegorico, etiam cum peregrinis eadem re agentes, vterentur, et pueros hos ſuos

Hiſt. Nat. Lib. V. c. 9. PLVTARCHVS de Iſide p. 368. ARISTIDES in Aegyptio fol. 91. b. et 96. a. Edit. graec. IVLIANVS Epiſt. L. AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXII. p. 247.

ſuos allegoricos ad Nili fontes locarent, Graeci, qui haec proprie et hiſtorice acceperunt, in Aethiopum regione, gentem integram, homuncionum cubitalium, ſiue *Pygmaeorum*, nemini vnquam viſam, confinxerunt, et hoc ſuum lepidum commentum plurimis, et ipſi adeo * ARISTOTELI perſuaſerunt. ** Alii fabulam hanc modo alio interpretantur. Sed iſta, quam nunc expoſui, vera mihi videtur, fabulae illius origo. De aliis Nili Fluuii effigiebus, quae in Nummis ac Monumentis antiquorum etiamnum cernuntur, quia ad meum ſcopum omnino non faciunt, nihil addo. Aegyptii vetuſtiores longe alia Nili ſui Symbola, et viuas quaſdam imagines populo adorandas proponebant, *Apidem* ſcilicet, *Mneuin*, et *Onuphin*, Tauros religione huius gentis conſecratos, de quibus capitibus iam ſecuturis diſſeremus.

* Vide IS. VOSSII notas ad Melam p. 390. 391.
** Idem loc. cit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II.

De Apide, Tauro Memphitico Sacro, Symbolo incrementi Niliaci.

Apidis magna cum apud Aegyptios, tum apud alias gentes, celebritas. Dicendorum de eo breuis ſumma praemittitur. §. 1. Apidem per totum Aegyptum, ſumma religione coluerunt omnes. §. 2. Apis Deus per ſe non erat; ſed aliis Diis, Oſiridi nempe et Iſidi ſacer. §. 3. Credebatur is contactu ignis coeleſtis, e Luna in vaccam aliquam illapſi, concipi. §. 4. De notis ſignisque taurum hunc ſacrum ab aliis gregariis diſcernentibus. §. 5. Apidis reperti inauguratio, deductio in vrbem Memphim, et vita quam illic agebat. §. 6. Apidem Aegyptii etiam Oraculi inſtar, ſuper rebus futuris conſulebant. De praedictionibus illius. §. 7. De vaticiniis puerorum Apidem comitantium. §. 8. De Apidis cultu, diebusque feſtis in eius honorem inſtitutis, ac praecipue natalibus. §. 9. Vitae illius certus conſtitutus erat terminus, quem ſuperare nefas habebatur. In eum hic inquiritur. §. 10. De puteo, quo Apis poſt interitum mergebatur. §. 11. De publica et ſolenni, Apidis ante terminum fato functi, ſepultura. §. 12. De Apide defuncto luctus inſtitutus in Aegypto publicus, nouusque ſollicite quaeſitus §. 13. Apis non fuit Symbolum memoriale Ioſephi Patriarchae. §. 14. 15. Reſpondetur obiectioni. Vitulus aureus in deſerto cultus, imago Apidis proprie non fuit. §. 16. Apis Taurus Symbolum erat Nili fluuii, ſicut etiam paſſim apud Graecos, boues fluminum Symbola erant et emblemata. §. 17. Idem illud pluribus aliis argumentis confirmatur et illuſtratur. §. 18. 19. Apidis Natales eo celebrabantur tempore, quo Nili incrementa primum conſpicua fiebant. §. 20. Id ipſum ex Tabula Bembina, vel Iſiaca, pluribus illuſtratur. §. 21. In illuſtranda Tabula Bembina pergitur. §. 22. Nomen denique Apis ex vetuſta Aegyptiorum lingua explicatur. §. 23.

§. 1.

Apidis magna cum [illegible]ud Aegy-[illegible], tum [illegible] quo-[illegible]tes [illegible]oritas. Dicendorum de eo breuis ſumma praemittitur.

Venio nunc ad Aegyptiorum Numen, quo nullum fere, non modo in ipſa Aegypto celebrius ſanctiusque; ſed neque in Oriente toto, neque in Graecia notius extitit, *Apidem* Taurum, religione Aegyptiorum, ac praeſertim Memphitarum, temporibus antiquiſſimis, conſecratum. Nam et huncce Taurum, non ſecus atque *Iſidem* et *Oſiridem*, tota Aegyptus, nulla regione aut vrbe excepta, ſummo diuinoque honore dignata eſt, de eo inuento omnes Aegyptii quaquauerſum impenſe ſibi gratulari ſemper conſueuerant, eodem vero deperdito, laetitia omnium priſtina in luctum vniuerſalem verſam fuiſſe, nouimus. Cum igitur Cambyſes, et poſt hunc Occhus, Perſarum reges, odium quo in gentem Aegyptiorum incenſi erant, ſummumque religionis ipſorum contemtum, publice teſtari vellent, id non melius ſe facere poſſe crediderunt, quam Apidem, tantum gentis huius Numen, vulnerando, necando, eiuſque carnem canibus proiiciendo. Quis porro eſt veterum, qui de rebus Aegyptiacis aliquid memoriae prodere voluit, qui Apidis mentionem ſibi iniiciendam eſſe, non exiſtimauerit? Aut quis e peregrinis Aegyptum vnquam adiit, vt, quae memorabilia illic prae aliis fama per totum orbem diuulgauerat, oculis ſuis ipſe ſubiiceret, qui Apidis delubrum non viderit, aut Numini huic ſacrum non fecerit? Ipſe Alexander M. cum deuicta iam magna Orientis parte, exercitum in Aegyptum duxiſſet, ac Memphim perueniſſet, illic * *tum Diis ceteris, tum Apidi etiam Sacra fecit.* De Caeſare Germanico, relatum quoque legimus, quod cum

* ARRIANVS de expedit. Alex. Lib. III. p. 156. Edit. Blancardi.

cum in Orientem profectus eſſet, * Aegyptum quoque adierit, ac inibi ad viſendum Apidem diuerterit. Idem poſtea feciſſe etiam Titum Veſpaſianum, SVETONIVS docet in eius vita cap. 5. Sed et horum exempla ſecutum eſſe Hadrianum Imp. vel ex iis, quae Scriptor vitae eius literis mandauit, colligi poteſt. Sic namque ille: ** *Transgreſſus in Galliam, Alexandrina ſeditione turbatus, quae nata eſt ob Apin: qui cum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus ſtudioſe certantibus.* Neque locus eſt dubio, Imperatorem hunc, poſt compoſitas turbas, Apidem quoque fuiſſe contemplatum, cum idem Thebas profectionem inſtituerit, ibique inclytam Memnonis Statuam, oculis curioſis luſtrauerit, quod *** Epigrammata in Statua illa hodieque legenda aperte teſtantur, etſi rem hanc hiſtorici veteres ſilentio praeterire maluerint. Hadrianum hunc deinde imitatum quoque fuiſſe Septimium Seuerum Imp. fidem faciunt, quae in hiſtoria vitae eius legimus: † *Iucundam ſibi peregrinationem hanc* Aegyptiacam, *propter religionem Dei Serapidis, et propter nouitatem animalium, vel locorum fuiſſe, Seuerus ipſe poſtea ſemper oſtendit. Nam et Memphim* Apidi ſacram — *diligenter inſpexit.* Viciſſim de Auguſto Imp. non ſine aliqua admiratione obſeruatur: †† *In peragranda Aegypto, paullum deflectere, ad viſendum Apin ſuperſedit.* Nobis igitur *Pantheon*

M 2 *Aegy-*

* TACITVS Annal. Lib. II. c. 59. &c. PLINIVS Lib. VIII. c. 46.

** SPARTIANVS in Hadriano cap. 12.

*** Vide RICH. POCOCKE egregium Opus, *Deſcription of the Eaſt.* Vol. I. Lib. II. cap. III.

† SPARTIANVS in Seuero cap. 17.

†† SVETONIVS in Octauio Auguſto c. 93.

Aegyptiorum aperientibus, eorumque Deos contemplationi omnium exponentibus, Numen tantum praetermittere nefas eſſet. Cûm vero rerum, quas de Tauro hoc ſacro veteres literis conſignarunt, ingens multitudo, aciem intentionis fere abrumpat, vt ordinem aliquem, rei accommodatum ſeruem, primo quidem ea, quae de Apidis Numine veteres ſcripto ad nos tranſmiſerunt, fideliter commemorabo, vt ex iis lector ipſe, ecquidnam iudicari de eo debeat, aliqua ratione colligere queat. Deinde vero meam, de Numinibus iſtius iuxta ac Nominis interpretatione et explicatione ſententiam lectori expromam.

Apidem per totam Aegyptum ſumma religione coluerunt omnes.

§. 2. Apidem Numen fuiſſe, Aegyptiis omnibus quaquauerſum, commune, venerabile, et ſacroſanctum, iam monuimus §. 1. *Apis*, inquit * MELA, *populorum omnium Numen eſt.* Hinc AELIANVS, rerum Aegyptiacarum non imperitus, de hoc Deo ait: ** Θεὸς Αἰγυπτίοις ἐναργέστατος ὁ Ἆπις εἶναι πεπίστευται. *Apis Deus eſt Aegyptiis, quem vt talem argumentis euidentiſſimis demonſtratum eſſe, ſibi perſuadent.* Et de eodem affirmat LVCIANVS, quod *** *Aegyptiis ſit* μέγιστος θεὸς, *Deorum maximus.* Talem nobis etiam Deum hunc repraeſentat PHILO Iudaeus Lib. III. *de vita Moſis*, p. 677, vbi de idololatria Iſraëlitarum, vitulum aureum in deſerto adorantium iſta ſcribit: Ζηλωταὶ τῶν αἰγυπτιακῶν γίνονται πλασμάτων. εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευασάμενοι, μίμημα τοῦ κατὰ τὴν χώραν ἱερωτάτου ζώου δοκοῦντος εἶναι, θυσίας ἀθύτους ἀνήγαγον. *Coeperunt aemulari figmenta Aegyptiaca, conflato vitulo aureo, in imitationem illius animalis, quod in Aegypto habetur ſanctiſſimum, illique Sacra fecerunt impia.*

* *de ſitu orbis*, Lib. I. c. IX.
** *de Animal.* Lib. XI. c. X.
*** *de Sacrificiis*, in Opp. T. I. p. 359.

§. 3. Neque tamen Apis re ipſa inter Deos Aegyptiorum primores, quales erant Spiritus Mundi, Sol et Luna, locum habebat, verum vni tantum alteriue ex his ſacer habebatur. Multi *Apidem* Lunae aiebant eſſe conſecratum. Hos SVIDAS ſequitur in articulo Ἄπις, vbi ſic de eo: Θεὸς αἰγύπτιος. Τοῦτον αἰγύπτιοι σελήνῃ τιμῶσι. Καὶ ἱερὸς ἦν ὅδε ὁ βοῦς τῆς Σελήνης, ὥσπερ ὁ Μνεῦις τοῦ ἡλίου. *Apis Deus eſt Aegyptius, Lunae dedicatus. Erat igitur Lunae ſacer, ſicut Mneuis Soli.* De iiſdem AMMIANVS MARCELLINVS ſcribit Lib. XXII. p. 245: *Inter animalia antiquis obſeruationibus conſecrata, Mneuis et Apis ſunt notiora: Mneuis Soli ſacratur, — ſequens Lunae.* Teſtantur idem hoc et * alii, quorum loca deſcribere nimis prolixum foret. Et videbantur notae quaedam, quae in Tauro hoc neceſſario adeſſe debebant, de quibus §. 5, luculenter indicare, eum ad Lunam relationem habere ſingularem et notabilem. Alii vero eundem *Oſiridi*, vel *Soli* ſacratum eſſe cenſebant. DIODORVS vtrumque, ** et *Apin* et *Mneuin*, *Oſiridi*, id eſt *Soli*, conſecratum eſſe docet p. 19: *** *Plerique Sacerdotum* in Aegypto, *dicebant in idem recidere Apim et Oſirin, aſſerebantque, Apin eſſe intelligendum formoſam Animae Oſiridis imaginem.* Hinc in fabulis Sacerdotalibus perhibebatur etiam, † *Oſiridis Animam in Apin migraſſe.* Quidam vero citra ambages aſſeuerabant, †† *Apin eundem eſſe cum Oſiride,*

Apis per ſe non erat Deus, ſ… aliis D… puta… et … ſin… modo ſacratus.

* AELIANVS de Anim. Lib. XI. cap. XI, PORPHYRIVS, apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. c. XIII. LVTATIVS ad Statii Thebaid. Lib. III. 478. qui *Apin* vocat *taurum lunatum Iſidis.*

** ita etiam PLVTARCHVS de Iſide p. 380.

*** Idem ibidem p. 362. Adde 368.

† DIODORVS L. I. p. 76.

†† STRABO Lib. XVII. p. 555.

Oſiride, quia nempe, vt interpretor, aliquem Solis effectum ſymbolice adumbrabat. Ad haec omnia digitum intendit MACROBIVS, quando *Saturnal.* Lib. I. cap. XXI. ait: *Apis in ciuitate Memphi, Solis inſtar excipitur.* Vtrumque vero, ex genuina Aegyptiorum, priſcaque doctrina, coniungendum eſt. Bos ille ſacer erat et *Lunae* et *Soli*, idque nititur rationibus ſacrorum illius gentis, quae non ita difficulter diuinari poſſunt, easque nos infra, proprio ſuo loco, explicabimus. PORPHYRIVS certe conceptis verbis affirmat, * *Apim et Solis et Lunae inſignia prae ſe tuliſſe.*

Apis credebatur contactu ignis coeleſtis e Luna in vaccam aliquam illapſi, concipi.

§. 4. Quantumuis autem Aegyptii Apidem inter Gentis ſuae Numina ponerent, non tamen ignorabant, bouem hunc ſuum ſacrum, e vacca, adinſtar vitulorum aliorum quorumcunque, in lucem edi, et poſt vitam aliquot annorum, rurſus interire. Erant qui perhiberent, *Apin*, patre *Mneui*, Tauro itidem Sacro Heliopolitano, ſatum eſſe; ſed huius traditionis, vti ſacerdotalium omnium, ſenſum eſſe allegoricum myſticum, infra loco opportuno docebimus, §. 16. Communior Aegyptiorum ſententia, a Sacerdotibus accepta, ferebat, Apin non ſecundum leges generationis conſuetas; ſed per modum miraculi concipi. ** *Raro naſcitur*, inquit Scriptor laudatus, *nec coitu pecoris, vt aiunt, ſed diuinitus et coeleſti igne conceptus.* Paullo apertius et diſtinctius id ipſum ſic explicat HERODOTVS Lib. III. cap. 28: Γίνεται ὁ Ἆπις ἐκ βοὸς, ἥτις οὐκέτι οἵη τε γίνεται ἐς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι, σέλας ἐπὶ τὴν βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν, καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἆπιν. *Eſt autem Apis e vacca genitus, quae necdum alium concipere poteſt*

* Apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. III. c. XIII.
** MELA Lib. I. c. IX.

poteſt foetum. Eam aiunt igne coeleſti contactam, ex eo Apin concipere. Paria tradunt * alii quoque. Quidam etiam ignem illum coeleſtem ad Lunam referunt, quos inter PLVTARCHVS haec habet *Sympoſ.* Lib. VIII. Quaeſt. I. p. 718: Αἰγύπτιοι τὸν Ἄπιν λοχεύεσθαί φασιν ἐπαφῇ τῆς σελήνης. *Aegyptii Apin concipi aiunt Lunae contactu.* Nonnihil luculentius idem nobis rem hanc explicat, in libro *de Iſide* p. 368: Γενέσθαι δὲ τὸν Ἄπιν λέγουσιν, ὅταν φῶς ἐρείσῃ γόνιμον ἀπὸ τῆς σελήνης, καὶ καθάψηται βοὸς ὀργώσης, διὸ καὶ τοῖς τῆς Σελήνης σχήμασιν ἔοικε πολλὰ τοῦ Ἄπιδος. *Dicunt vero Apin tum concipi, cum Luna lucem genitalem de ſe emittit, eaque tangatur vacca coitum appetens. Vnde et in Apide multa cernuntur, figuris Lunae ſimilia.* Sacerdotes haec re ipſa crediđiſſe, quae forte credi ab aliis volebant, nemo mihi perſuaſerit. Nimis teſtatum eſt, eos in rebus ad Apidem ſpectantibus, credulitati Plebis ſaepe et magnopere illuſiſſe. Subeſt et huic traditioni ſenſus aliquis myſticus, ex doctrina eorum phyſica petendus, de quo pauca monebo §. 17.

§. 5. Vti vero Taurus ille ſacer, praeter communem generationis legem, in lucem edi ferebatur, ita quoque certis quibuſdam ſignis ac notis, ipſi propriis, ab aliis ſortis communis bobus diſtingui exiſtimabatur. Si LVCIANVM audimus, Apis ille deſumebatur ** *e grege boum, ſucceſſor vero Apidis tum deſignabatur, quando aliquis obſeruabatur, reliquis formoſior et eximius,* de quo ſpes erat, habitum corporis et adſpectum, a reliquo vulgo eum eſſe ſecreturum. Hoc verum puto. Nam quod ad reliquas bouis illius notas attinet, quas celebrant *De notis ſigniſque Apidem Tauris gregariis ſecernentibus.*

 vete-

* AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X. SVIDAS in voce Ἄπιδες et Ἄπις.

** *De Sacrificiis,* To. I. Opp. p. 359.

veteres, eas mecum, opinor, cordati omnes, ſolertiae et artibus Sacerdotum, in acceptis ferent. Obſeruat autem PLVTARCHVS, * in boue illo, deprehenſas fuiſſe viciſſitudines vmbrae et lucis, vel nigredinis et candoris, vt ſic aliquam cum mutationibus Lunae ſimilitudinem prae ſe ferre videretur. Et profecto cernere hoc quiuis poteſt in luculenta Apidis figura, quam nobis exhibet *Tabula Bembina* vel *Iſiaca*, quaeque illius Segmentum ſecundum et auſpicatur, et iterum claudit. Nam bos ille, ex parte quidem colorem prae ſe fert vehementer atrum, cetera vero inſigniter candens apparet. Audiamus et PLINIVM, de notis Tauri noſtri haec referentem Lib. VIII. cap. 46: *Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunae creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant.* Duas auctor hicce notas Apidis veri commemorat. Earum altera eſt, macula alba in dextro latere, ſpeciem Lunae corniculantis prae ſe ferens. Tangit eandem quoque SOLINVS in *Polyhiſtore* c. 32: *Apim inſtar colunt Numinis, inſignem notae albae macula, quae dextro eius lateri ingenita, corniculantis Lunae refert faciem.* Et AMMIANVS Lib. XXII. p. 245: *Eſt enim Apis bos diuerſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximeque omnium corniculantis Lunae ſpecie latere dextro inſignis.* Non melius id, quod Scriptores hi nos docere volunt, quam ex *Tabula Bembina* intelligi poteſt: Ibi enim notam hanc Apidis ſcite depictam, oculiſque noſtris obiectam cernimus. Poteſt id ipſum, licet non ita ad viuum expreſſum, in Nummis, aliiſque vetuſtis Monumentis obſeruari. Altera PLINIO nota Apidis eſt, *nodus ſub lingua, quem cantharum appellant*, quod minus clare HERODOTVS dixit:

ἐπὶ

* *de Iſide* p. 368. Adde STRABONEM Lib. XVII. p. 555.

ἐπὶ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον, idque in verſione latina Editionis meae redditur, *cantharum in palato.* In graeco videtur legendum ὑπὸ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον, quod plane expreſſit PLINIVS, *nodus ſub lingua, quem cantharum vocant.* Optime PLINIVS notam hanc explicuit, eique cum imagine *Tabulae Bembinae* egregie conuenit. Alii notas alias addunt, de quibus HERODOTVS Lib. III. c. 28. AELIANVS de Animal. Lib. XI. c. X. ac inſuper alii conſuli poſſunt. Si AELIANO fides, Aegyptii notas Apidis numerabant XXIX. Sed quis negauerit, multa in his fuiſſe fabuloſa, ipſiſque Aegyptiis incognita, alia nil niſi vanas ſpecies imaginationis fallacis, in pleriſque vero Sacerdotes fraudulentos, credulitati inquirentium, ac ſigillatim peregrinorum, illuſiſſe? Quicquid ſit, vbi fama populis nuntiaſſet, vaccam igne coeleſti tactam, deſideratum Aegypti incolis Apidem enixam iam eſſe, * quidam ex Scribarum ſacrorum ordine, qui ſecreta librorum myſticorum in numerato habebant, vitulum recenti partu editum, exquiſita cura explorabant, et ſi eum omnibus ſignis conſummatum deprehendiſſent, *Apidem* eum, id eſt Deum renuntiabant, et tum Aegypti incolis ** *vbertatem frugum diuerſaque praeſagiebant bona.* Ita nempe illi plebem rudem, et a teneris vnguiculis ſuperſtitioni turpiſſimae mancipatam, ludificabantur.

§. 6. Iam igitur nouo, recenſque nato Deo, in loco, vbi lucem adſpexerat, *** ex praeſcripto vetuſtiſſimo Mercurii, domus erigebatur, ad Solem orientem ſpectans, in qua menſes quatuor lacte nu- *Apidis inauguratio, deductio Memphim, et vita quam ibi degebat.*

 trie-

* AELIANVS de Anim. L. XI. cap. X. AMMIANVS p. 245.

** AMMIANVS loc. cit.

*** AELIANVS, vbi ſupra.

triebatur. Tempore hoc exacto, et noua Luna in coelo apparente, Sacrorum Scribae et Prophetae ad eum accedebant, eumque ritibus conſuetis ſalutatum, naui imponebant, ad modum thalami conſtructae ac deauratae, quae Memphin eum deueheret. Eo * *centum antiſtites ipſum proſequebantur.* Antequam vero in vrbem illam appelleret, primo ** ducebatur Nilopolin, vbi eum Sacerdotes ad dies XL ſollicite nutriebant. Hic *** ſolarum mulierum conſpectui patebat, quae eum ritu parum pudico, ſupraque modum turpi, excipiebant, poſthaec vero a praeſentia eius in perpetuum excludebantur. Et ſic iam eodem Sacerdotum comitatu deferebatur Memphim, † vbi eum Sedes commodae, iucundae, ac ad voluptatem omnem compoſitae, manebant. Illic igitur, †† *initiante antiſtitum numero centum, inductus in thalamum ſacer eſſe* omnibus *incipiebat.* Nam ††† *Delubra, quibus ſuccedebat, aut incubabat* Apis, *myſtice thalamos nominabant* Aegyptii. * *Erantque delubra ei gemina, quae vocabant thalamos, auguria populorum. Alterum intraſſe laetum erat, in altero dira portendebat.* Habebat enim Apis Memphi ** *aedem ſacram Templo Vulcani adiacentem.* *Ibi* *** *in Sacello quodam* (quod nempe Thala-

* SOLINVS cap. 32.

** DIODORVS p. 76.

*** DIODORVS loc. cit. EVSEBIVS Praep. Euang. Lib. II. c. I.

† AELIANVS de Animal. Lib. XI. c. X.

†† AMMIANVS loc. cit.

††† SOLINVS, vbi ſupra.

* PLINIVS Lib. VIII. c. 46.

** STRABO p. 555.

*** In graeco eſt ἐν σηκῷ, quod ſignificat tum *Stabulum* pecoris, tum *aediculam*, vel *Sacellum*, Deo cuipiam dedicatum.

Thalamum dicebant) *alebatur. Ante illud Sacellum aula quaedam erat, et in ea aliud Sacellum matris eius vaccae. In hanc aulam nonnunquam emittebatur Apis, praeſertim vt peregrinis oſtenderetur. Per feneſtram videri quidem poterat in Sacello degens; ſed volebant Sacerdotes, vt etiam extra illud cerneretur.* Si credimus * AELIANO, habebat Apis ibidem δρόμους καὶ Κονίστρας, *atria ampla et Gymnaſia*, vbi nempe ludere ſeque exercere poterat curſu. Erant porro ** aediculae, in quibus in eius gratiam alebantur vaccae forma praeſtantes, vt ſicubi ipſum cupido inceſſeret, cum qua vellet, congredi poſſet. Sed videtur hoc AELIANVS ex ingenio ſuo, vt narrationem coeptam ornaret, confinxiſſe. Non conſentiunt certe cum iis, quae alii referunt, *** *bouem illi foeminam, et ipſam non abſque certis inſignibus, in anno ſemel oſtenſam fuiſſe, quae ſimulatque inuenta, ipſique oblata eſſet, eodem die ſtatim neci daretur.* Erat in eadem Apidis aede ſacra, † puteus et fons aquae, ex quo ſolo Taurum potare fas erat, arcebaturque a bibenda Nili aqua, ne illius dulcedine captus, eam praeferret alii, eoque pinguedinem carnis vltra modum augeret. Id enim efficere aquam Niloticam, teſtantur veteres. Ibidem porro Tauro illi ſacro, pabulum praebebatur, in praeſepi, quod in prouerbium videtur abiiſſe. GREGORIVS certe NAZIANZENVS, inter celebriora Gentilium Sacra, riſu tamen et contemtu digna, numerat etiam

de Animal. L. XI. c. X. Vide et STRABONEM loc. cit.

** AELIANVS ibid.

*** SOLINVS, vbi ſupra. Adde PLINIVM et AMMIANVM loc. cit.

† AELIANVS, vbi ſupra. PLVTARCHVS de Iſide p. 353.

iam * φάτνην Ἄπιδος, μόσχου κατατρυφῶντος τῆς Μεμφίτων ευηθίας, *praeſepe Apidis, vituli, Memphitarum vaecordia ad luxum abutentis.* Et in EVDOCIAE MACREMBOLITISSAE Opere inedito, quod inſcripſit Ἰωνιὰ, id eſt *Violarium*, quaſi diceres *Florilegium*, integrum ** caput extat περὶ τοῦ Ἄπιδος φάτνης, *de Apidis praeſepi.* Poteſt tamen dubium videri, num non voce φάτνης, *ſtabulum* potius deſignetur, quo ſenſu etiam Latini vocem *praeſepe* nonnunquam adhibent. Et tum φάτνη id ipſum ſignificaret, quod STRABO paulo ante allatus, σηκὸν dixit, alii *delubrum*, aut etiam *thalamum* vocant. Ita omnino verba Sancti Patris cepit Commentator eius, NICETAS SERRONIVS, cuius verſio latina a BILLIO, inter Opera GREGORII edita eſt. Sic enim is ad loc. cit. ſcribit: *** *Vitulum vero Memphitae ſumma religione colebant, eumque Apim nuncupabant, ac praeſepio incluſum habebant, publicoque hominum conuentu ſacrificia ei offerebant. Signa autem quaedam a ceteris diuerſa Apis habebat, tum circa caudam, tum circa linguam: ac ſi quis eiuſmodi inter armenta conſpectus fuiſſet, confeſtim ad ſacrum praeſepe ab ipſis aſſumebatur.* Quia NICETAS affirmat, *Apim* ſacro praeſepi incluſum fuiſſe, nemo eſt, qui non intelligat, ſermonem eſſe de *Sacello*, non de *praeſepi* communius ſic dicto.

Apidem Aegyptii etiam Oraculi inſtar ſuper rebus futuris

§. 7. Tempus igitur, quod vitae eius praeſtitutum erat, fere totum *Apis* in Stabulo illo ſacro, et in [illegible]is exigebat, ibique cum ab indigenis, tum a peregrinis, edens, bibens, ludens, quotidie ſpectabatur. Neque tamen, qui ad ipſum viſendum acce-

* Oratione XXXIX. Opp. To. I. p. 626.
** FABRICIVS Biblioth. Graec. Vol. VI. p. 589.
*** In Operibus *Gregorii Nazianzeni* To. II. Part. II. col. 1019.

conſulebant. De eius praedictionibus.

accedebant, ſemper nudi tantum erant ſpectatores. Veniebant etiam ſaepe, qui ſuper rebus futuris eum conſulere, et quae ſibi eſſent euentura, ex eo diſcere cuperent. Celebrant ſane veteres praedictiones Dei huius; ſed quae non ſimiles eſſent Oraculis Apollinis Delphici, aut aliis quondam in Graecia inclytis, quae verſibus, aut certe verborum ſententiis concepta audiebantur, et legebantur: nam Taurus Aegyptiorum ſacer, nonniſi nutibus, et ſignis quibuſdam futura praedicebat. Fuit tamen * haec indoles Oraculorum antiquiſſimorum omnium, et ipſius quoque Delphici, de quo illud HERACLITI dictum celebre extat: ** Ὁ ἄναξ ὁ ἐν Δελφοῖς οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει. *Rex, qui Delphis praeſidet, non dicit, nec abſcondit, ſed ſignis innuit.* Ad hunc modum compoſita inprimis erant Oracula apud Aegyptios vetuſtiora. De Oraculo Iouis Ammonis Libyco obſeruat STRABO Lib. XVII. p. 560: Οὐχ᾽ ὥσπερ ἐν Δελφοῖς, καὶ Βραγχίδαις τὰς ἀποθεσπίσεις διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι γίνεσθαι καὶ συμβόλοις τὸ πλέον. *Reſponſa Dei huius, de futuris rebus conſulti, non ſicut ab Oraculo Delphico, aut Branchidarum, per verba reddi, ſed vt plurimum nutibus quibuſdam, ac Symbolis ſiue ſignis* Tradit eadem EVSTATHIVS in *Dionyſium Periegeten* v. 211: *** Ἱστορεῖται δὲ καὶ, τὰς μαντείας διὰ συμβόλων ἐν Ἄμμωνος γίνεσθαι, ἤτοι διὰ σχημάτων τινῶν, κατανεύσεων, καὶ ἀνανεύσεων. *Narrant etiam vaticinia in Templo Ammonis edi per Symbola, id eſt per geſtus corporis, quibus aliquid aut approbatur, aut vero repudiatur.* Tales igitur erant etiam praedictiones Apidis,

* CLEMENS *Alexandrinus* Stromat. L. V. p. 555.
** ANONYMVS apud STOBAEVM Sermone V. p. 69. PLVTARCHVS de Pythiae Oraculis p. 404.
*** Ita repoſui ex Cod. MS. quo vſus eſt Hudſonus.

Apidis, quarum veteres mentionem faciunt. *Apis*, inquit * vetus Grammaticus, *Aegyptiis motu corporis ſui et quibuſdam ſignis futura praedicit.* Clarius nonnihil id PLINIVS explicat Lib. VIII. cap. 46. *Sunt Api delubra gemina, quae vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intraſſe laetum eſt, in altero dira portendit. Reſponſa priuatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Caeſaris manum auerſatus eſt, haud multo poſt extincti.* Quae ex eo fere repetit SOLINVS cap. 32. Eadem de re AMMIANVS haec refert Lib. XXII. p. 245. *Cum inductus in thalamum coeperit eſſe ſacer, coniecturis apertis ſigna rerum futurarum dicitur demonſtrare: et adeuntes quoſdam indiciis auerti videtur obliquis, vt offerentem cibum aliquando Germanicum Caeſarem — auerſatus portenderat paulo poſt euentura.* Conſtat ex his, auſpicatum omen habitum fuiſſe, ſi bos ille ſacer e manu porrigentium cibum caperet, infauſtum, ſi id facere renueret, quod in aliis Aegypti partibus, vt opinor, ** ratione crocodilorum obſeruari ſimiliter conſueuerat. Verum ad alia quoque ſigna, huic non valde diſſimilia, edita ab Apide, attendere ſolebant Aegyptii. Tale quid Eudoxo, illuſtri Aſtronomo, contigiſſe dicitur. Nam *** *cum in Aegypto moraretur cum Ichonuphi, Sacerdote Heliopolitano,* (vel potius, † vt alii, Memphitico,) *Apis illius pallium lingere viſus eſt. Celebrem igitur illum fore, verum haud longaeuum, ex eo oſtento Sacerdotes dixere.* Huius farinae erant celebratae Dei iſtius praedictiones.

§. 8.

* LVTATIVS ad *Statii* Thebaid. Lib. III. 478.
** AELIANVS de Animal. Lib. VIII. c. 4.
*** DIOGENES LAERTIVS Lib. VIII. §. 9.
† Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. IV. §. 11. not. ****.

De vaticiniis puerorum Apidem comitantium

§. 8. Illud vero praetermitti hic non poteſt, quod Aegyptii credebant, cum pueris Apidem caternatim comitantibus et ſequentibus, donum vaticinandi etiam coelitus communicari. Docebit id nos in his PLINIVS Lib. VIII. c. 46: *Cetero ſecretus, cum ſe proripuit in coetus, incedit ſummotu lictorum, grexque puerorum comitatur, carmen honori eius canentium: intelligere videtur, et adorari velle. Hi greges repente lymphati, futura praecinunt.* In pauciora haec contrahit SOLINVS cap. 32: *Pueri Apim gregatim ſequuntur, et repente velut lymphatici futura praecinunt.* Diſcimus autem ex AELIANO de Anim. Lib. XI. cap. X. talem fuiſſe hanc vaticinii ſpeciem. Qui futura ſcire auebat, Deum (Apim) precabatur. *Pueri vero extra ludentes, atque inter ſe ſaltantes, Numine afflati, omnia praedicebant, quae non minus vera putabantur, quam quae apud Sagram dicuntur.* Sed omnium optime rem hanc nobis explicat PLVTARCHVS *de Iſide* p. 356. cuius ideo verba non omittenda eſſe putaui. Sic illa ſe habent. Ἐκ τούτου τὰ παιδάρια μαντικὴν δύναμιν ἔχειν οἴεσθαι τοὺς Αἰγυπτίους, καὶ μάλιστα ταῖς τούτων * ὀτεύεσθαι κληδόσι, παιζόντων ἐν ἱεροῖς, καὶ φθεγγομένων, ὅτι ἂν τύχωσιν. *Hinc tractum, quod Aegyptii pueros facultate diuinandi praeditos putant, et maxime ominis loco accipiunt, ſi quid ii in Templis ludentes forte pronuntiant.* Hinc igitur aeſtimare licet, qualianam fuerint vaticinia puerorum, Apim ſubſequentium, et in aula eius ludentium. Equidem PLVTARCHVS loco nunc allato, de his ſigillatim pueris non loquitur; ſed non aliam fuiſſe horum praedicendi futura rationem, omnia aperte loquun-

* Scribendum hic ὀττεύεσθαι. Vide HESYCHIVM, et EVSTATHIVM in Homeri Odyſſ. p. 1398. Sic POLYBIVS Lib. I. c. 12. etc.

quuntur. Iuuat eam in rem verba adſcribere PAVSANIAE, de ſimili diuinationis genere, apud Pharenſes in Achaia adhiberi ſolito, haec narrantis: * *Qui Deum conſulunt, Veſtam primo thure incenſo placant. —— Vbi, quod ex vſu fuerit, interrogauit, aurem ſimulachro admouet: inde e foro abiens, manibus aures premit. Vbi extra forum delatus eſt, amota manu, quam primum excepit vocem, eam ſibi Oraculi loco ducit.* Et tum haec addit: *Talis etiam apud Aegyptios, in Apidis Fano, celebratur Oraculi religio.* Aperte loquitur de pueris, in Aede Apidis ludentibus, quorum voces fortuitae Oraculi inſtar ab aliis excipiebantur. Erant igitur perſimiles, celebri illi Hebraeorum בת קול, *Bat Kol*, ſiue *filiae vocis*, de qua ** viri eruditi multa obſeruant.

De Apidis cultu, diebusque feſtis, in eius honorem inſtitutis, ac praecipue natali.

§. 9. His igitur aliiſque de cauſis, quas commemorauimus, aut etiam poſt haec commemorabimus, Apidem Aegyptii cultu ſolenni celebrarunt, et ſacrificiis quoque placarunt. *Publico hominum conuentu*, inquit NICETAS, *** *Sacrificia ipſi offerebant.* Et, quod mireris, inter animalia † boues ipſi immolabantur, qui nempe poſt adhibitam explorationem puri deprehenſi erant. Bos ergo, boue immolato placabatur, tametſi, †† vt veteres teſtantur, bos ille Aegyptiorum ſacer, honores iſtius generis omnes, quibus a Sacerdotibus afficiebatur, inſuper haberet atque dedignaretur. Erant etiam certi dies feſti, cultui Apidis ſolenniori conſecrati, omnibus Aegyptiis exoptati et iucundi, inter quos emine-

* In *Achaicis* ſiue Lib. VII. cap. XXII. p. 579.

** IOH. LIGHTFOOTVS Hor. Hebr. in Matth. III. 17. HVMPH. PRIDEAVX Hiſtoire des Juifs Vol. IV. p. 51. 52.

*** Vide ſupra §. 6.

† HERODOTVS Lib. II. c. 38. 41.

†† PLVTARCHVS in vita Cleomenis p. 821.

eminebat eius natalis, cuius ſaepe meminerunt veteres, quemque Θεοφάνια dicere non verentur. *Dies*, inquit * MELA, *quo gignitur Apis, genti maxime feſtus eſt.* Operae pretium eſt, de re eadem, et haec adſcribere verba PLINII Lib. VIII. c. 46: *Memphi eſt locus in Nilo, quem a figura vocant phialam, omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes; diebus quos habent natales Apis: ſeptem hi ſunt, mirumque neminem per eos a crocodilis attingi: octauo poſt horam diei ſextam, redire belluae feritatem.* Rem hanc ex PLINIO, more ſuo, etſi nonnihil mutatis verbis, ſic deſcripſit SOLINVS cap. 32: *Apis natalem Memphi celebrant, iactu aureae paterae, quam proiiciebant in Nili ſtatum gurgitem. Haec ſolennitas per ſeptem dies agitur: quibus diebus cum Sacerdotibus quaſdam crocodili inducias habent, nec attrectant lavantes. Verum octauo die, ceremoniis iam peractis, veluti reddita ſaeuiendi licentia, ſolitam reſumunt ferocitatem.* Gemina his leguntur apud AMMIANVM MARCELLINVM p. 248: *Saeuientes ſemper eaedem ferae, quaſi pacto quodam foedere caſtrenſi, per ſeptem ceremonioſos dies miteſcunt, ab omni ſaeuitate deſciſcentes, quibus Sacerdotes Memphi natales celebrant Apis.* Rem eandem tangit SVIDAS in voce Ἄπιδες, vbi de his Aegyptiorum Diis ſequentia tradit: Οἷς γεννωμένοις διὰ χρόνȣ, ὡς ἔλεγον, ἐκ τȣ̃ σέλαος τῆς σελήνης, ἑορτὴν μεγάλην ἦγον, καὶ ἱερεῖς τινες περὶ τὸν τεχθέντα βȣ̃ν ἱερῶντο, παρατιθέντες Πανδαισίαν, ὡς εὐωχȣ̃ντες αὐτοῖς: *Apides poſt certum temporis interuallum, ex lumine Lunae, ſicut perhibebant, naſcebantur: quod cum fieret, ingens feſtum in eorum honorem celebrabatur, et Sacerdotes circa bouem natum victimas immolabant, appoſitiſque omnis generis epulis,*

* *de ſitu orbis* Lib. I. c. IX.

epulis, eos conuiuio quaſi excipiebant. Auctor hic de eo tantum die feſto loqui videtur, quem Aegyptii celebrabant, vbi nouus Apis inuentus, et priori enecato, ſucceſſor datus iam eſſet: neque dubium eſt, quin * et hicce dies, inter multiplicis laetitiae teſtimonia, transactus fuerit a Niligenis. Poterat ille dies iure merito nuncupari natalis Apidis; ſed illius celebrationem tamen quotannis eadem anni tempeſtate, repetebant Aegyptii, diemque illum, aut potius tempus iſtud, quod plures dies complectebatur, ſimili celebritate, inter epulas et continuam hilaritatem, laeti exigebant. Quodnam vero anni tempus, huic celebritati dicatum fuerit, infra §. 20. diſpiciemus.

Vitae illius certus terminus erat conſtitutus, quem ſuperare nefas habebatur. In eum inquiritur.

§. 10. Tametſi vero natalem Apidis communi et ingenti gaudio celebrarent omnes Aegypti incolae, vitae tamen eius, certum quoddam annorum ſpatium erat praeſtitutum, quod excedere ipſi non licebat. Obſeruat hoc PLINIVS Lib. VIII. c. 46: *Non eſt fas, eum certos vitae excedere annos, merſumque in Sacerdotum fonte enecant.* Quae ex eo SOLINVS, vt ſolet, ita expreſſit cap. 32: *Statum aeui ſpatium eſt, quod vt affuit, profundo ſacri fontis immerſus necatur, ne diem longius trahat, quam ** licebat.* Cum quibus plane concordant iſta AMMIANI Lib. XXII. p. 245: *Apis, —— cum poſt viuendi ſpatium praeſtitutum, ſacro fonte immerſus, e vita abierit, nec enim eum vltra trahere licet aetatem, quam ſecreta librorum praeſcribit auctoritas mySticorum. —— alter —— quaeritur.* Operae pretium hic eſſe duco, diſtinctius inquirere, quotnam annos, ſpatium illud vitae Apidis deſtinatum comprehenderit.

* Vide HERODOTVM Lib. III. c. 27.
** ita corrigendum putaui, pro eo quod in Editionibus legitur, *licebit.*

derit. Nam cum id ex *ſecretis librorum myſticorum* dependerit, vbi erit perſpectum, ad aeſtimanda et diiudicanda Myſteria et Secreta Theologiae Aegyptiorum, non poterit non aliquid conferre. Vir quidam eruditus, et cognitione antiquitatis non mediocriter ornatus, exiſtimauit, Tauro Aegyptiorum Sacro, * *vitam in quinquennium produci conſueuiſſe.* Quamuis vero is aſſerto huic nullam ex veterum teſtimoniis auctoritatem conciliauerit, exiſtimauerim tamen, eum in mente habuiſſe iſtos LVCANI verſus, *Pharſal.* Lib. VIII. 477.

Hunc genuit cuſtos Nili creſcentis in arua
Memphis vana Sacris; illo cultore Deorum
Luſtra ſuae Phoebes, non vnus vixerat Apis.

Significat enim Poëta, Achoreum, Sacerdotem Memphiticum, et, vt credi par eſt, Apidis, plures vidiſſe Apides, qui aut ſpatium vitae ſuae ſtatutum emenſi fuiſſent, aut alio modo ſibi inuicem ſucceſſiſſent. Videtur etiam vnicuique ex illis bobus ſacris, quos ſucceſſiue ſe excipientes viderat Achoreus, luſtrum, id eſt vitae quinquennium tribuere. Neque enim nego, verba Poëtae ſenſum talem fundere poſſe, et memini ſane, me ea olim eodem ſenſu interpretatum fuiſſe; verum tamen et mihi concedet cordatus quiſque, poſſe hunc quoque illorum verborum eſſe ſenſum, vnumquemque illorum Taurorum, quos ſucceſſiue ſacrari viderat Achoreus, plura luſtra ſuae Phoebes, id eſt Lunae, vixiſſe. Hanc nunc iam exiſtimo veram fuiſſe Poëtae mentem atque ſententiam, idque ſequentia planum facient. Scribit nempe PLVTARCHVS in libro *de Iſide* p. 374: Ποιεῖ δὲ τετράγωνον ἡ πεντὰς, ἀφ' ἑαυτῆς,

* IAC. TOLLIVS in *Fortuitis* cap. II. p. 12.

ἑαυτῆς, ὅσον τῶν γραμμάτων παρ' αἰγυπτίοις τὸ πλῆθός ἐστι, καὶ ὅσον ἐνιαυτῶν ἔζη χρόνον * *ὁ Ἄπις.* *Quadratum porro quinarius numerus producit a ſe, quantus eſt numerus literarum apud Aegyptios, et quot annos viuere ſolet Apis.* Ex quo loco ſequitur, quod etiam dudum ex B. LA CROZIO me audiuiſſe memini, antiquas Aegyptiorum literas fuiſſe numero XXV, et totidem annos libros Sacerdotales conſtituiſſe vitae Apidis. Et ipſum hoc pluribus argumentis, momenti non leuiſſimi, illuſtrari confirmarique egregie poteſt. Teſtatur enim HERODOTVS, diligentiſſimus rerum ſacrarum, in ipſa Aegypto, ſcrutator, Lib. III. c. 27. Apidem conſueuiſſe Aegyptiis apparere *διὰ χρόνου πολλοῦ*, *poſt longum tempus:* loquitur autem de Apide nouo, recens inuento, priori nempe, qui viuere iam deſierat, nunc ſucceſſuro. Hoc Scriptor eximius ait fieri conſueuiſſe ** *διὰ χρόνου πολλοῦ*, *poſt longum tempus.* Dici id non poſſet, ſi quouis quinquennio nouus Aegyptiis apparuiſſet Apis; ſed anni XXV, tempus omnino conſtituunt idoneum, quod non ita multi ſaepius recurrere vident. Hanc rationem eſſe quiuis facile intelligit, quod in Achoreo, Sacerdote Memphitico, hoc ceu ſingulare quidquam, relatu omnino dignum duxerit LVCANVS:

— illo cultore Deorum
Luſtra ſuae Phoebes non vnus vixerat Apis.

Si exacto ſemper quinquennio, Apidi priori continuo ſucceſſiſſet alter, Sacerdotes plerique, plures Apides videre poterant, et re ipſa viderant. Hoc nemini

* Ita ex Editione Baſileenſi hic legendum.

** Idem ſignificare videtur SVIDAS, adductus §. 9. vbi ait Taurum ſacrum generari *διὰ χρόνου*, id eſt, vti vertendum eſſe opinor, *poſt ſpatium temporis longius.*

nemini potuiſſet mirum videri. At vero, ſi Taurus quilibet ſacer, ſecundum leges Sacerdotales, attingere viuendo ſoleret annum vigeſimum quintum, tum plures Apides videre non poterant Sacerdotes ipſi miniſtrantes, niſi eſſent aetatis prouectioris. Et iſtud quidem in Achoreo ſuo conceptis verbis Poëta obſeruat:

— quos inter Achoreus
Iam placidus ſenio, fractiſque modeſtior annis.

quod etiam ex eo confirmat

— illo cultore Deorum
Luſtra ſuae Phoebes non vnus vixerat Apis.

Eodem referre poſſis, quod DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 76. memoriae mandauit, *regnante Ptolemaeo Lagide accidiſſe, vt Apis Memphi ſenio deficeret:* Neque hoc locum habuiſſe largientur facile aequi rerum arbitri, ſi quintus ſemper annus vitae Apidis finem attuliſſet. At fieri facillime poterat, vt bos ab anno aetatis vigeſimo quinto non valde remotus, aut etiam eundem forte caſu quopiam ſupergreſſus, deficiens, putaretur ſenio extinctus eſſe. Neque id hoc loco praetermittendum duxerim, quod numerus XXV, Sacerdotibus Aegyptiis myſticus, ac inprimis ſacer habitus fuerit. Nempe * *credebant Aegyptii, Lunae cum Sole in eundem locum* ἀποκατάστασιν, XXV *annorum circuitu contingere, annorum ſcilicet vagorum Aegyptiacorum, vt proinde anni magni* ἀποκατάστασις *rediret poſt cyclum annorum*

* DODWELLVS in Append. ad Diſſert. Cyprian. §. 14. MARSHAMVS in Canone Chronico p. 9. VIGNOLIVS de annis Aegypt. in Miſcellaneis Berolin. To. IV. p. 11.

rum vagorum MCCCCLXI, *quinquies repetitum atque vigeſies.* Si hoc, quod vir doctiſſimus obſeruat, admitti poſſet, tum nobis ratio myſtica, in Libris Sacerdotalibus prodita, ob quam vitae Apidis anni ſtatuti eſſent XXV, clare pateret. Nempe poſt annos XXV Sol et Luna in eundem coeli locum reuerterentur, et nouum cyclum totidem annorum redauſpicarentur. Et Apidem vero, tum Soli, tum Lunae, ratione ſingulari ſacratum fuiſſe, ex §. 3, ſatis conſtat. MARSHAMVS etiam longius progreditur, * aſſeuerando, annos XXV Aegyptiorum vagos, aequales eſſe Iulianis XIX, qui cyclum illum notiſſimum Lunarem abſoluunt. B. VIGNOLIVS, cuius raram in diſciplinis Mathematicis et Aſtronomicis peritiam, eruditi omnes agnoſcunt, poſtquam MARSHAMI eam in rem verba attuliſſet, ** hanc quidem eius obſeruationem non improbat; verum cenſet tamen, eam non recte ab ipſo applicari, ad aliud quid demonſtrandum. Cum tamen nulla ratione perſpicere poſſem, quomodo anni Aegyptiorum vagi XXV, aequales eſſe poſſent XIX Iulianis, adeoque plenum cyclum Lunarem accurate conſtituere et abſoluere, conſului ſuper ea re, Collegam coniunctiſſimum, multiſque nominibus mihi impenſe colendum, D. IO. FRIDERICVM POLAC, Iur. et Mathematum in noſtra Academia Profeſſorem celeberrimum, atque hoc ab eo reſponſum tuli, rem ipſam veritati conſentaneam prorſus non eſſe, cum annus Aegyptiacus vagus, a Iuliano fixo, quatuor quibuſque annis, nonniſi vno die recedat, ac differat, fieri vero potuiſſe, vt Sacerdotes Aegyptii, ob rationem nobis ignotam, cenſuerint, poſt abſolutum annorum XXV. curriculum, contingere aliquam nouam

* in *Canone Chronico*, vbi ſupra.
** in Miſcell. Berol. loc. cit.

nouam Solis et Lunae ἀποκατάστασιν, et DODWELLVM nihil niſi hoc adſtruxiſſe. Id vero mihi iam nunc ſufficit. Neque profecto negari poteſt, aut negatum aut quoquam fuit, numerum annorum XXV, Aegyptiis tanquam Myſticum, et praeceptis religionis ſuae inprimis accommodatum, in pretio ſingulari ſacrumque fuiſſe. Si igitur exiſtimarunt Sacerdotes, poſt exactos annos XXV fieri aliquam nouam Solis et Lunae reuolutionem, quod profecto veroſimillimum eſt, colligere iam facile poſſumus, Sacerdotes rem ita ordinaſſe, vt vita Apidis ſui, Lunae Solique conſecrati, tam diu duraret, donec reuolutio illa reuerteretur. Et re ipſa Apidem non ad Nilum tantum; ſed etiam ad annum Aegyptiorum, ac rationes temporum ab ipſis conſtitutas, relatum fuiſſe, oſtendemus §. 15.

§. 11. Poſtquam igitur Apis luſtra Lunae ſuae viuendo compleuiſſet, vltra illum terminum aetatem trahere ipſi non licebat, ideoque, ſi halitum etiamnum duceret, profundo Sacri Sacerdotum fontis mergebatur. §. 10. Quiſnam ille puteus, aut vbi locorum ſitus fuerit, non facile quis dixerit. Etenim loci illius notitiam, omnibus non initiatis penitus ſubtractam, ſibi ſolis Sacerdotes reſeruauerant. Inde eſt, quod STATIVS Iſidem inuocet, vt ipſa Metium Celerem inter alia doceret velit: *De puteo in quo Apis poſt interitum mergebatur.*

> * *Quos dignetur agros, aut quo ſe gurgite Nili*
> *Mergat adoratus trepidis Paſtoribus Apis.*

Ex quo non abſurde quis colligere poſſet, Sacerdotes populo perſuadere ſolitos fuiſſe, Apidem ſponte ſua, vbi terminus vitae ſtatutus aduenifſet, mortem ſibi conſciſcere, ſeque ipſum ſacro aliquo fonte mer-

* *Syluarum* Lib. II. Carm. II. v. 115.

mergere, etſi tamen peritiores rem aliter ſe habere, non ignorarent. Locus vero ipſe, vbi Apis merſus iaceret, vſque adeo a Sacerdotibus celabatur omnibus, vt illi, qui forte ea de re aliquid reſciuiſſet, idque aliis reuelaſſet, poena conſtituta eſſet. *Non*, vt ait.* quidam, Theologiae veterum gentilium longe peritiſſimus, *non exactam deſiderat curam, quam is poenam conſtituerit Aegyptius in eum, qui publicaſſet, quibus* (ſupplendum videtur *ouis*) *Apis iaceret abſconditus.* Neque etiam locum illum, quantum quidem ſcio, veterum quiſquam indicauit. Equidem ** SALMASIVS imaginatus ſibi eſt, ſe locum illum inueſtigando reperiſſe, nobiſque oſtendiſſe. Hariolatur nempe, fontem, quo Apis mergebatur, quem Plinius *ſacerdotalem*, alii *ſacrum* nuncupant, §. 10 re ipſa extitiſſe inter Syenen et Elephantinen, in confiniis Aegypti et Aethiopiae, et vocatum fuiſſe ab incolis *Nili venas.* Non libet, nec etiam vacat, rationes viri ſummi accurate euoluere, iiſque preſſo pede inhaerere; verum diffiteri tamen nequeo, ſententiam hanc mihi quidem videri ab omni veri ſpecie prorſus abhorrere. Quid, an ad enecandum Apim, Sacerdotibus Memphiticis, tantum iter Syenen vſque erat ſuſcipiendum? praeſertim cum in diuerſis vrbibus per Aegyptum, Sacerdotum Collegia in omnibus non admodum inter ſe conſentirent. Vix ac ne vix quidem Sacerdotes Memphitici, rem hanc, quam ſuae cognitioni reſeruatam vnice cupiebant, in tam longinquo itinere, et apud alios Sacerdotes, diu abſcondere, alioſque celare penitus potuiſſent. Non eſt, quod dubitare queam, fontem illum, vt Scriptores vocant, quo Apis mergebatur, prope admodum ab vrbe Memphi abfuiſſe.

* ARNOBIVS adu. gentes Lib. VI. p. 194.
** *Exercitat. in Solinum* cap. 32. p. 312. Edit. Belgic.

fuiſſe. Erat, vt mihi quidem perſuadeo, puteus aliquis, per quem in locum ſecretum, cadauer bouis demitti poterat, ſicuti per ſimiles puteos corpora humana in loca ſubterranea deſcendebant. Ignotum non eſt, puteos huius generis, in campis Memphiticis, prope vicum Sacaram, hodie inueniri plurimos, et a peregrinatoribus curioſis adiri. Ad puteum talem, Sacerdotibus bene cognitum; ſed aliis inacceſſum, arbitror Apidis enecati, et more conſueto conditi, cadauer deferri, perque illum in cryptas ſubterraneas demitti conſueuiſſe: aut forſitan ex Templo Apidis, ad locum qui ſepulturae eius clandeſtinae deſtinatus erat, ducebant meatus anfractuſque ſubterranei, per quos cadauer ſacrum deportari poterat. Locum hunc, niſi me ſententia fallit, peregrinatores nunc caſu quopiam detexerunt. * Inuenerunt nempe in monumentis antiquae Mempheos ſubterraneis, ad quae per puteum deſcendere oportet, arcas egregie fabricatas, auro coloribuſque variis inductas, in loco ſecreto, nec ita facile a quouis inueniendo, repoſitas, quae cadauer bouis medicatum, et aromatibus pretioſis conditum, per tot Seculorum decurſum aſſeruauerant. Licetne iam ambigere, haec eſſe cadauera Apidum, a Sacerdotibus Memphiticis olim in locis ſecretis, et a populi cognitione remotis, recondi ſolita.

§. 12. Sunt tamen etiam Scriptores, qui de Apidis ſepultura publica et ſolenni loquuntur, et locum, in quo corpus illius ſepeliendum reponeretur, ſine ambagibus indicant. ** *Erat enim Memphi Templum Serapidis antiquiſſimum, ad quod* *nec* *De publica et ſolenni Apidis, ante terminum conſtitu-*

* Voiage dernier de PAVL LVCAS, fait en 1714. etc. To. I. p. 345.

** PAVSANIAS in *Atticis*, ſiue lib. I. c. XVIII. p. 42.

tum fato functi, ſepultura. *nec peregrinis, nec ipſis adeo Sacerdotibus patebat aditus, niſi quando Apis ſepeliendus eſſet.* Rem hanc Graeci quidam, quod ipſis inſolens non eſt, fabulis adſperſis ita inquinarunt, vt difficultatem fere pariat, verum in ea a falſo recte diſcernere. Etenim * *ſecundum Ariſtippum, Apis Argiuus aedificauit Memphim. Ariſteas vero addit, eum nominatum eſſe Sarapim, et eſſe eum, quem colunt Aegyptii. Nymphodorus porro ait, Apim Taurum, poſtquam vita functus et rite conditus eſt, tumulo inferri, inque Templo, vbi Deus hic colitur, deponi, et hinc vocari Sarapim, quaſi* Σορόαπιν, *id eſt Apidis ſepulchrum.* Si quis locum hunc cum antecedenti PAVSANIAE attente conferre dignatus fuerit, videbit, quomodo ex ſimplici veritate, fabulae oriantur atque confingantur multiplices, et quomodo Theologiam Aegyptiorum, Graeci, omnia ad res ſuas patrias contorquentes, commentis innumeris et plane inſulſis, conſpurcare ſoliti fuerint. Ad rem vt redeam, commemorat DIODORVS *Siculus*, ritus quoſdam peculiares ab Aegyptiis, in ſepultura Apidis antiquitus adhiberi ſolitos p. 86: *Animarum deductor Mercurius, pro veteri Aegyptiorum inſtituto, Apidis cadauer, ad certum vſque locum deductum, tradebat cuidam, cui cerberi* tricipitis *larua circumpoſita erat.* Obſeruat idem p. 76. funus *Apidis* μεγαλοπρεπῶς, *magnifice et ſumtuoſe* procurari. Alia quaedam huc ſpectantia, reperiuntur in PLVTARCHI libro *de Iſide et Oſir.* Scribit namque auctor praeſtantiſſimus p. 364: *Quae palam faciunt Sacerdotes, dum Apidis cadauer rate aduectum ſepeliunt, a Sacris Bacchicis non valde remota ſunt, nam et hinnulorum pelles ſibi circumponunt, et thyrſos geſtant, iiſque vtuntur clamoribus et motibus, quibus Bacchico furore correpti, dum*

* CLEMENS *Alexandrinus*, Stromatum Lib. I. p. 322.

dum orgia peragunt. Et in eodem libro p. 362. iſta legimus, *Memphi aereas quaſdam portas, quae Lethes et Cocyti,* (id eſt obliuionis, et lamentationis) *appellantur, aperiri, cum Apim ſepeliunt, grauem aſperumque edentes ſonum.* Templum illud, in quo Apis olim ſepeliebatur, fuiſſe Serapidis, ſupra ex PAVSANIA intelleximus, qui et docet, illud aperiri non conſueuiſſe, niſi quoties Apis ſepeliendus eſſet. Et id ipſum PLVTARCHVS quoque non obſcure ſignificat, vbi refert portas illius Templi aereas, tum demum aperiri, quando ſepelitur Apis. Auctor hicce portas aereas, ſiue Templi, ſiue Sacelli, quod ſepulturae Apidis deſtinatum erat, collocat ἐν Μέμφει, *in vrbe Memphi.* Sed DIODORVS *Siculus* aedem hanc ſacram extra Memphim; verum tamen prope illam vrbem ponit, in loco vbi Aegyptiorum funerationes peragerentur. p. 86. fin. Ad illum locum ait *cadauera nauigio transuehi* p. 87. 88. ſicuti PLVTARCHVS etiam p. 364. teſtatur, *Apidis cadauer rate aduehi.* Pergit DIODORVS, noſque docet, prope hunc eundem locum, quem non immerito coemeterium vrbis Memphiticae dicere poſſis, *fanum eſſe Hecates tenebricoſae*, de quo * alias nonnulla obſeruaui, *et Cocyti Letheſque portas aeneis vectibus obſtructas.* Vides auctorem hunc illud idem Templum deſignare, cuius portas aereas tum aperiri obſeruat PLVTARCHVS, cum ſepelitur Apis. Sed de Templo hoc quaedam etiam capite iam ſecuturo, dicenda erunt. Ergo ſolenniter, ſpectantibus cunctis, Apidis cadauer ſepeliebatur, in Templo prope Memphin et Pyramides, omnibus ſatis cognito. Quomodo vero haec conciliari poſſe putabimus, cum tauri illius ſacri et caede et ſepultura clandeſtina, omniumque cognitioni ſubtracta, quam

* Supra Lib. I. c. I. §. 13. et Lib. III. cap. IV. §. 7.

quam multis veterum teſtimoniis probauimus §. 11: Imo vero nullo negotio, et perquam facile, haec quae pugnare videntur, inter ſe et amice conciliabuntur. Nam vbi Apis terminum vitae ſuae ſtatutum attigiſſet, et viuendo ad nouam ἀποκατάςασιν, Solis atque Lunae, (§. 10.) perueniſſet, Leges Sacrorum non permittebant, vt diutius aetatem traheret. Violenta igitur morte a Sacerdotibus clam e medio tollebatur, et clandeſtina etiam ſepultura, cuius locum ignorabant omnes non initiati, prope Memphin donabatur. Quod ſi vero ante illud tempus morte naturali, aut caſu quopiam, abſumtus fuiſſet, manebat eum ſepultura ſolennis et honorifica, in qua rite procuranda * ſumtibus nullis parcere moris erat.

De Apide defuncto luctus inſtitutus publicus, nouusque ſollicite quaeſitus.

§. 13. Poſtquam viuere deſiiſſet Apis, confeſtim quaerebatur a Sacerdotibus alius, quem notae, in tauro ſacro requiſitae, (§. 5.) diuinae originis eſſe probarent, et dum ille inueniretur, prioris iacturam omnes per totam Aegyptum luctu proſequebantur continuo. SOLINVS vbi de Apidis termino et ſepultura dixiſſet, addit haec cap. 32: *Mox alter nec ſine publico luctu requiritur.* Ita fere etiam AMMIANVS loco ſaepius citato p. 245: *Apis cum poſt viuendi ſpatium praeſtitutum, Sacro fonte immerſus, e vita abierit, —— alter cum publico luctu quaeritur.* Hinc TIBVLLVS Lib. I. Eleg. VIII. de Nilo canit:

Te canit atque ſuum pubes miratur Oſirin
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.

LVCIANVS luctum hunc Aegyptiorum ſuper Apidis morte, talem non ſine ſale et riſu depingit: ** Ὁ μὲν γὰρ Ἄπις ἂν ἀποθάνῃ, τίς ἄτω περὶ πολλοῦ

* DIODORVS p. 76.
** *De Sacrificiis.* Opp. To. I. p. 359.

*πολλοῦ ποιεῖται τὴν κόμην, ὅστις οὐκ ἀπεξύρησε, καὶ ψιλὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ πένθος ἐπεδείξατο. Nam Apis ſi moriatur, * quis ſuam caeſariem tanti fecerit, vt non detondeat, et nudo capite luctum prae ſe tulerit.* Idem alibi: * Τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος. *Capita detondent, vt Aegyptiis facere mos eſt, mortuo Apide.* Durabatque luctus ille, donec nouus Apis repertus eſſet, qui priori rite ſuccederet. Cum igitur aliquando Darius Hyſtaſpides, Memphim perueniſſet, ibique ** intellexiſſet, Aegyptios Apidem amiſſum luctu communi proſequi, promulgari iuſſit, ſe ei centum Talenta auri daturum, qui nouum Apidem adduxiſſet, vt ſic nempe luctus totius illius gentis finiretur. Et eam ob cauſam mortuo Apide, alter qui eius locum occuparet, *** *operoſa quaeri* ſolebat *induſtria. Nec tamen* is, ſi † PLINIO fides, *vnquam diu quaerebatur.* Et profecto Sacerdotibus, quorum in fingendis ſignis et notis, originem coeleſtem Apidis demonſtrantibus, enitebat induſtria, taurus alius, priori ſimilis, dummodo ipſi vellent, deeſſe nunquam poterat. Memoriae tamen proditum legimus, tempore Imp. Hadriani, Alexandriae †† *ſeditionem natam fuiſſe ob Apim, qui tum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus ſtudioſe certantibus.* Ad hunc locum illuſtrandum dici poſſent multa. Verum quia breuitatem ſector; paucis monebo, hoc omne pependiſſe ex voluntate Sacerdotum, dummodo eſſent, qui arcana omnia religionis

* De Dea Syria Opp. To. II. p. 879.

** POLYAENVS Stratag. Lib. VII. p. 490. Edit. Caſauboni Geneu.

*** AMMIANVS p. 245.

† Lib. VIII. c. 46.

†† SPARTIANVS in Adriano cap. 12.

nis ſuae bene haberent perſpecta, quales tempore Hadriani, vt mihi quidem videtur, ſupererant nulli. Priſci Aegyptiorum Theologi inſtituerant, vt vita Apidis cum illa ſua reuolutione annorum XXV, de qua §. 10 diximus, ſemper finiretur, vtque anni Apidis noui cum principio reuolutionis illius denuo inchoatae, idem ſumerent initium. Quod ſi igitur Apis finem illius reuolutionis annorum XXV attigiſſet, ideoque a Sacerdotibus necatus eſſet, §. 10, aut ab eo moriens non longe abeſſet, alius diu non quaerebatur. Sic enim rationes Sacerdotum, aut omnino non, aut certe non vehementer turbabantur. Et hoc quidem vſu plerumque veniſſe, oppido veriſimile eſt. Sicubi vero taurus ille, aut morbo, aut alio quopiam caſu, ante conſtitutum tempus, ſatis diu e viuis ſublatus fuiſſet, inuentio eius, propter arcanas Sacerdotum rationes, vtique differenda erat, eoque diu quaerebatur, et poſt multos demum annos reperiebatur. Vbi vero repertum eum eſſe, rumor per totam Aegyptum percrebuiſſet, luctus priſtinus omnis in tanto maiorem laetitiam conuertebatur.

Apis non fuit Symbolum memoriale Ioſephi Patriarchae.

§. 14. Haec fere ſunt, ſcitu digniora, quae de boue Aegyptiorum Deo, veteres ſcripto ad nos tranſmittere aequum duxere. Vti vero omnia Aegyptiorum Sacra, rationem occultarunt myſticam, et ad rerum naturalium aut cauſas aut effecta relata fuerunt, ita de Apide aliter cenſere fas non eſt. Equidem bouem hunc, cum ad Solem, tum ad Lunam, relationem habuiſſe ſingularem, iiſque ſacrum fuiſſe, ſatis oſtendimus §. 3. Sed iſtud, ad explicandam veram bouis huius ſacri rationem, et ad declarandum, quidnam in eo proprie coluerint Aegyptii, populique adoratione dignum iudicauerint, ſufficere nondum poteſt. Equidem, ſi rationes veterum quorundam Eccleſiae Doctorum probamus,

mus, myſterium, quod ſub Apidis Numine latet, mere eſt hiſtoricum: volunt enim, veteres Aegyptios, in *Apide*, non minus, quam *Serapide*, memoriam coluiſſe Ioſephi, pii et felicis Patriarchae, vti et ſomnii, de pinguibus bobus, quod regi interpretatus eſt, ac beneficiorum maximorum, quae prouidentia ſua et cura in totam Aegyptum contulit. Et ſunt * viri doctiſſimi, qui pedibus in eorum ſententiam eunt, rationeſque nonnullas ſpecioſas proferunt, quibus aliquam opinioni ſuae ſpeciem conciliare queant; ſed profecto fruſtra. Nam ** Scriptura ipſa ſatis teſtatur, memoriam beneficiorum Ioſephi, apud Aegyptios, non admodum diu poſt obitum eius exoleuiſſe. Et cui quaeſo obſcurum eſſe poteſt odium inueteratum, quo Iudaeos proſequebantur Aegyptii, qui illos, quod *** hiſtoria Sacra etiam ſubinnuit, vere abominabantur, et † pro hominibus impiis, ac ſupremo Numini merito inuiſis haberi volebant? An credibile eſt, Sacerdotes Aegyptios, implacabiles Iudaeorum hoſtes, quod demonſtrari multis argumentis poteſt, virum gentis illius principem, ſummumque Protectorem, in ordinem Deorum ſuorum cooptaturos, eique in cultu publico, locum inter Numina Aegypti, tantum non primum (§. 2.) conceſſuros fuiſſe? Supponit porro haec ſententia, Aegyptios homines mortales,

* VOSSIVS de orig. Idol. Lib. I. c. 29. SPENCERVS de Leg. Hebr. Lib. III. p. 270. 271. etc. Adde BOCHARTVM Hieroz. Part. I. col. 336. 337. et WITSIVM in Aegyptiac. p. 312. 313. qui tamen ſententiae huic non fauent.

** Exodi II. 8.

*** Exodi VIII. 25. 26.

† DIODORVS *Siculus* in Eclogis ex Lib. XXXIV. p. 901. Edit. Wechel., et apud PHOTIVM in Biblioth. Cod. CCXLIV. col. 2049.

mortales, aliquo modo bene de ſe meritos, Deorum immortalium, a ſe cultorum, choro addidiſſe, iiſque diuinos pariter honores decreuiſſe. Verum hoc, quod eruditorum plerique ſibi perſuadent, ab Aegyptiorum moribus plane alienum fuiſſe, * alio loco multis oſtendimus. Neque etiam in omnibus iis, quae de Apide ſuo tradere ſolebant Aegyptii, et quae ſupra prolixe expoſui, Ioſephi Patriarchae, et geſtorum ab eo veſtigia vel leuiſſima deprehendere potui. Et idem, opinor, mecum exiſtimabunt omnes, qui rem hanc attenta ſua conſideratione et exploratione dignam arbitrati fuerint.

Idem ex rationibus temporum ſtabilitur, et euincitur.

§. 15. Pluribus aliis in cauſa hac argumentis conquirendis libenter ſuperſedeo. Sed vnum tamen eſt, quod omittere nolim. Quod ſi nempe Ioſephus Diuorum choro a Sacerdotibus additus fuiſſet, factum hoc eſſe oportuit, non ita diu poſt pii huius Patriarchae mortem, dum Ioſephi memoria regibus et primoribus Aegypti adhucdum grata et venerabilis erat, et dum beneficiorum eius magnorumque meritorum gens tota meminiſſe poterat. Poſt exitum vero Iſraëlitarum ex Aegypto, totius huius familiae recordatio qualiſcunque Aegyptiis non poterat non eſſe moleſta, quin imo deteſtabilis, quod etiam monumenta hiſtoriae vetuſtae ſatis teſtantur. §. 14. Iam vero, non modo veſtigia plane nulla extant, Ioſephi ab Aegyptiis diuinis honoribus donati, dum Iſraëlitae etiamnum in Aegypto haererent; verum probari etiam inſuper poteſt, Sacra Apidis, antehac incognita, aliquot demum Seculis, poſt exitum Abrahamidarum ex Aegypto, per Sacerdotes conſtituta, et ſic paulatim publice introducta fuiſſe. Certe, vbi in catalogo regum Aegypti, quem SYNCELLVS *Chronographiae* ſuae inſeruit, per-

* In *Prolegomenis*, §. 12. ad 21.

peruentum eſt ad regem XXXII, nomine *Aſeth*, SYNCELLVS, aut forte EVSEBIVS ipſe * hanc ſubiungit obſeruationem. *Hic Aſeth dies quinque totius anni circulum complectentes addidit: ac ſub eo annus, qui prius ſolis diebus* 360 *numerabatur apud Aegyptios*, 365, *vt ferunt, perſici coepit. Sub eodem vitulus inter Diuos relatus, vocatus eſt Apis.* Et obſeruationem hanc prorſus eſſe veram, ex ipſorum annorum ſerie et nexu, egregie ** haud ita pridem demonſtratum vidimus. Sub Aſetho igitur, qui annos regnauit viginti, ad antiquum Aegyptiorum annum, qui dies tantum 360 complectebatur, additi demum ſunt dies quinque, qui annum Aegyptiacum vagum abſoluunt. Factum hoc eſt, *** anno poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, 320; adeoque Seculo IV currente. Et ſi obſeruatio haec recte ſe habet, eodem fere tempore, Apis bos, ex Sacerdotum decreto, inter Deos Aegyptiorum relatus fuit. Id mihi ex eo etiam tanto fit veroſimilius, quod deprehenderim, nouum hunc Aegyptiorum Deum, a Sacerdotibus, ad nouam temporum et annorum conſtitutionem adaptatum atque accommodatum fuiſſe. Idcirco enim monuimus, boui huic ſacro, terminum viuendi annorum XXV praefixum fuiſſe, quod vna cum hoc termino, cyclus quidam annorum Aegyptiacus elapſus eſſet, nouuſque cum nouo Apide inchoaretur. §. 10. Ob eandem, vt credo, rationem, ſtatuerant Sacerdotes, vt in confiniis anni iam elabentis, nouique ineuntis, natales Dei huius celebrarentur, quod §. 20. 21. ad liquidum

* SYNCELLVS in Chronographia p. 123. EVSEBIVS in Graeco Chronico Scaligeriano p. 23.

** *Chronologie Sacrée* de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 668.

*** Vide *Panthei* huius Lib. II. c. I. §. 16.

dum perducetur. Accedit ad haec, quod * vetus Grammaticus, ** quiſquis eſt, de inauguratione regum Aegypti, in Templo Apidis fieri ſolita, literis prodidit. *In Templo *** Apidis Memphi, mos fuit ſolio regio decorari reges, qui regnabant. Ibi enim Sacris initiabantur primum, vt dicitur, reges, ſatis religioſe tunicati: et Tauro, quem Apim appellant, iugum portare fas erat, ——— et per vicum vnum duci. Deducitur autem a Sacerdote Iſidis* (forte ſcribendum *Apidis*, certe talem intelligit) *in locum qui nominatur Adytos, et iure iurando adigitur, neque menſem, neque diem intercalandum, quem in feſtum diem immutarent, ſed* CCCLXV *dies peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab antiquis.* Vides Lector, reges Aegypti, in Templo Apidis, Memphi inauguratos fuiſſe, quod etiam † DIODORVS *Siculus* teſtatur, et tum iugum Apidis portaſſe per vnum vicum, ipſo ſine dubio praeeunte, ac deinde a Sacerdotibus in locum quendam, *adyton* dictum, fuiſſe deductum, vbi iure iurando promittere debuit, ſe formam anni antiquam, ad quam Sacra omnia conformata erant, ſine vlla mutatione ſeruaturum, nec intercalationem nouam quamcunque admiſſurum eſſe. An non quiuis videt, Sacra Apidis, ad nouam anni formam, a Sacerdotibus attemperata, et Deum hunc, anni Aegyptiorum vagi, quem et Sacrum nominare poſſis, Numen quoddam Tutelare conſtitutum fuiſſe? Haec omnia non obſcure docent, quod et Scriptores fide dignos teſtari

* *Scholiaſtes Germanici* in Aratea p. 120. Edit. Sant-Andr. de A. 1583.

** Vide FABRICII Biblioth. Latin. Vol. I. p. 391. in not.

*** in mea Editione legitur *Aegypti Memphis*, quod correxi, vt editum eſt.

† in HENRICI VALESII Excerptis Peireſcianis p. 354.

teſtari vidimus, anni vagi Aegyptiorum, a Sacerdotibus conſtituti, et Apidis honoribus diuinis donati, vnam eandemque eſſe epocham.

Reſpondetur obiectioni. Vitulus aureus, ab Iſraëlitis in deſerto cultus, proprie non fuit Apis.

§. 16. Neque vero obieciſſe mihi iuuabit, Iſraëlitas conflando vitulum aureum in deſerto, idololatriam Aegyptiorum imitatos tantum fuiſſe, ex quo ſequatur, cultum bouis Aegyptiacum, exitu Iſraëlitarum ex illa regione, antiquiorem eſſe. Largior enim libenter, idololatriam Iſraëlitarum, vitulum aureum in deſerto fingentium et poſtea adorantium, imitationem tantum eorum fuiſſe, quae in Aegypto viderant, et ipſi forte perpetrauerant. Non inficias eo, Aegyptios iam diu ante boui ſupplicaſſe et ſacrificaſſe; verum nego, bouem illum fuiſſe noſtrum Apim. Exiſtimo antiquiſſimum bouis in Aegypto cultum, ſedem habuiſſe Heliopoli, quae vrbs etiam prima eſt in illa regione, * cuius tanquam Sacris idololatricis pollutae, Scriptura mentionem facit. Vulgo autem notum eſt, in illa eadem vrbe, bouem fuiſſe, religione Aegyptiorum priſca ſacratum, quem gens illa ſermone vernaculo *Mneuin* dixit, et de quo nos etiam cap. IV. huius libri quaedam diſſeremus. Bouem hunc auguror ſymbolicam fuiſſe temporibus antiquiſſimis imaginem Solis, ſumma religione Heliopoli ab omnibus culti. Et obſeruarunt etiam veteres conceptis verbis, ** taurum hunc in Aegypto Oſiridi, ſiue Soli, ſacrum fuiſſe. Tradunt quidem veteres, Deum illum Heliopolitanum *Mneuin*, exiſtimatione, celebritate ac honore, multum conceſſiſſe *Apidi*, Memphitarum tauro. Verum hoc de temporibus illis intelligendum eſt, quibus res Aegyptiorum Graecis perſpectae et familiares euaſerunt. Vti magnus Helio-

* Videri poſſunt *Prolegomena*, §. 9.

** Plura eam in rem attuli, in *Remphah illuſtrato* p. 57. 58.

Heliopolitarum Deus, ΦΡΗ, *Sol*, ſimpliciter ita dictus, proceſſu temporis, poſtquam in pleraque Templa *Oſiris* admiſſus eſſet, a priſtina exiſtimatione, in qua fuerat apud omnes, non mediocriter defecit, ita quoque ſymbolica, ſed viua, eius imago *Mneuis*, multum de priori ſplendore amiſit, vbi ad adorandum *Apidem* tota ſenſim Aegyptus conſurrexit. Si PLINIO credimus Lib. XXXVI. cap. 8. *Ramiſes* rex Aegypti, *obeliſcum poſuit, vbi fuit Mneuidis regia*, et ſi * VIGNOLII noſtri calculos probamus, rex ille regnauit Heliopoli, annis circiter quinquaginta ante natiuitatem *Moſis*. *Illa* igitur iam aetate *Mneuis regiam* ſiue *Templum* habebat Heliopoli, quod fuiſſe *Solis Templum*, ſubinnuit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 100. Ex quibus, iis quae dixi, lux affunditur non contemnenda. Obſeruari vero etiam meretur, quod PLVTARCHVS retulit, ** *ſecundum quosdam Mneuidem patrem haberi Apidis*. Id enim proprie intelligi nullo modo poſſe, ex iis quae §. 4 diſputauimus, clare pateſcit. Erat igitur locutio illa ſymbolica et allegorica, qua nihil aliud, niſi hoc ſignificatum fuiſſe arbitror, *Mneuidem* tempore antiquiorem et priorem extitiſſe *Apide*, et hunc priori poſtea ſucceſſiſſe, vt patribus filii ſuccedunt. Ignarus non ſum, aduerſus ea, quae hactenus de Apidis Mneuidiſque aetate aſſerui, non ſine magna ſpecie obiici poſſe, quod in Dynaſtia MANETHONIS ſecunda, quae dicitur *Thinitarum*, vti ab AFRICANO et EVSEBIO deſcripta eſt, legitur. Rex illius Dynaſtiae ſecundus vocatur *** *Caeachos*, vel, vt alii habent, † *Chous*, deque eo obſeruatur, quod *regnante*

* *Chronologie Sacrée* To. I. p. 728.
** *De Iſide et Oſir.* p. 364.
*** Ita ex AFRICANO Syncellus p. 54.
† Ita ex EVSEBIO idem nomen hoc deſcripſit p. 55.

gnante ipſo, Apis Memphi, Mneuis Helioopoli, et hircus Mendeſius, diuinis honoribus donati fuerint. Vixit autem rex ille Thinitarum, ſi calculis ſtamus MARSHAMI et VIGNOLII, aut ante, aut non ita diu poſt Abrahami natiuitatem, ac antequam Patriarcha hic proficiſceretur in Aegyptum. Hoc igitur, ſi res ita vere ſe haberet, meam ſententiam funditus euerteret. Duo hic occurrunt, quae mihi negotium faceſſunt. Nam 1) aſſeueratur, cultum Apidis in Aegypto,, Seculis pluribus anteuertiſſe exitum Iſraëlitarum, et ipſo Abrahami in eam regionem aduentu eſſe antiquiorem. Ex eo quidem ſequeretur, Aegyptios in Apide non potuiſſe venerari memoriam Ioſephi, vt qui tam diu poſt lucem demum adſpexerit. Verum et id tamen ſequeretur, cultum Apidis multo eſſe antiquiorem, atque ego hic adſtruere annisus ſum. Quod ſi ipſae MANETHONIS Dynaſtiae hodie ſupereſſent, totum hoc negotium, paucis, vt mihi perſuadeo, expediri poſſet. Verum nunc ea tantum habemus, quae ex iis AFRICANVS, et poſtea EVSEBIVS excerpſerunt, et quae ex his diu poſt, SYNCELLVS deſcripſit, ac in pauca contraxit. Ipſa SYNCELLI inſpectio vnumquemque confeſtim docebit, ab AFRICANO, ſaepe vehementer diſcrepare EVSEBIVM, ſuntque permulta ſane indicio ac documento euidenti, vtrumque pro lubitu Dynaſtias illas correxiſſe et mutaſſe, iiſque de ſuo paſſim, quae videbantur, addidiſſe, quod alios etiam poſt ipſos eorumque exemplo feciſſe, valde credibile eſt. In his igitur explorandis, caute verſari oportet, quod inprimis in additionibus, ex quarum numero et illa eſt, quam attuli, locum habet. Sufficit mihi, ipſum SYNCELLVM, quod §. 15 docuimus, forte ex EVSEBIO, aut AFRICANO, aut etiam ex ipſo MANETHONE, longe aliud tradere, Apidis nempe

cultum, exitu Iſraëlitarum ex Aegypto recentiorem eſſe annis pluſquam trecentis. Et probauimus, hoc rei ipſi longe melius congruere, et indiciis non paucis, egregie confirmari. 2) Ex eodem, quem hic examinamus, loco, aduerſus me legitime probari poſſe videtur, initia idololatriae in Aegypto, aduentum Abrahami in hancce regionem anteceſſiſſe, adeoque longe antiquiorem eſſe, quam ego concedi poſſe, * alio loco aſſeueraui. Multa equidem ad aſſerendam meam ſententiam, aduerſus iſtud teſtimonium, excipere ac reponere poſſem; ſed quae diſcuſſionem peculiarem et paulo *prolixiorem* poſcerent. Satis ergo mihi fuerit, *reſpondiſſe*, locum illum totum valde eſſe, et *ſuo merito*, ſuſpectum, et talia continere, quae cum hiſtoria conciliari bene omnino non *poſſunt*. Quare non poſſum non credere, haec ex *auctoribus* fidei ſubleſtae, ad Manethonis Dynaſtias *adiecta*, et inſuper res, de quibus ſermo eſt, et tempora, quibus quidque eveniſſe dicitur, oppido inter ſe confuſa et permixta fuiſſe. Non maiorem rationem habere poſſum alius traditionis, cuius meminit ARTAPANVS, antiquus rerum Iudaicarum Scriptor, ** Cephrenem, regem Aegypti, Moſi tempore aequalem, bouem Apim ad honores diuinos euexiſſe. Nam cum traditiones veterum hac de re, quas modo attulimus, ſibi inuicem e diametro repugnent, non tam ad traditiones ipſas, quam potius ad rationes, quibus vnaquaeque illarum nititur, attendendum nobis eſt.

Apis Symbolum fuit Nili, ſicut

§. 17. Cultus *Apidis* in Aegypto, non fuit hiſtoricus, cuius nempe fundamentum eſſet hiſtoria rerum a viro quopiam celebri geſtarum; ſed ſymbolicus, qualis

* In *Prolegomenis*, §. 5. ad §. 9.

** Apud EVSEBIVM Praep. Euang. Lib. IX. cap. 27.

qualis erat etiam cultus reliquorum Numinum Aegypti, qui ad rerum naturalium aut cauſas, aut effectus referebatur. Id profecto teſtantur omnia, quae de Apide a Sacerdotibus Aegypti perhiberi ſolita, ſupra fideliter retulimus. Quod ſi autem haec omnia recta lance expendo, ac inſuper vetuſta Monumenta, *Tabulam* praeſertim *Bembinam*, in ſubſidium voco, dubitare amplius non poſſum, *Apidem* in Theologia et cultu Aegyptiorum habitum fuiſſe Symbolum Sacroſanctum Nili, aut potius fertilitatis, quam fluuius hicce agris Aegyptiorum inducebat. Si ad rem hancce, ipſum bouis animal, quo Apidem ſuum repraeſentabant Aegyptii, ſpectare aſſeruero, nihil abſurdi aut a moribus veterum abhorrens dixero. *Bos* certe, aut *cornua bouina*, Poëtis vetuſtis, Graecis et Romanis, Symbola ſolent eſſe valde familiaria *fluuiorum*. De *Acheloo* fluuio, Deianira apud SOPHOCLEM in *Trachiniis* v. 11. ait, quod nonnunquam ſpeciem viri capite bubulo inſignis adſciuerit, ad quae haec notat *vetus Scholiaſtes*: Οἱ ποταμοὶ ταυρόκρανοι διετυποῦντο, ἢ ὅτι μυκηθμῷ εἰσὶ παραπλήσιοι (ταύροις) περὶ τὰς ἐκβολάς. Ὅμηρος:

etiam boues olim [illegible]iorum fluuiorum.

* Τοὺς ἔκβαλε θύραζε μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος.

ἢ ὅτι σχίζουσι τὴν γῆν ὡς οἱ βόες· ἢ διὰ τὸ τὰς νομὰς παρὰ τοὺς ποταμοὺς εἶναι. *Fluuii cum capitibus bubulis fingi ſolebant, vel quod, vbi ſe in mare effundunt, mugitum ſoleant edere, taurino ſimilem. Homerus de Achille ait:*

Hos eiicit foras, mugiens tanquam taurus.

vel quod tanquam boues terram arando ſcindant, vel denique, quod apud fluuios paſcere ament boues.

 Pluri-

* Iliad. Lib. XXI. 237.

Plurima exempla fluuiorum a Pictoribus Sculptoribuſque hunc in modum effingi ſolitorum, adducit AELIANVS Variar. Lib. II. c. 33. Et plura vtique, cum ex nummis, tum ex veterum teſtimoniis huc ſpectantia afferri poſſent, niſi hoc quicquid eſt, * a viris doctiſſimis dudum iam erudite illuſtrata deprehenderem. Vero autem perquam ſimile eſt, ſymbolicam hanc fluuiorum repraeſentationem, ab Aegyptiis ad Graecos perueniſſe, cum hinc quidem conſtet, Scripturam hieroglyphicam natam eſſe in Aegypto, illinc vero multis modis teſtatum ſit, vſum illius Symboli, de quo nunc diſſerimus, apud Graecos extitiſſe antiquiſſimum. *Id igitur etiam* Aegyptiis ſubinnuiſſe videtur *Apis.* Erat ſymbolica imago Nili. Inſuper vero *etiam*, per bouem pinguem, ** quales nobis deſcribuntur Aegyptii, et qualem ſemper fuiſſe *Apidem*, per ſe facile intelligitur, et in *Tabula* quoque *Bembina* ſcite depictum cernitur, videntur Aegyptii quoque ſubinnuiſſe fertilitatem terrae. Id enim ex ſomnio Pharaonis, Geneſ XLI. 2. 18. 26. 29. non inepte colligitur. Et non parum hoc illuſtratur ex APVLEIO, qui Lib. XI. Metam. pompam Iſiacam deſcribit, vbi et hoc refert p. 262: *Erat et bos omniparentis Deae* (terrae) *foecundum ſimulacbrum.* Neque PLVTARCHVS obſeruare hoc neglexit, *** *bouem ſymbolicam imaginem eſſe terrae* apud Aegyptios. Et Symbolum hoc † Orientalibus in vniuerſum oppido familia-

* SPANHEMIVS de vſu et praeſtantia Numiſm. Diſſ. V. p. 359. 360.

** ACHILLES TATIVS Eroticôn Lib. II. p. 99. PHILOSTRATVS de vita Apollon. L. I. c. VII. vbi addi poſſunt notae gallicae Domini d' EMBRY p. 124.

*** *De Iſide et Oſir* p. 366.

† TH. HYDE de Relig. vet. Perſar. cap. IV. p. 114. 115.

familiare fuiſſe nouimus. Ex his igitur licebit nobis concludere, Taurum Sacrum Memphiticum, ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, ſymbolice deſignaſſe Nilum fluuium, quatenus ille cenſebatur fertilitatis, quae Aegyptum beat et laetificat, cauſa proxima. Videtur id innuere fabula Sacerdotum de Apide myſtica, quam retulimus iam ſupra §. 4. Apim videlicet tum concipi, cum Luna lucem de ſe emittit genitalem, eaque tangatur vacca coitum appetens: Vnde et in Apide multa cernantur, figuris Lunae ſimilia. In hac fabula *Apis* mihi videtur ſignificare *Nilum*, cuius eſt ſymbolica imago. Generari is dicitur, quando Luna de ſe lucem genitalem emittit, quia credebant Sacerdotes, fluuium hunc poſt Nouilunium vernum incrementa polliceri, poſt Nouilunium vero aeſtiuum, re ipſa iam oſtendere. Βȣς ὀργῶσα, *vacca coitum appetens*, in fabula eadem ſubinnuere videtur terram Aegypti, Nili congreſſum appetentem. Verum id aliis quoque argumentis nunc communiamus.

§. 18. Id ergo argumento quoque erit, *Apidem* imaginem quandam fuiſſe *Nili* ſymbolicam, quod eum Sacerdotes *Oſiridi*, ſiue *Soli*, et *Lunae* ſacrum eſſe perhiberent. §. 3. Id enim ex Sententia Sacerdotum Aegypti, in fluuium ipſorum quam optime quadrat. Erat is *Oſiridi*, vel *Soli*, modo ſingulari conſecratus, vſque adeo, vt in Sacris quibusdam, ipſius *Oſiridis* nomen acciperet, quandoquidem habebatur * illius effectus, et defluxus quidam nobiliſſimus. Simulatque Sol hemiſphaerium noſtrum ſuperius contigerat in aequinoctio verno, ** exiſtimabatur deſiderata fluuii incrementa diſponere iam et ordinare. Qui vero ad adſcenſionem fluuii *Idem aliis argumentis confirmatur et illaſtratur.*

O 5 huius,

* Vide *Pantheí* huius Lib. II. cap. I. §. 4.
** Vide ibidem Lib. II. c. II. §. 7.

huius, oculis iam magis patentem, attendebant, affirmare conſueuerant, * *omnem abſceſſus eius originem de Sole concipi, primoſque fieri exceſſus tumores, cum per cancrum Sol vehatur.* Et in confeſſo eſt apud omnes, ** fluuii huius incrementa eſſe longe vberrima et maxime conſpicua, cum Sol Leonem tranſit. Merito igitur *Apis*, imago quippe *Nili*, Soli erat ſingulari ratione dicatus ſacerque. Eadem vero de cauſa, Taurus ille Memphiticus, *Lunae* pariter ſacer, ac reluti proprius cenſebatur. Idque ipſum notae quaedam, quae Tauro huic inerant, diuinamque eius originem probare credebantur, omnibus videbantur manifeſtum facere. Erat inter illas vna, quae perhibebatur referre *** *τὸ μηνοειδὲς τῆς σελήνης*, quod PLINIVS Lib. VIII. c. 46. dixit, *candicantem maculam in dextro latere, cornibus Lunae creſcere incipientis.* Plura de hac nota videri poſſunt §. 5. Haec Apidis nota diuerſa non eſt, vt opinor, ab illa, quae teſte AELIANO † *deſignabat adſcenſionem Nili.* Tradebant enim Sacerdotes, †† tempore ſtato, per Lunam creſcere incipientem, Nilum commoueri, ac ad creſcendum excitari. Secundum Aegyptios igitur, *Luna noua* cauſa erat incrementi Nilotici. Ex his quae diſputauimus, ſatis iam patet, Solem Nili quodammodo patrem, matrem vero Lunam habitos fuiſſe. Cui doctrinae quid poterat eſſe conuenientius, quam vt *Apis*, viua *Nili* imago, vtrique, *Soli* et *Lunae*, ſacer et veluti proprius haberetur?

§. 19.

* SOLINVS c. 32.
** *Pantheon* Lib. II. c. IV. §. 10.
*** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.
† loc. cit.
†† Vide *Pantheon* Lib. III. cap. I. §. 5.

§. 19. Ad ea quae obſeruauimus, alia etiamnum rei huius indicia et argumenta adiungi poſſunt, non minus luculenta. Talia ſunt, 1) quod inter ſigna, quae originem Apidis diuinam demonſtrare perhibebantur, eſſet etiam aliquod, quo Nili adſcenſus et incrementum ſubinnueretur. Dixi quidem §. 18, ſignum hoc mihi videri non differre a macula Lunae corniculantis; verum quomodocunque res haec ſe habeat, id ſaltem hinc abunde perſpicitur, Sacerdotes aliquod in Apide ſuo ſignum, ad hunc modum interpretatos eſſe, eoque ipſo, tauri huius ſacri, ad Nilum illiuſque incrementa relationem ſubinnuere conſueuiſſe. 2) Inter Traditiones Sacerdotales de Apidis Numine, et haec iactabatur, * Apidem, *ſi omnibus ſignis conſummatus repertus eſſet, vbertatem frugum, diuerſaque indicare bona.* Et habebatur ille etiam ** αἴτιος φορᾶς καρπῶν καὶ εὐετηρίας, *auctor vbertatis frugum, et fertilitatis totius anni.* Illam vero *vbertatem frugum* Aegypti incolae, a Nilo tantum in agros ſuos ſe effundente ſperabant atque expectabant. Hunc igitur fluuium, vti nec minus beneficia, quae ab eius adſcenſu regioni ſuae pollicebantur Aegyptii, Apide ſuo quaſi adumbrari, et diuinitus quodammodo obſignari, perſuaſi erant. 3) Quo vero indicio, Sacerdotes id quod hic adſtruo, luculentius teſtari potuerunt, quam quod vitulum ſuum ſacrandum, et iam iam honoribus diuinis donandum, omnium primo deducerent *Nilopolim*, ibique ad dies XL, a Sacerdotibus ſollicite ali iuberent? §. 6. *Nilopolis* vrbs Aegypti mediae, nomen traxerat a *Nilo*, Numine illic prae caeteris religioſiſſime culto. Erat igitur *Nilopolis* vrbs fluuio Nilo tota conſecrata, cultuique

Idem argumentum continuatur.

* AMMIANVS p. 245.
** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.

tuique eius vnice dicata. In huius vrbis Templo Apis initiabatur, et ad diuinos honores, quibus donandus poſtea erat, rite inaugurabatur, et ſic iam ab omnibus populis Aegypti adorandus ac ſacrificiis propitiandus, Memphim auehebatur. Quid? an non hoc argumento eſt, Apidem honorem ſuum omnem et ſplendorem, a Nilo mutuari, ideoque illi primum conſecrari, vt ei ſacratus, et quaedam eius imago factus, Aegyptiis omnibus adorandus rite proponi poſſet? 4) Neque vero id taceri hic debet, Apidem, poſtquam ſpatio plurium annorum, honoribus diuinis fruitus eſſet, et terminum vitae praeſtitutum attigiſſet, a Sacerdotibus necari et fonte quodam Nili ſacro mergi conſueuiſſe, §. 10. Fueritne id re ipſa factum, dixi in dubium vocari merito poſſe, §. 11; ſed ita tamen credere populum iubebant Sacerdotes, ideoque fabulis ipſorum myſticis ſacris accenſeri debet. Quo quidnam quaeſo innuere voluiſſe credi poſſunt? niſi hoc, Apidem honores diuinos, quos a Nilo mutuatus eſſet, eidem nunc morientem reddere, vt in ſucceſſorem eius transferri poſſent.

Apidis Natales eo celebrabantur tempore, quo Nili fluuii incrementa conſpicua fiebant.

§. 20. Verum id ante omnia, obſeruatione noſtra dignum eſt, quod Aegyptii Natales Apidis ſui, et primitias incrementi Niliaci, vbi nempe conſpicuum fieri iam coeperat, eadem anni tempeſtate celebrarent. Docet hoc AELIANVS illo capite, in quo Aegyptiorum de Apide Theologiam explicat, vbi et hoc addit: * Πομπὰς δὲ ἃς πέμπουσι καὶ ἱερουργίας (ſupple ἃς) ἐπιτελοῦσι τοῦ νέου ὕδατος καὶ δαίμονος τὰ θεοφάνια θύοντες Αἰγύπτιοι, καὶ χορείας (ἃς) χορεύουσι, καὶ θαλίας καὶ πανηγύρεις ἃς ἐπιτελοῦσι· καὶ ὅπως αὐτοῖς καὶ πόλις ἅπασα καὶ κώμη δι᾽ εὐφροσύνης ἔρχεται, μακρὰ ἂν εἴη λέγειν.

Iam

* *De Animal.* Lib. XI. cap. X.

Iam vero quas pompas inſtituant, quae ſacrificia peragant Aegyptii, cum nouae amnis alluuionis aduentum, tum Dei (Apidis) *exortum celebrantes, quas etiam ſaltationes tum agant, quae conuiuia agitent, quos conuentus habeant, quemadmodum denique omnes vrbes et vici immortaliter gaudeant, longum eſſet explicare.* Vides Lector, Aegyptios primitias noui incrementi Niliaci, et τὰ θεοφάνια, *memoriam ortus Apidis*, eodem tempore concelebraſſe, ita vt vno veluti feſto vtriuſque beneficii memoriam peregerint. Nam per θεοφάνια δαίμονος, aut *ortum Apidis*, aut illius rei *memoriam ſolennem* ſignificari, res ipſa ſatis indicat, cum eo loco AELIANVS de Apide tantum diſſeruerit. Et opportune ſuccurrit locus HERODOTI, quo rem hanc eandem, et iiſdem pene verbis perſequitur Lib. III. c. 27: Ἀπιγμένε δὲ Καμβύσεω ἐς Μέμφιν, ἐφάνη Αἰγυπτίοισι, ὁ Ἆπις· —— ἐπιφανέος δὲ τέτε γενομένε, αὐτίκα οἱ Αἰγύπτιοι εἵματα ἐφόρεον τὰ κάλλιςα, καὶ ἦσαν ἐν θαλίῃσι. *Cum autem Cambyſes Memphim perueniſſet, Apis apparuit Aegyptiis:* ——— *Quia autem is apparuerat, Aegyptii veſtes induebant quam pulcherrimas, et conuiuia multa cum laetitia celebrabant.* Ipſi autem Sacerdotes, laetitiae communis rationem hanc apud eundem Scriptorem reddunt, ὥς σφι θεὸς παρείη φανεὶς, διὰ χρόνε πολλὲ ἐωθὼς ἐπιφαίνεσθαι· καὶ ὡς ἐπεὰν φανῇ, τότε πάντες οἱ Αἰγύπτιοι κεχαρηκότες ἑορτάζοιεν, *quod Apis modo ipſis aduenerit, ſibique apparuerit, quod nonniſi poſt longum temporis interuallum fieri ſoleat, ideoque omnes laetam celebrent ſolennitatem.* Perſpicuum eſt, AELIANVM ad haec HERODOTI verba alluſiſſe, quando θεοφάνια δαίμονος, et inſtitutas in honorem eius θαλίας ac πομπὰς, et ἱερεργίας, et χορείας, et πανηγύρεις commemorat. Eleganter autem ea, quae ex AELIANO nunc obſerua-

ſeruauimus, natalem Apidis, et laetitiam Aegyptiorum, ob conſpectas primitias incrementi Nilotici, eodem tempore, et eadem ſolennitate conſueuiſſe celebrari, ex *Tabula Bembina*, illuſtrari iuxta, ac confirmari poſſunt. Nam in ipſo Segmenti ſecundi principio, oculis noſtris obiicitur *Apis.* Infra ipſum conſpicitur *Nilometrium*, de quo dubitare nemo poterit, qui figuram hanc, cum imaginibus *Mikiae*, vel *Nilometrii*, quod Cahirae hodieque viſendum eſt, inque * peregrinatorum quorundam itinerariis accurate depictum cernitur, conferre operae pretium putauerit. Ouum enim ouo ſimilius eſſe non poteſt, atque figura *Tabulae Bembinae*, Nilometrio Cahiriano. Nilometrium illud, de quo nonnulla ** antehac obſeruaui, quae *Tabulae Bembinae* aliquid lucis adferre poterunt, mihi luculento indicio eſt, deſignari hic aliquod Feſtum, in honorem Nili inſtitutum. Et Apis ſupra Nilometrium conſtitutus, ſatis nos admonet, eodem tempore, memoriam Apidis, ritibus religioſis ſolenniterque ab Aegyptiis fuiſſe celebratam. Quid? an non clare deſignatur ſacra illa Solennitas, cuius AELIANVM facere mentionem intelleximus?

Argumentum idem pluribus ex Tabula Bembina illuſtratur.

§. 21. Obſeruatum *** alio loco iam eſt, ſacram illam ſolennitatem, quae per *Nilometrium* ſubinnuitur in *Tabula Bembina*, a Graecis vocari Νειλῶα, id eſt *feſtum Nili*, eamque in Solſtitium aeſtiuum ingruiſſe. Quando vero cum hoc laetiſſimo Aegyptiorum feſto, AELIANVS coniungit θεοφάνια Apidis, quod *Tabula Bembina* mirifice confirmat, quaeri non abs re poteſt, num non imago *Apidis*,

* Voiage troiſieme de PAVL LVCAS To. I. p. 322. MAILLET Deſcription de l'Egypte Part. I. p. 82.

** Lib. III. c. I. §. 15.

*** Lib. IV. c. I. §. 16.

Apidis, in Tabula illa, cum *Nilometrio* coniuncta, indicium ſit manifeſtum Natalium Apidis, in hoc ipſum tempus a Sacerdotibus coniectorum. Vt quaeſtioni huic rite ſatisfaciamus, duo obſeruaſſe non poenitebit. Et 1) quidem tenendum, θεοφάνια Apidis in Aegypto duplicis fuiſſe generis. Quaedam non celebrabantur, niſi *poſt longum temporis interuallum*, vt loquitur HERODOTVS, quando nempe Apide fato functo, alius nouus inuentus, priorique ſucceſſor datus eſſet. De his θεοφανίοις loqui HERODOTVM et SVIDAM, (vide §. 9. 20.) ambigi non poteſt. Alia vero, viuente etiamnum Apide, quouis anno celebrabantur, quo tempore incrementi Nilotici primitiae conſpiciendae iam erant, vt nos docuit AELIANVS §. 20, qui ſine dubio de his loquitur, non minus atque Scriptores alii, adducti §. 9. Et haec quidem θεοφάνια, niſi valde fallor, in *Tabula Bembina* contemplationi noſtrae obiiciuntur. Deinde 2) et hoc monendum eſt, videri mihi θεοφάνια Dei Apidis, ab eiuſdem natalibus nonnihil diſtuliſſe. Latius patebant bouis iſtius ſacri θεοφάνια, quam natales. Si arcanum ſenſum *Tabulae Bembinae*, hoc in loco diuinando recte aſſecutus ſum, totum illud ſpatium, quod in Segmento ſecundo, a figura Apidis, vſque ad Segmenti medium, quod Iſis occupat in throno ſedens, extendi videmus, ad θεοφάνια pertinet, finis vero huius ipſius ſpatii, natales Apidis nobis in imagine ſymbolica repraeſentat. Complectitur ſpatium hoc totum, tempus menſtruum, aut potius dierum XXIX. Tempus hoc auſpicatur *Apis*, quem Sacerdotes cura exquiſita et enixo ſtudio proſequuntur. An non id ſignificat, Aegyptios ea anni tempeſtate, Sacra huius Tauri ſolenniter celebraſſe? Et forte tempore eodem Apis naui in ſpeciem thalami conſtructa, quam veteres *baridem* nuncupant, Nilo vehebatur, popu-

populiſque oſtentabatur. Tale quid certe in Limbo, qui *Tabulam Bembinam* ambit, depictum cernitur num. 12. Et fieri potuit, vt ea de cauſa ſolennitatem hanc θεοφάνια, quaſi dicas *apparitionem Dei*, denominauerint. Ab hac figura *Apidis*, vſque ad imaginem *Iſidis*, in throno ſedentis, quae *Sothin*, ſiue *noui anni principium* deſignat, cenſebantur effluxiſſe dies XXIX. Nam *Apis*, cum infra conſtituto *Nilometrio*, ſignificat *Solſtitium aeſtiuum*, quod * alibi oſtendimus. *Iſis* vero hic in throno ſedens, quod modo nunc, et ** ſaepius antehac monuimus, repraeſentat *Sothin*, ſiue *ortum Caniculae*, a quo annum ſuum Aegyptii veteres auſpicabantur. A Solſtitio vero, vſque ad Caniculae ortum, numerantur *** dies fere triginta; aut vt VARRO de re Ruſt. Lib. I. cap. 28. dies XXIX. Pulchre hoc, ratione quadam myſtica, ſubinnuit *nodus*, quem etiam in *Tabula Bembina*, Apis ſub lingua habet, et quem veteres *cantharum* vocant, §. 5. Nam *nodus*, quem in *Tabula* conſpicimus, ex mente Sacerdotum repraeſentabat κάνθαρον, id eſt *Scarabaeum.* Ferebatur autem de Scarabaeo, traditio Sacerdotalis myſtica, † eum foetum ſuum, in quo efformando non aliter verſetur, atque Sol in producendo mundo, intra dies XXVIII. ad maturitatem perducere, et die XXIX in lucem edere. Nodus ille

* Lib. IV. cap. I. §. 16.

** Lib. I. cap. III. §. 14. Lib. III. cap. II. §. 5.

*** PLINIVS Lib. XI. c. 14. COLVMELLA de Re Ruſt. Lib. IX. cap. 14. et ante hos HIPPARCHVS Lib. II. ad Arati Phaenomena p. 212. Edit. Petauianae. PLVTARCHVS de Iſide p. 355. AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 15. PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. IV. p. 376. et prae ceteris videndus HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 10. et CORN. à PAVW in notis ad eum.

ille itaque myſtice nobis hic ſubindicat, a Solſtitio verno, vſque ad ortum Caniculae, * quem Sacerdotes natalem mundi nuncupare ſolebant, dies intercedere XXVIII, et diem XXIX, eſſe ortum Caniculae, ſeu mundi natalem. Illa igitur effigies *Tabulae Bembinae*, quae *Apidem* nobis exhibet, deſignat quidem illius θεοφάνια, at non natales, quippe qui in finem demum huius interualli dierum XXIX incidunt, et notam quoque characteriſticam prae ſe ferunt, in qua, ſi recte attendatur, aberrari non poteſt. Nam in imagine, quae eſt ab Apide noſtro tertia, in Editione autem Amſtel. Friſii, litera X deſignatur, repraeſentatur Aegyptiorum *Thoth*, ſiue *Mercurius* ſedens, corporique caput Ibidis alitis ſuperadditum habens. Sellae cui inſidet, duo crocodili placide et tranquille ſubiacent, quod in tam fera beſtia ſane mirandum eſt. Quae ad iſtam imaginem LAVR. PIGNORIVS, vir praeclarae eruditionis laude minime defraudandus, eſt commentatus, parum profecto lucis illi affundunt. Illud tamen p. 43 bene omnino et opportune monuit: '*Inter Ibin et crocodilum, ea intercedit* ἀντιπάθεια, *vt ſolo Ibidis pennarum contactu* (*ſi Aeliano credimus*) *crocodilus ſtatarius fiat.* Bene haec, inquam, vir etiam de *Tabula Bembina* optime meritus, et opportune obſeruauit. Nam in imagine noſtra, Mercurius *Ibidis* caput gerit, et ſellae eius ſubiecti crocodili placide quieſcunt. Sed AELIANI de Anim. Lib. X. caput 10, quod memoriae fidens citauit, id quod volebat vir egregius, non probat. Ibi enim nihil, quod huc referre poſſis, deprehendere licet. In mente omnino habuit haec HORAPOLLINIS de crocodilo verba Lib. II. cap. 81: Κροκόδειλον, ἐὰν ἴβεως πτερῷ θιγῇς, ἀκίνητον αὐτὸν εὑρήσεις. *Crocodilum*

* Vide *Pantheon* hoc Lib. III. cap. II. §. 6. 7.

codilum ſi Ibis penna tangas, immotum deprehendes. Hoc de Ibide et crocodilo populum credere iubebant Sacerdotes. Cum igitur hic videamus, Ibidi crocodilos pacate et placide ſubiacere, ſatis admonemur, crocodilos hos, depoſita omni feritate, cenſeri hic manſuetos et pacatos. Hoc vero aio certiſſimum eſſe natalium Apidis ſignum atque Symbolum. Supra enim, §. 9, didicimus ex PLINIO, Aegyptios iactare, *per ſeptem dies, quos natales Apis habent, crocodilos miteſcere, neminemque attingere.* Plura etiam ex aliis Scriptoribus, in ſenſum eundem, addidimus eodem loco. Et hi quidem dies, erant dies vniuscuiuſuis anni vltimi, quod *Bembina Tabula*, vti eam nunc explicui, per ſe docet. Videntur id quoque confirmare verba PLINII, qui loco iam citato, prioribus haec ſubnectit: *Octauo die poſt horam ſextam redit belluae feritas.* Nam et alibi idem docet Lib. X. c. 2. nouum annum *circa meridiem*, vel, quod plane idem eſt, *hora ſexta* incipere. Id eum igitur, in loco paulo ante allato, etiam ſignificaſſe auguror. Poteſt id ipſum ex eo quoque illuſtrari, quod ſupra obſeruauimus, §. 10, 12, 13, Apidis noui inaugurationem, ſemper cum noua periodo annorum XXV initium ſumſiſſe.

In illuſtranda Tabula Bembina pergitur.

§. 22. Supereſt, vt exponam, cur in *Tabula Bembina*, Feſtum *Niloorum*, per *Nilometrium* innuatur, et cum illo *Apis* coniungatur, quod ratione ſua carere non videtur. Dixi, *Nilometrium*, id eſt, *menſuram Nili*, nempe adſcendentis, Symbolum eſſe Feſti *Niloorum*, quod * circa Solſtitium aeſtiuum celebrabatur. Dies ille ſolſtitialis, in anno Aegyptiorum fixo, eſt Dies XII vel XIII menſis *Payni*, qui reſpondet *Iunii* noſtri diei XVII vel XVIII. Dies ille Aegyptiis ab antiquo, in hunc vſque diem maxime

* Vide ſupra, Lib. IV. c. I. §. 16.

xime feſtus, ac ſolennis fuit. Ab eo die, etiam nunc Aegyptii, in Liturgiis ſuis, quae tamen aeui ſunt vetuſtioris, * preces has Deo offerunt: *Dignare* o Deus, *fluuios plenitudine aquarum: benedic illis, fac vt adſcendant ſecundum menſuram ſuam.* Et talia etiam, cultores idolorum, eodem anni tempore, olim a Diis ſuis petiiſſe, quis dubitet? Hac nempe anni tempeſtate, *plenitudo fluuii*, et Nili adſcendentis *menſura* iuſta, vnica erat, aut certe praecipua, Aegyptiorum cura atque ſollicitudo. Illud cogitationibus ſuis continuo voluebant et reuoluebant, id a Diis quotidie precabantur. Et ex *Nilometriis*, Memphi, ac aliis etiam in vrbibus, conſtructis, qualē hodienum Cahirae ſupereſt, aeſtimare poterant, num Nili adſcendentis menſurae, ſpei ſuae ac expectationi reſponderent. Ideo hic in *Tabula Bembina*, videmus *Nilometrium* delineatum. Et illud quidem, quod hic nobis repraeſentari videmus, *Nilometrium*, facile quiuis videt, fuiſſe portatile, imaginem quandam et imitationem veri *Nilometrii*, quae geſtari manibus, in Pompis Niliacis publice circumferri, populoque oſtentari poterat. Meminerunt eius etiam veteres; eoſque inter RVFFINVS Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. c. 30. ſic de eo ſcribit: *Moris erat in Aegypto, vt menſura adſcendentis Nili fluminis, ad Templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum, et inundationis auctorem. —— Et ideo vlna ipſa, id eſt aquae menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſiam coepit deferri.* Verum quoniam haec vlna, vel menſura Nili adſcendentis, Alexandriae in Serapidis Templo aſſeruari ſolebat, eique idcirco ſingulari modo ſacrata fuiſſe videtur, plura hac de re dicere in ſequens caput, quod dicatum eſt Serapidi, diſtulimus. Ita res ſe habebat

* Vide *Miſcellanea Berolinenſia*, To. VII. p. 431.

Alexandriae, vbi Deorum omnium ſummus et maximus erat Serapis. Multa vero ſunt, quae mihi perſuadent, Memphi vlnam illam, tempore quidem autumnali, hyberno, et verno, repoſitam manſiſſe in Templo Serapidis priſci; ſed ſub aeſtiuum Solſtitium ex illo Serapidis Templo, ad Templum Apidis deferri conſueuiſſe, vnde ſaepius depromebatur, quoties Sacra Aegyptiorum et ſolennium Pomparum rationes id requirebant. Menſe vero Octobri vlna eadem in aedem Serapidis reducebatur, et illic nemini viſa, vſque ad ſequentem aeſtatem recondita latebat. Prius, vlnae nempe ex Templo Serapis in Apidis aedem deportatio, vt mihi quidem perſuadeo, *Tabula Bembina* indicat, in principio Segmenti ſecundi. Poſterius vero, vlnae videlicet in Serapis Templum reductio, adumbratur in Segmenti eiusdem fine. Hanc opinor eſſe rationem, ob quam cum *Nilometrio* coniunctum *Apidem* in *Tabula Bembina* cernamus.

Nomen Apis ex vetuſta Aegyptiorum lingua explicatur.

§. 23. Hiſce iam obſeruatis et rite conſtitutis, difficile non erit, *Apidis* nomen ex antiqua Aegyptiorum lingua interpretari. Graeci moribus ſuis inhaerentes, *Apidem* Memphitarum Deum, cum *Apide* ſuo Argiuo, vel cum *Epapho*, Ius ex Ioue filio, quem ſecundum quoſdam mater in Euboea, ſecundum vero alios, in Aegypto, enixa eſſe dicitur, eundem eſſe volunt. Verum fabulam iſthanc graecanicam, ab Aegyptiis conſtanter reiici, eoque rationem illius haberi nullam poſſe, AELIANVS ipſe Graecus, iam dudum obſeruauit Lib. XI. cap. X. Eam igitur et nos, vbi de interpretatione nominis ſumus ſolliciti, miſſam faciamus. Aliquando nomen *Apis*, non melius deduci poſſe exiſtimaui, quam a voce Aegyptiaca ϨⲎⲂⲒ, *habi*, quae *lugere* et *luctum* ſignificat. Vide Matth. V. 5. Marc. XIV. 10. Apocal. XVIII. 11. Et iſtius originationis haec nobis

nobis obuerſabatur ratio, quod, cum Apis fato functus eſſet, nouus ſemper magno cum *luctu* quaeri ſoleret, quod plurimis veterum teſtimoniis probauimus §. 13. At fateri tamen oportet, luctum Aegyptiorum magis ad Taurum illum ſpectaſſe, qui iam non amplius exiſtebat, quam ad eum, qui omnium Aegypti populorum maximum ac venerabile inprimis Numen erat. Hic potius maxima cum laetitia, inter epulas et tripudia, a cunctis excipiebatur. Et norunt etiam eruditi, non *Apidis* tantum; ſed et * pleraque alia Numinum Aegyptiacorum Sacra, luctu conſtitiſſe: vt proinde is *Apidis* Numini proprius et peculiaris vtique non fuerit. Quando igitur imaginem *Apidis*, ſupra *Nilometrium* conſtituti, quae in *Tabula Bembina* bis occurrit, meditate contemplor, ita iudicare cogor, *Nilometrium*, in quo gradus Nili adſcendentis numerari poterant, Symbolum *Apidis*, et aliquod eius inſigne fuiſſe, ex quo forte vera Numinis illius ratio, quam optime perſpici, et nomen quoque eius non incommode explicari poſſit. Nempe ΗΠΙ, *Api*, Aegyptiis dicitur *numerus*, eaque vox in Coptorum libris vbique occurrit. Eadem voce deſignatur etiam σύνταξις, Exod. V. 8. 11. 14. 18. quod interpres vulgatus illic vertit *menſuram*. Hinc crediderim deducendam eſſe vocem ΠΙ-ⲰΙΠΙ, *Pi-o-ipi*, vel *oipi*, quae certum aliquod *menſurae* genus deſignat Leuit. V. 11. VI. 20. Numer. V. 15. Hebraei, qui forte id menſurae genus ab Aegyptiis acceperunt, ſcribunt איפה, *Epha*, vbi interpretes Alexandrini plerumque habent οἰφὶ, et οἰφεῖ, quod propius ad typum

* PLVTARCHVS *de ſuperſtitione* p. 171. et *de Iſide* p. 379. DIODORVS p. 74. APVLEIVS de Deo Socratis p. 49. AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 22.

vocis Aegyptiacum accedit, nonnunquam vero vocem eandem interpretantur *μέτρον*, *menſuram*, quod vocem Aegyptiorum etymologice exprimit. A voce ⲎⲠⲒ eſt ϬⲒ-ⲎⲠⲒ, vel ⲰⲠⲒ, *numerare*, ϢⲒ-ⲰⲠ, *computare* aliaque ſimilia. Poterat igitur quam commodiſſime *Nilometrium* Aegyptiis dici ⲎⲠⲒ, *Api*, ſiue *numerus* et *menſura*. Etenim * *Nilometrium exhibebat lineas, interuallo cubitali a ſe inuicem diſtantes* — — *vt Nili tum incrementa, tum etiam diminutiones, indigenis monſtrarentur, qui NVMERO tectarum*, per aquas Nili, *aut nudatarum linearum, rationem exundationis aut defectus aquae METIRI poterant.* Et idem nomen conueniebat quoque optime Numini, in cuius tutela erat et Nilus ipſe, et ſigillatim *Nilometrium*, in quo Aegyptii gradus aſcendentis et decreſcentis Nili numerare poterant et ſolebant, quaſi diceres *Deum menſurae Nili.* Quod ſi etiam quis exiſtimauerit, nomen hoc Dei Apis, ei tributum quoque fuiſſe, reſpectu anni ab Aegyptiorum Sacerdotibus conſtituti, et numeris ſuis circumſcripti, quippe cuius ille habebatur Numen tutelare, §. 15, me non habebit ſententiae huic refragantem. Priorem tamen interpretationem non poſſum non praeferre.

HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 443. Edit. Bourdel.

CA-

* *

CAPVT III.

De Serapi terreſtri vel Nilotico, antiquiſſimo Aegyptiorum Deo.

Serapis, Deus Aegyptiorum antiquiſſimus, coeleſtis partim erat, partim Niloticus. De poſteriori hic agimus. §. 1. Serapis hic Memphi Templum habebat oppido vetuſtum, in quo ſepeliebatur Apis. Templi illius ſitus et locus excutitur. §. 2. Serapis hic ad Nilum referebatur, eumque adumbrabat. §. 3. Deo huic ſacrum ſingulari modo, inque eius tutela erat Nilometrium, vlna cubituſque Nili. Nilometrium deſcribitur. §. 4. De Nilometrio portatili, ſiue vlna cubitoque Nili. §. 5. Nilometria ſingulari ratione Serapidi fuiſſe ſacrata, probatur. §. 6. Teſtimonia hanc in rem adducta, reſpiciunt non tantum Serapim Alexandrinum; ſed et antiquiorem Memphiticum. §. 7. Eum in finem noua Pauſaniae explicatio offertur, et pluribus illuſtratur. §. 8. Res eadem alio argumento corroboratur. Nilometrium Memphiticum poſitum erat in Templo Serapidis in inſula. §. 9. Aliud ad probandam rem eandem argumentum adfertur. §. 10. Interpretatio nominis Serapis ex lingua Aegyptiaca, ſuppeditata a Plutarcho, examinatur. §. 11. Noſtra nominis eiuſdem interpretatio proponitur. §. 12. Oſtenditur, quomodo ex vno Serapi vetuſtiſſimo, ſucceſſu temporis duplex enatus fuerit. §. 13.

§. 1.

Serapis Aegyptiorum Deus antiquiſſimus, erat par-

Apidi ſubiungimus iam *Serapim*, vel, vt Graeci omnes ſcribere ſemper ſolent, *Sarapim*. Huic enim cum priori magnam interceſſiſſe cognationem, multaque fuiſſe communia, * plurima ſunt,

* Videri poteſt *Pantheon* hoc Lib. II. c. V. §. 8. et Lib. IV. cap. II. §. 12. 22.

tim coeleſtis, partim terreſtris Niloticus. De poſteriori hic agitur.

ſunt, quae teſtantur. Vtriusque Numen ad Nilum referebatur, ac fluuii huius fertilitatem ac beneficia ſymbolice adumbrabat. Erat autem Serapidis in Aegypto Numen multiplex. Ptolemaeus enim Lagides, ſiue Soter, Serapidi, Deo, vt vulgo creditur, Pontico, Alexandriam tranſlato, in vrbe hac regia Templum inuidendae magnitudinis et ſtructurae mirabilis, dedicari curauit, eique ritibus vt plurimum graecis ſacra fieri iuſſit. Dei huius aduenae et recentis cultus, mox Aegyptum totam; ſed et Graeciam ipſam, ac Latium, peruagatus eſt, ac illuſtris valde inter Graecos euaſit. Etſi vero cultus Dei huius aduenae, peregre in Aegyptum accitus eſſet, nomen tamen ille accepit Dei, ab antiquo tempore in Aegypto, Memphi cumprimis, religioſe culti et adorati, *Serapidis*. Deus hic Memphitarum peruetuſtus, referebatur partim ad Solem, haerentem nempe et latentem in hemiſphaerio infero, ideoque recte eum dici poſſe *coeleſtem*, monuimus Lib. II. cap. V, vbi Numen eius, quale id cogitationibus fingerent Aegyptii, ſatis, vt opinor, explicui. Partim vero idem referebatur ad *Nilum*, cuius et procedente tempore, Symbolum habitus eſt, eoque nuncupari ille commode poteſt *terreſtris* et *Niloticus*, de quo nunc nobis diſſerendum eſt.

Serapis hic Memphi Templum habebat vetuſtum, in quo ſepeliebatur Apis. Templi illius ſitus et locus excutitur.

§. 2. Serapidis huius, de quo loquimur, Templum longe antiquiſſimum, Memphi conditum, PAVSANIAS commemorat. Verba eius haec ſunt: * *Apud Aegyptios Serapidis Templa, clariſſimum quidem habent Alexandrini, antiquiſſimum vero Memphitae, ad quod neque peregrinis, neque adeo Sacerdotibus ipſis aditus patet, antequam Apim ſepeliant.* EVSTATHIVS doctus *Dionyſii Periegetae* interpres, affirmat Templum illud ſitum fuiſſe in Monte Sinopio prope

* in *Atticis*, vel Lib. I. c. XVIII. p. 42.

prope Memphim. Ita enim ad illius Poëtae v. 255 commentatur: Σινωπίτης Ζεὺς, ὁ Μεμφίτης, Σινώπιον γὰρ ὄρος Μέμφιδος. *Serapis, quem Poëta Iouem Sinopiten dicit, eſt Memphiticus. Nam Sinopium eſt Memphiticus mons.* Colebatur ergo Serapis priſcus Aegyptiorum Deus Memphi, aut prope Memphim, in monte, dicto *Sinopio*, ſi modo EVSTATHIVS id quod hic refert, ex fontibus limpidis ac certis hauſit, aut etiam mentem Scriptoris, quem ſecutus eſt, recte percepit. Credi poſſet STRABO hoc ipſum Serapidis Templum deſcribere voluiſſe, vbi de Memphi, lociſque vrbi huic vicinis loquitur. Sic enim is Lib. XVII. p. 555: Ἔστι δὲ καὶ Σεράπειον ἐν ἀμμώδει τόπῳ σφόδρα, ὥθ᾽ ὑπ᾽ ἀνέμων θῖνας ἄμμων σωρεύεσθαι, ἀφ᾽ ὧν αἱ σφίγγες, αἱ μὲν μέχρι τῆς κεφαλῆς ἑωρῶντο ὑφ᾽ ἡμῶν κατακεχωσμέναι, αἱ δ᾽ ἡμιφανεῖς. *Eſt etiam Serapeum*, (vel Fanum Serapidis) *in loco valde arenoſo, adeo vt quidam arenae colles a ventis exaggerentur: ibi vidimus Sphynges, alias quidem vſque ad capita obrutas, alias vero dimidia tantum ſui parte eminentes.* Et * ſuperſunt hodieque in illa regione, quam deſcribit STRABO, rudera tenuia Templorum, dudum iam vna cum ipſa vrbe Memphi, deſtructorum, veroque non parum ſimile eſt, occurrere inter illa reliquias etiam *Serapei*, cuius auctor laudatiſſimus meminit. Si tamen rem omnem recte et meditate excutio, adduci non poſſum, vt credam, *Serapeum* STRABONIS eſſe antiquiſſimum illud Serapidis Templum Memphiticum, in quo cadauer Apidis ſepeliri conſueuiſſe, ex PAVSANIA diſcimus. Hoc ſane trans Nilum, in parte Aegypti Orientali, aut potius in Inſula quadam Niliaca, prope Memphim, aedificatum fuiſſe videtur. Docent enim nos ** Scriptores

* MAILLET Deſcription de l'Egypte, Tom. I. p. 282. 283.
** Vide Libri huius cap. II. §. 12.

ptores optimi, cadauer bouis Sacri fato functi, naui ad Templum illud, in quo reponebatur, vehi debuiſſe. Nilum igitur traiicere, ratemque aut ad alteram fluuii illius ripam, aut ad inſulam aliquam, quales illic dantur plures, appellere oportuit. Vt vero ſententiam meam hac de re profitear, opinor, Templum Serapidis ſtetiſſe in illa Nili inſula prope Memphim, in qua *Nilometrium*, vti hodie, ita olim quoque viſebatur, aut potius illic loci, in Serapidis Templo, celeberrimum quondam illud Memphitarum *Nilometrium*, vel, vt alii loquuntur, *Niloſcopium* fuiſſe conſtructum. Eo me ducunt veſtigia quaedam non ita obſcura, in lingua veterum Aegyptiorum reperiunda, quae mox in lucem proferam. Antequam vero id aggrediar, oſtendendum mihi in anteceſſum erit, Serapidis Sacra a vetuſtis Aegyptiorum Theologis, ad Nilum fluuium relata potiſſimum fuiſſe.

Serapis hic ad Nilum referebatur, eumque adumbrabat.

§. 3. Serapidis Sacra ſpectaſſe ad Nilum, eiusque incrementa, ſatis nos docet SVIDAS, diligens veterum Scriptorum, etiam diu deperditorum lector, qui ex iis plurima adfert, quae alioquin ignorare nos oporteret. Ita autem is in voce Σάραπις. *Τȣ̃τον οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι, οἱ δὲ τὸν Νεῖλον· διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸν πῆχυν, ἤγȣν τὸ τȣ̃ ὕδατος μέτρον. Serapim quidam dicunt eſſe Iouem, alii vero eum interpretantur Nilum, eo quod in capite modium geſtet, vel calathum, et cubitum, ſiue menſuram Nili adſcendentis.* Quod ad *modium*, vel *calathum in capite* attinet, illum * Dei huius ſigna, ſtatuae, imagineſque omnes exhibere ſolent, etſi non ſemper eadem ratione effictum. Quidnam modius

* Vide praeter alios *l' Antiquité expliquée* de MONTFAVCON Tom. II. Planche CXXII. et CXXIII. Vide et Planche CLII. et CLIII.

modius illè in capite Serapidis innuat, non vna eſt omnium ſententia, vel potius coniectura. Simpliciſſima vero, ideoque tritiſſima, ac, vt ego quidem opinor, veriſſima eius eſt haec interpretatio: * *Calatho notatur copia rerum, quam Serapis mortalibus ſuppeditat.* Modio enim metiuntur frumenta, ideoque commode is ſignificat copiam et vbertatem frugum. Et forte modius in Serapidis capite, illud menſurae genus deſignat, quod Aegyptios dixiſſe ⲱⲓⲡⲓ, *Oipi*, monuimus ſupra Libro hoc, cap. II. §. 23. Ita RVFFINVS Symbolum hoc Dei Aegyptii interpretatur, Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 23. *Serapis capiti modius ſuperpoſitus —— quia indicet, vitam mortalibus frugum largitate praeberi.* Vnde vero frugum, bonorumque omnium copiam expectare ſolebant Aegyptii, niſi a Nilo? cap. I. §. 13. et ab Apide, quia ille Nili habebatur Symbolum. cap. II. §. 18. Qua ratione vero Deo eidem tribuatur *cubitus*, vel *menſura Nili adſcendentis*, quam Scriptores etiam vocare ſolent *vlnam*, id mox §. 5. 6. explicabimus. *Serapim* igitur Theologi Aegyptiorum, eundem cum Nilo eſſe volebant, certa nempe quadam ratione, aut eum incrementis fluuii ſui veluti praeſidere perhibebant. Ex eorum igitur placitis hoc de Serapi tradit ARISTIDES Rhetor: **. οὗτος ἄγει Νεῖλον ὥρᾳ θέρους, οὗτος χειμῶνας ἀνακαλεῖ. *Serapis eſt, qui tempore aeſtiuo facit, vt Nilus excreſcat. Idem tempeſtates coortas reuocat.* Et conſimilem in modum RVFFINVS loc. cit. obſeruat: *Alii Serapim putant virtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opibus et foecunditate paſcatur.* Cui alius

* MONTFAVCON vbi ſupra p. 297.

** Oratione *in Serapidem* circa fin. fol. 101. Edit. graec. Flor.

alius eiuſdem Scriptoris locus iungi poterit, mox adferendus §. 6. SOCRATES quoque memoriae prodidit Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 18. Aegyptios gloriari, *Serapim eſſe, a quo Nilus ad irrigandos Aegypti agros adduceretur.* Idque confirmari videmus, * nummo Alexandrinorum egregio, in cuius latere altero, Nilus, ſub imagine Senis iacens ſiſtitur, in capite modium gerens, hinc porro cornu copiae tenens, illinc vero ramum praeferens illius ** iunci, vt videtur, quem Aegyptii appellabant *Sari*, addita hac inſcriptione, DEO SANCTO NILO. Alterum latus caput Serapidis exhibet, cum calatho, vel modio, et iſta inſcriptione: DEO SANCTO SERAPIDI.

Deo huic ſingulari modo ſacrum, inque eius tutela erat Nilometrium, vti et vlna cubitusque Nili. Nilometrium deſcribitur.

§. 4. Verum ſingulari plane ratione, quod tamen ex dictis per ſe quodammodo conſequitur, Deo huic Serapidi ſacrum dicatumque erat *Nilometrium*, ſiue *menſura Nili* adſcendentis, et in agros Aegyptiorum ſe effundentis. Huiusmodi *Nilometria* in pluribus Aegypti, tum ſuperioris, tum inferioris, tum mediae, vrbibus conſtructa erant, inter quae celebritate eminebat Memphiticum. De hoc quidem DIODORVS *Siculus* iſta memoriae prodidit: *** Διὰ τὴν ἀγωνίαν, τὴν ἐκ τῆς ἀναβάσεως τοῦ ποταμοῦ γινομένην, κατεσκευάσαι Νειλοσκοπεῖον ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐν τῇ Μέμφει. Ἐν τούτῳ δὲ τὴν ἀνάβασιν ἀκριβῶς ἐκμετροῦντες οἱ τὴν τούτου διοίκησιν ἔχοντες, ἐξαποστέλλουσιν εἰς τὰς πόλεις ἐπιστολὰς, διασαφοῦντες πόσους Πήχεις ἢ πόσους δακτύλους ἀναβέβηκεν ὁ ποταμὸς, καὶ πότε τὴν ἀρχὴν πεποίηται τῆς ἐλαττώσεως. Διὰ δὲ τοιούτου τρόπου, τῆς

μὲν

Apud PIGNORIVM in Tabulam Iſiacam p. 81. Edit. Amſteled.

** Vide ſupra Libro hoc IV. cap. I. §. 6.

*** Lib. I. p. 33.

μὲν ἀγωνίας ἀπολύεται πᾶς ὁ λαὸς, πυθόμενος τὴν τῆς αὐξήσεως εἰς τἐναντίον μεταβολήν. Τὸ δὲ πλῆθος τῶν ἐσομένων καρπῶν εὐθὺς ἅπαντες προεγνώκασιν, ἐκ πολλῶν χρόνων τῆς παρατηρήσεως ταύτης παρ' αὐτοῖς ἀκριβῶς ἀναγεγραμμένης. Quae ex interpretatione RHODOMANNI id ſonant: *Propter metum vero ex inundatione oriundum, ſpecula Nili* (in qua nempe gradus Nili adſcendentis conſpici ac notari poſſunt) *a regibus, in Memphi exſtructa eſt, vbi menſura illius exacte cognita, negotii huius curatores, per literas ad vrbes, huc illuc miſſas, ſignificant, quot cubitis ac digitis fluuius adſcenderit, et quando decrementi fecerit initium. Ita populus de reciprocatione amnis edoctus, ſollicitudine et metu liberatur, et e veſtigio, quanta frumentorum copia ſit futura, omnes praenoſcunt, quoniam obſeruatio haec, per multas hominum aetates, diligenter in literas ab Aegyptiis eſt relata.* Poſt Nilometrium Memphiticum, plurima mentio apud veteres occurrit alius, quod plerique * in vrbe *Elephantine*, ſita in vltimis Aegypti partibus, qua Aethiopiae contigua eſt; alii vero ** *Syenae* ponunt. ARISTIDES vero Rhetor, teſtis rerum quas refert oculatus, Nilometrium illud *Syenitis* et *Elephantinis* commune fuiſſe ſubinnuit, vbi ſcribit, *** *Nili adſcendentis, Syenae et Elephantinae gradus numerari* XXVIII, quod † PLVTARCHVS de *Elephantinis* ſigillatim affirmat. Idque

* STRABO Lib. XVII. p. 562. PLVTARCHVS *de Iſide* p. 368.

** HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 442. 443. cum quo videtur conſentire ARISTIDES in *Aegyptio*, qui fol. 93. b. *puteum ſacrum Solis* commemorat. Erat vero *Nilometrium*, quidam *puteus* menſurae, vt veteres loquuntur. Vide infra §. 10.

*** In *Aegyptio* fol. 96. a. Edit. graec. Flor.

† Loco paulo ante cit.

Idque tanto eſt probabilius, quia vrbem vtramque ſolus Nilus fluuius, qui fluebat intermedius, ab inuicem ſecernebat. Quicquid vero ſit, STRABO, qui illud oculis ſubiecerat, locat id in vrbe aut inſula *Elephantine*, taleque nobis deſcribit Lib. XVII. p. 562: *Elephantine habet Nilometrium, ſicuti Memphis. Eſt autem Nilometrium puteus quidam in ripa Nili, ex lapide Syenitico conſtructus, in quo et maxima, et minima, et mediocria Nili incrementa adnotantur, nam putei aqua cum Nilo pariter creſcit atque decreſcit. Suntque in putei pariete lineae quaedam inſculptae, deſignantes incrementa et perfecta et alia*, (cubitorum nempe et digitorum.) *Haec igitur obſeruantes, aliis etiam ſignificant, vt de iis certiores fiant. Nam ex ſignis huiuſmodi ac indiciis, multo ante futura Nili incrementa cognoſcunt, idque omnibus praedicunt.* Omnium optime Nilometrium Syeniticum delineat nobis HELIODORVS, cuius ideo verba huc transſcribo, ex Aethiop. Lib. IX. p. 443: Οἱ δὲ τὴν Φρεατίαν τὸ Νειλομέτριον ἐδείκνυσαν, τῷ κατὰ τὴν Μέμφιν παραπλήσιον, συννόμῳ μὲν καὶ ξέσῳ λίθῳ κατεσκευασμένον, γραμμαῖς δὲ ἐκ πηχυαίου διαστήματος κεχαραγμένον· εἰς ἃς τὸ ποτάμιον ὕδωρ ὑπὸ γῆς διηθούμενον, καὶ ταῖς γραμμαῖς ἐμπίπτον, τάς τε αὐξήσεις τοῦ Νείλου καὶ ὑπονοστήσεις τοῖς ἐγχωρίοις διασημαίνει τῷ ἀριθμῷ τῶν σκεπομένων καὶ γυμνουμένων χαραγμάτων, τὸ ποσὸν τῆς πλημμύρας, ἢ τῆς λειψυδρίας μετρουμένων. *Illi autem puteum, quo Nili adſcendentis et rurſus deſcendentis gradus metiuntur oſtenderunt, ſimilem ei, qui eſt Memphi, ex lapide Syenite polito extructum, in quo lineae cubitali interuallo a ſe inuicem diſtantes, inſculptae erant: aqua autem fluuiatilis, per ſubtiles meatus ſubterraneos in puteum impulſa, et lineas attingens, Nili tum adſcendentis incrementa, tum deſcendentis decrementa indigenis oſtendit, qui numero linearum*

linearum, quas Nili aqua aut obtexit, aut viciſſim retexit, quantitatem et inundationis, et ſecuti deinde defectus dimetiuntur. Nihil vero deſcriptiones has Nilometrii Memphitici et Syenitici melius luculentiuſque illuſtrat, quam delineatio Nilometrii, quod hodie Cahirae, in inſula Nili, e regione veteris Mempheos, cernitur, quam induſtriae * peregrinatorum quorundam recentium debemus. Plura huiuſmodi Nilometria, vti dixi, in aliis per totam Aegyptum ciuitatibus conſpiciebantur. PLINIVS itaque Lib. V. cap. IX. de pluribus loquitur: *Auctus Nili per puteos menſurae, notis deprehenduntur.* Et nominatim PLVTARCHVS praeter Nilometria, *Elephantinum* et *Syeniticum*, ** meminit quoque *Mendeſii* et *Xoitici*, in Aegypto inferiori. *** ARISTIDES Rhetor *Coptici* in Thebaide, *Panopolitani* in eadem Aegypti parte, † *Scriptores Arabes*, qui et alia praeterea commemorant. *Hermunthi* etiam in ſuperiori Aegypto, fuiſſe Nilometrium, ex ruderibus, quae hodieque illic ſuperſunt, non abs ratione ſuſpicor. In illis enim obſeruatur †† lacus, in cuius medio columna apparet. Tales vero erant putei menſurarum, quos Graeci *Nilometria* vocitant. Et rem hanc ARISTIDES Rhetor in *Aegyptio* confirmat, fol. 93. b. vbi ait, Nilum in Praefectura Hermunthica ad cubitos XXX adſcendere.

§. 5.

* Voiage de PAVL LVCAS de l'an 1714. etc. To. I. p. 322. MAILLET Deſcription de l'Egypte, To. I. p. 82.

** *De Iſide* et *Oſir*. p. 368.

*** in *Aegyptio* fol. 96. a. verſus fin.

† MVRTADI, Scriptor Seculi XII. *de admirandis Aegypti* p. 216. Edit. gallicae.

†† POCOCK Obſervations on Egypt. p. 110. GRANGIER Voyage p. 71.

De Nilometrio portatili, ſiue vlna, cubitoque Nili.

§. 5. Haec vero Nilometria Serapidi ratione prorſus ſingulari ſacra dicataque fuiſſe exiſtimamus, idque ſupra monuimus. Quod vt tanto luculentius oſtendamus, ſciendum eſt, Aegyptios habuiſſe quaſdam talium Nilometriorum imagines ſacras, vel Nilometria portatilia, quae in Pompis ſacris, praeſertim Niliacis, circumgeſtare populoque oſtendere moris erat. Graeci Nilometria haec portatilia vocare ſolent πήχεις, quaſi dicas *cubitos*, ſiue *vlnas*, et his nominibus Scriptores latini eadem deſignant, nam gradus Nili adſcendentis maiores, interuallis cubitalibus, a ſe inuicem diſtincti erant. §. 4. Eo reſpiciens GREGORIVS *Nazianzenus*, de Nilo ait, * *μετρεῖν τὴν εὐδαιμονίαν τοῖς πήχεσι, quod exoptatam anni vbertatem incolis Aegypti cubitis admetiatur.* Et HIMERIVS Sophiſta in Oratione quadam: ** Πήχεις οἱ Αἰγύπτιοι τὴν αὔξησιν τοῦ Νείλου προσαγορεύουσι, καὶ μέτρῳ μετροῦσι τὰ νάματα, καὶ πανήγυρις αὐτοῖς ὁ πῆχυς γίνεται. *Aegyptii incrementa Nili cognominant cubitos, et hac menſura aquas ſuas metiuntur, et cubitus illis materia eſt ſolennium conuentuum.* Hunc vero πῆχυν, ſiue *cubitum* Nili, in eleganti imagine ſcite depictum oſtendit nobis *Tabula Bembina*, quod monuimus iam cap. II. Libri huius §. 22. Dixi illic, vſum illius praecipuum fuiſſe in Pompis ſacris, quod hic verbis HIMERII videmus roboratum. Et poſſet quis ſuſpicari, eundem illum *cubitum* Niliacum, a CLEMENTE *Alexandrino* deſignari, vbi ſolennem aliquam ſacramque Pompam Aegyptiacam deſcribit Stromat. Lib. VI. p. 633, vbi praeter alia et iſta leguntur: Ἔπειτα ὁ στολιστὴς τοῖς προειρημένοις ἕπεται, ἔχων τόν τε τῆς δικαιο-

* Orat. XXIX. in Opp. To. I. p. 626.

** Apud PHOTIVM in Bibliotheca Cod. CCXLIII. col. 2028.

δικαιοσύνης πῆχυν, καὶ τὸ σπονδεῖον. *Deinde poſt hos, quos diximus, ſequitur is, quem vocant ϛολιϛὴν, qui cubitum iuſtitiae fert, ac inſuper vas ad libandum.* Πῆχυς δικαιοσύνης, vel *cubitus iuſtitiae* non incommode intelligi poſſet *cubitus Niliacus*, qui *iuſtam*, certorum nempe cubitorum ac digitorum, *menſuram* oſtendit, ad quam Nilus adſcendere debeat, vt fertilitate exoptata et ſperata Aegyptum beet. Sed ne quid tamen diſſimulem, videtur explicationi huic obſtare APVLEIVS, qui ſimilem plane Pompam Aegyptiacae religionis deſcribens, etiam πῆχυν δικαιοσύνης commemorare videtur; ſed quem longe alia ratione interpretatur. Sic nempe is Metam. Lib. XI. p. 262: *Quartus aequitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrecta palmula: quae genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia praedita, videbatur aequitati magis aptior, quam dextera. Idem gerebat et aureum vaſculum, in modum papillae rotundatum, de quo lacte libabat.* Non credo dubitaturum quenquam, Scriptores modo nunc laudatos ambos, de vna eademque re ſermonem inſtituere. Quod ſi igitur APVLEIVS bonos ac probatos auctores ſecutus eſt, quod a vero ita non abhorret, aut ſi ea quae commemorat, ipſe oculis ſuis vidit, quod ſubinnuere videtur, fateri cogor, verba CLEMENTIS alio ſenſu, quam ego cepi, debere intelligi.

Nilometria ſingulari ratione Serapidi ſacrata fuiſſe, idoneis teſtimoniis probatur.

§. 6. Hunc vero, de quo loquor, *cubitum*, incrementi Niliaci diuerſos gradus oſtendentem, in ſacris Pompis circumferri ſolitum, Serapidi peculiariter dedicatum fuiſſe et ſacratum, ſatis liquet, etſi id non niſi Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſed veterum et omni fide digniſſimorum, teſtimoniis comprobare queam. Audiamus itaque RVFFINVM, qui Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. c. 30 haec refert: *Moris erat in Aegypto, vt menſura adſcendentis Nili flumi-*

nis ad Templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum et inundationis auctorem. —— Ideo vlna ipſa, id eſt aquae menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſiam coepta deferri. Similia plane habet SOZOMENVS, Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. VIII, vbi commoda, quae in Eccleſiam ſub imperio Conſtantini M. redundarunt, enarrat, et inter ea hoc quoque commemorat. Ἀμέλει τοι, παρὰ μὲν Αἰγυπτίοις, οὐκέτι εἰς τοὺς εἰωθότας ἑλληνικοὺς ναοὺς· εἰς δὲ τὰς ἐκκλησίας, ἐξ ἐκείνου φέρεται ὁ πῆχυς, ᾧ σημαίνεται τῶν τοῦ Νείλου ὑδάτων ἡ ἐπίδοσις. *Denique ex eo tempore apud Aegyptios cubitus Nili, quo incrementum aquarum eius fluuii notari ſolet, non amplius in Gentilium Templa, ſicut mos erat, ſed in Eccleſias defertur.* Plura quidem Templa Deorum Aegyptiorum, in quae *cubitus* Nili deferretur, auctor hic memorat. Et ſane, vti Alexandriae *cubitus* ille in Serapidis Templum inferri ſolebat, ita * in ſuperioribus coniectaui, Memphi eundem in Apidis quoque Fanum deportari conſueuiſſe. Sed SOZOMENVM loqui praecipue voluiſſe de Templo Serapidis, in quo cubitus Nili aſſeruari ſoleret, fidem facit SOCRATES, qui de re eadem agens, in hunc ſenſum ſcribit Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. XVIII: Λεγόντων δὲ τῶν Ἑλλήνων, ὡς ἄρα ὁ Σάραπις εἴη ὁ τὸν Νεῖλον ἀνάγων ἐπὶ ἀρδείᾳ τῆς Αἰγύπτου, τῷ τὸν πῆχυν εἰς τὸν ναὸν Σαράπιδος κομίζεσθαι, αὐτὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν πῆχυν Ἀλέξανδρον μετατιθέναι ἐκέλευσε. *Cumque Gentiles Serapim eſſe dicerent, a quo Nilus ad irrigandos Aegypti agros adduceretur; eo quod cubitus Nili ad Templum Serapidis portari conſueuerat; Conſtantinus Alexandro,* (Epiſcopo Alexandriae) *praecepit, vt cubitus ad Eccleſiam transferretur.* Equidem

* Libri huius cap. IV. §. 22.

dem regnante Iuliano Apoſtata, res iſta ad primaeuum ſtatum rediit, quod in his teſtatur SOZOMENVS Lib. V. c. 3: Προσέταξε δὲ ϗ τὸν πῆχυν τȣ̃ Νείλȣ, ϗ τὰ σύμβολα, ϗ τὰ παλαιὰ πάτρια κομίζεσθαι, πρὸς τὸν Σάραπιν. Κατὰ πρόσαξιν γὰρ Κωνσαντίνȣ τῇ Ἐκκλησίᾳ προσεφέρετο. *Praecepit etiam* Iulianus, *vt cubitus Nili, et ſacra Symbola, iuxta morem Maiorum, ad Templum Serapidis deferrentur. Nam ex praecepto Imperatoris Conſtantini, deportabantur ad Eccleſiam.* Verum cum poſtea Theodoſius M. imperio eſſet potitus, eiuſque iuſſu * Templum Serapidis magnificum Alexandriae euerſum eſſet, ſuperſtitio haec in vniuerſum deſiit. Serapim igitur Aegyptiorum Maiores venerati ſunt, tanquam inundationis Nili et incrementorum eius verum auctorem, ideoque menſuram Nili, in qua incrementorum gradus notari ac obſeruari ſolebant, huius tutelae commendatam eique ſacram eſſe voluerunt.

§. 7. Facile praeuideo, aduerſus ea, quae hactenus diſputaui, non ſine aliqua veri ſpecie reponi poſſe, haec omnia ſpectare ad Serapim Alexandrinum, recentiorem, atque ad antiquiorem Memphiticum trahi non poſſe, niſi id argumentis inſuper aliis communiatur et extra dubitationis aleam ponatur. Poſſem equidem, quae adſtruxi, ratione quadam generaliori tueri, nam ** antehac iam obſeruaui, nonnulla in Serapide Alexandrino, veſtigia ſatis luculenta deprehendi Serapidis antiquioris, et niſi id eſſet, huius memoriam penitus perituram fuiſſe. Eo ſpectat ipſum *Serapidis* nomen, *** quod recen-

Teſtimonia adducta reſpiciunt non tantum Serapim Alexandrinum, verum et antiquiorem Memphiticum.

* Vide IAC. GOTHOFREDVM ad Codicem Theodoſ. To. VI. fol. 273.

** Lib. II. cap. V. §. 1.

*** Vide ibidem §. 4.

recentiorem Alexandrinum, ab antiquiori Memphitico mutuo accepiſſe certum eſt. * Et erat eodem loco, quo poſtea Alexander M. vrbem illam ampliſſimam, ſibique cognominem, Alexandriam condidit, oppidum vetuſtius, *Racotis* nomine, cuius incolae ab antiquo tempore, *Serapim* Deum ſuum tutelarem, ritibus patriis placauerant. Eritne a ratione alienum, ſuſpicari, in Dei Racotenſis aedem ſacram, ante Alexandri M. aetatem, quotannis cubitum Niloticum ſolenni Pompa deportari conſueuiſſe, et morem huncce poſtea, vna cum nomine Dei Racotenſis, retinere voluiſſe Alexandrinos? Sed ne videar in nudis coniecturis fiduciam ponere, ſuppeditabo iam indicia huius rei, id quod dixi, ſatis luculenter teſtantia, oſtendamque, ipſum puteum Menſurae Niliacae antiquiſſimum, Memphi ſcilicet conſtructum, fuiſſe in Serapidis Templo viſendum.

Eam in rem noua Pauſaniae explicatio offertur, et pluribus illuſtratur.

§. 8. Memphi Templum extitiſſe Serapidis antiquiſſimum, vidimus §. 2. Vehementer probabile eſt, in hoc Dei illius Templo, cubitum Niliacum, poſt peractas in honorem fluuii Pompas ſacras, ſaepius inſtitutas et repetitas, quotannis reponi conſueuiſſe. Et forſitan *ſepultura Apidis*, in *Serapidis* Templo, de qua ex PAVSANIA retulimus §. 2, nihil aliud re ipſa ſignificat, quam reductionem cubiti Nilotici in Serapidis Templum, ex quo ante paucos menſes depromtus fuerat. Etenim *Apis*, Aegyptiace ⲎⲠⲒ, *api*, quod ** in ſuperioribus monitum iam fuit, proprie ſignificat *numerum*, ſiue *menſuram*, vel magis ad hoc noſtrum negotium appoſite, *menſuram certis numeris diſtinctam*. Ita igitur opportune et commode, tum ipſum *Nilometrium*, tum etiam *cubitus* Nili portatilis dici potuit. Idque

* Vide loc. cit.
** Lib. hoc IV. cap. II. §. 23.

Idque fere, nomen Arabicum, quo *Nilometrium* nunc in Aegypto deſignatur, *Mikias*, pariter ſignificat. Sic igitur *ſepelire Apim*, vel *cubitum Niliacum*, lingua Sacerdotum ſymbolica, de qua ſuo loco diximus, ſignificare poterat, *cubitum Niliacum*, quippe cuius nullus amplius in ſolennitatibus ſacris vſus eſſet, in Templo Serapidis reponere, ac per menſes circiter octo occludere, quo quidem toto tempore, conſpectui hominum omnium ſubtractus, ac veluti ſepultus, manſiſſe videtur. In Atrium vel Templum *Mikiae*, Cahirae erectum, hodie nemo admittitur, niſi religioni Muhammedanae addictus, peregrino pedem in hoc Sacrarium intuliſſe, piaculum eſt. Simile quid potuit olim etiam obſeruari Memphi, in Templo Serapidis, aut in illo eius Sacrario, in quo cubitus Niliacus per octo menſes recondendus erat, vt in illud nemini pateret aditus, niſi quo tempore cubitum Niliacum aut ſolenniter efferre, aut pari ſolennitate reducere oportebat. Si ad linguam Sacerdotalem arcanam, quam PAVSANIAS vtique non intellexit, attendas, verba eius, ſupra §. 2 allata, ſenſum talem, qualem nunc ſubminiſtrauimus, haud dubie admittunt. Et probare difficile non foret, locutiones tales ſacerdotales myſticas, vulgo non intellectas, et perperam explicatas, errores peperiſſe non paucos. Verum *Tabula Bembina*, quae in eodem Segmento *cubitum Niliacum* bis cum imagine *Apidis* coniungit, ſignificare mihi viſa eſt, Memphi *cubitum* illum, ſingulari modo *Apidi* ſacratum, et in illius delubro recondi ſolitum fuiſſe, niſi modo in Tabula illa innuatur, quod et * alibi iam mihi placere teſtatus ſum, *cubitum* Niliacum, poſtquam e Templo Serapidis, velut e ſepulchro elatus et in lucem productus fuiſſet,

* Supra cap. II. §. 22.

ſet, in Templo *Apidis*, vbi ab omnibus conſpici poterat, menſibus, Iulio, Auguſto, et Septembri, ſeruari conſueuiſſe, et forte durante illo tempore, etiam cum *Apide* per Nilum variosque illius alueos, rate, quam *Barim* vocant, circumuectum fuiſſe, donec peractis conſuetis Pompis Niliacis, in Templum Serapidis, ſepeliendus, aut per octo menſes nemini videndus, referretur. In huiuſmodi rebus, quae Scriptores veteres alto ſilentio inuoluunt, nonniſi coniectando et diuinando progredi licet. Feci id et hoc in loco, adiutus indiciis nonnullis haud ſpernendis. Eſto autem huius rei apud eruditos lectores arbitrium.

Res eadem alio argumento corroboratur. Nilometrium Memphiticum poſitum erat in Templo Serapidis in Inſula.

§. 9. Luculentiora indicia mihi ad manum ſunt, quibus adſtruere queam, *puteum menſurae* Niliacum, vel *Nilometrium* Memphiticum, viſendum fuiſſe in Templo Serapidis. Eum in finem obſeruari velim, cadauer Apidis mortui, non potuiſſe ad Serapidis Templum deferri, niſi rate vel baride, quod veterum teſtimoniis euici cap. II. Libri huius, §. 12. Norunt vero omnes, Nilum ab vrbe Memphi interuallo admodum modico abfuiſſe. Quia autem nonniſi baride, vel nauigio, ad Templum Serapidis perueniri poterat, nemo non videt, Templum illud, aut trans fluuium, ad littus illius orientale ſitum fuiſſe, aut in medio Nilo, in aliqua ex illis inſulis, quibus vbique, et ſigillatim prope Memphim, fluuius ille abundat. Prius difficulter credi poteſt. Nam, quomodo Templum adeo illuſtre et Aegyptiis cunctis ſacroſanctum, omnes in regionem illam iter inſtituentes, et Geographos latere potuiſſet? Et nemo tamen eſt, qui locum illius Templi notauerit, literiſque prodiderit, cum tamen eorum plurimi, in enarrandis et deſcribendis rebus, quae attentionem lectoris multo minus merebantur, ſint accurati et prolixi. Quod ſi vero, vti ſuſpicor, Tem-

Templum illud in aliqua Nili inſula extructum fuit, * omnibus hominibus inacceſſa, ad quam Sacerdotibus ipſis, nonniſi certa aliqua anni tempeſtate aditus patuit, (§. 2. et 8.) ratio ſilentii illius admirandi, quod hac de re apud Scriptores omnes obſeruatur, reddi nunc iam facile poteſt. Eadem de cauſa vſu veniſſe exiſtimauerim, vt ante Alexandri M. aetatem, ex Graecis nemo Serapidis Aegyptii mentionem fecerit, vtque ante Ptolemaeorum regnum, nemo de Nilometrio Memphitico ſermonem iniecerit. Ipſe STRABO, qui regnante Auguſto Imp. cum Aegyptus in formam Prouinciae Romanae redacta iam eſſet, regionem hanc totam itineribus emetitus eſt, Nilometrium Syeniticum accurate quidem nobis deſcripſit, illudque Memphitico ſimile eſſe obſeruauit p. 562; verum in ipſius vrbis Memphis deſcriptione, ſane non ieiuna, Nilometrii illius celeberrimi omnino non meminit. Colligo igitur non citra grauem rationem, Templum Serapidis Memphiticum aedificatum fuiſſe in inſula. Et Nilometrio vrbis eiuſdem, pariter in inſula Nilotica locum fuiſſe aſſignatum, non eſt, quod dubitare queam. Illud certe, quod illic loci etiamnum ſupereſt Nilometrium, aedificatum eſſe in inſula, omnes norunt. Adiicio hic illius deſcriptionem, quam nobis dedit auctor, origine Afer, et qui A. 1513 in Aegypto peregrinatus, illud quoque oculis ſuis ipſe ſubiecit. ** *E regione ciuitatis veteris* (Cahirae) *in medio Nili, Micbias, hoc eſt menſurae, videtur inſula, ex qua pro ratione inundationis Nili, eius anni prouentum, per totam Aegyptum, certiſſima ratione, a pri-*

* Idcirco nempe, vt ſuſpicor, locus ille dicebatur *adytos.* Vide §. 10.

** IOHANNES LEO AFRICANVS Deſcript. Africae Lib. VIII. pag. 697.

ſcis Aegyptiis adinuenta, *colligunt. Inſula vtcunque habitata. —— Alteram inſulae partem domus ab aliis ſeiuncta occupat*, *in cuius medio foſſa quadrangularis decem et octo cubitos profunda*, *per aquaeductum ſubterraneum*, *aquam ex Nilo porrigit. In foſſae meditullio*, *columna totidem cubitis ſignata et diuiſa ſpectatur.* Deſcriptioni huic addo aliam a Viro illuſtriſſimo profectam, qui vergente ad finem Seculo eodem XVI, Aegypti partes quaſdam perluſtrauit. Sunt vero haec eius verba: * *Cum Nilus exundat*, *e regione vrbis antiquae* (Cahirae) *ſit inſula*, *quam Mulchias*, *vel vt alii*, *Mechias appellant*; *quae dictiones menſuram ſignificant*, *quod eo in loco ſtagnante Nilo*, *menſura aquae obſeruetur.* Et quibuſdam interpoſitis: *In extremitate dictae Inſulae*, *parte ſuperiori eſt amplum et elegans palatium —— vbi etiam eſt Moſchea*, *in qua etiam eſt columna ſeu pyramis erecta*, *quam aqua per ſubterraneos conductus alluit*, *in qua notatur*, *quam celeriter aqua creſcat et decreſcat.* Sunt inter recentiores, qui noſtra, aut patrum noſtrorum memoria, columnam illam et ** accurate deſcripſerunt, et illius quoque, non minus quam Templi, in quo erecta eſt, *** delineationes addiderunt. In eadem illa inſula, in qua hodie oſtenditur puteus menſurae Niliacae, auguror et olim extitiſſe celebre *Nilometrium* Memphiticum, et Templo Serapidis, quod illic ſtetiſſe opinor, credo ſucceſſiſſe primo quidem Templum aliquod pietati Chriſtianorum conſecratum, huic vero poſt ſtabili-

* Peregrinatio Illuſtriſſimi Principis RADZIVILII p. 163. Edit. Brunsb.

** VANSLEB Relation d' un Voiage fait en Egypte p. 64. &c.

*** PAVL LVCAS et MAILLET, vbi ſupra §. 4. not. *

ſtabilitam dominationem Saracenorum, Moſcheam Muhammedanam. In bello Saracenico, quo Aegyptus vi adacta, iugum Muhammedanorum ſubiit, vetus quod ibi erat *Nilometrium*, videtur a Barbaris, vſum eius nondum edoctis deſtructum, aut damno notabili affectum fuiſſe. Nam * *in inſulam hanc, cum appoſitis ſcalis expugnaretur Babylon* (e regione vrbis Memphis cis Nilum a Cambyſe quondam, aut etiam prius aedificata, vbi nunc ſita eſt Cahira vetus) *confugerat Macaucus, Aegyptiorum pro Heraclio Praefectus; atque ibi ex munito receptu, conditiones pacis, de quibus hiſtoria Saracenica, cum Amro pactus fuit.* Siue igitur in impetu Saracenorum in inſulam putei, puteus ipſe detrimentum paſſus fuerit inſigne, quod probabilitate non caret, ſiue vero Saraceni in ipſis dominationis ſuae primordiis, curam putei celeberrimi, et coniuncti cum eo Templi, Chriſtianis auferre nondum duxerint conſultum, certum eſt, eos aliud Nilometrium *Huluani*, ** (ita vocabatur pagus, duabus a Babylone paraſangis diſtans, Nilo ex alto imminens) aut conſtruxiſſe, aut vetus, quod ibi fuerat, ſibi vindicaſſe. Annis enim fere 76 aut 77 poſt, *** *ſcripſit Aſamas, collector Tributorum Aegypti, ad Suleimanum, filium Abdulmelici, Chaliſam, atque indicauit ei, menſuram illam Nili, quae Huluani erat, collapſam eſſe: vnde illi praecepit, vt menſura extrueretur in inſula illa; quae eſt inter fluuium Fuſtatae, et fluuium Gizae, et extruxit eam anno* 97 (nempe Hegirae, A. C. 716.) *eaque menſura illa eſt, qua hodie menſuratur.* Recte

Q 5 vero

* GOLIVS in notis ad Alfraganum (ex OSIOTHO, Scriptore Arabe) p. 156.

** GOLIVS, vbi ſupra p. 224. Vide tamen et RENAVDOTII hiſtor. Patriarch. Alexand. p. 178.

*** ELMACINVS hiſtor. Saracen. p. 74.

vero doctiſſimus GOLIVS, quando hiſtoriam eandem ex Scriptoribus Arabicis refert, in haec verba ſcribit: * *Hoc Nilometrium, inter cetera alibi extructa, maximum et elegantiſſimum, primus ibidem* (in inſula Ruda) *erexerat, vel INSTAVRAVERAT Vſama, filius Zeidi, Aegypti Quaeſtor.* Recte vir magnus, et hiſtoriae veteris egregie peritus obſeruat, *Nilometrium Memphiticum*, in inſula de qua diximus, ab Aſama, vel Vſama, tantum fuiſſe *inſtauratum*, cum nimirum dirutum eſſet, aut ſaltem vetuſtate collapſum. Nam vti dixi, in eadem inſula Nilometrium ante permulta Secula ab Aegyptiis conſtructum, et poſtea a Romanis in pretio habitum fuerat. Etiam ab illo tempore, huncce menſurae puteum, ab Aegypti incolis Muhammedanis, ſemel iterumque inſtauratum fuiſſe nouimus. Non ergo abs re colligo, temporibus antiquis, in eadem inſula, et Templum fuiſſe *Serapidis*, et *puteum menſurae*, Deo huic conſecratum.

Aliud ad probandam rem eandem argumentum adfertur.

§. 10. Aliud iam in mentem incidit argumentum, quod in re adeo obſcura, non penitus contemnendum eſſe putem. Multis veterum teſtimoniis, ** vbi de *Apide* egimus, dedimus probatum, fuiſſe hanc communem Aegyptiorum perſuaſionem, Taurum huncce ſacrum, vbi termino vitae, per leges Sacrorum conſtituto, ſuperuixiſſet, aut mergi a Sacerdotibus, aut ſe ipſum mergere, *ſacro* aliquo *fonte*. Quis ſit *fons* ille *ſacer*, vel, vti PLINIVS loquitur, *fons Sacerdotum*, nemo veterum dixit. Satis certo potius intelligitur, eum veteribus omnibus fuiſſe penitus ignotum. Nec e recentioribus quisquam, quantum mihi quidem liquet, noua luce accenſa, illas veterum tenebras diſpulit. *** Suſpicatus

* Vbi ſupra p. 156. ** Libro hoc IV. cap. II. §. 10.
*** Loco modo cit. §. 11.

catus equidem ſum, Sacerdotes per *fontem* ſuum *ſacrum*, intellexiſſe puteum, ex eorum genere, qui hodienum in campis antiquae Mempheos deprehenduntur, per quos olim Aegyptii, cadauera et hominum et animantium, in cryptas ſubterraneas demittere conſueuerant. Neque coniecturae illi in vniuerſum etiamnum renuntio. Verum vbi nunc illius rei cogitatio me iterum ſubiit, veroſimilius mihi viſum eſt dicere, per *ſacrum* ſuum *fontem*, Sacerdotes intelligi voluiſſe *puteum menſurae Niloticae.* Omnes Scriptores latini veteres, et ex graecis plerique, *Nilometria* Aegyptiorum, ac ſigillatim Memphiticum, *puteorum* nomine deſignant, §. 4. Et re ipſa, vt verbis vtar * Scriptoris recentioris oppido laudati, *aedificium iſtud, quod* Mikias *vocant, nihil aliud eſt, quam* puteus, *vel turris figurae octangulae, conſtructa ad extremitatem inſulae, quam* Rudah *vocant, id eſt* hortum. *In medio huius turris, cuius area viginti circiter pedum eſt, cuiuſque fundus lapidibus accurate ſtratus, eiuſdem cenſetur altitudinis cum alueo Nili, erecta eſt columna, in qua lineis diuerſis, interualla tum pollicaria, tum cubitalia, cernuntur diſtincte notata* ——— *In latere huius putei, quod ad Nilum ſpectat, plura excauata ſunt foramina, per quae aqua fluuii intromittitur.* &c. Hunc vero Nili *puteum*, Sacerdotes non immerito vocare poterant *fontem.* Nam quemadmodum PAPIAS ait, ** *omnis puteus fons.* Et ſi veteribus credimus, aqua Nili viua, per ſubtiles meatus ſubterraneos ſeſe in *puteos* menſurae inſinuabat, §. 4, quod et recentiores quidam, ſecuti in eo, vt videtur, antiquos, de hodierno Nilometrio Cahiriano ſibi

* MAILLET Deſcription de l'Egypte To. I. p. 82.
** Vide MARTINII Lexicon Philol. artic. *Puteus*, vbi plura.

ſibi perſuaſerunt, §. 9. Neque vero difficilius fuerit, rationem reddere, ob quam *puteus* ille menſurae Memphiticus, *Sacer*, atque *Sacerdotalis*, dictus habituſque fuerit. Erat enim vere *ſacer*, Diis quippe, Nilum virtute ſua augentibus, ac omnium maxime *Serapidi* conſecratus. Erat porro profanis omnibus inacceſſus, et Sacerdotibus ipſis, nonniſi certa quadam anni tempeſtate patebat, §. 9. Et hunc ipſum locum intelligi puto a *Scholiaſte Germanici*, cuius haec verba * in ſuperioribus iam attuli. *Deducitur autem* (rex initiandus et inaugurandus cum Apide,) *a Sacerdote Iſidis*, (vel vt legi putabam *Apidis*) *in locum qui nominatur Adytos*, id eſt *profanis inacceſſus*, etſi non inuitus fatear, omnia in Aegypto Templa, ſaltem quae eſſent magnitudinis nonnihil amplioris, habuiſſe ſua *adyta*. Sed hic tamen ſubindicatur locus, qui ratione ſingulari diceretur *adytos*, vel *inacceſſus*. Credi igitur Sacerdotes volebant a populo, ſi rem acu tetigi, Apidem qui termino vitae per Sacerdotum praecepta ſibi conſtituto ſuperuixiſſet, mergi in puteo Nili, etſi id re ipſa factum non fuiſſe, ** ſuo loco monuerim. Videtur populus in Aegypto, cui indoles putei menſurae Niliacae, vtplurimum incognita erat, locutiones Sacerdotum de *Sacro fonte*, quo mergeretur Apis, non intellexiſſe, atque hinc factum eſſe crediderim, vt Sacerdotes ignorantia rudis Popelli abutentes, poſtea perhibuerint, *ſacrum fontem*, quo Tauri quondam diuini corpus mergi ac recondi ſoleret, omnibus ignotum, ſuae, Sacerdotum ſolorum cognitioni reſeruatum eſſe. Quorſum vero primitus Sacerdotes credi volebant, *Apidem* termino vitae ſuae ſuperſtitem, mergi in *puteo* Niliacae menſurae,

* Libro hoc IV. cap. II. §. 15.
** Supra capite II. Libri huius §. 11.

ſurae, cum tamen id re ipſa non fieret? Ratio illius rei, ſi ita ea ſe habet, atque ſuſpicor, mihi videtur euidens. Nam vbi Apis terminum vitae, legibus Sacerdotalibus definitum non attigiſſet, morteque naturali ſublatus eſſet, ſolenni pompa, * naui deferebatur in Templum Serapidis, vbi *puteum* quoque menſurae Niliacae conſtructum fuiſſe auguror. Credi igitur volebant, idem illud fieri etiam, quando Taurus ſacer, termino decreto ſuperuiuens, morte violenta e medio ſublatus eſſet, niſi quod praeterea fingerent, corpus Apidis tum ſine omni Pompa, clam eo deferri, et non in Templo Serapidis reponi; verum in *puteo* menſurae Niliacae mergi. Hoc opinor, Sacerdotes credi a vulgo initio voluiſſe. Verum cum illa traditio in alienum ſenſum ab indocta plebe detorta eſſet, Sacerdotes hunc eius errorem non corrigere, ſatius exiſtimarunt.

§. 11. Omnia quae hucuſque diſputauimus, interpretatio nominis Aegyptiaci *Serapis*, ex patrio gentis illius ſermone depromta, egregie confirmabit. Quam incommode, ne dicam inepte, Graeci plerique nomen iſtud explicare in more habeant, ex iis poteſt intelligi, ** quae de *Serapide coeleſti* diſſerui, quaeque hoc loco recoquere nollem. Dixi etiam ibidem, PLVTARCHVM aliquam tradere nominis illius etymologiam, ex genuino Aegyptiorum ſermone mutuo ſumtam; ſed accuratius illius examen in hocce caput reieci. Scribit enim auctor laudatus, in libro *de Iſ. et Oſir.* p. 362. in haec verba: Ἐγὼ δὲ εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τοὔνομα τοῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος, ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα σαίρει καλοῦσιν. *Ego autem, ſiquidem Aegyptia*

Interpretatio nominis Serapis, ex lingua Aegyptiaca, a Plutarcho ſuppeditata examinatur.

* Supra cap. II. §. 12.
** Lib. II. cap. V. §. 8.

Aegyptia vox eſt Sarapis, gaudium ea et laetitiam ſignificari cenſeo: hoc adductus argumento, quod feſtum diem et hilaritatem Sairi appellent Aegyptii. Primo igitur auctor hicce nos docet Aegyptios feſtum diem vocare σαίρει, vbi malim ſcribere, σαὶρὶ, certe hoc vocem Aegyptiacam plene et diſtincte exprimit. Etenim Aegyptiis, *feſtum*, ἑορτὴ, ſemper dicitur ϢⲀⲒ, *Sai.* Matth. XXVI. 5. Luc. II. 42. Ioh. V. 1. Inde formatur compoſitum ⲈⲢ-ϢⲀⲒ, *Er-ſai*, id eſt *facere feſtum*, vel *celebrare feſtum*, et quod plane idem eſt, ϢⲀⲒ-ⲒⲢⲒ, *Sai-iri.* Prius legitur in verſione Coptica Leuit. XXIII. 41. 1 Cor. V. 8. et in verſione Pſalmorum, manu exarata, ſaepius. Poſterius autem non minus analogice et ſecundum regulas linguae Copticae grammaticas formatum eſt atque prius. Σαίρὶ igitur proprie ſignificat *feſtum celebrare*, vel etiam, *hilariter viuere tanquam in feſto.* Memini virum in his rebus mirabiliter acutum, valdeque exercitatum, B. LA CROZIVM, cum ante annos plus quam triginta, ſuper illo PLVTARCHI loco ſermones conferremus, id ipſum quoque obſeruaſſe. Et certe ſermonis Coptici bene gnarus, anceps haerere hic non poterit. Addit PLVTARCHVS, voce Σαιρὶ Aegyptios etiam deſignare τὰ χαρμόσυνα, *hilaritatem*, quod de ipſa Feſti in honorem Deorum celebratione intelligi poteſt, quia Feſta hilariter et cum teſtificatione gaudii tranſigere populis omnibus ſemper moris fuit. Poſſunt igitur τὰ χαρμόσυνα idem ſignificare, quod ἑορτὴ, *feſtum.* Sic apud GREGORIVM NAZIANZENVM * in Oratione *de Baptiſmo* init. Τὰ χαρμόσυνα τῆς σωτηρίας ſignificant *laetum feſtum ſalutis*, vel *celebrationem memoriae ſalutis.* Verum τὰ χαρμό-

* Orat. XL. in Opp. To. I. p. 637.

χαρμόσυνα adhibentur etiam de laetitia, quae diebus feſtis, in honorem Deorum inſtitutis, demonſtratur quidem; ſed dum indulgetur epulis lautioribus, choreis, omniſque generis voluptati carnali. Ita HERODOTVS Lib. III. cap. 27. de Aegyptiis commemorat, quod reperto Apide, εἵματα ἐφόρεον τὰ κάλλιςα, καὶ ἦσαν ἐν θαλίῃσιν, *veſtimenta geſſerint pulcherrima, et continuo conuiuiis opiparis operam dederint.* Paulo poſt vero id ipſum vocat χαρμόσυνα ποιέειν, *eſſe in gaudiis.* Videntur Copti hoc proprie dixiſſe σαϊρl, ϢⲀⲒⲢⲒ. Indeque eſſe autumo, quod concubitus inprimis inordinati, (κοιταὶ,) eo nomine deſignentur, Numer. XXXI. 17. 35. Rom. IX. 10. ac praecipue XIII. 13, vbi Apoſtolus κώμους, μέθας, κοίτας, et ἀσελγείας coniungit, quae in pleriſque gentilium feſtis obſeruari poterant. Haec igitur interpretatio, aliquam linguae veteris Aegyptiorum peritiam prodit; ſed rei tamen non ſatisfacit. Nam 1. non video, cur tale nomen Serapidi prae aliis Diis ab Aegyptiis imponendum fuerit, cum neminem fugiat, etiam alios gentis huius Deos, Feſtis in eorum honorem hilariter celebratis, coli conſueuiſſe. 2. Haec originatio, ſi vel a ſcopo non plane aberraret, partem tantum nominis *Serapis*, non integrum nomen explicaret. Mittamus igitur hanc interpretationem, quam ſane veteres Aegyptiorum Theologi approbare ſuffragio ſuo nunquam potuiſſent.

§. 12. Poſtquam et ego nomen iſtud ab omni parte verſaui, et diligenter excuſſi, deprehendi vocem *Serapis* non melius exponi vertique poſſe, quam *columnam, in qua gradus Nili adſcendentis numerantur.* Capite ſuperiori II, monuimus lectorem, ϨⲎⲠⲒ, *Api*, Aegyptiis ſignificare *numerum* et *menſuram.* ϪⲎⲢ vero, *Dſer*, vel *Ser*, aut etiam *Nostra nominis huius interpretatio proponitur.*

Sar,

Sar, eſt aliquid attente et accurate *ſpeculari*, vnde ⲠⲒ-ϪⲎⲢ, lingua illa dicitur κατάσκοπος, *ſpeculator*, *explorator*. Vide Geneſ. XLII. 9. 14. 16. Hebr. XI. 31. Eſſet igitur ϪⲎⲢ-ⲎⲠⲒ, *Sar-api*, talis *columna*, in qua *gradus Nili* adſcendentis accurate diſtingui et *explorari poſſunt*. Reſpondet voci huic Aegyptiacae, Νειλοσκοπεῖον DIODORI, ſic enim is *columnam menſionis* Memphiticam appellat p. 33. Poſſum et aliam ſuppeditare originationem, quae, vt verum fatear, mihi etiam magis probatur. Nam ϪⲎⲢⲒ, *Sari*, ſermone Niligenarum deſignat στήλην, *columnam*, Exod. XXIII. 24. Vnde conſequitur, ϪⲎⲢⲒ-ⲎⲠⲒ, *Sari-api*, Aegyptiorum lingua ſignificaſſe *columnam menſionis*, vel *numerationis*, in qua ſpectatores gradus Nili adſcendentis *numerare* et *metiri* potuerint. Id hodieque Arabibus, eorum *Mikias*, id eſt *columna menſionis* ſignificat. Eſtque admodum veroſimile, Arabes antiquum columnae huius nomen retinuiſſe, illudque in ſermonem ſuum patrium conuertiſſe. Sic igitur *Serapis*, vel *Sarapis*, primitus non fuiſſet niſi nomen columnae, quae gradus maiores minoreſque Nili adſcendentis oſtendebat, vt numerari poſſent. Non mediocriter originatio haec ex eo iuuatur ac illuſtratur, quod * locus, vbi olim *Serapis* Memphiticus colebatur, *Sinopium* dictus fuerit, vnde ** ſecundum quoſdam, DIONYSIVS *Periegetes*, eum *Iouem Sinopiten* nuncupauit. Eadem de cauſa *** Pſeudo-CALLISTHENES Deum hunc vocat *inuiſibilem*

* EVSTATHIVS in Dionyſium Periegeten v. 255. Verba eius attuli §. 2.

** EVSTATHIVS loc. cit.

*** Vide ſupra Lib. II. cap. V. §. 5. 7.

bilem in Sinopio. Coniicio hinc, aedificium illud, in quo *Serapis*, id eſt *columna menſurae* erat conſtructa, Aegyptiace dictum fuiſſe *Sinopium*. Idque nomen rem de qua loquimur, eleganter* et examuſſim exprimit. Etenim ϬI-Ň-HΠI, *Si-n-api*, vel quod plane idem ſignificat, ϬI-Ň-ωΠI, *Si-n-opi*, Aegyptiorum ſermone ſignificat *numerum inire*, *numerum capere*, vel *numerare*. Leuit. XV. 13. 28. Numer. III. 40. XXXI. 5. et ſaepe in Pſalmis. Patet hinc, *Sinopi*, et addita terminatione graeca *Σινώπιον*, *Sinopium*, deſignare *locum*, vel *aedificium*, *in quo aliquid numeratur*, aut *locum*, *qui eſt numerationi vel menſioni deſtinatus*. Nempe *puteum*, quem Arabes hodie vocant *atrium menſurae*, Aegyptii olim dicebant *Sinopi*, *columnam* vero in puteo, qui gradus oſtendebat, *Sariapi*. An non haec ſecum conſpirant, ſeque mutuo illuſtrant?

§. 13. Ex his, quae expoſuimus, ratione omnibus perſpicua colligere licet, quamobrem *Serapis* Aegyptiorum, primitus *ἀόρατος*, *inuiſibilis* dictus fuerit. Nimirum *Serapis* primo quidem nihil aliud fuit, quam *columna menſurae Niliacae*. Poſtquam vero *cubitus Nili* portatilis, ex Aede *Apidis*, in *Sinopium* ſiue *atrium menſurae* eſſet reductus §. 8, atrium illud occludebatur, et *Serapis*, ſiue *columna menſurae*, ab illo tempore, ſpatio menſium octo, omnibus plane erat *inuiſibilis*, et inacceſſus. Procedente tempore, vt videtur, placuit Sacerdotibus, vt *Nilometrio* ſuo, vel *Serapi*, praeficeretur Numen aliquod peculiare, in cuius honorem Templum erexerunt, idque puteo adiunxerunt, qui mos poſtea ſemper, in hodiernum vſque diem, ſeruatus eſt. Numini huic indiderunt ipſius *Nilometrii* nomen,

Quomodo ex vno Serapide, ſucceſſu temporis, duplex enatus fuerit.

* GAVLMINIVS ad vitam Moſis Lib. I. cap. X. p. 247.

nomen, aut *Nilometrium* ipſum, ſiue *columnam menſurae* nominibus et honoribus diuinis, Templo etiam et cultu condecorarunt, quod a conſuetudinibus hominum illius aeui plane non abhorrere, ſatis teſtantur, quae viri eruditi, et eorum exempla * nos quoque ſecuti, de originibus idololatriae, primisque inter mortales ſymbolis ſignisque memorialibus naturae Diuinae, obſeruauimus. Quoniam vero per idem fere tempus, quo *Nilometrium* et *cubitum Niliacum* videre nemini licebat, Sol quoque hemiſphaerio noſtro derelicto, in hemiſphaerium inferius concedit, eoque abſente Nilus deficit, hoc autem in primordio veris, ad hemiſphaerium noſtrum redeunte, aliqua incrementi Niliaci praeludia obſeruari creduntur, nomen *Serapis* et *inuiſibilis* etiam ad *Solem* relatum eſt, nam ſub hoc nomine eum quondam a priſcis Aegypti incolis ritibus religioſis cultum fuiſſe, pluribus Libro II. cap. V. expoſuimus. Sic ergo ex vno duo euaſere *Serapides*, *coeleſtis* alter, alter *Niloticus*, qui poſtremus tamen priorem tempore, vt opinor, anteceſſit.

* in *Prolegomenis* §. 34.

CAPVT

* *

CAPVT IV.

De Mneuide Tauro Sacro Heliopolitano, et Onuphi Tauro Sacro Hermunthite.

De origine cultus, quem Aegyptii bobus vaccisque ſacris exhibuerunt. §. 1. Inter Tauros ſacros, poſt Apidem praecipuis honoribus fruitus eſt Mneuis, etſi cultus eius ſucceſſu temporis paulatim negligeretur, et vileſceret. §. 2. *Mneuis ſingulari ratione ſacer erat Soli, quod teſtimoniis, rationibusque pluribus, probatur.* §. 3. *Notae Mneuidis, quae eum a bobus gregariis diſtinguerent.* §. 4. *Mneuidis cultus in Aegypto valde antiquus fuit, ipſiusque Apidis cultu antiquior.* §. 5. Interpretatio nominis Mneuis, ex auito Aegyptiorum ſermone tentatur. §. 6. Inter Tauros Aegyptiorum ſacros, tertius eſt Onuphis Hermunthi cultus. Traditiones de eo veterum adferuntur. §. 7. Tauri huius ſacri Hermunthitae nomen ex lingua Aegyptiorum exponitur. §. 8.

§. 1.

De origine cultus, quem Aegyptii bobus vaccisque ſacris exhibuerunt.

Abſolutis iam iis, quae de *Apide*, boue Memphitarum ſacro, et *Serapide Nilotico* dicenda eſſe putaui, tranſeundum mihi nunc eſt, ad tauros alios, quos Aegyptiorum religio conſecrauit, ac Deorum inſtar venerari iuſſit. Habuerunt enim Aegyptii plures boues, a ſe inuicem diuerſos, et diuerſis quoque nominibus inſignitos, quos dignati ſunt honoribus diuinis, populisque adorandos propoſuerunt. Eſt autem certum, multisque indiciis ac argumentis teſtatum animal hoc generis tum maſculini, tum foeminini, Aegyptiis ſingulari in pretio, atque ſanctum inprimis habitum fuiſſe. De origine cul-

cultus, animali huic ab Aegyptiis oblati, variae extant veterum ſententiae, quas hic omnes non excutio. Plerique exiſtimant, Aegyptios perſpecta vtilitate ingenti, quae ex hoc animali in terram hominesque redundat, diuinos in illud honores conferre, aequum duxiſſe. * *Bouem*, inquiunt, *in Deos referebant Aegyptii, quoniam per ipſum exercentes agriculturam, victum ſibi parabant.* Idque omni veriſimilitudinis ſpecie deſtitutum non eſſet, ſi ſolis bobus diuinos honores detuliſſent Aegyptii. Scimus enim, bouem aratorem, apud omnes gentes ſanctum olim inuiolabilemque habitum fuiſſe. In quo argumento, ne prolixiorem me eſſe oporteat, otia mihi fecit BOCHARTVS in *Hierozoico* Part. I. Lib. II. cap. XXXIII. Illis quae vir ſummus eo loco attulit, haec tantum addo, ex *Scholiaſte Arati* in *Phaenomena* p. 19. Edit. Oxon. Οἱ ἀρχαῖοι ἐφύλαττον τοὺς ἐργάτας βοῦς καθιερεύειν. διὸ καὶ Ὅμηρός φησι, βοῦν

** Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Ἀσεβὲς γὰρ ἐδόκει τὸν ἀρότην σφάξαι. πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι ἐγεύσαντο τῶν τοιούτων βοῶν. *Veteres ſollicite cauebant, ne boues aratores ad ſacrificia adhiberentur. Vnde et Homerus ait de boue, vel vacca ſacrificanda*

Indomitam quam nondum ſub iugum duxit vir.

Impium enim ducebatur, boues aratores iugulare. Omnium primi vero Athenienſes huiusmodi bobus veſci ſuſtinuerunt. Verum enim vero, cum praeter boues, Aegyptii alia etiam animalia, et tantum non omnia ad pares euexerint honores, cum in his locum etiam fecerint noxiis valde et damnoſis, Leonibus,

* PALLADIVS in *hiſtoria Lauſiaca* cap. LI. Adde DIODORVM *Siculum* p. 77. 79.

** Il. K. 293. Odyſſ. Γ. 383.

nibus, lupis, ſimiis, crocodilis, ſerpentibus, muribus araneis, et huius generis pluribus, ſatis apparet, eos rationibus longe aliis permotos, hiſce animantibus diuinitatem tribuiſſe. Arbitrantur alii, honorem hunc boui detuliſſe Aegyptios, ob formam et praeſtantiam corporis, quam * veteres multis laudibus extulerunt. Et ferebatur ſane apud Aegyptios vetus traditio ſacerdotalis ac Prophetica, non paſſim nota, ** *quod rex Aegyptiorum* *** *Menes, cum inquireret, quodnam potiſſimum animal eſſet colendum, Taurum praetulerit, eo quod illum omnium formoſiſſimum eſſe iudicaret.* Alii iudicium tale de ingenti vtilitate bouis tribuunt † *Cephreni*, regi ſuperioris Aegypti, Moſisque noſtri aequali. Verum vt intelligatur, quam parum et iſthaec ſententia ſoliditatis habeat, ea quae de cultu animalium apud Aegyptios, in genere modo obſeruabamus, hic repetenda tantum erunt. Mitto aliorum ſententias non magis certas, aut quibus multum ſubeſt obſcuritatis impeditae et perplexae, vnico hoc nunc contentus, quod multorum nititur teſtimoniis diſertis, quodque res ipſa aperte loquitur, priſcos Aegyptiorum Sapientes, Diis ſuis talia conſecraſſe animalia, quae illorum aliquas proprietates, tanquam in tenui imagine adumbrarent, vt aliquo ſenſu dici poſſent, †† viuae diuinitatis imagines. Tale quid etiam in Tauris ſuis ſacris, ac ſigillatim *Mneuide*, ac *Onuphi*, de quibus nunc mihi agendum, aut obſeruauerunt Sacerdotes, aut certe obſeruaſſe videri volebant, quod ex ſequentibus capite hoc patebit.

* Vide VARRONIS de Re Ruſt. Lib. II. cap. V.

** AELIANVS de Anim. Lib. XI. cap. X.

*** Quidam pro *Menes* habent *Mneuin*; ſed perperam.

† ARTAPANVS apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. IX. c. 27.

†† Vide *Prolegomena* noſtra §. 35.

Quae vero prima et genuina ſuperſtitionis huius origo in Aegypto fuerit, id me hucuſque ignoraſſe, candide fateor.

Inter Tauros ſacros, poſt Apidem, praecipuos [illegible]nores ade[illegible]us eſt Mneuis, etſi ſucceſſu tempo[illegible] [illegible]ultus [illegible]paulatim negligeretur et euileſceret.

§. 2. Inter Tauros, quos religio Aegyptiorum populo ſacros eſſe iuſſit, primum locum, non tempore quidem; ſed honore et celebritate, *Apis* Memphi cultus, obtinuit, quod ex iis, quae cap. II. Libri huius, prolixe congeſſimus, ac diſſeruimus, abunde intelligitur. Secundus ab hoc fuit *Mneuis*, Heliopoli quondam impenſe cultus, ordine temporis *Apide* prior, ſicuti cenſeo, et huic etiam dignitate par ſemper habitus, etſi cultum eius, labente tempore, a priſtino ſplendore ſemper magis defeciſſe, certum ſit, cum viciſſim honor illi exhibitus, eundo creuerit. Veteres vbi eorum mentionem faciunt, eos ſic coniungere ſolent, tanquam in eadem apud Aegyptios exiſtimatione fuerint, honoribusque iiſdem, ac eodem prorſus cultu fruiti eſſent. *Tauri ſacri*, inquit * DIODORVS, *tum qui Apis, tum qui Mneuis vocatur, vt Oſiridi dicati ſint, et pro Diis colantur, apud vniuerſos promiſcue Aegyptios ſancitum eſt.* Quibus gemina fere ſunt haec AMMIANI: ** *Inter animalia, antiquis obſeruationibus conſecrata, Mneuis et Apis ſunt notiora: Mneuis Soli ſacratur, ſuper quo nihil dicitur memorabile, ſequens Lunae.* Quod auctor iſte, diligens ceteroquin et accuratus, hic ſcribit, *ſuper Mneuide nihil dici memorabile*, id, quod modo dicebam, confirmat, cultum Mneuidis ſenſim defeciſſe, et ab Aegyptiis neglectum fuiſſe, ideoque in res ad eum ſpectantes, obliuione paulatim obliteratas, paucos inquiſiuiſſe. Exemplo ſit, quod de notis ac inſignibus, in tauro vtroque requiſitis, quibus a gregariis poſſent diſcerni, veteres referre ſolent. Notas

* Lib. I. p. 19.
** Lib. XXII. p. 245.

Notas enim, quae in *Apide* adeſſe debebant, diſtincte et a Scriptoribus permultis recenſentur. Sed notas, quas in *Mneuide* oſtentabant Sacerdotes Heliopolitani, Scriptores ſilentio praeterire ſolent, et eſt inter eos vix vnus aut alter, qui earum, vel paucis tantum, meminiſſe operae pretium duxerit. AELIANVS, ** qui in congerendis inſignibus characteribusque *Apidis* multus et vere nimius eſt, notas *Mneuidis* commemorare dedignatus omnino eſt. *** *Dicunt Aegyptii*, inquit ille, *et Mneuidi eſſe ſuum proprium inſigne, quo intelligatur eſſe genuinus, Solique charus. Verum qualenam illud ſit, dicat alius.*

§. 3. Vidimus §. 2, veteres quosdam hoc inter *Apidem* et *Mneuidem* obſeruare diſcrimen, quod prior Lunae, poſterior Soli conſecratus eſſet. Ita DIODORVS et AMMIANVS, quorum verba attulimus. Accedat AELIANI auctoritas, cuius haec ſunt verba: **** Μνεῦιν βοῦν Αἰγύπτιοι ἡλίου φασιν ἱερόν· ἐπεὶ τόν γε Ἆπιν ἀνάθημα εἶναι Σελήνῃ λέγουσιν. *Mneuin bouem Soli ſacrum perhibent Aegyptii, vt Apim Lunae.* Eundem ad modum PORPHYRIVS adfirmat: † *Soli quidem atque Lunae boues conſecrarunt* Aegyptii, *qui Soli ſacer eſt Heliopoli, dicitur Mneuis — quem vero Lunae dicarunt, Apim nominant.* Et SVIDAS in voce Μέμφις. Τοῦτον (Ἆπιν) Αἰγύπτιοι τιμῶσι σελήνῃ, καὶ ἱερὸς ἦν οὗδε ὁ βοῦς τῆς σελήνης, ὥσπερ ὁ †† Μνεῦις τοῦ ἡλίου. *Apin Aegyptii dicarunt Lunae, eratque is Lunae ſacer,*

Mneuis ſingulari ratione ſacer erat Soli.

* Vide ſupra Libri huius cap. II. §. 5.
** De Animal. Lib. XI. cap. X.
*** Idem Lib. eodem cap. XI.
**** de Animal. Lib. XI. c. XI.
† Apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. c. XIII.
†† Ita LEOPARDVS et alii legendum eſſe, dudum viderunt.

ſacer, ſicut Mneuis Soli. Sed haec veterum dicta non ſine aliqua cautione accipi debent. Si enim id, quod de Theologia Aegyptiorum circa *Apim* et *Mneuin* referunt, ſenſum iſtum habeat, *Mneuin* Soli tantum, et vice verſa *Apim* Lunae tantum ſacros eſſe, tum euidenter a veritate aberrat. Nam de *Apide* non nego quidem, eum Lunae peculiari ratione dicatum et conſecratum fuiſſe; at non minus eundem Soli quoque ſacrum habitum fuiſſe contendo, idque * ſuo loco, teſtimoniis idoneis, ac additis etiam rationibus, ex ipſa re petitis, euici. De *Mneui*, fateor, dubium ſupereſſe nullum poteſt. Ille *Soli* tantum erat conſecratus, et, vt mihi perſuadeo, primitus imago Solis viua et ſancta habebatur. Ad teſtimonia, id clare docentia, quae §. hoc, et ſuperiori in medium prolata ſunt, poſſum et hocce adiungere MACROBII, ex Saturnal. Lib. I. cap. XXI. *Taurum vero ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit: vel quia apud Heliopolin taurum Soli conſecratum, quem* ** *Mneuin cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in ciuitate Memphi Solis inſtar excipitur.* Aliud pro adſtruenda re eadem argumentum, capi poteſt ex nomine vrbis, quae cultui Tauri huius ſacri deſtinata erat, *Heliopoli*, id eſt *Solis vrbe. Mneuis* ergo illius vrbis Numen tutelare ſacroſanctum, iam ſic non poteſt non videri Soli conſecratum. Addo, Numini huic, non tantum in *vrbe Solis*, vel *Heliopoli;* ſed in *Templo* etiam *Solis*, ſacra feciſſe Aegyptios. Nam teſte PLINIO, Lib. XXXVI. cap. 8. Rameſtes Rex obeliſcum poſuit, *vbi fuit Mneuidis regia.* Illum vero ſtetiſſe in *Templo Solis*, ſubinnuit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 100. Vel

* Libri huius IV. cap. II. §. 3. et 18.

** Ita loco hoc legendum eſſe, viri doctiſſimi, iam dudum monuerunt.

Vel ſi PLINIVS per *regiam Mneuidis* ipſam vrbem *Heliopolin* intellexerit, quod ex lectoribus vni vel alteri in mentem venire poſſet, id ſententiam meam tanto magis confirmaret, firmiusque roboraret. Ipſum quoque *Mneuis* nomen Aegyptiacum, nouum mihi argumentum ſuppeditat. Sed de eo plura mox dicemus.

§. 4. Etſi veteres notarum et ſignorum, quibus *Mneuis* Heliopolitanus, a gregariis bobus illico dignoſci potuerit, mentionem faciant parciorem, ſunt tamen quaedam ab illis obſeruata, quae et a nobis hic commemorabuntur. Eſt vero animaduerſione dignum, veteres illas ad Solem referre, et ex illis argumentum capere ſolere, quod Taurus ille Soli conſecratus eſſet. Singularem in eo nigredinem obſeruat PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 364. Ὁ δὲ ἐν Ἡλίου πόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσιν, μέλας ἐστὶ, καὶ δευτέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν. *Bos vero ille, quem Heliopoli alunt, dictus Mneuis, valde niger eſt, et ſecundos ab Apide honores ſortitus eſt.* In Apide quidem veteres pariter * nigredinem notant, verum albedine mixtam, ita vt luci tenebrae eſſent interſperſae. Atque ita rem omnino ſe habuiſſe, docet nos *Tabulae Bembinae* inſpectio. *Mneuin* vero Heliopolitanum auguror, aut in vniuerſum, aut ſaltem maxima ex parte nigrum fuiſſe, etſi me effigiem illius vſpiam vidiſſe, meminiſſe nequeam. ** PIGNORIVS quidem credere nos iubet, bouem illum, qui *Tabulae Bembinae* Segmentum ſecundum claudit, eſſe *Mneuidem*; verum ſine dubio fallitur. Vterque ille bos, et qui Segmentum ſecundum inchoat, et qui illud claudit, non eſt niſi vnus idemque *Apis*, quod attenta Tabulae contemplatio

De notis, quae Mneuidem a b[illegible] gregari[illegible] ſtingue[illegible]

R 5

* Vide ſupra Lib. hoc cap. II. §. 5.

** *Expoſit. Tabulae Iſiacae* p. 48. *Edit. Amſt.*

platio vnicuique illico et facile perſuadebit. In principio Segmenti ſecundi, Apis nobis obuertit latus dextrum; in quo veteres collocant ſignum Lunae corniculantis, quod ea de cauſa hic apparet; non vero in fine, quia illic oculis noſtris latus ſiniſtrum obiicitur. In priori *Apidis* imagine conſpicitur *cantharus*, propter euidentem rationem, quam * alibi explicuimus. Quia vero in poſteriori imagine ratio illa deficit, cantharum quoque abeſſe videmus. Ad rem vt redeamus, idem illud nigredinis in Mneuide ſignum, de quo PLVTARCHVM loqui intelleximus, obſeruat etiam PORPHYRIVS, qui ad illud aliud praeterea addit: ** *Qui Soli apud Heliopolin ſacer eſt Taurus, Mneuis nomine, boues alios magnitudine ſuperat, idemque magnopere niger eſt, eo potiſſimum, quod vehementior et aſſiduus Solis ardor, nigrorem corporibus humanis adferre ſoleat. Praeterea praeter aliorum boum naturam, caudae totiusque corporis pilos ſurſum verſus reiectos habet, quemadmodum Sol contrarium Polo curſum inſtituit.* Hanc pilorum indolem inuſitatam, etiam in *Onuphi*, Tauro Hermunthite, veteres animaduertunt, qua de re mox. Pergit vero de *Mneuide* auctor idem et hoc obſeruare. *Teſticulos habet praegrandes, quod rei venereae cupiditas vi caloris excitetur, ipſeque adeo Sol naturam inſeminare dicatur.* Haec inter Aegyptios de *Mneuide* vulgo iactabantur. Verum STRABO, vir in iudicando acer et ſagax, traditiunculas huius generis contemſiſſe videtur. Is enim de *Mneuide* agens, quem ipſe viderat, nil niſi hoc commemoratu dignum exiſtimauit. *** *In Praefectura Heliopolitana eſt Solis vrbs, aggeri maximo impoſita. Habet ea Solis*

* Supra cap. II. §. 22.

** Apud EVSEBIVM Praepar. Ev. Lib. III. cap. XIII.

*** Lib. XVII. p. 553. fin.

*lis Templum, et Mneuin bouem, qui * in ſepto quodam nutritur, et ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum et Apis a Memphitis.*

§. 5. Si traditionibus quibusdam Aegyptiorum fidem adhibeamus, cultus Mneuidis in Aegypto fuit longe antiquiſſimus, et vna cum cultu Apidis, aut ** regnante *Caeacho* vel *Choo*, aut ſi rationem habemus *** traditionis alicuius inter Aegyptios Propheticae, ſub regno *Menis*, quem **** Scriptores meliores omnes primum Aegypti regem perhibent, iam introductus. *Cultus Mneuidis in Aegypto, valde antiquus fuit, ipſiusque Apidis cultu antiquior.* Verum rationes magni momenti obſtare, quo minus traditiones huius farinae, tanquam veras admittere poſſimus, idoneis, vt credo, argumentis † in ſuperioribus probatum dedi. Id vero non modo libenter concedo, verum etiam bonis argumentis aſſeri poſſe †† affirmaui, cultum Mneuidis, exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, ipſiusque adeo Moſis aetatem anteuertere. Quae, ſi ita ſe habent, vti mihi quidem certo perſuaſum eſt, argumentum nobis ſubminiſtrant maxime euidens, fieri non potuiſſe, vt *Mneuidis* cultus, in honorem atque memoriam Moſis, magni Legislatoris Iudaeorum inſtitutus fuerit, quaſi ſcilicet huius gentis Iudaicae Principis ac Liberatoris, memoria tam chara et venerabilis potuiſſet eſſe Aegyptiis, ac ſigillatim eorum Sacerdotibus Sacrorumque Antiſtitibus, vt eum Deorum ſuorum choro adderent, quod ſane ††† viris doctis-

* Vox graeca σηκὸς poteſt etiam *delubrum*, vel *Sacellum* ſignificare.

** Vide Libri huius cap. II. §. 16.

*** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.

**** La *Chronologie* de Mr. DES VIGNOLES Tom. II. p. 766.

† Vide Libri huius cap. II. §. 16.

†† Ibidem §. 13.

††† Vide prae ceteris HVETII Demonſtrat. Euang. Prop. IV. cap. IV. §. 4.

doctiſſimis in mentem veniſſe, ſatis mi...... ....
Cultus igitur *Mneuidis*, ſi verum aſſecutus ſum, *Apidis* cultu multo prior extitit, verum hic, vbi primum in Aegypto ſtabilitus fuit, priorem paulatim pepulit, locoque primo, quem antea habuerat, ſenſim deturbauit, ita vt deinceps * *honorem ab Apide adeptus* tantum *ſit ſecundum.* Maximum vero Dei huius et exiſtimatio et cultus detrimentum ſenſit, poſtquam Cambyſes occupata Aegypto, in pleraque regni huius Templa, infeſto igne ferroque ſaeuiit. Hanc enim eius crudelitatem Templum Heliopolitanum experiri quoque debuit. Et quamuis regia Ptolemaeorum munificentia, pleraque illa Templa, ſucceſſu temporis ſplendori priſtino reſtituta fuerint pari tamen felicitate frui Templo Heliopolitano non licuit. STRABO enim ſuo etiamnum tempore, triſtia ſigna furoris, quo percitus fuerat Cambyſes, in illo Templo animaduertit, eaque de re ita teſtatur:** *Nunc omnino Heliopolis deſerta eſt: habet autem peruetuſtum Templum, Aegyptio more ſtructum, quod multis manifeſtis indiciis, Cambyſis inſaniam ac ſacrilegia demonſtrat, qui Templa partim igni, partim ferro deuaſtauit, mutilans, exſcindens, comburens, quemadmodum et Obeliſcos.* Ab illo igitur tempore, Sacra Heliopolitarum, ac *Mneuidis* ſigillatim, priſtinam dignitatem ac exiſtimationem ſic amiſerunt, vt ſola fere eorum memoria ſupereſſet.

Interpretatio nominis Mneuis ex auito Aegyptiorum ſermone tentatur.

§. 6. Antequam autem ad alia pergamus, more conſueto, tentemus etiam nominis huius *Mneuis* interpretationem etymologicam. Graeci, qui nomina peregrina, aut ad typum graecanicum contorquere, aut ſaltem in pronuntiando et ſcribendo, aliquam euphoniae rationem habere ſolent, nomen hoc

* PLVTARCHVS de Iſide p. 364.
** Lib. XVII. p. 553.

hoc noſtrum ſcribunt Μνεῦις, et in caſu quarto Μνεῦιν. Hoc vltimum Μνεῦιν ad typum vere Copticum, proxime accedere arbitror. Inde Graeci, vt opinor, caſum formarunt primum Μνεῦις. Si bene diuinaui, literis Copticis id ſic exprimendum eſſet, ⲘⲚⲞⲨⲞⲈⲒⲚ, *Mnuoein*, vel ⲘⲚⲞⲈⲒⲚ, *Mnoein*. Ex eo Graeci ſcribendo et pronuntiando confecerunt ſuum Μνεῦιν.* Dicitur nempe ⲞⲨⲞⲈⲒⲚ, *U-o-ein*, vel ⲞⲈⲒⲚ, *o-ein*, additoque praefixo conſueto, Ⲛ, ⲚⲞⲈⲒⲚ, *lux*, eademque voce deſignatur etiam *Sol*. Hinc igitur eſt, quod vrbs Aegypti peruetuſta, quam incolae lingua auita dixerunt ⲞⲈⲒⲚ, Hebraei vero ſcribere ſolent אן, a graecis interpretibus vertatur Ἡλιόπολις, id eſt *vrbs Solis*. Accedente autem nouo praefixo Ⲙ, nomen illud induit naturam adiectiui, poteſtque ⲘⲚⲞⲈⲒⲚ commode reddi *Onienſis*, vel *qui ad vrbem On pertinet*, aut *qui One eſt conſecratus*. Sed poteſt illa vox etiam non minus commode exponi *conſecratus Soli*. Sic igitur Μνεῦις, vt Graeci ſcribunt, deſignaret *Taurum Onienſem*, vel *Heliopolitanum*. Et hoc nomine ſaepe a veteribus deſignatur *Mneuis*, vt eo diſtinguatur ab Apide, boue *Memphitico*, et ab *Onuphi*, Tauro *Hermunthite*. Aut etiam Μνεῦις ſignificabit *Taurum Soli dedicatum* et *conſecratum*, cuius denominationis ratio, ex ſupra dictis peti facillime poterit. Et hanc quidem interpretationem priori libenter praetulerim. Etenim quo tempore *Mneuidem* ad honores diuinos euehere placuit, alii tauri, quae mea eſt ſententia, religione Aegyptiorum nondum erant conſecrati, nec Memphiticus *Apis*, nec *Onuphis* Hermunthites, vt proinde diſtinctione aliqua opus nondum eſſet. Quod ſi

* Vide *Panthei* noſtri Lib. II. cap. I. §. 8.

ſi autem interpretatio haec quam dedi nominis *Mneuis*, veritati conſentanea eſt, confirmare illa poterit, quod in *Prolegomenis* obſeruaui, nomina quae Aegyptii, in ipſis idololatriae ſtabilitae initiis, Numinibus ſuis impoſuerunt, fuiſſe ſimplicia, ſignificationis propriae, ex communi ſermonis vſu, omnibus cognito, deſumta, et his demum, elapſo vno pluribusue Seculis, ſucceſſiſſe nomina Deorum ſymbolica, myſtica, aenigmatica. Cum enim Heliopoli, *Sol* ſub nomine et *Solis* et *Lucis* coleretur, quid ſignificaret *Taurus luci conſecratus*, ab vnoquoque etiam rudiſſimo homine, illico intelligi potuit. Sed nomen *Apis*, quaſi dicas *numeralem* vel *menſuralem*, vtique myſticum magis eſt, et ſine addita explicatione ac interpretatione intelligi non poteſt. Et nunc etiam nominis huius verum ſenſum, non niſi coniectando et diuinando aſſequi poſſumus. Nempe prius nomen, *Mneuidis*, eſt antiquitatis remotiſſimae, poſterius *Apidis*, aliquot Seculis recentius.

Inter Tauros Aegyptiorum ſacros, tertius eſt Onuphis Hermunthi cultus, de quo traditiones veterum adferuntur.

§. 7. Tres modo nunc numerauimus Tauros, religione Aegyptiorum conſecratos, et pro diis habitos, *Apidem* videlicet Memphiten, *Mneuin* Heliopoliten, et *Onuphin* Hermunthiten, et totidem, eosdem nempe quos diximus, commemorat etiam MACROBIVS, inueſtigator Theologiae Aegyptiorum maxime induſtrius, Saturn. Lib. I. cap. XXI. *Taurum vero ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit: vel quia apud Heliopolin Taurum Soli conſecratum, quem Mneuin cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in ciuitate Memphi Solis inſtar excipitur; vel quia in oppido Hermunthi —— conſecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes.* Videtur auctor hicce eximius, in recenſendis tauris hiſce ſacris, ordinem temporis, quo quisque eorum ſucceſſiue ab Aegyptiis in coetum Deorum adſcitus fuit, ſeruare, quod obſeruationes meas de

eadem

eadem re firmat. De *Apide*, quem tota mirifice celebrat antiquitas, peculiari capite egimus. De *Mneui*, cuius apud veteres parcior et rara magis mentio occurrit, diſſeruimus quaedam hoc capite. Nunc de Tauro Hermunthite, de quo admodum pauca literis prodita deprehendimus, paucula etiam nunc addamus. Praeter MACROBIVM, ſolus, quantum meminiſſe poſſum, STRABO, diſertis verbis *Taurum Hermunthiten* commemorat. MACROBIVS ait, eum *Pacin* cognominari, et ita Taurum hunc deſcribit: *In oppido Hermunthi, magnifico Apollinis Templo conſecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes, inſignem miraculis conuenientibus naturae Solis. Nam et per ſingulas horas mutare colores affirmatur, et hirſutus ſetis dicitur in aduerſum naſcentibus, contra naturam omnium animalium. Vnde habetur veluti imago Solis in diuerſam mundi partem nitentis*, Obſeruabatur ergo in hoc Tauro, ceu ſingulare quodpiam, et miraculi ſpeciem prae ſe ferens, (1) quod per ſingulas horas mutauerit colores, quod quam fuerit verum, aut quomodo ſaltem id, quod Sacerdotes plebi perſuadebant, intelligendum fuerit, loco ſuo relinquo. Quomodo id ipſum ad naturam Solis referri potuerit, ſatis explicuimus Lib. II. cap. II. §. 1. (2) quod hirſutus fuerit ſetis, in aduerſum naſcentibus, ad inſtar nempe Solis, qui in diuerſam, id eſt aduerſam et oppoſitam mundi partem, nititur. Notum enim eſt, veteribus hanc fuiſſe ſententiam communiorem, omnes coelos motu celerrimo ferri ab Oriente in Occidentem, Solem vero cum Planetis, alio etiam motu, ab Occidente ferri in Orientem. Inde eſt, quod veteres Aſtronomi diem ſic definiant, quod ſit * *conuerſio mundi et ortus eius arcus, quem Sol peragrat, dum in conuerſione mundi mouetur contra mundum.* Rem

* GEMINVS *Elementis Aſtron.* p. 22. Edit. Petav. et p. 42.

Rem hanc eandem etiam alio quodam Symbolo apud Aegyptios hunc nempe in modum adumbrari conſueuiſſe, quidam aut aſſerunt, aut ſubinnuunt. * *Ibi quandam nauim, totius naturae curſibus, DIVERSA CVPIDITATE moderantem, cunctaque flammarum congeſtione pleniſſimam, et beatis circumactam mercibus, conſpicatur. Cui nautae ſeptem, germani tamen, ſuique conſimiles, praeſidebant in prora.* Vtrum hoc placitum fuerit priſcae et genuinae Aegyptiorum Theologiae, aſſerere non auſim. Talia tamen ſequiori ſaltem tempore docebant Sacerdotes quidam, et id ipſum in Tauro Hermunthite, ac etiam Heliopolitano (§. 4.) obſeruari, aliis perſuadere volebant. Ceterum et huncce Taurum, re ipſa fuiſſe aliquod Nili Symbolum, eumque Aegyptios praefeciſſe Nilometrio Hermunthi conſtructo, ſicuti Apidem Nilometrio Memphitico, ex eo colligi poſſe opinor, quod hodieque ſuperſint indicia non adeo obſcura, quae fidem faciunt, ** et in hac vrbe Aegyptios habuiſſe Nilometrium. Superſunt hodieque Hermunthi, rudera Templi illius Apollinis, vel Hori, cuius MACROBIVS meminit, et in illis *** apparet etiam effigies bouis, qui eſt haud dubie Taurus ille Hermunthites ſacer.

Tauri huius ſacri Hermunthitae nomen, ex lingua Aegyptiorum exponitur.

§. 8. De nomine Tauri huius ſacri Aegyptiaco, pauca ſubiiciamus. MACROBIVM vidimus teſtantem, eum vocari *Pacin*, quam vocem corruptam eſſe iudico. Alii Codd. habent *Bacin*. AELIANVS de Animal. Lib. XII. cap. XI. eundem vocat *Onuphin*. Verba eius ſunt: Σέβουσι δὲ Αἰγύπτιοι καὶ μέλανα Ταῦρον, καὶ καλοῦσι Ὄνουφιν αὐτόν, Καὶ τὸ ὄνομα τοῦ χώρου ἔνθα τρέφεται, Αἰγύπτιοι λεγέ-

* MARTIANVS CAPELLA *Satyrici* Lib. II. p. 42.
** Vide ſupra Libri huius cap. III. §. 4.
*** Vide RICH. POCOCK's Deſcription of Egypt, Lib. II. cap. IV.

λεγέτωσαν ἡμῖν λόγοι. τραχὺ γάρ. Colunt et nigrum taurum Aegyptii, quem Onuphin vocitant. Loci vero vbi nutritur nomen, diſci poteſt ex Aegyptiorum libris. Mihi enim dictu et auditu aſperum videtur. Exiſtimabat olim * PIGNORIVS, *Onuphin* hunc AELIANI, diuerſum non eſſe a *Mneui* Heliopolitano. Verum licet non negauerim, *Mneuin* dici etiam potuiſſe, et dictum re ipſa fuiſſe *Onuphin*, de boue tamen Heliopolitano illic non loquitur auctor ille. Nam nomen huius vrbis *Heliopolis*, nec auditu nec pronuntiatu durum eſt, neque auribus etiam delicatulis ingratum quid ſonat. Eſt enim nomen graecum, quo auctor ille vtitur non infrequenter, neque cauſa erat, vt hoc vno in loco, id adhibere faſtidioſe dedignaretur. Eſt ſine dubio is ipſe taurus Hermunthites, de quo MACROBIVM loqui intelleximus. Audiamus modo AELIANVM loco cit. ita pergentem: *Ἀντίαι αὐτῷ τρίχες ἤπερ οὖν τοῖς ἄλλοις εἰσίν. Ἴδια γάρ τοι καὶ τοῦδε ταῦτα. μέγιστος δὲ ἦν βοῶν ἔτος. —— καὶ σιτεῖται γε Ὄνουφις πόαν μηδικὴν ἔτος. Pili in eo contra quam aliis vertuntur. Atque hoc ei proprium eſt, inter boues magnitudine excellit. —— Paſcitur autem Medica herba.* Vides Lector, in Onuphi pilos illos in aduerſum erectos obſeruare AELIANVM, quos in tauro ſuo Hermunthite, non ſine admiratione notauerat MACROBIVS, licet tamen inficias ire non poſſim, easdem plane notas, quibus *Onuphim* inſignem eſſe ſcribit AELIANVS, ab aliis quoque in *Mneuide* animaduerti, §. 4. Et hoc forſitan PIGNORIO fraudi fuit, ipſique perſuaſit, de Tauro alio, quam *Mneuide* non loqui AELIANVM. Verum tamen,

* In *Tabulam Iſiacam* p. 48.

tamen, *Onuphin* a *Mneui* Heliopolitano diſcerni oportere, iam modo oſtendimus. Cumque praeter *Mneuidem* Heliopolitanum, et *Apidem* Memphiten, tertius tantum fuerit, oſtendique poſſit Taurus ſacer, *Hermunthites* ſcilicet, §. 7, *Onuphis* alius ab *Hermunthite* eſſe non poſſe videtur. Praeterea *Hermunthin* ſatis clare deſignat AELIANVS, quando affirmat, loci illius, in quo *Onuphis* alebatur, nomen eſſe τϱαχὺ, *pronuntiatu durum et aſperum.* Nomen enim hoc apud STEPHANVM *Byzantium* ſcribitur Ἑϱμωνθὶς, quam ſcripturam * nummi etiam, qui ſuperſtites ſunt, confirmant. Tale vero nomen auribus Sophiſtarum, qui veneres deliciasque dictionis Atticae, nonnunquam cum affectatione fere inepta et ridicula ſectabantur, oppido durum ac aſperum videbatur. Et in hoc hominum ordine, Aelianum excelluiſſe, ** viri doctiſſimi dudum obſeruarunt. Eadem de cauſa, vt opinor, ARISTIDES, ex eodem grege Rhetor, *** vrbem *Hermonthin* maluit appellare Ἑϱμῆν, quam verum eius nomen, auribus ſuis ingratum, exprimere. Sic ergo conſtat, verum nomen Tauri Hermunthitae Aegyptiacum fuiſſe *Onuphis*. Poſſem plures nominis huius interpretationes afferre, nec a lingua, nec a Theologia Aegyptiorum alienas. Nam cum ⲛ̀ⲟⲩϥⲓ, *Nuphi*, vel *enuphi*, vel etiam *anuphi*, ſignificet *bonum*, ⲉ̀ϩⲉ vero, *ehe* vel *abe*, *bouem* deſignet, *Onuphim* non incommode *bonum bouem*, qui nempe Aegyptiis bona portenderit, liceret interpretari. Aegyptiis porro ϩⲉ-ⲛ̀ⲟⲩϥⲓ, *Henuphi*, vel *Hanuphi* εὐθηνίαν ſignificat,

* Le Voyage de PAVL LVCAS fait en 1714. T. II. p. 121.

** RICH. BENTLEY'S Diſſertation upon Phalaris. p. 319. 320.

*** In *Aegyptio* fol. 93. b. fin. Edit. Florent.

gnificat, id eſt *copiam*, *vbertatem*, *abundantiam*, Geneſ. XLI. 29. 31. 34. etc. Et vero *Onuphis**Hermunthites, non ſecus atque * *Apis* Memphites, quando apparebat, *vbertatem frugum*, *diuerſaque praeſagiebat bona.* Verum miſſis his et ſimilibus forte aliis interpretationibus, malo illi inhaerere, quam ** antehac lectoribus obtuli. Erat enim Aegyptiis in more poſitum, vt nomen ⲓϧ ⲛ̀ⲛⲟⲩϥⲓ, *boni Spiritus*, et contractius ϫⲛ̀ⲛⲟⲩϥⲓ, *boni*, ſubintelligendo *Spiritum*, tribuerent etiam *Nilo*, et *bouibus ſacris*, fluuii illius fertilitatem eximiam ſymbolice adumbrantibus. Huius generis erat etiam taurus Hermunthites, ideoque et is vocabatur *Onuphis*, id eſt *bonus Spiritus*, vel *bonus Deus*. Verum quid fiet de *Paci*, quod nomen fuiſſe boui Hermunthitae a MACROBIO accepimus? Suſpicatus *** aliquando ſum, apud eum pro *Pacin* legendum eſſe *Onuphin*, cui coniecturae necdum in vniuerſum renuntio. Nam cum nomen iſtud librariis omnibus incognitum eſſet, fieri perquam facile potuit, vt in deſcribendo aberrarent, et tractu temporis, vnius errorem nouis aliis cumularet alter. Verum fateor tamen, correctionem hanc a ſcriptura vulgata longiori interuallo diſcrepare, quam vt a quouis probari ac admitti queat. Ea igitur de cauſa, **** ad priſtinam coniecturam reuerti fere malo. Nempe cum animaduerterim, in MACROBII *Saturnalibus*, pro *Pacin* alios Codd. prae ſe ferre *Bacin*, aut etiam *Bacchin*, auguror MACROBIVM ipſum, aut ſcri-

S 2 pſiſſe,

* AMMIANVS Lib. XXII. p. 245.
** Lib. I. cap. IV. §. 10. 11.
*** Vbi ſupra.
**** Vide ibidem.

pſiſſe, aut ſcribere ſaltem voluiſſe *Pabacin*, idque nomen tauro Hermunthitae, ab vrbis illius incolis tributum quoque fuiſſe. Significat autem *Pabacis*, literis Copticis ſcriptum ⲠⲀ-ⲂⲀⲔⲒ, id eſt *Pa-baki*, proprie *ciuicum* vel *vrbicum*, ſubintellige *Numen*, id eſt, *Deum tutelarem vrbis*, adeoque idem eſt cum Tyriorum *Melcartho*, quem * BOCHARTVS interpretatur מלך קרתא, *regem vrbis*, et cum Deo Graecorum, quem *πολιέα* dicunt. Ita nempe ſolebant appellare Deum illum vel Deam, cuius tutelae vrbs aliqua eſſet ſingulariter commendata. Si haec mea coniectura, a ſcopo non aberrauit, vnus idemque Taurus ſacer, vocabatur *Onuphis*, quia *bona* portendebat, et *Pabacis*, quia eum ciues illius vrbis, vt ſummum ſuum beneficumque tutelare Numen adorabant. Iudicent lectores, vtrum ipſis vero videatur ſimilius.

* *Geographiae Sacr.* Part. II. Lib. I. cap. 34.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI

PANTHEON AEGYPTIORVM

SIVE

DE DIIS EORVM

COMMENTARIVS

CVM

PROLEGOMENIS

DE RELIGIONE ET THEOLOGIA AEGYPTIORVM

PARS III.

Francofurti ad Viadrum

SVMTIBVS IOAN. CHRIST. KLEYB.

M D C C L I.I.

DE

DIIS AEGYPTIORVM

LIBER V.

qui complectitur

Totam reliquorum Deorum Aegyptiorum turbam.

CAPVT I.

De Anubide, quem Graeci Mercurium, et nonnunquam Saturnum, interpretari ſolent.

Ad argumentum Libri V. tranſitur. §. 1. Anubis magnum fuit ſanctumque Aegyptiorum Numen. §. 2. Ei inter animalia ſacra, dedicatus erat canis, tanquam viua illius imago. §. 3. In honorem huius Dei canini, vrbes erant conſtructae, Templaque dedicata, isque per Aegyptum totam colebatur ab omnibus. §. 4. Et apud ipſos Graecos antiquiores, culti huius ab iis Numinis, veſtigia deprehenduntur. §. 5. Sacerdo-

tales Aegyptiorum de Anubide traditiones. §. 6. In cauſas inquiritur, ob quas Deus hic, capite caninus, in Aegypto fingeretur. Anubis erat perpetuus Iſidis Oſiridisque comes. §. 7. Anubidem Graeci nonnunquam Saturnum, plerumque vero Mercurium interpretantur. §. 8. Interpretationes nominis Anubis adferuntur, quibus aſſenſum praebere non poſſumus. §. 9. Anubis in lingua Aegyptiorum aureum ſignificat, iſtaque interpretatio aliquot argumentis adſtruitur. §. 10. Anubis Planetam Martis Aegyptiis non ſubindi cauit. §. 11. Verum ſymbolice ipſis deſiguauit Horizontem, ſiue ortum et occaſum Solis. §. 12. *Explicatio* haec noſtra argumentis pluribus fulcitur. §. 13. 14. 15. Ex ea ratio ſuppetit facilis et egregia, cur Aegyptii Anubidem dixerint aureum, eidemque formam caninam affinxerint. §. 16. Mirandum ceteroquin non eſt, Aegyptios idololatras, Horizontem coeleſtem, diuinis affeciſſe honoribus. §. 17.

§. 1.

Tranſitur ad argumentum Libri V.

Libro huic *Panthei* noſtri vltimo, illos reſeruauimus Aegyptiorum Deos, qui nec ad Spiritum aeternum, nec ad Solem, nec ad Lunam, nec ad Nilum denique fluuium proprie et commode referri queunt, aut in quibus explicandis, magna nos obſcuritate et difficultate premi, inficias ire non poſſumus. Primum inter hos locum conceſſimus *Anubidi*, magno et ſancto Aegyptiorum Numini, quem Oſiridi Iſidique comitem ſemper fere datum fuiſſe, quiuis obſeruare perfacile poteſt, quemque hanc ob cauſam, tum ad Solem, tum ad Lunam, pari iure, referri debere auguramur, etſi in vera eius ratione et ſignificatione eruenda, non parum deſudauerimus. Vt vero, quae de hoc *Anubidis* Numine comperire, ac meditando et diuinando

nando aſſequi potuimus, ordine nunc exponamus, primo quidem praecipua, quae de hoc Deo veteres prodidere literis, referemus, deinde in nominis Aegyptiaci veram ſignificationem inquiremus, quod viam nobis ſternet ad reliqua, ac denique aperiemus, quidnam veteres Aegyptiorum Philoſophi et Sacerdotes, Numine iſto indicare, et naturae Scrutatoribus ſignificare voluiſſe, viſi mihi ſint.

Anubis ma- gnum ſa- ctum q- erat ptiis men.

§. 2. *Anubis* igitur Aegyptiorum Deus eſt, veterum plurimorum oratione non parum celebratus. Illius mentionem facit OVIDIVS, Iſidem ſic precatus, Lib. II. Amor. Eleg. XIII.

Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verenda.

Verenda Anubidis ora dicit, quoniam Deus ille, myſtice fingebatur vt canis, vel capite canino, qua de re plura dicemus §. 3. Apud LVCIANVM, Socrates de hoc Deo ita infit: * οὐχ' ὁρᾷς τὸν Ἄνουβιν ἐν Ἀιγύπτῳ; ὅσος θεός; *Nonne vides, quantus ſit Anubis in Aegypto Deus?* Apud eundem Iupiter inducitur, vehementer conquerens, quod Graecorum Dii, etiam maiorum gentium, ex lapide, ligno, aut ebore fabricari conſueuerint, cum apud Barbaros, Aegyptios, Perſas, et Gentes alias ſimiles res longe aliter ſe habeat. ** Ἡ Βενδῖς αὕτη, καὶ ὁ Ἄνουβις ἐκεινοσὶ, καὶ παρ' αὐτὸν ὁ Ἄττις, καὶ ὁ Μίθρης, καὶ μὴν ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς καὶ πολυτίμητοι, ὡς ἀληθῶς. *Bendis autem haec Thracum Dea, et Anubis ille* Aegyptius, *et prop ipſum Attis*, Phrygum, *et Mithra*, Perſarum Sol *ex ſolido auro ſunt conflati, graues ſane et magni r vera pretii.* Alia veterum loca ſuppeditabunt ſe quentia. Vti vero *Iſis* ſua habebat *Iſea*, *Serapi* pariter *Serapea*, et *Nemeſis* in Labyrintho *Nemeſea* ita in honorem quoque *Anubidis*, conſtructa fuiſſ

* in *vitarum auctione*, Opp. To. I. p. 372. Edit. Salmur.
** In *Ioue Tragoedo* To. II. p. 194.

Anubidea, Templa nempe aut Sacella, Deo huic conſecrata, ex Scriptorum antiquorum teſtimoniis liquet. Narrat LVCIANVS in *Toxari*, quomodo Demetrii cuiusdam ſeruus, patria Syrus, in Aegypto, * *inita ſocietate cum ſacrilegis quibuſdam, vna cum illis in Anubideum* (ἐς τὸ Ἀνȣβείδιον) *irrupit: Deoque per furtum ablato, aureisque phialis duabus, aureo item caduceo, et cynocephalis argenteis, atque id genus aliis, omnia apud Syrum depoſuerint.*

...nici ſa- Aegyptiorum animalia, dedicatus erat canis, qui eius habebatur imago.

§. 3. *Anubidi* inter animalia, more Aegyptiorum, aliquod etiam proprium dicatumque erat, *canis* ſcilicet, is vbi eius, in Aegypto cumprimis, vigebat cultus, viua quaedam ipſius cenſebatur imago. Plerumque vero, ad repraeſentandum huncce Deum, corpori humano, caput addebatur caninum. In ruderibus antiquis Templorum Aegypti, figurae huiuſcemodi perſaepe cernuntur, et ſuperſunt etiam in Principum theſauris, aut Muſeis eruditorum, paſſim Dei huius ſimulachra et ſigna, talem prae ſe ferentia formam. Ea de re toties loquuntur Scriptores antiqui. Inter hos DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 76. *Deum*, inquit, *quem Aegyptii Anubim appellant, canino capite repraeſentant.* Et OVIDIVS adductus §. 2. commemorat

——— *Anubidis ora verenda.*

Idem Metamorph. Lib. IX. v. 692, vbi Pompam Iſiacam depingit, Dei huius canini minime obliuiſcitur

——— *cum qua latrator Anubis*
Sanctaque Bubaſtis, variusque coloribus Apis.

Non aliter VIRGILIVS Aeneid. Lib. VIII. v. 698.

Omnigenumque Deum monſtra; et latrator Anubis.

ad quae verba SERVIVS haec notat: *Quia capite canino pingitur, hunc volunt eſſe Mercurium.* De Cleo-

* Operum To. II. p. 75. eiuſdem Edit.

Cleopatra vltima regina Aegypti, queritur PROPERTIVS Lib. III. Eleg. IX.

Scilicet inceſti meretrix regina Canopi
Vna Philippeo ſanguine inuſta nota,
Auſa Ioui noſtro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

Et PRVDENTIVS noſter, incredibilem hanc Aegyptiorum veſaniam mirari iuxta et indignari ſatis non poteſt, *Apotheoſ.* v. 194.

Quae gens tam ſtolida eſt animis, tam barbara linguis;
Quaeue ſuperſtitio tam ſordida; quae caniformem
Latrantemque throno coeli praeponat Anubem?

Sed nec LVCIANVS, irriſor ille Deorum et hominum, impetrare a ſe potuit, vt Aegyptiorum Numini canino parceret. Nam in *Concilio Deorum*, Momum ſic loquentem fingit: * *Ceterum tu, o canino vultu praedite Aegyptie, qui ſindone es amictus, quisnam es o optime, aut quomodo te, latrator cum ſis, Diis annumerari pateris?* Et diu ante hunc Scriptorem, Aegyptiis hunc in modum illuſit ANAXANDRIDES Poëta

—— ** *κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγὼ*
Τοὖψον κατεσθίουσαν ἥνικ' ἂν λάβω.

—— *canem veneraris; ſed ego verbero*
Sicubi offendam vorantem obſonium.

§. 4. *Cani* igitur, ſiue *Anubidi*, nam huius Symbolum ſacroſanctum exiſtimabatur ille, vrbes in Aegypto erant aedificatae, Templaque dedicata, illique ſtatis temporibus, Sacra fiebant ſumtuoſa et ſolennia. In eius nempe honorem, vrbem non ex poſtre- *In honorem canis, ſiue Anubidis, vrbes paſſim conſtructa, Templaque*

* Operum T. II. p. 956.
** Apud ATHENAEVM Lib. VII. p. 300.

dedicata erant; isque per Aegyptum totam colebatur ab omnibus.

poſtremis Aegypti mediae, cognominatam fuiſſe κυνόπολιν, vel κυνῶν πόλιν, quaſi dicas, *vrbem canum*, docet Geographia Aegypti. STEPHANVS *Byzantius* de ea haec habet, in articulo κυνῶν πόλις. *Cynopolis, vrbs Aegyptia. Incola dicitur Cynopolita. In iſta vrbe Annubis colitur.* Similia habet STRABO, qui ea narrat, quae oculis ipſe luſtrauerat, Lib. XV. p. 558. fin. *Sequitur Cynopolitana praefectura, et Canum vrbs, in qua Anubis colitur, ac honor, et ſacer quidam cibus, canibus eſt conſtitutus.* Ita et CLEMENS *Alexandrinus* in *Protreptico* p. 25. *Cynopolitae canem religioſe venerantur.* Idque ipſi Cynopolitarum nummi, qui etiamnum extant, * Anubidis quippe, canina facie inſignis, effigie ſignati, abunde confirmant. Neque tamen exiſtimandum, cultum Dei huius canis, intra fines vnius vrbis Cynopoleos ſe continuiſſe; verum ille per Aegyptum totam, omnesque eius partes late vagatus eſt. Erat, quod videbimus §. 6 et 7, maximorum Deorum, Oſiridis et Iſidis comes. Vbi hiſce Diis, Sacra, ſecundum ritus patrios, erant conſtituta, Anubis partem ſibi ex illis quoque vindicabat. In Pompis Iſiacis omnibus, Anubidis quoque ſimulachrum circumferri ſolebat, cuius rei ſpecimina plura infra dabimus, §. 7. Vero igitur perquam ſimile eſt, in Templis omnibus, quae Iſidis Oſiridisque Numinibus conſecrata erant, Anubidi Sacellum pariter conſtructum fuiſſe. Tale erat, vt opinor *Anubideum*, quod ex LVCIANO commemorauimus §. 2. Hinc eſt, quod in ruderibus famoſae Labyrinthi, multorumque in Aegypto Templorum, effigies Anubidis, etiamnum conſpiciantur frequentes, quod ex teſtimoniis peregrinatorum, qui noſtra cumprimis aetate, loca haec adierunt, diſcere poſſumus. Ve-

* Vide HOLSTENII notas in STEPHANVM p. 179. et VAILLANTII *Aegyptum Numiſmaticam* p. 206.

Verum ergo vtique eſt, quod de Aegyptiis Poëta cecinit.

* *Oppida tota canem venerantur* ——

Teſtatur et id de enixa veneratione, qua Aegyptii omnes Deum ſuum caninum proſequebantur, quod olim temporibus antiquiſſimis, per totam regionem, ** ſi in qua domo canis mortem oppetiiſſet, domeſtici cuncti, prae luctu, ſupercilia, caput, totumque corpus raderent, qualis profundus luctus, aliorum animantium Diis conſecratorum, interitum non comitabatur. Quod ſi etiam audimus PLVTARCHVM, *** *cani antiquitus honores prae aliis animalibus deferebantur longe maximi ac praecipui. Sed poſtquam Apis, a Cambyſe necati et proiecti, cadauer, nullum animal adiit, deque eo guſtauit, niſi canis, primis inter animalia honoribus canis excidit.* Contigit illius eiusdem Scriptoris aetate, **** quod ipſe teſtatur, vt Cynopolitae Oxyrynchitis, propter mactatum et comeſtum canem, bellum intulerint graue; ſed quod Romani, et in his, et in illis vlti ſunt, etſi † illis ipſis quoque aliquando, ſimili de cauſa, aduerſus Aegyptios arma capienda fuerint.

Et apud ipſos Graecos antiquiores, culti huius apud ipſos Numinis, veſtigia deprehenduntur.

§. 5. Sed ne in ipſa quidem Aegypto, cultus Numinis huius canini ſubſtitit. Teſtantur enim Scriptores fide digni, idque ex veſtigiis quibusdam, non adeo obſcuris illuſtrari poteſt, Anubidis et notitiam et reuerentiam, ex Aegypto tranſiiſſe in Graeciam. Non loquor de recentioribus, poſt Ptolemaeorum in Aegypto regnum, temporibus, quibus Aegyptus ipſa, magnam partem, vultum graecanicum induit, vnde factum eſt, vt plurima Ae-

* IVVENALIS Sat. XV. v. 8.
** HERODOTVS Lib. II. c. 66. 67. DIODORVS p. 75.
*** *de Iſide et Oſir.* p. 368. fin.
**** Ibidem p. 380.
† AELIANVS de anim. Lib. XI. c. 26.

gyptiorum Numina, eaque inter Anubis etiam, † a Graecis, et †† ab ipſis Romanis quoque, tractu temporis, non illibenter recepta fuerint. De temporibus loquor antiquitatis vltimae, ad quae hiſtoria Graecorum pertingit. Ipſum namque Rhadamanthum, Minois Cretici fratrem, aut, ††† vt alii volunt, eo etiam antiquiorem, Anubidem Aegyptium veneratione religioſa proſecutum eſſe deprehendo. De eo enim haec retulit SOCRATES, Scriptor non incelebris, Lib. XII. rerum Creticarum:* Ῥαδάμανθυς δοκεῖ διαδεξάμενος τὴν βασίλειαν δικαιότατος γεγενῆσθαι πάντων ἀνθρώπων· λέγεται δὲ αὐτὸν πρῶτον ὀυδένα ἐᾶν ὅρκους ποιεῖσθαι κατὰ τῶν θεῶν ἀλλ᾽, ὀμνύναι κελεῦσαι χῆνα καὶ κύνα, καὶ κριὸν, καὶ τὰ ὅμοια. *Apparet, Rhadamanthum, poſtquam regno admotus eſſet, mortalium omnium extitiſſe iuſtiſſimum. Primus etiam dicitur lege ſanciuiſſe, ne quis per Deos iuraret, verum iurare iuſſit per anſerem, per canem, per arietem, et ſimilia.* Lex illa adſcribitur pietati inſigni regis illius, qua nempe obuiam ire voluerit abuſui temerario nominis diuini. Ita etiam EVSTATHIVS rem exponit: ** Ῥαδάμανθυς, φασὶ, ὑπὲρ τοῦ μὴ θεὸν ὀνομάζειν ἐπὶ πᾶσιν, ἐκέλευσε κατὰ χῆνος, καὶ κυνὸς, καὶ κριοῦ ὀμνύναι. *Rhadamanthum aiunt, vt ne nomine diuino*

† Pompa Iſiaca, quam APVLEIVS a ſe viſam deſcribit Lib. XI. Metam. in qua Anubidem circumlatum fuiſſe legimus, peracta erat Cenchreis, in Graecia, prope Corinthum, cuius erat portus.

†† Anubidis Simulachrum marmoreum Romae memorat LAMPRIDIVS in *vita Commodi*, cap. 16. Teſtatur etiam Scriptor idem, ipſum Commodum Imperatorem, Sacra Anubidis publice celebraſſe. Vide §. 7.

††† EPHORVS apud STRABONEM, Lib. X. Geogr. p. 328.

* Apud *Scholiaſten Ariſtophanis* in *Aves* p. 566. Edit. Genev.

** In Odyſſeae Lib. T. p. 1871. Edit. Rom.

uino, ad res quaſcunque abuterentur, iuſſiſſe iurare per anſerem, canemque et arietem. MICHAEL APOSTOLIVS tradit, Rhadamanthum ea, quae aliis, lege lata praeceperat, proprio exemplo roboraſſe. * Ὁ δὲ ὅρκος Ῥαδαμάνθυος ἦν κατὰ χῆνος, ἢ κυνὸς, ἢ πλατάνυ, ἢ κρίυ, ἢ τινος ἄλλυ τοιύτυ. *Iusiurandum, quo Rhadamanthus ſolebat vti, erat per anſerem, vel canem, vel platanum, vel arietem, vel aliquid huius generis.* Vbi auctor hicce, ad ea, quae ab aliis commemorantur, platanum arborem addit. Ego vero, vbi haec legi et paulo attentius conſideraui, aliter colligere non potui, quam priſcum illum Rhadamanthum, aut gente fuiſſe Aegyptium, quod et nomen eius prodere videtur, aut poſt peregrinationem eo inſtitutam, cultum deorum nonnullorum Aegypti, domum ſecum reduxiſſe, ideoque per anſerem, canem, arietemque iurare conſueuiſſe, quod in ipſo, vt peregrinum quidpiam, et in Graeco inauditum, veteres obſeruare iubent. *Canem* et *arietem*, inter Deos Aegyptiorum, ſuum quoque ſortitos fuiſſe locum, *Pantheon* noſtrum ſatis docere poteſt. *Anſerem* equidem diuinis honoribus Aegyptii dignati nunquam ſunt; ſed ſcimus tamen, ** alitem hunc Iſidi ſacrum, et in delitiis fuiſſe, quamuis ipſi in ſacrificium quoque cederet. Vnde IVVENALIS Sat. VI. v. 540. canit.

Vt veniam culpae non abnuat, anſere magno
Scilicet, et tenui popano corruptus Oſiris.

A 5 Plata-

* in Centuria Prouerbiorum XVII. num. 7.

** HERODOTVS Lib. II. c. 45. OVIDIVS Faſtor. Lib. I. v. 453. ARISTIDES Rhetor, λόγων ἱερῶν tertio circa fin fol. 176. b. Edit. Florent. graec. PHILOSTRATVS de vita Apollonii Lib. V. cap. IX. Adde his LEONARDI AVGVSTINI Gemmas Part. II. num. 39. et SPANHEMIVM de Praeſtantia Numiſm. p. 256.

Platanus, per quam etiam iuraſſe Rhadamanthum, perhibet APOSTOLIVS, eodem quoque ſpectat. Nam non animalia tantum,* ſacra erant Aegyptiis, erant etiam arbores et plantae, eosque *allium caepasque inter Deos in iureiurando habuiſſe*, teſtis eſt PLINIVS Lib. XIX. c. VI. Rhadamanthi exemplum imitatus poſtea eſt Socrates, Graecorum omnium optimus et ſapientiſſimus: ideoque vtrumque in hac cauſa coniungit PORPHYRIVS, *de Abſtin.* Lib. III. p. 285. fin. Κρησὶ δὲ, inquit, *νόμος ἦν Ῥαδαμάνθυος, ὅρκον ἐπάγεσθαι πάντα τὰ ζῶα.* Οὐδὲ Σωκράτης, *τὸν κύνα καὶ τὸν χῆνα ὀμνὺς, ἔπαιζεν, ἀλλὰ κατὰ τὸν τοῦ Διὸς καὶ * Μάιας παῖδα, ἐποιεῖτο τὸν ὅρκον. Legem Cretenſibus tulerat Rhadamanthus, vt per omnia animalia iurarent. Neque Socrates, cum canem anſeremque iuraret, putandus eſt ludere aut ridere voluiſſe. Iurauit per filium Iouis et Maiae.* Docet nempe eruditiſſimus hic Scriptor, Socratem, quando iurabat per *canem*, intellexiſſe Aegyptiorum *Anubidem*, ſeu, vt Graeci interpretantur, *Mercurium*, quem ipſi quidem perhibebant Iouis et Maiae filium. Et ne in hoc argumento prolixior ſim, habemus ſane Socratem ipſum, conceptis verbis id profitentem, et ita iurantem:** Μὰ τὸν κύνα τὸν Αἰγυπτίων θεόν. *Per canem, Aegyptiorum deum.* Sed de his iam ſatis.

Sacerdotales Aegyptiorum de Anubide traditiones.

§. 6. Videamus nunc iam, quid in Sacerdotalibus Aegyptiorum fabulis, de *Anubide* traditum inueniamus. Et primo quidem Oſiridis filium eum perhibitum fuiſſe, deprehendimus. *** *Aiebant* enim, *cum Oſiride duos militatum profectos eſſe* † *filios*

* Ita correxi, cum legeretur, nullo prorſus ſenſu *δίκαιον.*
** Apud PLATONEM in *Gorgia*, p. 316. Edit. graec. Baſil.
*** DIODORVS *Siculus* p. 15. fin.
† Deeſt hoc in verſione latina RHODOMANNI; ſed in graeco extat, *δύο υἱοὺς*, *duos* Oſiridis *filios.*

lios eius, Anubim et Macedonem, fortitudine praeſtantes viros. Erat ergo *Anubis* * filius Oſiridis. Rem ex iisdem fabulis acceptam, narrat paulo prolixius PLVTARCHVS *de Iſ. et Oſir.* p. 356. fine, in haec fere verba: *Porro Iſidem, comperto, Oſirin cum Sorore,* (Nephthy) *per errorem congreſſum eſſe, credentem ſe cum Iſide vxore, rem habere, et viſo rei huius argumento, corona nempe melilotina, quam is apud Nephthyn reliquerat, puerulum quaeſiuiſſe, nam prae metu Typhonis,* mariti ſui, *mater eum ſtatim expoſuerat, magnoque labore, canibus indagantibus, repertum enutriuiſſe.* Oſiris itaque filium hunc ſuum, per adulterium, etſi ignorans et imprudens, ex Nephthy ſorore ſua ſuſceperat. Refer huc, quod alibi PLVTARCHVS, in eodem libro, p. 366. ſcribit: *Cum autem exundans Nilus, etiam in iſtas partes diffluit, hoc Oſiridis cum Nephthy coitum nuncupant.* Et mox, poſt inſecuta quaedam alia: *Itaque Iſis Horum,* ex Oſiride ſuſceptum, *iuſto partu edidit: Nephthys autem,* ex eodem Oſiride, *Anubim furtiuo.* Poteſt hinc liquere, TERTVLLIANVM memoriae lapſu, in errorem inductum fuiſſe, cum in *Apolog.* cap. XV. *moechum Anubim* commemoraret, niſi forte dicere velis, *moechum* Scriptori illi hoc loco ſignificare, *adulterio procreatum.*

In cauſas inquiritur, ob quas Deus hic ſpecie canina ab Aegyptiis fingeretur. Anubis perpetuus Iſidis Oſiridisque comes.

§. 7. Solent veteres, vbi res *Anubidis* attingunt, etiam in cauſas inquirere, ob quas eum Aegyptii canina forma fingere et repraeſentare conſueuerint, et illas plerumque, ex hiſtoria fabuloſa eorum, quae perhibentur, aut circa Anubim, aut ab ipſo geſta fuiſſe, depromunt. PLVTARCHVS poſtquam p. 356. furtiuos Dei huius natales retuliſſet, addit, Iſidem *eum, magno labore, canibus indaganti-* bus

* Non igitur erat filius Typhonis, quod memoria lapſus affirmat GERH. IOH. VOSSIVS, *de Idolol.* Lib. I. c. 27. fol. 105.

bus repertum, enutriuiſſe: eumque cuſtodem deinde comitemque habuiſſe, Anubim appellatum, et creditum Deos cuſtodire, vt canes hominibus cuſtodes adeſſe ſolent. Similia fere ſunt, quae ea de re, apud DIODORVM p. 77. leguntur, vbi, *canis*, inquit, *vſui eſt venationibus et cuſtodiis. Ideo* Aegyptii *Deum, quem Anubim appellitant, canino capite repraeſentant; canem Oſiridi et Iſidi corporis fuiſſe cuſtodem, indicantes. Alii narrant, canes Iſidi, quando inueſtigabat Oſiridem, duces fuiſſe, et feras aliosque obuios auertiſſe, et fidos beneuolosque inquiſitionis ſocios ſe praebuiſſe cum vlulatu.* Obſeruat DIODORVS, canes vſui eſſe in venatione, idque ad fabulas quoque de *Anubide* applicat, ſicuti fecerunt et alii. Eos inter IVLIVS FIRMICVS, *de erroribus profan. relig.* non procul ab initio, neſcio vnde, refert, Iſidem *adhibuiſſe ſibi Nephthen ſororem ſociam, et Anubim venatorem.* DIODORVS vero, alio loco, rationem adfert aliam, Anubidis in ſpeciem canis effidi. Ait enim p. 15. fin. 16, Anubidem *ex bellua ſibi confeciſſe armaturam maxime inſignem, videlicet ex pelle canina, eamque ob cauſam belluam hanc religioſe ab Aegyptiis coli.* Plures huiusmodi explicationes adferre taedet. Quis tam eſt obeſae naris, qui non confeſtim perſpiciat, veteres hanc de Anubide fabulam Sacerdotalem, quemque pro ingenio ſuo, ex coniectura explicuiſſe, huncque obtuliſſe nobis talem, illum vero aliam. Illi vero a ſcopo quam proxime abeſſe mihi videntur, qui rationem, ob quam *Anubim* ſuum *canem* finxerint Aegyptii, ex eo repetendam eſſe ſuſpicati ſunt, quod *Anubis*, Diis ſupremis, *Oſiridi* et *Iſidi*, ab Aegyptiis ſemper additus fuerit, vt ipſorum comes, cuſtos et pediſſequus. Id enim veteres omnes vnanimiter tradunt. DIODORVM et PLVTARCHVM modo nunc intelleximus aſſerere, *Iſidem et Oſiridem habuiſſe cuſtodem* *cor-*

corporum comitemque Anubidem, ſicuti canes hominibus cuſtodes adeſſe ſolent. Idem PLVTARCHVS p. 355. obſeruat, Aegyptios Mercurium ſuum dicere *canem, ob cuſtodiendi ac vigilandi ſtudium.* Hinc *Anubim* τὸν τȣ̃ Ὀσίριδος φρȣρὸν, *cuſtodem Oſiridis* appellat PROCLVS, in Platonis πολιτείαν, p. 417. Et de eodem STATIVS quaerit, *Syluarum* Lib. III. num. II. v. 112.

Cur ſeruet Pharias lethaeus Ianitor aras.

Ex quo colligere licet, in Templis Iſidis, prope eius aram, communiter ſignum Anubidis collocari conſueuiſſe. Veram autem rei huius rationem, quam ex iſta deducimus, et quae nobis vera viſa eſt, in ſequentibus exponemus, §. 12. 13. Inde vero eſt, quod in Pompis Iſidis ſolennibus, Anubis quoque ſemper circumferri ſolitus fuerit. Diſerte profecto DIODORVS p. 78. obſeruat, τοῖς Ἰσείοις προπορεύεσθαι τȣ̀ς κύνας κατὰ τὴν πομπὴν, *in feſtis Iſiacis, canes antecedere pompam.* Talem Pompam deſcriptam videmus ab OVIDIO, *Metamorph.* Lib. IX. v. 689.

Inachis (Iſis) *ante torum, pompa comitata Sacrorum*
Aut ſtetit, aut viſa eſt: inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis, nitido flauentibus auro,
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variusque coloribus Apis.

APVLEIVS, qui huiusmodi Pompam Iſiacam, Cenchreis a ſe viſam refert, *Metam.* Lib. XI, de ea haec ſcripto conſignauit p. 262. *Nec mora, cum Dei, dignati pedibus humanis incedere, prodeunt; hic horrendum attollens canis cervices arduas, ille ſuperum commeator et inferum: nunc atra nunc aurea facie ſublimis, laeua caduceum gerens; dextra palmam virentem quatiens.* Ideoque de Commodo Imperatore, cum is Sacra Aegyptiorum, omnemque eorum

rum apparatum, Romam inuexiſſet, et Pompas Iſiacas ipſe ſolenniter celebraret, narrat in eius vita AELIVS LAMPRIDIVS cap. 9. *Sacra Iſidis coluit, vt et caput raderet, et Anubim portaret.* Et mox: *Quum Anubim portaret, capita Iſiacorum grauiter obtundebat ore ſimulachri.* Eadem commemorat SPARTIANVS in *Peſcennio nigro* cap. 6. *Sacris Iſidis Commodus adeo deditus fuerat, vt et caput raderet, et Anubim portaret, et omnes pauſas ederet.* Idem in *Antonino Caracalla* cap. 9. *Commodus Sacra Iſidis ita celebrauit, vt et Anubim portaret, et pauſas ederet.* Diu ante, Ciceronis aeuo, Conſulibus Piſone et Gabinio, Sacra haec Roma fuerant eiecta, quod ſic TERTVLLIANVS teſtatur, in *Apolog.* c. VI. *Serapidem, et Iſidem, et Harpocratem, cum ſuo Cynocephalo,* (intelligit Anubidem, capite canino inſignem,) *Capitolio prohibitos, id eſt curia Deorum pulſos, Piſo et Gabinius Coſſ. abdicauerunt.* Addamus his vnicum praeterea MINVTII FELICIS locum, qui in *Octauio,* cap. 21, ſolenne aliquod Aegyptiorum Sacrum commemorans, haec habet: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo* (Anubide) *et caluis Sacerdotibus luget, plangit, inquirit.* —— *mox inuento paruulo, gaudet Iſis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus* (Anubis) *inuentor gloriatur.* Id vero ipſum, * in *Tabula Iſiaca,* ad viuum depictum cernimus.

Anubidem Graeci nonnunquam interpretantur Saturnum, plerumque vero Mercurium.

§. 8. Graeci, de rebus Aegyptiacis agentes, nomine *Anubidis* nonnunquam intelligunt *Saturnum,* aut *Anubidem* interpretantur *Saturnum.* Monet hoc PLVTARCHVS, *de Iſ. et Oſir.* p. 368. Ἐνίοις δοκεῖ Κρόνος ὁ Ἄνουβις εἶναι· διὸ πάντα τίκτων ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ κύων ἐν ἑαυτῷ, τὴν τοῦ κυνὸς ἐπίκλησιν ἔσχεν. *Nonnullis videtur Anubis Saturnus eſſe, quia omnia gignens ex ſe, et in ſe tanquam praegnans mulier ge-*

rens

* Vide *Miſcellanea Berolin.* T. VII. p. 379. 380.

rens (quod graece κύειν dicitur) κύων, *ſiue canis appelletur.* Nihil dico de iſta explicatione puerili, qua nempe ratio promitur, cur *Anubis*, cum ſit *Saturnus*, ab Aegyptiis, vt κύων, vel *canis* ſingi ſolitus fuerit. Huiusmodi ineptiis, auctor ille alioquin grauis, omnique laude dignus, in libro praeſertim *de Iſide*, ita ſe oblectare videtur, vt fere diceres, eum id feciſſe in gratiam Cleae, ſuperſtitioſae mulieris, cui etiam librum hunc inſcripſit. Sed praeterea videtur PLVTARCHVS hic *Anubidem* confudiſſe cum *Phtha*, ſiue *Vulcano* Aegyptiorum, quod etiam alias non ſemel factum eſſe, monuimus Lib. II. cap. I. §. 9. Verum tamen eſt, quod PLVTARCHVS aiebat, nonnullos *Anubim* interpretari *Saturnum*. Nam vbi de *Saturno* Aegyptiorum veteres loquuntur, perſaepe alium, quam *Anubidem*, non intelligunt. Sed plura eam in rem hic non congero. Nam plerumque et fere ſemper *Anubidem* interpretari iidem ſolent *Mercurium*. Sic PLVTARCHVS in libro *de Iſide* p. 355. *Non enim Aegyptii, Mercurium ſuum proprie canem vocant: ſed ob cuſtodiendi et vigilandi ſtudium, ac ſapientiam, qua amicum ab inimico discernit, eum Deorum callidiſſimo, vt Plato ait, accommodant.* Sermonem hic eſſe de *Anubide*, omnes illico perſpiciunt. Idem p. 367. ait, fabulari Aegyptios, *Mercurium ſedem habere in Luna, et vna cum illa circumferri.* Vbi non alium, quam Anubidem, comitem et pediſſequum Iſidis intelligi poſſe, palam eſt. Et ita in libro eodem, auctor ille fere ſemper. Non aliter SERVIVM et PORPHYRIVM, Numen *Anubidis* interpretatos eſſe, ex §. 3. et 5. liquere poterit. Ex LVCIANO quoque, cuius verba dedimus §. 2, diſcimus, *Anubidi* Aegyptiorum attributum fuiſſe κηρύκιον, *caduceum*, quem teſſeram eſſe *Mercurii* Græcorum, neminem latet. De *Anubide* quoque capiendum eſſe exiſtimo, quod DIO CAS-

SIVS, nobiliſſimus hiſtoriae Romanae Scriptor, de Marco Aurelio Imperatore, literis mandauit. * Λόγος ἔχει, Ἀρνοῦφίν τινα, μάγον Αἰγύπτιον, συνόντα τῷ Μάρκῳ, ἄλλους τε τινὰς δαίμονας, καὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον, ὅτι μάλιστα μαγγανείαις τισὶν ἐπικαλέσασθαι, καὶ δι᾽ αὐτῶν, τὸν ὄμβρον ἐπισπάσασθαι. *Fama eſt, Arnuphin quendam, Magum Aegyptium, qui Marco aderat, Mercurium illum, qui eſt in aëre, aliosque daemonas, artibus quibusdam magicis inuocaſſe, ac per eos pluuiam extorſiſſe.* Lectori erudito facile pateſcit, ſermonem eſſe de pluuia illa mirifice exoptata, qua exercitus M. Aurelii Imperatoris, in bello Marcomannico, anguſtiis extremis preſſus, praeter ſpem omnium, ſubito recreatus fuit, quam quidem Chriſti cultores precibus ſuis, alii Deorum ſuorum auxilio et fauori in acceptis tulere, ac inter hos quidam *Mercurio aërio*, quem *Arnuphis*, magus Aegyptius, inuocauerat. Quis vero ſit ille Mercurius aërius, niſi *Anubis*, Solis ac Lunae pediſſequus, et cum lunari globo rotari creditus?

Interpretationes nominis Anubis *adferuntur, quae minus nobis probantur.*

§. 9. Pergimus nunc ad interpretandum nomen Aegyptiacum *Anubis*, qua de re extat ** quaedam noſtra obſeruatio. Sed argumentum iſtud tanto minus hic omittere nobis licet, quod ad indagandam veram Sacerdotum Aegyptiorum, de *Anubide*, mentem ac ſententiam, non parum nobis profuturum eſſe videam. Graeci nomen hoc ſemper ſcribunt *Anubis*, vbi omnes in rebus huius generis vel mediocriter tantum exercitati, facile perſentiſcunt, ad ipſam vocem Aegyptiacam, acceſſiſſe terminationem graecam, quam vocabulis barbaris fere ſemper addere, graecis Scriptoribus ſolenne atque familiare eſt.

* In *Epitome* IOHANNIS XIPHILINI, p. 260. Edit. Roberti Stephani.

** In *Theſauro Epiſtolico La Croziano* To. I. p. 168. etc.

eſt. Si igitur demſeris terminationem graecam, remanebit *Anub*, nomen inter Aegyptios, oppido vſitatum, cuius Scriptores Eccleſiae noſtrae vetuſti, qui elegantias veneresque graecae dictionis aucupari non ſolent, perſaepe meminerunt. In PALLADII *hiſtoria Lauſiaca*, * cap. LVIII. inſcribi videmus περὶ Ἀββᾶ Ἀνοὺβ. *De Abbate Anub*, quod, neſcio qua de cauſa, redditur in verſione HERVETI, *Vita Abbatis Anuph.* Nam nomen *Anuph*, quod ** in hiſtoria Monachorum Aegyptiorum etiam ſubinde occurrit, a nomine *Anub*, ſignificatione vehementer differt. Sic in eadem *hiſtoria Lauſiaca*, cap. LV. mentio eſt *Abbatis Anub*, vti quidem habet Textus graecus, quem et hic verſio latina corrupit, ſcribendo *Anuph.* Commemoratur idem *Abbas Anub*, in *** *Apophthegmatibus Patrum*, aliisque Eccleſiae antiquae Monumentis. Ipſi igitur Aegyptii, *Anubidis* nomen, lingua ſua efferebant *Anub*, aut etiam, et rectius quidem *Annub.* Ita nomen hoc ſcribit LVCIANVS, niſi quod illi terminationem graecam aſſuerit. Nam in *dialogis mortuorum* p. 254. fingit Alexandrum M. ἐλπίζοντα Ἄννουβιν ἢ Ὄσιριν γένεσθαι, *ſperantem, fore, vt aliquando fiat Annubis, vel Oſiris.* Eundem typum in hoc nomine ſeruat etiam STEPHANVS Ethnicographus, qui de Cynopoli obſeruat, ἐν ᾗ πόλει Ἄννουβις τιμᾶται, *in qua vrbe colitur Annubis.* Non diffiteor, eruditiſſimos viros, BERKELIVM, et HOLSTENIVM, in notis ad illum Scriptorem, id agere, vt perſuadeant nobis, locum in mendo cubare, et pro Ἄννουβις, ſcribendum eſſe Ἄνουβις; verum quo iure, ipſi viderint. Poſterior ſane rationem emendationis ſuae offert, quae videri poteſt,

* In *magna Bibliotheca Patrum* Pariſina To. XIII. p. 990.

** Vide SOZOMENI hiſt. Eccleſ. Lib. III. cap. XV. CASSIANO ſcribitur *Pinuphius* Collat. XX. ſaepiuſcule.

*** *Monumenta Eccleſiae Graecae* COTELERII To. I. p. 393.

poteſt, aliquod habere pondus. *Graecis*, inquit, *Latiniſque Poëtis prior ſyllaba corripitur.* Hoc enim re ipſa ita ſe habere, exempla §. 3. adducta, inuicte probant. At enim ex ea, quam vir eximius, pro emendatione ſua, attulit ratione, id tantum intelligitur, quamobrem Graeci Latinique ex voce *Annubis*, alterum eliſerint *n*, vt nempe in verſibus ſyllabam primam corripere poſſent. Corruptio igitur nominis huius primo quidem debetur Poëtis; ſed eos ſecuti ſunt alii, et ſic conſuetudo illius ſcriptionis et pronuntiationis paulatim vbique inoleuit. Non poſſum itaque non ſic exiſtimare, ipſos Aegyptios nomen hoc antiquitus protuliſſe *Annub.* Quod ſi ita ſe habet, de quo dubitare mihi non licet, cordati omnes facile mihi concedent, ſententiam magni * BOCHARTI, eorumque, qui veſtigia eius legunt, vocem *Anubis* autumantium nihil aliud eſſe, quam hebraeum הנובח *hannobeach*, vel *hannobeah*, admitti non poſſe. Nam vt plura alia taceam, quae in hac interpretatione difficulter concoqui poſſunt, quis non videt, *Annub* et *Hannobeach*, nimio interuallo a ſe inuicem differre, quam vt vnum vocabulum cenſeri poſſint? Taceo illorum originationem, qui *Anubin*, lingua Aegyptiorum patria, *canem* dictum fuiſſe ſibi imaginantur, etſi illis praeiuerit vetus *Scholiaſtes Iuuenalis*, qui ad Sat. V. v. 535. haec notat: *Dictus Anubis, quia caput caninum accipit per myſteria.* Nam *canis* Aegyptiis non dicitur *Anubis*, etſi ob rationem myſticam Deum hunc cum capite canino repraeſentare ſoliti fuerint. Sed de hac ipſa, aliiſque ſimilibus Numinum Aegyptiorum originationibus, ** in ſuperioribus iam dixi.

§. 10.

* In *Hierozoico*, Parte I. Lib. II. cap. LVI. col. 691.

** Lib. II. cap. VII. §. 2. Lib. III. cap. III. §. 11.

Anubis Aegyptiis aureum ſignificat, eaque interpretatio argumentis aliquot confirmatur.

§. 10. Illis, qui linguae Aegyptiacae, ſiue, vt vulgo vocatur, Copticae, aliquam notitiam ſibi comparauit, aqua haerere hic non poteſt. Omnia potius ſponte fluunt. Diximus, *Anubidem* Aegyptiis re ipſa ſonuiſſe *Annub.* Id vero ſine vlla qualicunque mutatione, *aurum* ſignificat, vel *aureum.* Nam ⲚⲞⲨⲂ, *nub*, lingua Aegyptiorum antiquiſſima dicebatur *aurum*, quod interpretatio S. Scripturae Coptica, innumeris locis docet,. quodque * teſtimonio Sacerdotis Aegyptii veteris confirmatum videre poſſumus. Inde vero eſt Ⲛ̄ⲚⲞⲨⲂ, vel quod prorſus idem valet, ⲈⲚⲚⲞⲨⲂ, *Ennub*. vel *Annub*, idque ſemper *aureum* ſignificat, quod ſexcenta exempla, et amplius, in Coptica Scripturae S. interpretatione docent. *Annub* igitur Aegyptiis, vti dixi, *aureum* ſonat, neque ſolum et ſeparatum poſitum, aliud quid ſignificare poteſt. Hanc vero interpretationem meam, a mente et ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, alienam non eſſe, I. Ex eo colligi merito poteſt, quod Aegyptii *Anubim* ſuum, propter rationem ſine dubio myſticam, ſemper ex ſolido *auro* fingere, aut vero illi, ex alio metallo fabricato, *aureum* ſaltem *colorem* inducere ſolerent. Pertinet huc locus LVCIANI, §. 2, iam allatus, vbi praeter alios Deos barbaricos, memoratur etiam *Anubis, ex ſolido auro conflatus, grauis et vere magni pretii*, alterque Scriptoris eiuſdem, illic etiam deſcriptus, in quo narratur, furem aliquem *in Anubideum* (id eſt Sacellum Anubidis) *irrupiſſe, ibique Deum ipſum* (aureum quippe et magni pretii,) *ſurripuiſſe, duas item phialas aureas, et aureum inſuper caduceum.* Neſcio an aliis ſim perſuaſurus, quod mihi valde probabile ſit, eandem rem tangi in hoc LVCILII Epigrammate.

 * Τὴν

* Vide infra Libri huius cap. IV. §. 4.

Τὴν γένεσιν λυποῦντα μαθὼν Κρόνον Ἡλιόδωρος
Νύκτωρ ἐκ ναοῦ χρύσεον ἦρε Κρόνον

Cum Heliodorus intellexiſſet, per Saturnum geni-
turam ſuam deprauari
Noctu clam ex Templo aureum ſurripuit Sa-
turnum.

Niſi fallor, Epigramma hoc narrat rem perſimilem illi, quae in LVCIANI vltimo loco refertur. Saturni ipſius ſigna et ſimulachra, in Templis, Graecorum quoque et Romanorum, erant perrara, et vix conſpiciebantur. *Anubis* vero, praeter Aegyptiorum, Graecorum quoque et Romanorum Templa, frequens occupauerat. Et huius Dei ſimulachra fuiſſe plerumque aurea, modo obſeruabamus. Eum vero a Graecis ſaepius dictum fuiſſe Κρόνον, vel *Saturnum*, §. 8. iam monuimus. Neque vero exiſtimandum eſt, caſu tantum quopiam nonnunquam contigiſſe, vt *Anubidis* ſimulachra, ex auro conflarentur. Id nitebatur arcanis quibuſdam Sacrorum rationibus, quod non ita obſcure innuit PLINIVS, Lib. XXXIII. c. 9. *Tingit et Aegyptus argentum, vt in vaſis Anubim ſuum ſpectet, pingitque non celat argentum.* Liquet hinc, ideo Aegyptios argentum non celaſſe, quoties ſculpendus erat Anubis, vt nimirum illius effigies, vero et proprio ſuo colore, id eſt *aureo*, inſignis conſpici ſemper poſſet. Rationem hanc arcanam, ex Sacris petitam, paulo apertius tangit APVLEIVS, Lib. XI. Metamorph. p. 262. vbi vectatum in Pompa Iſiaca Anubidis ſimulachrum ad hunc modum deſcribit: *Hic horrendum attollens canis ceruices arduas, ille ſuperum commeator et inferum, nunc atra nunc aurea facie ſublimis.* Ecce tibi *Anubidem aurea facie ſublimem!* Equidem, ne quid diſſimulem, *Mercurius* ille, aut *Anu-*

* In *Anthologia* Graecorum Lib. II. cap. XXIV. Epigr. VII.

Anubis, quem in Pompa ſua nobis deſcribit Philoſophus Madaurenſis, aliquid ex Graecorum Sacris traxiſſe mihi videtur, vti ſane is Pompam ſibi viſam, ſpectauit non in Aegypto, verum Cenchreis in Graecia. Sed id tamen ex praeceptis Theologiae Aegyptiorum, habuit ille APVLEII *Anubis*, quod *aurea facie* conſpiciendus eſſet. Poteſt vero id ipſum, quod nunc obſeruauimus, II. ex traditione aliqua antiqua Aegyptiorum, de *Anubide*, ſuo, vel *Mercurio*, quae ad Graecos etiam, etſi nonnihil incruſtata, dimanauit, non mediocriter illuſtrari. Veſtigia illius ſatis luculenta reperiuntur in hiſtoria Fauni, Italorum regis peruetuſti, prout eam Scriptores quidam Eccleſiaſtici in literas retulerunt. Ea apud auctorem *Chronici Alexandrini*, vel *Paſchalis*, in haec verba concepta legitur, quae breuitatis amore ductus, ex graeco latine conuerſa adſcribo. * *Extincto Pico, qui et Iupiter dictus eſt, regnauit in Italia filius eius Faunus, qui et MERCVRIVS appellatus, annos* XXXV. *Erat vir ille callidus et Mathematicus, qui primus in Occidente AVRI METALLVM, eiusque conflandi rationem adinuenit. Is —— conuaſato ingenti admodum AVRI pondere, IN AEGYPTVM, ad tribum Chami, filii Noae ſe contulit, a qua perhonorifice exceptus eſt. Ibi degens, pro nihilo ceteris habitis, AVREA INDVTVS STOLA, philoſophabatur APVD AEGYPTIOS, quibus ventura praedicebat: —— vnde ab iis adorabatur, dicebaturque Deus Mercurius, vt qui futura praediceret —— opesque praeberet: quem ideo DIVITIARVM LARGITOREM NOMINABANT, quippe quem exiſtimarent* ** *DEVM eſſe AVRI. —— Cum porro idem Mercurius in Aegyptum venit, apud Aegyptios regnabat*

B 3 *Meſtrem*,

* Pag. 104. Edit. *Raderi*, vel 44. et 45. Edit. Pariſ.

** In graeco eſt, ὡς τὸν χρυσὸν θεὸν ὀνομάζοντες, idque ver-

Meſtrem, ex genere Chami. Similia de *Mercurio* reperiuntur apud CEDRENVM p. 16. 18. et apud Anonymum, cuius *Excerpta Chronologica* praemittuntur Chronico IOHANNIS MALALAE, Oxonii edito, p. 22. Omnes hi in eo inter ſe conueniunt, Mercurium Aegyptium, *aurum* eiusque conflationem *inueniſſe*, *Stolam* ad haec *auream geſtaſſe*, et habitum fuiſſe *Deum aureum*, vel *Deum auri*. Hoc manifeſto apparet, ex traditionibus antiquis, fabulisque Sacerdotum Aegyptiorum de ſuo *Anubide*, etſi nonnihil inquinatis, defluxiſſe. Reliqua, quae Scriptores hi de Fauno Italo docere nos volunt, et de Mercurii ex Italia in Aegyptum peregrinatione, ipſis relinquo. Id mihi ſatis liquet, eos res *Anubidis*, cum rebus alius Aegyptiorum Dei, *Thoth*, quia vtrumque hunc Graeci *Mercurium* interpretantur, paulo ſecurius confudiſſe. Quae de *aurea Stola*, et de *tutela auri* ipſi commiſſa, narrant, ſpectant ſane ad *Anubim*. Sed quae iidem de Mercurii huius Studio Philoſophico ſuperaddunt, referenda vtique ſunt ad Deum *Thoth*, quod ex cap. V. huius libri perſpicietur luculentius. Reperiuntur vero etiam III. traditionis huius Aegyptiorum veſtigia quaedam ſubobſcura, in ipſa Graecorum, de ſuo *Mercurio*, Mythologia antiquiſſima. In *Hymno* namque HOMERI, *in Mercurium*, Poëta hic narrat, quomodo Apollo, in antrum Cyllenii montis, vbi Mercurius puellus nutriebatur, peruenerit, quantasque illic opes inuenerit, v. 249.

Πολλὸς δὲ χρυσός τε, καὶ ἄργυρος· ἔνδον ἔκειτο

Multum autem AVRIque et argenti intus iacebat.

Ideo-

titur, *cum aurum Deum appellarent*. Sed legendum ſine dubio τὸν χρυσοῦν θεόν, *Deum aureum*, vel, vti apud CEDRENVM p. 18. ſcriptum extat, ὡς τοῦ χρυσοῦ θεὸν νομίζοντες. Et ſic verti.

Ideoque paſſim ipſi a Poëtis tribuuntur *talaria aurea*, vt a Poëtarum Principe. Aen. IV. 239.

—— *Et primum pedibus TALARIA nectit*
AVREA. ——

Quod videtur ſumſiſſe a Poëtarum omnium Patre ac Magiſtro, cuius hi ſunt verſus

* Ἀυτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα
Ἀμβρόσια, χρύσεια ——
Statim deinde ſub pedibus ligauit pulchra TALARIA
Ambroſia, AVREA ——

Eadem ratione Graeci *Mercurio* ſuo, auream etiam *virgam*, quam caduceum vocant, tanquam aliquod inſigne, tribuunt, ſicuti etiam Aegyptii, §. 2. Et ab eo Deus hicce dici ſolet Χρυσόῤῥαπις, *aurea virga inſignis.* HOMERVS Odyſſ. K. 277.

Ἔνθα μοι Ἑρμείας Χρυσόῤῥαπις ἀντεβόλησε
Ibi mihi Mercurius AVREA VIRGA obuiam venit.

Ad quae verba vetus *Scholiaſtes* haec habet. Χρυσόῤῥαπις, χρυσῆν ῥάβδον ἔχων. *Mercurius dicitur* Χρυσόῤῥαπις, *quia virgam auream geſtat.* Quod EVSTATHIVS confirmat, ad Odyſſ. E. p. 1522. Ad verſum vero, quem modo adſcribebamus, idem ſcribit p. 1658. circa fin. veteres epitheton hoc Mercurii exponere de *aureis talaribus.*

§. II. Explicandum nobis iam eſt, qualenam re ipſa Numen *Anubis* fuerit, et quid in eo venerari voluerint Aegyptiorum Theologi. Aliquando illa mihi ſententia ſedit, *Anubim* ipſis deſignaſſe *Stellam*, vel *Planetam*, quem dicere ſolemus *Mercurii*, eumque *Anubis Planetam Martis Aegyptiis non ſignificauit.*

* HOMERVS Iliad. Lib. Ω. v. 340. Odyſſ. A. 96.

que ab Aegyptiis *Annub*, ſeu *aureum* fuiſſe dictum, quemadmodum Graeci eundem Στίλβοντα, *fulgentem* nuncupare conſueuerunt. Rationes, quae id mihi veroſimile reddiderunt, expoſui Lib. III. cap. VI. §. 5. Ad illas accedat nunc et iſta, quod *Anubis* Aegyptiorum, ab APVLEIO nobis ſiſtatur, *nunc atra, nunc aurea facie ſublimis*, quod explicat, dum eum vocat *ſuperum commeatorem et inferum*. Vide §. 10. Id vero *Planetae Mercurii* tam egregie conuenit, vt nihil poſſit magis. Illius autem rei haec eſt ratio, quod cum ſtellae quaedam ſint diurnae, quas inter Solem eminere norunt omnes ac vident, aliae vero nocturnae, quibus Luna praeſidet, * *Mercurius ad vtramque naturam ſe accommodet, modo diurnus, modo nocturnus. Sed orientalis diurnus eſt, occidentalis vero nocturnus.* Hinc iam ratio omnibus patere videtur, cur dicatur *ſuperum commeator et inferum*, et *nunc atra, nunc aurea facie ſublimis.* Verum tamen haec omnia ad *Anubidem* noſtrum non ſpectare, vel ex eo aeſtimare licet, quod Aegyptii *Anubidem* ſuum, *aureum* tantum, non itidem *atrum* haberi agnoſcique voluerint. Nomen eius ſignificat *aureum*, idque ſimulachra eius prae ſe etiam ferebant; ex auro ſolido quippe conflata, aut certe aureo colore obducta, vt ſemper intelligi poſſet *aureus*. Signum illud Dei huius, APVLEIO memoratum, cuius facies *nunc atra nunc aurea eſſet*, id eſt, vt interpretor, ** ex dimidio atra, ex dimidio aurea, ſi recte iudico, Graecorum, non Aegyptiorum, ingenio et artificio adſcribendum fuerit. *Mercurii* porro ſtellam Aegyptios

* IVLIVS FIRMICVS *Matheſ.* Lib. II. c. VII. PROCLVS in Paraphraſi Tetrabibli Ptolemaei Lib. I. c. VII.

** Effigiem ad illud APVLEII ſimulachrum prope accedentem cernere mihi videor, in Lucerna antiqua, quam ex LICETO adfert, BAVDELOTIVS. Vide *L'utilite des voyages* To. I. p. 173.

ptios attribuiſſe non *Anubidi*, verum *Horo*, ſiue *Apollini*, teſtimonio Scriptoris idonei oſtendimus, Lib. III. c. VI. §. 2. Neque ergo dici recte potuit, quod tamen CICERO, et ARNOBIVS dixerunt, nomen eius Aegyptios horruiſſe, et nominare nefas habuiſſe.' Ego certe, quid de hoc Aegyptiorum Mercurio, cuius nomen ipſi expromere veriti ſint, dicere debeam, non habeo. Illud noui, Graecos duos Aegyptiorum Mercurios, quos nempe ipſi nomine hoc deſignabant, *Anubidem*, et *Thoth*, perſaepe inter ſe confudiſſe, et alteri eorum tribuiſſe, quod non niſi alteri proprium erat, quod in Theologiam Aegyptiorum de *Mercurio*, vti ea a Graecis traditur, miras nonnunquam tenebras inuexit. Ego hic me Dauum non Oedipum profiteor.

Anubis ſymbolice Aegyptiis deſignabat Horizontem, ſiue ortum et occaſum Solis.

§. 12. Poſt reiectam igitur illam Numinis *Anubidis* interpretationem, quam nunc retuli, diu mecum anceps dubiusque fluctuaui, quidnam re ipſa Sacerdotes Aegyptiorum, Numine hoc ſuo innuere et deſignare voluerint, idque occaſione data, * in Epiſtola ad Venerandum quendam amicum, quae deinde publici iuris facta eſt, candide fateri veritus non ſum. Sed videamus tamen, num non ex tenebris his, exque incertitudine, quacum hucuſque luctati ſumus, emergere, et argumento huic, ſane perdifficili, aliquid lucis affundere queamus. Aegyptiorum Philoſophi, e quorum numero eſt *Arnuphis*, §. 8. memoratus, *Mercurium* ſuum, dicebant *aërium*, eique in illa Mundi noſtri regione ſedem aſſignabant, aut volebant, in aëre per eum, ſtatis temporibus, mutationem effici inſignem, et in omnium oculos incurrentem. Id mihi veteres quidam ſic explicare videntur, Aegyptiorum Theologos,

* Eam celeberrimus apud Halenſes, in Lyceo Reformato, Theologus, IO. GEORGIVS MICHAELIS, praemiſit *Obſeruationibus Sacris*, in Belgio A. 1738. editis.

Anubidis nomine, ſymbolice adumbrare voluiſſe *Horizontem*, vel, vt Latini loqui amant, *circulum ſinitorem*, qui hemiſphaerium Coeli ſuperius, ab inferiori diuidit, quique proinde partem aliquam Siderum nobis oſtendit, aliam vero oculis noſtris ſubducit.

*— * nec Sidera tota*
Oſtendit Libyae ſinitor circulus orae,
Multaque deuexo terrarum margine celat.

Teſtem do PLVTARCHVM, qui in libro *de Iſide*, Numen *Anubidis* ex mente Aegyptiorum, hunc in modum interpretatur, p. 368. *At circulus ambo* hemiſphaeria *tangens et dirimens, qui a deſiniendo Horizon dicitur, ambobus communis, Anubis vocatur, ac forma cani adſimilatur, quia canis viſu perinde noctu utitur atque interdiu. Videturque Anubis apud Aegyptios eam obtinere vim, quam apud Graecos Hecate, Numen ſcilicet terreſtre ſimul ac coeleſte.* Eorundem ſententiam adfert CLEMENS ALEXANDRINVS, vbi de hieroglyphica Aegyptiorum Scriptura diſſerit, *Stromatum* Lib. V. p. 567. *Atque duo quidem canes* (intelligit duo Anubidis ſigna) *Symbola ſunt duorum hemiſphaeriorum, vt quae circumeant et cuſtodiant.* Et poſt nonnulla intermedia: *Sunt, qui volunt, tropicos ſignificari per canes, qui cuſtodiunt, et inſtar ianitorum obſeruant, acceſſum Solis ad Auſtrum,* (id eſt hemiſphaerium inferius) *et Septentrionem* (ſiue hemiſphaerium ſuperius.) Haec omnia eodem redire, neque explicatione vberiori egere, peritus lector facile intelligit. Secundum hos igitur, *Anubis* Aegyptiis ſubindicat *circulum ſinitorem*, qui primus Solem orientem oſtendit, ac veluti in hemiſphaerium noſtrum admittit, quique eundem occidentem, conſpectui noſtro rurſus ſubtrahit, ac ad hemi-

* LVCANVS *Pharſal.* Lib. IX. v. 495.

hemiſphaerium inferius depellit: vel, vt clarius rem explicem, deſignat Solis et ortum matutinum, et occaſum veſpertinum, variasque horum mutationes, quas Aequinoctia et Solſtitia poſt ſe trahunt. Qua de re nouus mihi ſe aperit diſſerendi campus, ſed ſpatioſior, quam vt eum nunc emetiri queam. Vt ad ea, quae dixeram, redeam, * *Solis ortus dicitur eius apparitio ſuper horizontem. Occaſus vero eſt illius occultatio, quae quotidie fit, infrà horizontem.* Id igitur Sacerdotes Aegyptiorum, *Anubidis* nomine et Numine ſubinnuebant.

§. 13. Multa nunc mentem ſubeunt, ex quibus hancce *Anubidis* interpretationem ac explicationem illuſtrare, eique robur non ſpernendum addere queam. Etenim I. hinc intelligi optime poteſt, quamobrem Aegyptii hunc ſuum *Mercurium*, vel *Anubidem*, dixerint *aëreum*, § 8. 12. Nam ** *Sole oriente, colluſtratur illico aër. Sed ſimulac ſub horizonte occultatur, nigreſcit, et obſcuratur tenebris.* *Explicatio noſtra pluribus fulcitur rationibus.*

— *** *Solet aër*
Purpureus fieri: cum primum Aurora mouetur;
Et breue poſt tempus candeſcere Solis ab ictu.

II. Rationem hinc petere nobis licebit, cur Aegyptiorum Theologi, *Horum*, Oſiridis filium, perhibuerint legitimum, *Anubidem* vero eiuſdem quidem, ſed ſpuriam prolem, ex Nephthy, furtiuo concubitu ſuſceptum fuiſſe, tradiderint. *Horum* merito filium *Oſiridis*, ſiue *Solis*, Aegyptii dictabant genuinum et legitimum, vt qui ipſe *Sol* eſſet, aut quotidie in ortu renouatus, aut quouis anno vertente, in Solſtitio hyberno renatus, Lib. II. cap. IV. §. 11. et cap. VI. §. 7. 8. *Anubis* vero filius Oſiridis dice-

* GEMINVS in Elementis Aſtron. p. 45. Ed. Petauii.
** CLEOMEDES *de Meteoris* Lib. II. cap. IV. p. 104.
*** OVIDIVS Lib. VI. Metam. v. 47.

dicebatur tantum ſpurius, nam Sol ipſe non erat, quantumuis primos illius exorientis radios, terrae oſtenderet. Quod vero Aegyptii fabularentur, *Anubidem* e *Nephthy* ſuſceptum eſſe, ſenſum hunc habet arcanum. Incolentibus Aegyptum mediam, & ſuperiorem, a Memphi vſque ad Syenen, Sol oriens, omnium primo montium illorum cacumina illuminabat, qui ad orientale Nili latus poſiti ſunt, et veluti ex illis, partem Aegypti quam dixi, proſpectabat, ſicuti habitantibus in Aegypto inferiori, lux Solis, in ipſo ortu, e monte Caſio, in finibus Syriae et Aegypti poſito, videbatur mitti. Vnde LVCANVS *Pharſal.* Lib. X. v. 434.

Lucifer a Caſia proſpexit rupe, diemque
Miſit in Aegyptum primo quoque Sole calentem.

Hinc de Hadriano Imperatore refertur, quod * *in montem Caſium, videndi Solis ortus gratia aſcenderit*, vbi montem Caſium, non Syriae; ſed in confiniis Aegypti, Phoeniciae ac Arabiae ſitum, intelligi, nullus dubito, etſi viris eruditis ſecus videri animaduerterim. Videbatur ergo Aegyptiorum vulgo, pone montes illos, qui Nilum a Syene, ad Memphim, a dextro latere, vel ab Oriente cingunt, Sol oriri, eoque cacumina horum montium, primo impetu contingere. Terra vero, quae inter montes iſtos, mareque rubrum, vel Sinum Arabicum, intermedia iacet, arida, ſterilis, et prorſus infelix, Aegyptiorum Theologis dicebatur *Nephthys*, quod cap. III. Libri huius, argumentis non contemnendis adſtruemus. Cumque inde Sol ortum ducere videretur, ac Aegyptiis ſe conſpiciendum praeberet, *Anubis*, qui Solem Aegyptiis ex illa regione mittere exiſtimabatur, ſtylo allegorico nuncupabatur *Oſiridis* et *Nephthyos* filius. III. Neque vero minus facile

* SPARTIANVS in Hadriano c. 14.

cile quiuis nunc aſſequitur, cur *Anubis*, indiuulſus Oſiridis ac Iſidis comes, et vtriusque cuſtos perhibitus fuerit. §. 7. Non citra rationem fingebant Aegyptiorum Sacerdotes, Deum ſuum *Anubidem*, perpetuum eſſe *Oſiridis*, id eſt *Solis*, ac *Iſidis*, ſiue *Lunae* comitem. Nam Solem eiuſque et motum, et in hoc noſtro Mundo operationes, cogitare nemo poteſt, quin eiuſdem pariter et ortum et occaſum menti ſuae repraeſentet. Hi ab ipſo Sole ſeparari nullo modo poſſunt, vti nec minus circulus ille finitor, quem *Horizontem* vocant; quem Sol oriens primo attingit, quemque occidens derelinquit, et intra quem operationes eius in noſtro hemiſphaerio ſubſiſtunt. Nec etiam ratio cuiquam poteſt eſſe obſcura, cur *Anubis* ille, Numinum eorundem, Solis ſcilicet et Lunae cuſtos fuiſſe perhibeatur. § 7. Nam circulus finitor, quem in Theologia ſymbolica, *Anubidem* vocitabant Sacerdotes, cuſtodis inſtar, ſiue ianitoris, Soli orienti hemiſphaerium ſuperius veluti recludit, eumque in hoc intromittit, occidentem vero eundem, ex hoc noſtro, in hemiſphaerium inferius dimittit. Illud vero difficultatis nihil habet, quod *Anubidem* Aegyptii, non Oſiridi modo, verum et Iſidi, aſſiduum addiderint comitem. Diſcimus tantum ex eo, Numen hoc Aegyptiis, non *Solis* tantum; ſed *Lunae* etiam, tum ortum, tum occaſum ſymbolice adumbraſſe. Quin imo ſatis conſtat, in gentis huius Theologia et Sacris, ab *Iſide*, *Anubidem* diuulſum nunquam fuiſſe, vſque adeo, vt * *Mercurium*, ſiue Anubidem, *in Luna poſitum*, *vna cum illa circumferri*, fingerent.

§. 14. Qui ea, quae hactenus obſeruauimus, attenta aeſtimatione penſitauerit, IV. haud grauate mihi, credo, largietur, doctrinam hanc Aegyptiorum ſymbolicam, de *Anubide*, a MARTIANO quoque *Idem argumentum continuatur.*

* PLVTARCHVS de Iſide p. 367.

que CAPELLA tangi, vbi in Satyrico Lib. II. p. 32, de Mercurio hunc in modum canit:

Qui ſolus Aſtra Mundi
Praeteruolans perexit,
Rapidis vigil procellis:
Qui cum ſuperna tranat
Freta, Tartarum recurrit;
Qui ſolus ante currum
Et candidos iugales
Altipotens parentis.
Memorem ciere virgam:
Qui fata ſuccidentis
* *Separat libens Oſiris*
Sationibus grauari
Genitalibus repertis.

Non poteſt eſſe dubium, Scriptorem noſtrum hoc in loco, vt ſaepe alias, Sacra Aegyptiorum placita, de ſuo Mercurio, fabulis Graecorum interſpergere voluiſſe. Loquitur enim aperte de *Oſiride*, eiusque *genitalibus repertis*. Quis enim eruditorum, ac antiquitatis peritorum, eſt, quem hae Aegyptiorum fabulae lateant. In vulgaribus Aegyptiorum fabulis ſermo quidem tantum eſt, de *genitalibus* Oſiridis *deperditis*. Sed forte in quibuſdam Sacerdotum Collegiis, ſymbolice etiam tradebatur, eadem *genitalia* certo quodam tempore eſſe *reperta*, vti MARTIANVS loquitur. Nam et hoc in Theologia Aegyptiorum Phyſica, fundamentum ſuum, et optimum, habet. CAPELLA ſaltem id ex aliquo Scriptore, forte

* GROTIVS in notis ad h. l. monet, vocem *ſeparat*, peccare in legem pedariam, ideoque ſuſpicatur, legi debere *ſarpit*. Verum cum CAPELLA leges metricas frequenter negligat, eoque nomine, a GERH. IOH. VOSSIO reprehendatur Lib. II. *de arte Grammaticâ*, cap. XXXIX. cur non & hoc in loco, ſimile delictum commiſiſſe dici poterit?

forte deperdito, hauſiſſe videtur. Ita ſciebat idem, quod pariter alicubi memoriae proditum legiſſe videtur, ſolere a Sacerdotibus Aegyptiis tradi, *Mercurium*, ſeu, vt ipſi loquebantur, *Anubidem*, *ſeparare fata Oſiridis*, quippe qui Solem nobis orientem ab hemiſphaerio inferiori ſepararet, nobis vero occidentem, et in hemiſphaerium inferius redeuntem, a noſtro ſecluderet. Non quidem inficias iuerim, Scriptorem illum, doctrinam Aegyptiorum ſymbolicam, cui nunc lucem aliquam affundere conor, longe aliter explicare, atque ego hic facio. Ego *ſeparationem Oſiridis*, de Solis ad noſtrum hemiſphaerium acceſſu, et de eiuſdem ad inferius hemiſphaerium reditu, interpretor. Eam *ſeparationem* efficit *Anubis*, ſiue *Horizon*, is enim, vti dicebamus, Solem nobis orientem, ex inferiori hemiſphaerio excludit, et nobis occidentem, ex noſtro ſuperiori, in aliud repellit. At CAPELLA doctrinam ſymbolicam de *ſeparatione Oſiridis*, interpretatur de ſeminis in terram coniectione, deque eiuſdem, ex terra laetifico reditu, aut inſecuta reſurrectione. Et in eo alios tantum ſecutus eſt, qui rem hanc eodem modo explicari poſſe, coniecerunt. Verum mihi iam ſufficit, CAPELLAM doctrinam Aegyptiorum myſticam, de qua hic agimus, adferre, eamque explicare velle. Vter vero noſtrum, in explicatione illius, rem acu tetigerit, iudicium eſto penes eruditum & candidum lectorem. Ea certe, quae apud CAPELLAM praecedere videmus, quaeque nos idcirco deſcribenda eſſe putauimus, talia ſunt, vt eum ad ſententiam noſtram inclinare et dirigere debuiſſe, videantur. Poſſumus etiam V. dum in his verſamur, ad firmandam coniecturam noſtram, et aliam fabulam Sacerdotalem adferre, et huic ex illa lucem non poenitendam conciliare. Fabulam PLVTARCHVS *de Iſide et Oſiride*, p. 358. in

in haec verba refert. *Iſidem* aiunt, *cum vinctum Typhonem eſſet nacta, non modo non interfeciſſe; ſed et ſoluiſſe, et miſſum feciſſe: idque Horum ita indigne tuliſſe, vt matri iniecerit manus, et regium ornatum a capite eius detraxerit; ſed Mercurium Iſidi galeam e bouis factam capite, impoſuiſſe.* Ex doctrina Sacerdotum, prout eam in *Pantheo* noſtro explicuimus, fabula haec non difficulter explicari poterit. *Iſis* in hac fabula eſt *Luna*, vti in plerisque aliis. *Typhon* ventum vehementem et nociuum deſignat, quod Libri huius, cap. II. ad liquidum perducemus. Illum *Iſis*, vel *Luna*, cum *Horo*, ſiue *Sole* certis temporibus vincit, eundemque alio tempore rurſus dimittit. Nam *Luna* ventos temperat, iisque dominatur, ſecundum doctrinam Aegyptiorum, quam expoſuimus Lib. III. cap. I. §. 6. Eſt et * ab aliis obſeruatum, neque id Aegyptios latuiſſe videtur, tempore inprimis plenilunii, ventos quosdam ſingularem in modum ſaeuire, quare haec ipſorum vis, tanto melius ad Lunam referri potuit. Et *Solem* quoque *Typhonem vincere*, ſeu de maligno impetu pernicioſorum ventorum triumphare, iuxta eorundem Aegyptiorum doctrinam, adſtructum videri poterit, Lib. II. cap. IV. §. 11. Quod vero in fabula illa perhibetur, *Horum*, ſeu *Solem*, manus inieciſſe *Iſidi*, et *regium ornatum e capite eius detraxiſſe*, ad *Lunam nouam*, vel interlunium ſpectat. *Ornatus Iſidis*, et, vt loquitur OVIDIVS, *regale decus*, ſunt *cornua* eius *lunaria*, Metamorph. Lib. IX. 687. et ſq. Illum Sol e capite Lunae detrahit, quando haec eſt in coniunctione cum illa. Nam eo tempore vultus eius, et cornua, et ipſa in vniuerſum conſpectui noſtro penitus ſubtrahitur, neque decus eius regale cerni amplius poteſt. *Mercurius* vero *ipſi galeam imponit, e bouis capite factam,* quan-

* Vide infra Lib. hoc V. cap. II. §. 19.

quando, vbi e radiis ſolaribus Luna iam emerſit, in *Horizonte* rurſus apparet, et cornua eius, * quae cum bouinis comparabantur ab Aegyptiis, iam ab hominibus poſtliminio conſpiciuntur. Haec omnia *Horizon* nobis.oſtendit, ac veluti producit. *Anubis* igitur, in hac quoque fabula myſtica, *Horizontem* euidenter deſignat.

§. 15. Iis, quae nunc attulimus, VI, aliud inſuper addamus argumentum. Deſumemus illud a comparatione, quam Graeci inter *Anubidem* Aegyptiorum, ſuumque *Mercurium*, inſtituere ſolent. De illo namque loquentes, ſemper fere eum Ἑρμῆν, id eſt *Mercurium* nuncupant, et interpretantur, quod ex ſuperioribus ſatis liquet. Aliquam ergo, aut re ipſa deprehenderunt, aut deprehendiſſe viſi ſibi ſunt, inter *Anubidem*, ſuumque *Mercurium*, affinitatem ac ſimilitudinem. Cuius rei non exiſtimauerim rationem poſſe ſuppeditari probabiliorem hac, quod Graeci *Mercurium* ſuum finxerint, *ſuperum commeatorem et inferum*, ideoque eum *nunc atra nunc aurea facie ſublimem* finxerint, quod ipſum APVLEIVS, §. 10. allatus, etiam de *Anubide* affirmat. Noti ſunt CLAVDIANI de *Mercurio* verſus, qui Graecorum de eo Theologiam optime nobis exponunt.

Pergitur in eodem argumento.

** *Atlantis Tegaee nepos, commune profundis*
Et ſuperis Numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

An non diceres, Poëtam hunc, doctrinam Aegyptiorum, vti eam nunc explicui, de *Anubide*, tradere, paucisque totam complecti voluiſſe? Nam *Anubis* erat *commune profundis ſuperisque Numen*, quia

* Vide ſupra Lib. III. cap. I. §. 2.
** *de raptu Proſerpinae* Lib. I. v. 89.

quia habebatur circulus ille finitor, qui hemiſphaerium ſuperius et inferius diuidebat, ac ſimul etiam coniungebat, propinquus vtrique, ſemperque praeſens. Idemque *gemino mundo commercia facere*, dici merito poterat. Lucem namque totius Mundi, ex ſuperiori in mundum inferiorem demittit, et ex eo in ſuperiorem reducit. Idem ſubindicabat MARTIANVS CAPELLA, cuius verba haec de *Mercurio*, §. 14. iam deſcripſimus,

Qui cum ſuperna tranat
Freta, Tartarum recurrit.

Et quid diutius inhaeream argumento, nemini eruditorum ignoto aut obſcuro? Aliquid hic vidit etiam MACROBIVS, etiamſi in intimam doctrinae Aegyptiorum, de *Anubide*, medullam, nondum pertupiſſe videatur. Verba eius iſta extant Saturnal. Lib. I. cap. XIX. *In Mercurio Solem coli, etiam ex caduceo claret, quod Aegyptii in ſpecie draconum, maris et foeminae, coniunctorum, figurauerunt, Mercurio conſecrandum. Hi dracones parte media voluminis ſui inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur; primaeque partes eorum reflexae in circulum, preſſis oſculis, ambitum circuli iungunt: et poſt nodum caudae reuocantur ad capulum caducei; ornanturque alis ex eadem capuli parte naſcentibus.* Aegyptios, recentiores ſaltem, Anubidem cum tali caduceo, qualem MACROBIVS deſcribit, fingere conſueuiſſe, **gemmae* Gnoſticorum *Abraxeae*, argumento ſunt euidenti. Verum mihi tamen certo conſtat, fictionem caducei, Mercurio attributi, non ab Aegyptiis ad Graecos; ſed viciſſim a Graecis ad Aegyptios perueniſſe. Quicquid ſit, duo ſerpentes in caduceo, videntur

* Vide Collectionem harum gemmarum CHIFLETII, Tab. XIII. num. 54. et *L'Antiquité expliquée* du P. MONTFAVCON, To. II. Part. II. Planche CLIV.

dentur antiquitus deſignaſſe duplicem mundum, vel duplex hemiſphaerium, ſuperius et inferius, et in vtroque * curſum Solis obliquum, ſerpenti in caduceo perſimilem, virga vero inter duos ſerpentes intermedia, Horizontem, qui vtrumque hemiſphaerium, et diſiungit, et coniungit. Ideoque Aegyptii recentiores, caduceum Mercurii doctrinae ſuae non parum accommodatum, ad ſuum quoque Anubidem transferre coeperunt.

Ex ea explicatione ratio ſuppetit, facilis et egregia, cur Anubidem Aegyptii dixerint aureum, eidemque formam canis aſſignauerint.

§. 16. Quae omnia, ſi ita ſe habent, vti adſtruximus; ſollicite iam quaerendum nobis non erit, quamobrem Deus ille, cui caput hocce dicauimus, ab Aegyptiorum Theologis, *Annubis*, id eſt, vt ſupra §. 10. docuimus, *aureus* fuerit nuncupatus. Si enim *Sol* ipſe, a colore et ſplendore, toties merito a gentium omnium Scriptoribus dicitur *aureus*, circulus ille finitor, qui primos Aſtri huius ſplendentis radios, ad oculos noſtros mittit, luceque clariſſima mundum noſtrum replet, quique etiam illius occidentis, fulgorem aliquamdiu nobis conſeruat, non minori iure, vere apteque *aureus* appellari poteſt. Conſimili ratione Poëtarum pater atque princeps, Auroram perſaepe dixit ** χρυσόθρονον, *aureo throno inſidentem*, qualia non pauca, apud alios etiam poëtas, graecos et latinos deprehendere licet; ſed a quibus hic congerendis, abſtinere malumus. Et in quibusdam Germaniae noſtrae partibus, vox eſt non infrequens, de Sole proferri ſolita, vbi occaſui propinqua eſt: die Sonne gehet zu Golde. Id plane *Anubis* ſignificabat Aegyptiis. Neque etiam laborioſum magis, ac difficile erit, inueſtigare, qua de cauſa Aegyptii ſuo Anubidi canis ſpeciem affingendam eſſe cenſuerint. Eſt enim, fuitque ſemper,

* Vide MACROBIVM Lib. I. Saturnal. c. XVII. fin. c. XIX. fin. c. XX.

** HOMERVS Odyſſ. K. 541. M. 142. T. 319. etc.

per, hominibus in more poſitum, vt domuum ſuarum ianuis, canes adderent, tanquam ianitores quosdam, cuſtodesque domus, ac vigiles. * Eam igitur ob rem, ANTIPHANI, veteri Poëtae, ** in Epigrammate, canes dicuntur, *φρουροδόμοι νηλεῖς κύνες*, *domus cuſtodes, truces canes.* Hinc legimus, apud veteres, non modo canes viuos, catena ad oſtia alligari conſueuiſſe; ſed ſaepe etiam *** in pariete canem pingi ſolitum fuiſſe, addita hac inſcriptione: *Caue canem.* Canis igitur, gentibus cultioribus, et literarum non omnino expertibus, pene cunctis, Symbolum fuit oſtiarii, cuſtodis, vigilis. Non aliam ob rationem, Aegyptii ſuo *Anubidi*, formam caninam tribuendam eſſe crediderunt. Erat enim, quod §. 7. ex Aegyptiorum placitis adſtruxi, *Oſiridis* et *Iſidis*, id eſt *Solis* ac *Lunae* comes atque cuſtos. Erat quidam coeli ianitor, atque oſtiarius, qui Soli aduenienti in hemiſphaerium noſtrum, ianuam aperiret, ſicque eum intromitteret, ac eundem, abitum ex eo parantem, in hemiſphaerium inferius emitteret. Appoſite ad haec, *Auroram*, quae certo quodam ſenſu, eadem eſt cum *Anubide*, Poëta *vigilem* appellat.

— Ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, et plena roſarum
Atria.

Et hanc rationem formae caninae Anubidi ab Aegyptiis additae, agnoſcunt etiam ex veteribus, Scriptores

* Plura dabit IS. CASAVBONVS ad Theophraſti characteres Ethicos, cap. V. p. 145.

** *Anthologia* Graecorum Epigramm. Lib. I. cap. XXIII. Epig. 7.

*** Vide TVRNEBI Aduerſaria Lib. XV. c. 4. et notas eruditorum ad *Petronii Satyricon* cap. 29. Edit. Genev. 1629.

ptores praeſtantiſſimi, PLVTARCHVS, cuius verba habes §. 6. et CLEMENS ALEXANDRINVS. Vide §. 12.

§. 17. Neque vero eſt, quod miremur, veteres creaturarum et idolorum cultores, auroram ortumque Solis, non ſine magna admiratione contemplatos eſſe, eoſdemque, ac inprimis Poëtas, quauis data occaſione, imagines illius nobis reliquiſſe iucundas, elegantes valde, et vere magnificas, Aegyptios vero inſuper, locum, intra quem Sol oritur et occidit, per σωματοποιΐαν, genti praeſertim huic valde familiarem, in Deorum numerum recepiſſe, honoribusque diuinis dignatos fuiſſe. Quis enim quaeſo magna haec Opera Dei cogitationibus attentis prudenter voluat ac reuoluat, quem non ſollicita et cordata tantae rei meditatio, veluti extra ſe in ecſtaſin rapiat, quem non vel inuitum cogat, vt ordinem hunc ab optimo Creatore conſtitutum, tacitus reuereatur, atque eius tum potentiam, tum ſapientiam, hic quoque agnoſcat, celebret ac adoret.

Miranduм ceteroquin non eſt, Aegyptios idololatras, Horizontem coeleſtem diuinis affeciſſe honoribus.

* *Quis nocte clara lumine flammeo*
Semper micantes non ſtupeat globos?
Aut mane caſtris prodeuntem
Quum rutilo videt axe Solem?
Siue ille eois fluctibus exſerit
Vultus decoros, ſponſus vti nouus
Auro refulgens, gemmeaque
Tempora conſpicuus corona:
Seu quum fugacem praecipitans diem,
Curru citato tempora diuidit
Artusque, viresque, impetumque
Centimano ſimilis giganti.

* BVCHANANVS in *Paraphraſi Pſalmi XIX.*

Ab vſque Eoo cardine ad vltimam
Metam occidentis ſidera permeans
Obliqua, vitali calore
Cuncta creatque fouetque alitque.

Ipſa ſanctiſſima, diuinitus nobis concredita, Reuelatio, mirabilem hunc in rerum natura ordinem, ſaepius nobis ob oculos ponit, inque memoriam reuocat, ad laudem Creatoris. Illa ipſa, * *AVRORAM ET LVCEM MATVTINAM*, *tanquam famulas introducit*, *et Prouidentiae*, *res humanas potentiſſime ac ſapientiſſime regentis*, *Miniſtras*, *quae iuſſa Numinis alacri aure et pede*, *capeſſant quotidie*, *ſtationesque ſuas nunquam intermittant.* Has vero Dei famulas, et Prouidentiae eius miniſtras, magno ſane cum ſplendore munus ſuum obeuntes, rebusque humanis tam vtiles, quinimo perneceſſarias, Aegyptii idololatriae mancipati, ad honores diuinos euexerunt, Deique loco coluerunt.

Celeberr. nunc beatus SCHVLTENSIVS Comment. in Iobum cap. XXXVIII. v. 12.

CAPVT

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II.

De Typhone, malo Aegyptiorum Genio, ſiue Daemone, eiusque cognominibus, Apopi, Baby, Seth, Smy.

Typhon Numen Aegyptiorum fuit peruetuſtum; ſed maleficum. Nomen eius non vno modo effertur. §. 1. Graecorum de Typhoeo ſuo traditiones fabuloſae paucis exponuntur. §. 2. Typhon Aegyptiorum, in eorum fabulis, non vt Monſtrum repraeſentabatur; ſed vt homo vnus e multis, qui regnum Aegypti affectauerit. §. 3. In iiſdem fabulis perhibebatur filius Rheae, frater Oſiridis ac Iſidis, huiusque maritus. §. 4. Secundum eaſdem Typhon fuit, vixit, ſemperque manſit in Aegypto, quamuis Graeci quidam fabulas has corruperint. §. 5. Pura vero Graecorum, non Aegyptiorum fabula haec eſt, Deos metu Typhonis in Aegyptum fugiſſe, ibique varias animalium figuras induiſſe. §. 6. Id ipſum pluribus adductis rationibus probatur. §. 7. Reſpondetur ad exceptionem celeberrimi Warburtoni. §. 8. Fabulae Sacerdotalis Aegyptiacae, de geſtis et patratis a Typhone in Aegypto, ſumma. §. 9. Fabulae Sacerdotum de Typhonis interitu et ſepulchro. §. 10. Typhoni Genio malefico et inuiſo, animalia ab Aegyptiis dedicata erant, impura, inuiſa, et contemta. §. 11. Typhonem Aegyptii, nonnunquam, vt maleficia eius auerterent, ſacrificiis placabant, nonnunquam vero contumelia afficiebant. §. 12. Aegyptii res Typhonis, cum rebus Iudaeorum, ſibi tantopere inuiſorum, nonnunquam ſtudio confuderunt. §. 13. Typhon primo quidem Sacerdotibus videtur ſignificaſſe, Spiritum, principiumque malum, bono oppoſitum. §. 14. Poſtea, cum Typhon, ad res ſenſibiles et materiales transferri coepit, a quibuſdam Symbolum habitus eſt hyemis. §. 15. Aliis viſus eſt Symbolum maris, cuius rei rationes exponuntur. §. 16. Alii Typhonis nomine

intelligebant vim ardoris et ſiccitatis, nimis inualeſcentem. §. 17. Proprie vero Typhonis nomine, Theologi Aegyptiorum deſignaſſe videntur ventum vrentem, exſiccantem, noxium. §. 18. Ex eo ratio peti poteſt, quare ſedes Typhoni in Aegypto inferiori aſſignatae fuerint. §. 19. Sigillatim vero per Typhonem Aegyptii deſignarunt illum ventum, qui in Scriptura S. orientalis et vrens vocari ſolet, cuius effectus ſunt omnino terribiles. §. 20. Typhon vox eſt Aegyptiaca, ſignificans ventum corruptorem. §. 21. Typhon cognominabatur ab Aegyptiis Apopis, quod proprie Gigantem deſignat. §. 22. Idem a Sacerdotibus etiam cognominabatur Babys, quod explicatur. Significat autem ventum ſubterraneum vehementem, ex cauernis erumpentem. §. 23. Aliud Typhonis cognomen erat Seth, de quo nonnulla diſſeruntur. §. 24. Vti et de cognomine Smy. §. 25.

§. 1.

Typhon, Numen Aegyptiorum fuit peruetuſtum; ſed maleficum. Nomen eius non vno modo effertur.

Venio nunc ad Aegyptiorum Numen, quod gens illa, non, vt ceteros Deos, beneficos, bonorumque omnium auctores, impenſo affectu, ſummaque mentis veneratione proſecuta eſt; ſed exhorruit potius, ac vt Genium maleuolum, malorumque tantum non omnium cauſam, execrata eſt, *Typhonem* videlicet. Numen hoc ominis deteſtabilis, Scriptores pene omnes, qui de rebus Aegyptiorum paulo diligentius agunt, commemorare ſolent, etiam antiquiores et meliores, HERODOTVS, HELLANICVS, EVDOXVS, MANETHO, et qui hos ſequuntur, plurimi alii, quos inter PLVTARCHVS, notitiam illius ſatis amplam, in libro *de Iſide et Oſiride*, nobis reliquit. Ipſum Numinis huius malefici nomen, non ab omnibus eodem modo efferri, deprehendimus. PHILO Iudaeus, qui Alexandriae, in Aegypto, vitam egit, Genium hunc, * ratione ſibi

* Hoc, quod negarunt quidam multis adductis e PHILONE locis, inuicte probauit BOCHARTVS Hieroz. Lib. II. c. XXXIV. col. 339. 340.

ſibi peculiari, Τύφον, *Typhum*, quod graece *fumum*, aut *inſolentem arrogantiam*, ac *ſuperbiam* ſignificat, appellare fere ſemper conſueuit. Sed oſtendere perfacile eſſet, Iudaeum hunc in rebus, quae ad *Typhonem* ſpectant, errorem non vnum commiſiſſe. Poëtis Graecis Latiniſque, vti et Scriptoribus rei Graecorum mythicae, Genius ille Aegyptiorum laeuus, non raro audit Τυφωεὺς, ſiue *Typhoeus*, qui tamen nimis manifeſto, fabulas de *Typhoeo* Graecorum, cum rebus *Typhonis* Aegyptii, errore non mediocri, in vnum compingunt, eoque interpretationem Numinis Aegyptiaci veram ac natiuam, difficilem, perplexamque valde reddiderunt. Communiter vero, qui res Aegyptiorum attingunt, aut ſtudio perſequuntur, Numen ipſorum ſiniſtrum, Τυφῶνα, ſeu *Typhonem* nuncupant.

Graecorum de Typhoeo ſuo fabulae paucis exponuntur.

§. 2. Antequam ad *Typhonis* Aegyptii Numen interpretandum progrediar, de *Typhoeo* Graecorum, mihi quaedam in anteceſſum dicenda eſſe video, vt intelligatur, eum a *Typhone* Aegyptio, toto coelo differre, etſi vtriusque et nomen et Numen, veterum permulti, et ſaepiuſcule inter ſe permiſceant, eoque in doctrinam Aegyptiorum de *Typhone*, tenebras plurimas inuehant, quae ſunt diſpellendae, vt vera *Typhonis* ſignificatio tanto facilius et certius erui, inque debita luce collocari queat. TYPHOEVS igitur, quem fabulae Graecorum, et Poëtarum carmina crepant, et quem non raro *Typhonem* appellari videmus, in Graecorum fabulis, Gigas perhibetur, * *immani magnitudine*, *ſpecieque portentoſa*, ** *cui centum capita*, *draconum ex humeris enata erant*. Fingunt Poëtae nonnulli, Iunonem

C 5 iratam

* HYGINVS. Fabula 152. APOLLODORVS in Biblioth. Lib. I. c. VI. §. 3.

** HESIODVS in Theogon. v. 821. 824. PINDARVS Pythion. I. et VIII.

iratam Ioui, * ſolam hunc ſine virili ſemine peperiſſe. ** Alii eundem a Iunone ex terra procreatum fuiſſe, fabulantur. Plurimi denique *** Terram aut ex ſe ipſa, aut cum Tartaro congreſſam, Typhoeum edidiſſe, nugantur. Teſtatur tota fabulae de Typhoeo ſeries, eum ex odio in Iouem, e terra genitum fuiſſe, ideoque continuo ſe et Ioui, et reliquis Diis, inimicum praebuiſſe implacabilem, **** coelum quoque oppugnaſſe lapidibus candentibus, † ac Iouem ipſum prouocaſſe, et cum eo de regno certare voluiſſe. Et in eo quidem vis praecipua comparationis inter Graecorum *Typhoeum*, Aegyptiacumque *Typhonem*, videtur eſſe poſita. Nam et hunc fabulae Sacerdotum, fingunt maximorum Deorum, Oſiridis, Iouis Ammonis, Iſidis, Hori, ac Herculis, hoſtem acerrimum, qui hunc etiam, vita ſpoliauerit, non ſecus, atque Oſiridem, et poſt iſtius mortem, cum Iſide etiam atque Horo de regno bellum acre et pertinax geſſerit. Sed et hic, fabulas Poëtarum ſuorum de *Typhoeo*, priſcae Aegyptiorum genti penitus ignotas, Graeci cum traditionibus Sacerdotum Aegypti aenigmaticis, de Typhone ſuo, continuo permiſcent et mirifice confundunt. Sedem *Typhoeo* Graecorum vates aſſignare ſolent Ciliciam, et quidem †† Arima Ciliciae montem,

* STESICHORVS apud auctorem ETYMOLOGICI, in voce Τυφωεύς· Alio modo fabulam hanc narrat EVSTATHIVS in Iliad. B. p. 345.

** HOMERVS Hymno in Apollinem v. 334. etc. 351. 352.

*** HESIODVS, vbi ſupra. VIRGILIVS Lib. I. Georgic. v. 278. APOLLODORVS, et HYGINVS loc. cit. aliique.

**** APOLLODORVS, vbi ſupra.

† HYGINVS, loc. cit.

†† HOMERVS Iliad. B. v. 783. vbi conſule vetuſtum *Scholiaſten*, vti et ad *Heſiodi Theogoniam* v. 304. STRABO Geograph. L. XIII. p. 431. et STEPHANVS

ten, vel vt quidam volunt Lydiae, quamuis et ſint, qui montem eundem aliis in regionibus, ac praecipue * in Syria collocent, quae poſtrema ſententia, viris quibuſdam doctiſſimis prae aliis ſe commendat. Quicquid ſit, PINDARO, Pythion. VIII. v. 20. dicitur Τυφὼς Κίλιξ, *Typhoeus Cilix.* Oſtendebatur etiam ** in Cilicia ſpelunca, eo nomine multo celeberrima, quae Typhoeo domicilium et cubile praebuiſſe ferebatur. Sed quoniam id ipſum bene multi, tametſi perperam, ad Typhonem quoque Aegyptium referunt, ea de re in ſequentibus, loco opportuno, §. 5. quaedam addemus. In Arimis etiam, gigantem illum multicipem, fulmine Iouis percuſſum fuiſſe, alicubi memoriae prodidit *** PINDARVS. Sunt etiam, qui eum in rupibus Caucaſiis, ac deinde prope montem Caſium, in finibus Aegypti, iterum, fulmine coelitus tactum, ac tandem interemtum, lacu Serbonide merſum fingant. Sapit et hoc fabulas Niloticas, quas hic ſaltem Graeci fictionibus ſuis admiſcuerunt, quamobrem ea de re poſtea nonnulla diſputabimus, §. 10. Sed plerique Typhoeum † in Sicilia monte Aetna premi, ignemque illic eructare aiunt. Multi ſunt in deſcribendo hoc Typhoei miſeri ſupplicio Poëtae, ac inprimis Latini quorum loca adferre prolixum foret. Summam rei paucis complexus ſic eſt HYGINVS, Fab. 152. Iupiter *fulmine ardenti pectus eius percuſſit, cui, cum flagraret, montem Aetnam, qui eſt in Sicilia, ſuper eum impoſuit: qui ex eo adhuc ardere dicitur.* Plura non

Byzantius, in voce Ἄριμα. Adde illic notas doctorum virorum.

* HOLSTENIVS in notis ad *Stephani* loc. cit. GRAEVIVS in Lection. Heſiod cap. XXIII. p. 120.

** PINDARVS, Pythion. Od. I. v. 31.

*** Apud STRABONEM Lib. XIII. p. 431.

† PINDARVS, Pythion. Od. I. v. 33. et multi alii.

non adfero. Si quis vero hanc Graecorum fabulam, multis ampliſque acceſſionibus ditatam cognoſcere cupit, adeat is APOLLODORI *Bibliothecam*, Lib. I. c. VI.

Typhon Aegyptiorum, eorum fabulis repraeſentatur, non vt Monſtrum; ſed vt homo, vnus e multis, qui regnum Aegypti affectauerit.

§. 3. Longe alia ſunt, quae de *Typhone* ſuo, Aegyptiorum Sacerdotes aenigmatice in vulgus ſpargere ſolebant. In genuinis gentis illius fabulis, nihil reperire poſſum, ex quo colligas, Genium hunc malum, ceu Monſtrum aliquod horrendum, quod de *Typhoeo*, vidimus, pictum fictumue fuiſſe. Et * qui ex recentioribus contrarium nobis perſuadere annituntur, nihil habent, quod pro tuenda ſententia ſua adferre queant, quam fictiones Graecorum poëticas. Quae HERODOTVS, Scriptorum omnium, qui Typhonis Aegyptii meminerunt, antiquiſſimus, et poſt hunc alii, de malo hoc Genio, ex Aegyptiorum ſermonibus referunt, ita comparata ſunt, vt niſi ad indolem Theologiae gentis illius ſollicite attendas, credere facile poſſis, *Typhonem* fuiſſe hominem, aliis prorſus ſimilem, qui regnum Aegypti affectauerit, eoque fratrem ſuum Oſiridem, cui et vitam eripuit, ſpoliauerit. Vnum hoc tantum, ceu ſingulare ipſique peculiare obſeruant veteres, ** quod, ſi colorem corporis ſpectes, fuerit πυῤῥόχροος, et πάρωχρος, *rufus et ſubpallidus, vnde Aegyptii eorum conſuetudinem declinabant*, *qui colore ſimiles ipſi eſſent.* Et quo tempore in regione illa vigebant adhuc victimae humanae, *** homines adſpectu tales, quos et *Typhonios* vocabant, odio illius Daemonis, ad Oſiridis aram mactabantur, aut viui comburebantur. Poſtea vero eadem de cauſa boues

* Inſtar omnium eſſe poteſt KIRCHERVS in *Oedipo*, To. I. p. 219. 221. quem multi, ſaltem ex parte ſequuntur.

** PLVTARCHVS de Iſide p. 364. Adde p. 359.

*** DIODORVS *Siculus* L. I. p. 79. PLVTARCHVS p. 380.

* boues in ſacrificia non accipiebant, niſi colore rufos. Videntur aſini in Aegypto, colore eodem, vt plurimum fuiſſe inſignes, quamobrem et ** huic animali Typhonem fuiſſe ſimilem, *** idque illi ſingulariter gratum acceptumque eſſe fingebant. In reliquis Typhonem aliis hominibus diſſimilem extitiſſe, fabulae Aegyptiorum memoriae non prodiderunt. Et ita, adductis fere iiſdem argumentis, iudicat etiam PLVTARCHVS p. 359.

§. 4. Quod ſi ortum ac natales, hinc *Typhoei* Graecorum, illinc *Typhonis* Aegyptii, exploraueris, non minus vtique inter vtrumque diſcrimen reperies. *Typhoei* natales ex fabulis Graecorum, retulimus §. 2. Quod vero ad *Typhonem* Aegyptium attinet, conſentiunt in eo omnes, fuiſſe eum *Oſiridis* fratrem natu iuniorem. Vnus, quantum meminiſſe poſſum, SYNESIVS *Cyrenaeus*, **** iſtorum fratrum, *Oſirin* quidem minorem, *Typhonem* vero natu maiorem perhibuit. Aliud loquitur fabula a Sacerdotibus Aegyptiis excogitata, quae huius fere eſt tenoris: † *Ex Saturno et Rhea*, vel, vt alii fingunt, recentiores haud dubie, *ex Ioue et Iunone quinque Dii nati ſunt, ita, vt in vnamquamque intercalarium,* (quas Aegyptii habent quinque, anno ſemper finem imponentes,) *vnius natalis incideret.* Nomina illorum ſunt *Oſiris*, *Iſis*, *Typhon*, *Apollo*, (Horus) *et Venus*, Aegyptiace *Nephthys:* Paulo prolixius fabulam hanc perſequitur PLVTARCHVS, ex quo haec tantum decerpemus. †† *Rhëam aiunt, clandeſtino ſtupro cognitam fuiſſe et Saturno et Mercurio, Solem vero,*

In fabulis Sacerdotum Typhon perhibebatur Rheae filius, Oſiridisque et Iſidis frater.

* PLVTARCHVS p. 363.
** Idem p. 362.
*** AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 28.
**** In libro *de Prouidentia*, p. 90. Edit. Petauii.

† DIODORVS p. 13.
†† de Iſ. et Oſir. p. 355. 356.

vero, vt flagitium iſtud vlciſceretur, Rheae impreca-tum eſſe, vt neque in menſe, neque in anno pareret, Mercurium vero callido artificio, a Luna impetraſſe, vt ad annum, qualis hactenus conſtitutus fuerat, dierum 365, dies intercalares quinque adiicerentur, eosque fuiſſe natales Deorum, quos Rhea ex Saturno et Mercurio conceperat, iam nunc in lucem edendos. Prima quinque illarum dierum natus eſt Oſiris. Secunda dies protulit Aruerin, vel Horum ſeniorem: Tertia Typhonem: Quarta Iſidem: Quinta denique Nephthyn. Quidnam fabula hac allegorica in genere ſubinnuere Sacerdotes voluerint, * alio loco breuiter iam monui, cui argumento hic pluribus non immorabor. Liquet igitur ex hac fabula, in Aegypto peruulgata, et cuius veſtigia in Theologia Aegyptiorum mythica, ſiue aenigmatica et allegorica, paſſim reperiuntur, *Oſirin* inter deos quinque, primum in lucem prodiiſſe, et poſt hunc demum *Typhonem.* De hoc fabula illa ipſa quoque perhibebat, quod ** *neque iuſto tempore, neque loco proprio, in lucem editus fuerit; ſed latere matris perrupto, exſilierit.* Ex quinque Diis, quorum cum noua anni conſtitutione, cultum aut inuexere, aut aliquo ſaltem modo innouauere Sacerdotes, *Iſis* quidem *Oſiridi* nupſit, *Nephthys* vero *Typhoni*, etſi cum illa quoque *Oſiris* aliquando; ſed inſcius, et ex errore, congreſſus fuerit. Quare neſcio, ex quibus fontibus, lutulentis ſane et adulteratis, haec hauſerit IVLIVS FIRMICVS, quae in principio libri eius *de errore profanarum religionum* leguntur: *Iſis ſoror eſt, Oſiris frater, Typhon maritus; is cum comperiſſet, Iſidem vxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſiridem artuatimque lacerauit.* Sed perquam libenter, et quod di-

citur

* In *Panthei* huius Lib. II. cap. I. §. 9.
** PLVTARCHVS p. 355.

ci[illegible]r ambabus manibus, veteres Eccleſiae Doctores arr[illegible]pere ſolebant, quicquid aliquam infamiae turpisque maculae notam, Sacris Gentilium inurere poſſet, etſi non ſemper ex limpidis, genuinisque fontibus hauſtum. Id quod zelo ipſorum pro vera religione condonare facile poſſumus.

§. 5. Ex fabulis Aegyptiorum Sacerdotalibus de Typhone perſpicitur, Typhonem ſemper intra Aegyptum ſe continuiſſe, tum antequam res nouas moliretur aduerſus Oſiridem, tum poſt eundem interemtum. In eadem regione is ipſe, partim cum Iſide, partim vero cum illius Oſiridisque filio, Horo bella geſſit, donec tandem ab hoc deuictus, et vt antiquiores addunt, neci datus fuiſſet. Id tenor totus, fabulae Sacerdotalis de Typhone, clare teſtatur et demonſtrat. Vide §. 9. 10. Longe aliter res ſe habet cum Typhoeo Graecorum, quod ex §. 2, auctoribusque illic ad teſtimonium vocatis, perſpici abunde poterit. Sunt tamen Scriptores, non prorſus contemnendi, qui credere nos iubent, Typhonem, etiam Aegyptium, diu in Cilicia habitaſſe, poſt ex hac regione prodiiſſe, ac in Aegyptum feciſſe impetum. SOLINVS hunc in modum rem narrat, cap. XXXVIII. Edit. Salmaſ. *Circa Corycum Ciliciae crocum plurimum optimumque —— Ibi Corycos oppidum eſt et ſpecus, qui montem impoſitum mari a ſummo cauat vertice, patulus hiatu ampliſſimo. —— Vbi peruentum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur: quod antrum latis primum patet faucibus; poſtmodum in proceſſu per anguſtias obſcuratur. In eo ſacrum eſt Iouis fanum, in cuius receſſu intimo Typhonis gigantis cubile poſitum, qui volunt, credunt.* Similia de re eadem legas apud MELAM Lib. I. c. XIII. Antrum illud Corycium in Cilicia, * multorum ſermonibus vehementer

Secundum fabulas Aegyptiorum, Typhon in Aegypto ortus fuit, vixit, semperque manſit, etſi fabulas has Graeci quidam corruperint.

* Vide praeter auctores adductos, STRABONEM Lib.

ter erat celebratum, et ipſe iam PINDARVS * πολυώνυμον, *celeberrimum, multisque dictum*, appellat. Quando autem Scriptores nunc a nobis excitati, antrum Corycium in Cilicia, *cubile Typhonis* dictitant, *Typhonem* videntur intelligere *Aegyptium*. Nam traditionem hanc de *Typhone*, cuius illi verbo tantum mentionem fecere, alii luculentius de Typhone Aegyptio explicant. Eos inter eſt NIGIDIVS, vir egregie doctus, qui Iulii Caeſaris aetate floruit, quique in Libris de *Sphaera*, ex Scriptoribus vtique antiquioribus, memoriae prodiderat, ** *capricornum immortali bonore donatum, quo tempore Typhon in monte Tauro Ciliciae ſpeluncam haberet, et Aegyptum incoleret, ab Ioueque conceſſum habuiſſet, quemadmodum Diis poſſet obſiſtere.* Similia habet LVC. AMPELIVS, in *libro memoriali*, cap. 2. *Capricornus nomine Pan. Quo tempore Python* (Typhon) *ſpeluncas incolens in monte Tauri, Aegyptum profectus eſt, ad bellum, Pan ſe in caprae figuram conuertit.* SOLINVS etiam, vt quiuis intelligeret, ſe ea, quae de *Typhonis cubili in Cilicia*, narraturus erat, de *Typhone Aegyptio* intellectum velle, cap. XXXVIII. hanc obſeruationem praemittere non neglexit: *Cilicia autem vſque ad Peluſium Aegypti pertinebat.* Sed haec *prodigia Soliniana*, merito ad eum locum vocat SALMASIVS. Nolui fabellas iſtas omittere, etſi priſcis Aegyptiorum traditionibus aperte repugnantes, vt hoc etiam exemplo intelligatur, quantopere res Aegyptiorum Graeci corruperint. Qui ea, quae §. 2. attulimus, cum fabulis

XIV. p. 461. PLINIVM Lib. XXXI. c. 5. SENECAM Natur. Quaeſt. Lib. III. c. 10. CVRTIVM de rebus Alexandri M. Lib. III. c. 4. LVCANVM Pharſal. Lib. III. 226.

* *Pythion.* Od. I. v. 32.

** Apud veterem *Scholiaſten Germanici*, in Aratea Phaenomena, p. 119. Edit. Sant-Andr.

bulis hiſce conferet, graecam earum originem, non ita magno negotio ſubodorabitur, perſpicietque.

§. 6. Cum iſthac Graecorum de Typhone fabula, aliam coniungere poſſumus, quam tamen ab eruditis fere omnibus, pro antiqua et genuina ipſorum Aegyptiorum traditione Sacerdotali aenigmatica, agnoſci haberique video. Certum nempe eſt, idque tota Aegyptiorum Theologia Mythica, aut teſtatur, aut ſupponit, Typhonem graues cum Diis principibus, Oſiride, Ammone, Hercule, et Iſide inimicitias geſſiſſe, Oſiridem etiam fratrem ſuum, parricidio impio, per inſidias e medio ſuſtuliſſe, eiusque regnum vi inuaſiſſe, poſtea cum Iſide, quae caedem fratris et mariti ſui vlciſci voluit, ſuper regno belligeraſſe, ad vltimum vero, ab Horo penitus deuictum, necique datum fuiſſe. Haec omnia e bonis fideque dignis Monumentis eruta, §. 9, latius perſequemur. His quaedam non omnino diſſimilia, de Typhoeo, Iouis ac Deorum ceterorum hoſte implacabili, ſed promerita poena tandem a Ioue affecto, in vatum ſuorum carminibus legebant Graeci. Et cum praeterea a *Typhoei* nomine, illud *Typhonis* non valde abluderet, ac vtrumque ſaepius promiſcue vſurparetur, ex duabus illi fabulis diſparibus, vnicam conflarunt, *Typhoni* Aegyptiorum plurima adaptantes, quae in fabulis ſuorum de *Typhoeo* contineri ſciebant. Typhonem igitur fingunt, Diis ſe oppoſuiſſe, coelumque ipſum impia manu tanta vi oppugnaſſe, vt Dii, ſecuritati ſuae illic minus proſpectum eſſe arbitrantes, alio ſe recipere, conſultius duxerint. Addunt, partem eorum aufugiſſe in Aegyptum, et cum illuc quoque Typhon eos eſſet perſecutus, vt impia eius molimina eluderent, formas variorum animalium induiſſe. Sic etiam rationem ſe reddere poſſe putant, ob quam Aegyptii Deos ſuos ſub forma animalium coluerint, ac adorauerint. Apol-

Pura Graecorum, non Aegyptiorum fabula eſt, Deos metu Typhonis in Aegyptum fugiſſe, ibiq; varias animalium figuras induiſſe.

LODORVS, qui annis circiter 140. ante C. N. floruit, vir illo tempore ſuo merito non parum celebris, ſed hic nimium fabuloſus, rem ita refert in *Bibliotheca*, Lib. I. c. VI. §. 3. *Talis itaque tantusque Typhon, candentes in coelum lapides iaculatus, cum ſibilo ſimul atque boatu ferebatur; magna etiam ex ipſius ore ignis procella deferuebat. Hunc vbi Dii in coelum proſpiciunt irruentem, acti in fugam, properare in Aegyptum coeperunt, et vbi illum inſequentem vident, in varias animantium formas ſeſe quisque transmutabant. Iupiter autem procul a ſe Typhonem conſpicatus, fulmine percuſſit.* Subiungimus huic *Scriptorem graecum alium, incertae quidem aetatis, ſed haud dubie antiquum, ANTONINVM LIBERALEM, qui fabulam eandem narrans, ab APOLLODORO non diſcrepat, niſi quod nonnulla plenius ediſſerat. Sic autem ille *Metamorphoſeon* Libro, Fab. XXVIII. *Terrae filius fuit Typhon.* —— *Is imperium Iouis affectauit: impetumque facientem, nemo Deorum ſuſtinuit; ſed omnes in Aegyptum fugam fecerunt, ſolis Minerua et Ioue relictis. Typhon Deos e veſtigio ſecutus eſt: verum illi calliditate vſi, effugerunt, habitu in beſtias mutato: Apollo in accipitrem, Mercurius in ibin, Mars in ſquamoſum piſcem,* (lepidotum) *Diana in felem, Bacchus in caprum, Hercules in hinnulum, Vulcanus in bouem, Latona in murem araneum: alii vt viſum fuit, in alia.* Concinunt his * Scriptores graeci alii, ſed quorum loca, vt vitemus prolixitatem, omittimus. Audiamus nunc etiam Scriptores latinos, eosque inter agmen ducat OVIDIVS, cuius hi ſunt Lib. V. *Metamorph.* verſus:

Bella canit ſuperum: falſoque in honore Gigantas
Ponit, et extenuat magnorum fata Deorum:
Emiſſumque ima de ſede Typhoëa terrae
Coelitibus feciſſe metum, cunctosque dediſſe Ter-

* SVIDAS in voce Τυφώς, et alii.

Terga fugae: donec feſſos Aegyptia tellus
Ceperit, et ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.
Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoëa narrat,
Et ſe mentitis ſuperos celaſſe figuris:
Duxque gregis, dixit, fit Iupiter: vnde recuruis
Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Ammon.
Delius in coruo, proles Semeleïa capro,
Fele ſoror Phoebi, niuea Saturnia vacca
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Hoc nonnihil antiquior, P. NIGIDIVS FIGVLVS, de eodem argumento, in hunc ſenſum ſcripſerat. * *Capricornus immortali honore donatus eſt, quo tempore Typhon in monte Tauro ſpeluncam haberet, et Aegyptum incoleret, ab Ioueque conceſſum habuiſſet, quemadmodum Diis poſſet obſiſtere, cum eis conſilium panderet, ſi neque terras relinquere vellent, neque Typhonis immanitati reſiſtere Dii poſſent, inconſulte figuras immutauerunt, in quam quis vellet, ſeu beſtiam, ſeu volucrem, ſeu piſcem, pecudemue, Typhon* (lege omnino *Pan*) *ſe in capram transmutaſſet: itaque immortales figuris ignotis, Typhonis ante oculos crebro verſabantur: vnde adhuc maxime pro Diis multas beſtias obſeruant coluntque Aegyptii.* Vltimo loco, et haec ex HYGINI *Poëtico Aſtronomico* addere, operae pretium fuerit. Ita nempe is Lib. II. c. XXVIII. *Aegyptii Sacerdotes, et nonnulli Poëtae dicunt, cum plures dii in Aegyptum conueniſſent, repente veniſſe eodem Typhona, acerrimum giganta, et maxime Deorum inimicum: quo timore permotos, in aliam figuram ſe conuertiſſe. Mercurium factum eſſe ibin: Apollinem autem, quae Threicia auis eſt, et grus dicitur: Dianam cato* (id

 eſt

* Apud *Scholiaſten* veterem, in Germanici Aratea, p. 119. 120.

eſt feli,) ſimulatam. Quibus de cauſis Aegyptii ea genera violari non ſinere demonſtrant, quod deorum imagines dicantur.

Id pluribus adductis rationibus pro-tur.

§. 7. Credo fore paucos, qui non poſt lecta, et attente penſitata haec veterum loca, quae nunc adduximus, in meam pedibus ituri ſint ſententiam, fabulam hanc, Poëtarum graecorum fictionibus, haudquaquam vero Sacerdotum Aegyptiorum traditionibus aenigmaticis deberi. Etenim 1) in omnibus illis locis, quae attulimus, ſermonem proprie eſſe, de *Typhoeo*, terrae filio, immanis magnitudinis gigante, Poëtarum graecorum carminibus tantopere celebrato, quis quaeſo, inficias iuerit? Huic per accommodationem tantum quaedam attribuuntur, quae ad res Aegyptiorum ſpectant, vt credere poſſis, deſignari *Typhonem* Aegyptium, etſi re ipſa fabulis poëtarum graecorum attemperentur Aegyptiacae, haeque cum illis confundantur. Ideo 2) in fabula hac, *Typhoni* illi, quisquis eſt, patria non aſſignatur Aegyptus; verum dicitur potius aliunde profectus, in Aegyptum fortuito tantum veniſſe, eo quod eam in regionem deos aufugiſſe, intellexiſſet. An id Sacerdotes Aegyptii, de Typhone ſuo dicturi fuiſſent? 3) Ipſae vero Aegyptiorum traditiones de *Typhone*, vti eas a Sacerdotibus gentis illius acceptas, ipſi Graeci referunt, aliud quid omnino ſonant, et fabulae illi, quam ex Graecorum figmentis §. 6. contexui, prorſus ſunt diſſimiles. Idque 4) cumprimis de antiquioribus e gente Graecorum Scriptoribus obſeruare operae pretium eſt. Illis enim fabula illa, vti eam a recentioribus conſarcinatam vidimus, penitus incognita fuiſſe videtur. Herodotvs, qui de rebus cunctis, ſacris praeſertim, Sacerdotes per totam Aegyptum, curioſa et fere nimia diligentia percontatus erat, et omnia memoratu digna, in literas ſollicite retulerat, ea de

re

r[illegible] haec tantum ex ore Sacerdotum narrat, Lib. II. c. [illegible]6. *Aegyptii dicunt, quod Latona, quae eſt ex octo eorum primoribus Numinibus, Apollinem,* (vel H[illegible]rum) *ab Iſide ſibi commendatum, occultauerit in [illegible]c inſula, nondum innatante, et ſoſpitem ſeruauerit: quo tempore Typhon omnia inueſtigans, vt filium Oſiridis,* (Horum,) *inueniret, eo veniſſet.* Haec cum fabulis vere Aegyptiacis, quae a probis Scriptoribus pro talibus venditantur, per omnia conſpirant. Sed nihil hic de bello Typhonis aduerſus omnes Deos, nihil de Diis, metu Typhonis, in Aegyptum aufugientibus. Multo vero minus hic aliquid reperias, de Diis, in formas animalium conuerſis, vt ſic rabiem Typhonis euaderent. Typhon tantum, quod genuina Aegyptiorum fabula fingit, poſt interfectum Oſiridem, filium eius Horum quaerit. Eum vero mater Iſis, Latonae commendauerat, haec autem eum, vna cum ſorore Bubaſti, in inſula abſcondidit, et ſic ſaluum incolumemque praeſtitit. Scriptori huic antiquiſſimo, aetate ſuppar erat HELLANICVS *Leſbius*, qui in Aegyptiacis, ſcriptum reliquerat, * *deos in Aegypto, coronas ſibi detraxiſſe, cum Babyn, qui Typhon eſt, regnare intellexiſſet. Coronae Deorum*, quas memorari hic videmus, ſunt id, quod ** alii Scriptores, loquentes de Diis Aegyptiorum, vocant βασίλειον, et OVIDIVS, Pompam Iſidis deſcribens, *** *regale decus.* Secundum HELLANICVM igitur, Dii Aegyptiorum, Oſiridis videlicet propinqui, cum intellexiſſent, Typhonem voto ſuo, regnoque potitum iam eſſe, coronas tantum, in ſignum luctus, e capitibus detraxerunt. Ta-

D 3 lis

* Apud ATHENAEVM, Lib. XV. *Deipnoſoph.* p. 680.

** PLVTARCHVS *de Iſide*, p. 358. AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. 31. HORAPOLLO in Hieroglyph. Lib. I. c. 11. et 15.

*** *Metamorph.* Lib. IX. v. 689.

lis erat Theologia mythica Aegyptiorum illius aeui. Illa recentiorum commenta, quibus fabulam Typhonis ornatiorem reddere voluerunt, tum nondum cuiquam in mentem veniſſe videntur. 5) Vnus ex Scriptoribus, quorum verba dedimus §. 6, HYGINVS ſcilicet, verbis conceptis teſtatur, ſe fabulam, quam refert, deſumſiſſe *ab Aegyptiis, Sacerdotibus, et Poëtis.* Quia nempe fabula haec attingebat Theologiam, resque Aegyptiorum ſacras, auctor ille ſibi perſuaſit, eam ex doctrina ſacra Aegyptiorum Sacerdotum profluxiſſe. Et certe quaedam in fabula iſta, inſtitutis Aegyptiorum omnino concinunt, quod nimirum Dii ipſorum ſub quorundam animalium formis colerentur. Hoc ergo ex doctrina Sacerdotum eſſe tractum, nemo negare poteſt. Sed non ignarus erat, longe plurima in hac fabella, fictionibus Poëtarum, Graecorum et Romanorum, deberi, quare illos, inter commenti huius auctores, etiam nominandos eſſe, et profecto, iure merito, cenſuit. 6) Fabula haec videtur eum in finem a Graecis conficta fuiſſe, vt ratio aliqua redderetur, qui factum fuerit, vt Aegyptii ad animalia, tanquam ſimulachra Deorum, colenda, deuenire potuerint. Aegyptiorum itaque Theologis, talem affinxerunt fabulam myſticam, Deos tempore Typhonis, huiusque metu, variorum animalium formas induiſſe, et in huius rei memoriam, animalium illorum cultum poſtea fuiſſe inuectum. Verum num non hoc, obſecro, carmina et fictiones Poëtarum graecorum aperte redolet? Quis enim neſcit, in quot animalium formas, dii ipſorum perhibeantur conuerſi? Si quis OVIDII Metamorphoſes, et vetuſtos Poëtarum graecorum interpretes euoluere dignetur, innumerabilia rei huius illic reperiet exempla. At in Aegyptiorum Mythologia priſca et genuina, * tale

quid,

* Finxiſſe tamen Aegyptios legimus, *Typhonem*, vt Hori

quid, vix ac ne vix quidem reperiri crediderim. Norunt equidem rerum Aegyptiacarum periti, *Oſiridis* et *Hori* Symbolum fuiſſe *accipitrem*, *Iſidis vaccam*, *felem Bubaſteos*, *arietem Ammonis*, et quae plura ſunt huius generis. Sed Deos in illa animalia, metu conuerſos fuiſſe, ex probis monumentis probari non poterit. Volebant autem Aegyptiorum Sacerdotes Diis ſuis certa quaedam animalia eſſe ſacra, quod in illis virtutis deorum, leuia quaedam veſtigia, tenuesque vmbras deprehendi poſſe crederent, quod * alio loco pluribus ſum perſecutus. Ipſe HYGINVS, poſt allatam ea de re fabulam vulgarem, obſeruationem iſthanc ſubiungit. *Aegyptii ea genera violari non ſinunt, quod DEORVM IMAGINES dicantur.* Erat igitur Aegyptiorum hæc doctrina, animalia quaedam, certo reſpectu, eſſe *Deorum imagines.* Verum cum hoc Graeci nonnulli perperam interpretarentur, ipſisque conuerſiones Deorum ſuorum in animalia fabuloſae, in memoria haererent, fabulam illam, quam nunc examino, exſculpſiſſe videntur. 7) Eſt vero et iſtud obſeruatione non indignum, in illis ipſis, quae fabulae huius architecti, ex genuina Aegyptiorum Theologia depromſiſſe videntur, quaedam tamen occurrere, Aegyptiis vere incognita, vſuque minime recepta, adeoque ex ritibus ſacris Graecorum,

 alia-

iram effugeret, *crocodili* formam adſciuiſſe. Vide infra §. 11. Verum et id videntur Graeci excogitaſſe, quia apud Aegyptios, *crocodilus* ſymbolum erat *Typhonis*. Scribit etiam PLVTARCHVS p. 357. *Iſidem* in Phoenicia *hirundinis* formam ſumſiſſe, atque vocem lamentabilem edidiſſe, quod etiam tangit; ſed paulo obſcurius MINVTIVS FELIX. Sed neque haec poteſt eſſe genuina Sacerdotum Aegyptiorum, ac vetus traditio. Nam *hirundinem* Aegyptiis fuiſſe ſacram, aut *Iſidis* ſymbolum, nuſpiam ſane legitur.

* In *Prolegomenis* §. 35.

aliarumue gentium, parum conſulte huc translata. Poſſem plura rei huius, quam dixi ſpecimina hic producere. Verum, vt breuitati conſulam, vnicum hoc tantum monebo, ſecundum fabulam illam * *Venerem latuiſſe piſce*. Hoc vero non ex Aegyptiorum; ſed Syrorum ac Babyloniorum Sacris mutuata eſt fabula. Ignoti non ſunt iſti MANILII verſus, Aſtronom. Lib. IV. v. 580.

Scilicet in piſcem ſeſe Cytherea nouauit,
Quum Babyloniacas ſummerſa profugit in vndas
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.

Equidem et hoc loco *Typhon*, tanquam conuerſionis illius cauſa, in ſcenam producitur. Verum caue credas, id ab ipſo MANILIO profectum eſſe. Sciolus quidam, fabulae illius de *Typhone*, quam hic excutimus, memor, Manilium hic ſupplere auſus eſt, eique verſum tertium mala fide inſerſit. Non poſſum non adſtipulari RICHARDO BENTLEIO, Criticorum in Anglia nuper Principi, qui tot Poëtae illius codices manu exaratos, aſſidua verſauit manu, quique verſum illum, vt ſpurium, nos expungere iuſſit. Plura de illo Syrorum ac Babyloniorum placito, addi hic potuiſſent, niſi labore hoc, **, viri doctiſſimi dudum defuncti iam eſſent.

Reſpondetur ad obiectiones doctiſſimi Warburtoni.

§. 8. Eſt tamen *** vir celebris, doctrinae elegantis copia, et ſingulari ingenii acumine praecellens, qui haud ita pridem, teſtimoniis nonnullis, DIODORI *Siculi*, et LVCIANI, confici poſſe putauit, fabulam, quam hic ſub examen vocamus, originis haudquaquam eſſe graecanicae; ſed Aegyptiacae, et a Sacer-

* OVIDIVS, vbi ſupra, *§. 6.*

** SCALIGER in Manilium p. 310. 311. Edit. Argentor. SELDENVS de Diis Syris, Syntagm. II. cap. III.

*** WARBVRTON Eſſai ſur les Hieroglyphes de Egyptiens, p. 258. etc.

Sacerdotibus Niligenarum ſtudioſe excogitatam. Illa igitur Scriptorum magni ſane nominis teſtimonia, tacitum nullo modo praeterire poſſum. Et primo quidem, quod ad DIODORI *Siculi* locum attinet, ille ita habet: * *Sacerdotes equidem arcanum de animalium cultu placitum*, ἀπόῤῥητόν τι δόγμα, *habere, ſupra a nobis commemoratum eſt. At vulgus*, (οἱ πολλοὶ) *Aegyptiorum has tres cauſas exponit. Quarum prima omnino fabuloſa eſt, et cum priſca ſimplicitate conuenit. Deos enim initio genitos, cum paucitati illorum, multitudo et ſcelerata improbitas hominum terrigenarum praeualeret, in animalia ſe transformaſſe, atque hoc modo crudelitatem et vim illorum effugiſſe dictitant.* Inquirit auctor hicce diligens in rationes cultorum ab Aegyptiis animalium, et rationem primo commemorat arcanam, a Sacerdotibus reddi ſolitam, quam alio loco, p. 18, hunc in modum explicat. *Iſis praeterea Sacerdotibus praecepit, vt vnum ex animalibus, apud ſe natum, quodcunque velint, Oſiridi dedicent, idque, donec in vita ſuperſit, non aliter, quam ipſum quondam Oſiridem venerentur, mortuoque eundem, quem ipſi poſt interitum, impertiant cultum.* Hanc rationem cultus animalium, tempore Diodori proferre ſolebant Sacerdotes nonnulli, a qua diuerſam fuiſſe oportet, eam, quam ipſorum maiores HERODOTO expoſuerunt, ** qui vero et illam ipſam in vulgus enunciare, religioni ſibi duxit. Equidem exiſtimo, cultum animalium, tantae in Aegypto, antiquitatis fuiſſe, vt verae illius origines paulatim ex hominum memoria euaneſcerent, ipſosque etiam Sacerdotes laterent. Aut ſi memoria eius rei in ipſorum adytis et antiquiſſimis Monumentis fideliter conſeruata fuit, eam non videntur cuiquam, niſi rite initiato, aperuiſſe.

* Lib. I. p. 77. Edit. Wechel. vel 54. Edit. Steph.
** Lib. II. c. 65.

ruiſſe. Ab hac vero ratione, quam Sacerdotes ſibi reſeruarent, DIODORVS diſerte diſtinguit opiniones populares, inter quas primum locum illi tribuit, quam verbis eius hic deſcripſimus. Quod ſi autem dixero, veros opinionis huius popularis in Aegypto auctores, fuiſſe Graecos, nihil dixero a rei veritate alienum. Graecos enim fuiſſe fabulae illius fabricatores, ex §. 6. et 7. liquere arbitror. Tempore vero Diodori, Graeci in Aegypto vbique praeualebant, Scholas publicas occupauerant, miniſteria Templorum et Deorum ad ſe traxerant, Sacraque Aegyptiorum, non ſecus atque doctrinam ipſorum Theologicam, in multis mutauerant ac corruperant, quod vel ex nummis, tempore Ptolemaeorum, primorumque Imperatorum Romanorum, in Aegypto percuſſis, inuicte demonſtrare licet. Taceo iam, origines cultui animalium, ab Aegyptiorum vulgo, aſſignari ſolitas, cum fabula Graecorum, qualem exhibui §. 6, non omnino conſonare. Poſſet equidem, fateor, diſcrepantia illa multis videri momenti leuioris; ſed tamen non in vniuerſum ſpernendam eſſe, opinor. Locus vero LVCIANI, ad quem transeundum mihi nunc eſt, id fere ſonat. * *At ſi in Aegyptum venias, ibi demum, ibi res graues videbis multas, et coelo re vera dignas: puta Iouem arietino, canino vultu Mercurium illum optimum praeditum: Panem vero totum hircum, alium etiam ibim, alium crocodilum, et ſimiam. Verum*

** *Si diſcendo velis pernoſcere et illa*

complures Sophiſtas audies, et Scribas, et Prophetas toto corpore abraſos, qui tibi narrent —— quomodo ab hoſtibus territi, illamque gigantum rebellionem veriti, Dii in Aegyptum venerint, vt illic ab hoſtibus tuti latitarent: ideoque alius ipſorum hircum præ formidi-

* In libro *de Sacrificiis* circa fin. Opp. To. II. p. 358.
** HOMERVS Il. Z. 150. Y. 213.

mine induerit, alius arietem, alius feram, alius aue[..]. *Atque hinc eſſe, vt Dii eas nunc obtineant formas, quas id temporis aſſumſerant. Nam haec diligenter mandata literis, idque ante annos plus de*[..]*s mille, in adytis poſita ſeruantur.* Video hic fabulam graecam de Typhoeo, ſupra prolixe relatam §. 6, niſi quod loco *Typhoei*, exemplo DIODORI, *plures inimici et gigantes* commemorentur. Quando vero auctor ille nos credere iubet, fabulam hanc a Scribis et Prophetis tradi ſolere, et in Sacerdotum Sacrariis, a primis inde temporibus literis proditam aſſeruari, in eo DIODORO manifeſto contradicit, qui, vt modo vidimus, hiſtoriolam illam rumuſculis popularibus vulgi accenſet, eamque conceptis verbis, traditionibus Sacerdotum myſticis opponit. Et tamen DIODORVS, ad cognoſcendum res huius generis, iter in Aegyptum inſtituerat, ibique omnia quae ad Aegyptiorum Sacra ſpectant, ſumma induſtria inueſtigauerat. Legenti haec LVCIANI cum aliqua attentione, non poterit non illico in mentem venire, eum hic non obſecundaſſe legibus boni hiſtorici, qui omnia quae narrat, accurate prius explorat, et ex monumentis fide dignis promit; verum id tantum agere, vt religioni et Sacris Aegyptiorum, quomodocunque illudat.

Fabulae Sacerdotalis Aegyptiacae, de geſtis et patratis Typhonis, breuis ſumma.

§. 9. Poſtquam fabulas Graecorum adulterinas de Typhone diſpunximus, tempus eſt, vt iam videamus, ecquid fabulae Aegyptiorum priſcae et ſacerdotales, de eodem ſymbolice retulerint. Ex omnibus, qui extant, vetuſtis Scriptoribus, nemo eas diligentius et prolixius in literas retulit, PLVTARCHO, cuius proinde hic ratio habenda erit praecipua. Neque etiam dubito, quin, ſi rei ſummam ſpectes, optimus hicce auctor, omnem adhibuerit fidem atque accurationem, vt nobis doctrinam Sacerdotum, a maioribus acceptam, genuinam conſeruaret, ac pro

viriliſollicite explicaret. Verum paſſim tamen, ad vetuſtas Aegyptiorum fabulas ſacras, recentiorum quorundam Graecorum figmenta, et hic acceſſiſſe, mihi quidem certum eſt, neque id lector exercitatus, in dubium facile vocabit. Verum is nihilo ſecus ſequendus nobis praecipue erat, tamen nec alios Scriptores, antiquiores cumprimis, neglexerimus. Fabulae igitur Sacerdotum ſymbolicae tradebant, Oſiridem, poſtquam regno potitus eſſet, inter ſuos virtutis et iuſtitiae laude inclaruiſſe, magnisque beneficiis ſubditos ſibi deuinxiſſe, ſed et de aliis gentibus bene merituram, vniuerſam obiiſſe terram, cum maxime vero * per Aethiopiam iter feciſſe. Interea vero, dum Oſiris totum orbem bonis cumulat, et ad Aethiopes quoque inuiſit, Typhon frater eius, etſi immenſa ambitione actus, nihil tamen in regno innouauit, cum ipſi cura Iſidis vigilans nihil tale permitteret; verum poſt eius reditum, adſcitis in criminis ſocietatem, ** viris LXXII, fratri ſuo inſidias ſtruxit. Numerus coniuratorum, quem fabula Sacerdotalis exprimit, Aegyptiis erat myſticus, et haud dubie *** aliquid arcani abſcondit. Ab his igitur coniuratis adiutus Typhon, per inſidias Oſiridem e medio ſuſtulit, eiusque corpus arcae incluſum, Nilo commiſit, quod alueus Taniticus tandem in mare detulit. Iſis cognita hac re, illico ad quaerendum corpus mariti ſui proficiſcitur, inque ipſam Phoeniciam, iter eo fine ſuſcipit, quod † PLVTARCHVS prolixe deſcribit. Sed diffiteri non poſſum, quod et BOCHARTO in mentem veniſſe de-

prehen-

* DIODORVS p. 16.

** DIODORVS p. 18. innuit, coniuratos fuiſſe numero XXVI.

*** Vide infra huius Libri cap. III. §. 7. vbi ea de re ſententiam noſtram exponimus.

† *de Iſide* p. 357.

prehendo, videri mihi iter hoc Iſidis Phoenicicum, non e cerebro, priſcorum Aegypti Theologorum dimanaſſe; ſed neſcio e quo peregrino ſolo, in Aegyptum ſero ſatis perueniſſe, ciuitate illic tandem donatum. Vix dubito, quin Sacra Phoenicum, cum Aegyptiorum Sacris permixta hic, et in vnum conflata fuerint. Addit fabula eadem, Iſidem corpus Oſiridis ſui, in Phoenicia inuentum, ſecum reduxiſſe in Aegyptum, vbi tamen a Typhone, noctu plenilunii tempore venationi intento, denuo deprehenſum, * in partes XIV. diſcerptum, partes autem illae disiectae fuerint. Quo facto Iſis, noua inquiſitione inſtituta, corporis Oſiriaci membra reperit omnia, exceptis ſolis genitalibus, quae Typhon in fluuium coniecerat, deuorata paulo poſt a lepidoto, phagro, et oxyryncho, piſcibus. Poſt Oſiridem hoc modo e viuis ablatum, regnum, etſi perbreue, Typhon ad ſe rapuit, aut ſaltem regnare viſus eſt. Cum enim videret, ** Deorum in Aegypto nullum moliminibus ſuis aduerſari, arbitratus, eos metu perculſos, regnum ſibi vacuum reliquiſſe, dominabatur imperitis, fortunae varietate et inſtantis periculi magnitudine ad ſtuporem redactis. Et tum quidem *** *dii* in Aegypto *coronas ſibi detraxerunt, cum Typhonem regnare intellexiſſent.* Vt vero regnum ſuum male partum, aliquo modo ſtabiliret, et ſecuritati ſuae conſuleret, ante omnia de tollendo Horo, Oſiridis filio et haerede legitimo, con-

* DIODORVS rem hanc tangere videtur, vbi p. 18. ſcribit, Typhonem *dilancinato* Oſiridis *interfecti corpore, in* XXVI. *fruſta, cuique facinoris ſocio, vnum tribuiſſe.*

** NIGIDIVS in *Sphaera barbarica*, apud *Scholiaſten Germanici* p. 120.

*** HELLANICVS apud ATHENAEVM Lib. XV. p. 680

conſilium cepit. *Omnia* igitur magna induſtria *indagauit*, *vt hunc Oſiridis filium inueniret*, eoque tempore Butum quoque peruenit, vrbem Aegypti inferioris. Illo ipſo vero in loco, Latona, quae eſt ex Numinibus Aegyptiorum primoribus, Horum et Bubaſtin, ab Iſide ibi commendatos enutriebat, ibidemque in inſula eos abſconditos ſeruauit, eoque facto ab inſidiis Typhonis tutos eos praeſtitit. Alii Sacerdotes, quod infrequens non erat in Aegypto, rem eandem, alia fabula inuolutam, hunc fere ad modum referebant, ** *Herculem* Aegyptium, *in Libyam profectum*, *illic a Typhone fuiſſe interemtum; ſed breui poſt ad vitam reuocatum.* Extat et alia Aegyptiorum de ea re fabula, hunc fere in ſenſum diuulgari ſolita, *** *Herculem cum aduerſus Libyas pugnaret*, *ipſumque ſagittae deficerent*, *genibus innixum*, *lapides ad inimicos proieciſſe*, *quos ipſi pater*, *ad eius preces*, *velut per pluuiam ſubmiſit.* Haec de Oſiride ipſo capi poſſunt, a Typhone interemto quidem; ſed poſtea rediuiuo. Sed rectius id explicari poſſe puto, aut de Hercule Aegyptiorum, † cui fabula talis egregie conuenit, aut de *Horo*, qui in noſtra hac fabula Typhonia paginam omnem implet, †† quique certo quodam et optimo ſenſu, cum Hercule Aegyptiorum idem eſt. Et ſane DIODORVS, qui fabulam eandem commemorat, alio tantum nonnihil amictu ornatam, eam de Horo interpretatur, vbi p. 22. ait: *Iſis inuenit immortalitatis pharmacum,* quo

* HERODOTVS Lib. II. c. 156. PLVTARCHVS p. 354. 357. 366.

** EVDOXVS apud ATHENAEVM Lib. IX. p. 392.

*** THEO in Scholiis ad Arati Phaenomena p. 14. Edit. Oxon.

† Vide *Panthei* huius Lib. II. cap. III. §. 10. 11.

†† Vide ibidem Lib. II. cap. IV. §. 8.

quo filium Horum, Titanum inſidiis oppreſſum, et exanimatum, in aqua inuentum, non tantum reddita anima, in vitam reduxit; ſed etiam immortalitatis fecit participem. Diſcrepantias has primis fabularum harum architectis relinquimus. Apparet autem facile, ſi quis calculos recte ſubducat, omnia eodem redire. Regnum Typhonis ceteroquin, vti paulo ante dicebamus, perbreue fuit. Si enim NIGIDIVS, quae hac de re narrat, ex bonis genuinisque fontibus hauſit, ** *poſt* XVIII. *dies dicitur conſilium de eo repente a diis factum, vt interficeretur: ob idque vſque hodie in Aegypto hos dies* XVIII. *feſtos perpetuo annis ſingulis inſtituerunt: in quibus diebus qui naſcitur, amplius non viuit.* Horus poſtea, vt ad illum iam redeamus, viribus auctis, et exercitu conſcripto, a patre Oſiride, qui ipſi ex inferis redux praeſto fuerat, ad bellum incitatur, inſtruitur, exercetur. Itaque res ad proelium deuenit, in quo poſt certamen plurium dierum, Horus victoria potitur, isque Typhonem vinctum matri ſuae Iſidi cuſtodiendum tradit. Ea vero communem inimicum, non modo non interfecit, ſed et vinculis ſoluit, miſſumque fecit. Tulit hoc tam indigne Horus, vt Iſis etiam, etſi mater, iram eius experiri debuerit. Inde ad nouum certamen ventum eſt, feruntque pugnis aliis duabus, Typhonem debellatum denuo fuiſſe. Itaque nunc demum, *** Horus vindictam caedis maternae perſecutus eſt, ac de Typhone non minus, quam de complicibus eius ſupplicium ſumſit. **** Eo vero extincto, Horus feliciter regnauit.

§. 10.

* per *Titanas* Graeci id ipſum intelligunt, quod Aegyptii per *Typhonem*.

** In *Sphaera barbarica*, apud *Scholiaſten Germanici*, vbi ſupra.

*** DIODORVS p. 88.

**** HERODOTVS Lib. II. c. 144.

Fabulae Sacerdotales, de Typhonis interitu et ſepulchro.

§. 10. Typhonem igitur Horus extinxit, vt poena mortis, iniuriam patri, ſibique etiam illatam, lueret. HERODOTVS eodem loco, quo hoc commemorat, addit, Graecos *Horum* interpretari *Apollinem*. Rem eandem igitur dicere voluit NIGIDIVS, vbi ait: * *Typhon fulmine interficitur ab Apolline.* Sed ſingulare omnino eſt, quod auctor ille ibi addit, factum hoc fuiſſe, *in Templo Aegypti Memphis* (legendum haud dubie, *in Templo Apidis Memphi*), ** *vbi mos fuit ſolio regio decorari reges.* Scriptorem alium, qui idem dixerit, reperire hactenus potui neminem. Communior certe in Aegypto ſententia haec erat, ſepulchrum Typhonis eſſe lacum Serbonidis, in confiniis Aegypti, Syriae, et deſertorum Arabiae, poſitum. HERODOTVS de iſthoc lacu loquens, ait Lib. III. cap. 5. Ἐν τῇ δὴ λόγος, τὸν Τυφῶ κεκρύφθαι, *in quo Typho fertur abſconditus*, nempe poſtquam ab Horo eſſet interemtus. Eadem fere legas apud EVSTATHIVM, ad Dionyſii Periegetae vſ. 253. Λίμνη δὲ Σέρβωνις, καὶ χώρα, περὶ ἣν φασι τὸν Τυφῶνα κεκρύφθαι, πλησίον οὖσαν τοῦ πρὸς τῷ Πηλουσίῳ Κασίου ὄρους. *Serbonis et lacus eſt, et regio, vbi Typhonem aiunt eſſe abſconditum. Eſt vero vicina Caſio monti prope Peluſium.* Hinc eſt ſine dubio, quod literis proditum legamus, *** Aegyptios lacum iſtum Serbonidem, appellare conſueuiſſe Τυφῶνος ἐκπνοὰς, *Typhonis exhalationes.* Neque ſpernendam hic cenſeo obſeruationem **** viri doctiſſimi, ſuſpicantis, tractum illum, qui campos Peluſiacos comprehendit, et ad lacum vſque Serbonidem extenditur, olim *Sethroithen* dictum,

* Apud *Scholiaſten Germanici* loc. cit.
** Sic et DIODORVS in Excerptis Valeſianis p. 354.
*** PLVTARCHVS in vita M. Antonii p. 947.
**** MARSHAMVS in *Canone Chronico* ad Secul. VIII p. 108.

dictum, nomen hoc accepiſſe a *Typhone*, quem Aegyptios lingua ſua cognominaſſe *Seth*, infra monebimus, §. 24. Addere poſſum illuſtrationis gratia, *rubicundum* Aegyptiis dici ⲣⲱϣ, *ros*, ex quo conficitur, *Seth-ros* commodiſſime ſignificare *Typhonem rufum.* Hóc veroʹ colore Typhonem inſignem fuiſſe, vetuſtis Aegyptiorum monumentis, proditum erat. §. 3. Magnopere hoc ex eo etiam confirmat * vir illuſtris, quod ** in antiquis traditionibus Theologicis Sacerdotum Aegypti, *Peluſium*, vel, vti etiam antiquitus vrbs illa dicebatur, *Auaris*, tractus Sethroitici metropolis, *Typhonia* cognominari ſoleret. Veterum nonnulli, hanc *Typhonis* in lacu Serbonidis merſionem, ad *Typhoeum* Graecorum referunt, quia nempe duos hos inter ſe confundunt, Aegyptiaco tribuentes, quae graeco ſunt propria, et graeco viciſſim accommodantes, quae ad Aegyptiacum vnice ſpectant. Apollonivs rhodivs rem hanc verſibus complexus eſt, quos apud ipſum legi malim Lib. II. *Argonaut.* v. 1214. etc. Iiſdem prorſus conſona habet auctor *Etymologici magni*, in voce Τυφώς. *Τυφαονία πέτρα ἐςὶν ὑψηλὴ ἐν τῷ Καυκάσῳ. —— Ὠνόμαςαι δὲ Τυφαονία, διὰ τὸ ἐν αὐτῷ διωκόμενον τὸν Τυφῶνα ὑπὸ Διὸς πεπλῆχθαι τῷ κεραυνῷ· πληγέντα δὲ αὐτὸν φασὶ καιόμενον ἀπελθεῖν ἐν τῇ Σιρβωνίδι λίμνῃ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ἐις τὸ βάθος αὐτῆς ἐμπεσεῖν καὶ δῦναι, συνεχόμενον ὑπὸ τῆς ἐκκαύσεως. Typhonia, petra eſt excelſa in Caucaſo monte. —— Nomen autem iſtud ideo illi inditum eſt, quod Iupiter Typhonem perſequens, illic eum fulmine percuſſerit. Aiunt vero, eum fulmine tactum et peruſtum, ad Sirbonidem lacum perue-*

* Idem ibidem p. 107.

** Manetho, apud iosephvm, adu. Appion. Lib. I. §. 26. p. 460.

peruenisse, *eiusque profundo merſum*, *in imo hae-rere*, *retentum ab exuſtione iſtius lacus.* STEPHANVS vero *Byzantius* auctor eſt, Typhonem fatum hoc alio loco ſubiiſſe; ſed in vicinia. Ita autem is in voce Ἡρώ. Ἡρώ, πόλις Αἰγυπτία, ἡ Αἷμος ἐκλήθη, * διὰ τὸ τὸν Τυφῶ ἐνταῦθα κεραυνῷ βληθῆναι, καὶ αἷμα ῥυῆναι. *Hero* (vel Heroopolis) *vrbs Aegyptia*, * *quae Haemus appellata eſt*, *eo quod ibi Typhon ictus fuerit fulmine*, *atque ſanguis eius ibi profluxerit.* Et iſta vrbs, in finibus Aegypti, extremoque receſſu Sinus Arabici, vel maris rubri, ſita, deſertis Arabiae contermina eſt, ſicuti Serbonis lacus, neque ab hoc, interuallo ita magno diſtat. Forſitan in antiquioribus nonnullis Sacerdotum traditionibus fabuloſis perhibebatur, Typhonem prope Heroopolin, ab Horo fulmine tactum, et poſtea lacu Serbonide demerſum fuiſſe. Sic HERODOTVS cum STEPHANO, qui ex Scriptoribus vetuſtioribus id videtur hauſiſſe, ſine vllo incommodo poterit conciliari.

Typhoni Genio malefico, animalia dedicata erant impura, inuiſa, et contemta.

§. II. Ex his quae de Typhone Aegyptiaco, a veteribus referri obſeruauimus, quiuis facile colligit, Genium hunc malum, apud Aegyptios, non in honore, pretio, et veneratione fuiſſe; ſed vice verſa, omnes eum abhorruiſſe, odio habuiſſe, quinimo execratos et deteſtatos fuiſſe. Ideo enim ** diem, quo ille natus eſſe credebatur, vnum ex quinque intercalaribus, finem anno imponentibus, infauſtum ac metuendum ducebant. Eamque etiam ob cauſam, animalia huius generis ipſi voluerunt conſecra-ta,

* Operae pretium eſt, cum his STEPHANI verbis, et APOLLONII verſibus paulo ante indicatis, componere APOLLODORI *Biblioth.* Lib. I. cap. VI. §. 3. vt intelligatur, quam variis modis vna haec fabella relata fuerat, et quot ex errore vno propagentur alii. Sed id pluribus perſequi, longum foret.

** PLVTARCHVS p. 356. init.

ta, quae vitia eius extantiora, et facinora iniqua, ac impia, omnium aut contemtui, aut horrori atque odio exponerent. Nouimus enim, ex animalibus, *crocodilum* ipſi proprium, quandamque eius imaginem habitum fuiſſe. Ideoque fingebant Aegyptii, * *Typhonem, vt effugeret iram Hori, formam crocodili adſciuiſſe.* Eleganter id adumbratur in marmore quodam eximio, quod ex BOISSARDO, conſpiciendum exhibet illuſtris ** MONTEFALCONIVS, in quo Anubis capite canino inſignis repraeſentatur, crocodilum pedibus calcans. *Anubim* caninum, Deum eſſe, quem Graeci tantum non ſemper *Mercurium* interpretantur, capite ſuperiori oſtendimus. *Crocodilum* vero imaginem eſſe *Typhonis*, modo nunc monuimus. Quod autem *Mercurius*, *Typhonem* ſubiugatum, pedibus hic calcet, ex fabula illa veteris Theologiae Aegyptiacae illuſtrari poteſt, qua fingebatur, *** *Mercurium neruos Typhonis euulſiſſe, iisque pro chordis vſum eſſe.* Eadem quoque fabula **** *victorias Mercurii de Typhone reportatas* celebrabat. Vnde patet verba, quae in Marmore hoc leguntur, ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ, accipi non poſſe de duobus his Diis, *Anubide* et *Typhone*, vt viri eruditi ſibi perſuadent, verum de regibus Aegypti e familia Ptolemaeorum, qui marmor hoc dedicarunt. Idque † nummi etiam, in quibus ſimilis inſcriptio occurrit, confirmant. Crocodilum autem, animal Typhoni proprium dicatumque, Aegyptiorum ple-

 rique

* PLVTARCHVS *de Iſide* p. 371. AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 21.

** *Antiquité expliquée* To. II. Parte II. Planche CXXVIII. Tales etiam hodie in Aegypto paſſim reperiuntur figurae.

*** PLVTARCHVS *de Iſide* p. 373.

**** Idem ibidem.

† VAILLANTII *Hiſtoria Ptolemaeorum* p. 40. et 5

rique * pro animali habebant non modo inter cetera ferociſſimo; ſed et impuro, vſque adeo, ** vt nonnulli per eum ipſam Nili, ſanctiſſimi fluuii, aquam coinquinari dictitarent. Eratque in Scriptura hieroglyphica, *** *crocodilus ſymbolum impudentiae.* Praeter crocodilum, Typhoni dicatus quoque erat *hippopotamus*, † animal reliquis omnibus voracius et ferocius, †† quo picto Sacerdotes in Scriptura hieroglyphica, eo quod patrem interimeret, ac deinde matri vim inferret, impudentiam ſubindicabant, vti nec minus ††† iniuſtitiam. Idem animal imago quaedam cenſebatur Typhonis. †††† Apollinopoli itaque, vrbe Aegypti ſuperioris, Horo ſacra, cernebatur imago hieroglyphica ſiſtens Horum, vultu accipitris inſignem, qui Typhonem, hippopotami ſpecie conformatum, iaculo ſubigeret. * Hermupoli vero, in Heptanomide, ſiue Aegypto media, oſtendebatur quondam *ſimulachrum Typhonis, hippopotamus, cui accipiter inſiſtebat, pugnans cum ſerpente.* Eademque de cauſa, ** certo quodam die feſto, in honorem Iſidis celebrari ſolito, placentas coquebant, in quibus hippopotamus vinctus viſendus erat. Suſpicor etiam, in lingua Sacerdotum myſtica, *hippopotamum* nomine *Typhonis* deſignari conſueuiſſe. De *hippopotamo* igitur, ſed ſymbolice dicto *Typhone*, intelligendum

forte

* PLVTARCHVS *de Iſide* p. 371.
** Idem p. 353. init.
*** CLEMENS ALEXANDRINVS Lib. V. Stromat. p. 566.
† PLVTARCHVS p. 371.
†† PLVTARCHVS p. 363. fin. 364.
††† DAMASCIVS in *vita Iſidori*, apud PHOTIVM, in Biblioth. col. 1048.
†††† EVSEBIVS *Praeparat. Euang.* Lib. III. c. XIII.
* PLVTARCHVS p. 371.
** Idem, ibidem.

forte fuerit, quod alicubi MANETHO ſcripſerat, † *oſſa Typhonis ferrum dici.* Eſt ſane locutio, Aegyptiis olim, vt videtur, de hippopotamo loquentibus, familiaris et obuia, ac poſtea etiam in dialecto Sacerdotali conſeruata, quam in libro IOBI etiam adhibitam legimus cap. XL. v. 13. †† *Oſſa* hippopotami *velut fiſtulae aeris, grandia eius oſſa ſicut vectis ferrea.* Crocodilo et hippopotamo, Aegyptii *aſinum* inſuper, tanquam Typhonis imaginem ſymbolicam, adiungebant, rationem hanc reddentes, quod aſinus animal eſſet, * et longe inertiſſimum, et ** valde impurum, et in vniuerſum Aegyptiis magnopere inuiſum. Ea igitur de cauſa Sacerdotes aſſerebant, *** aſinum Typhoni gratum inprimis, **** huncque illi colore corporis et adſpectu non parum eſſe ſimilem. Fingebant quoque, † Typhonem e proelio fugientem, aſino inſediſſe, et quae ſunt alia, eodem redeuntia. Quae omnia de odio Aegyptiorum in Typhonem, ſummoque, quo ipſum proſequebantur, contemtu, plus ſatis teſtantur.

Typhonem Aegyptii, vt maleficia eius querterent, ſacrificiis nonnunquam placabant, nonnunquam

§. 12. Sicuti tamen apud Indos, Spiritus etiam mali ac impuri, Principesque eorum, honore multiplici afficiuntur, vt ſic ab illis mala metuenda auerruncentur, ita Aegyptii Typhonem etiam, Genium maleficum, ſibique magnopere inuiſum, ſacrificiis ſubinde placabant, ſperantes, ſe hac ratione, iram eius ſaeuaque maleficia declinare poſſe. Teſtatur

† Apud PLVTARCHVM p. 376.

†† Conferantur hic BOCHARTI Hierozoicon Parte II. col. 758. 759. et Beati SCHVLTENSII Commentarii ad hunc Iobi locum.

* PLVTARCHVS p. 363. 371.

** Idem p. 362. fin. 363.

*** AELIANVS de anim. Lib. X. c. 28.

**** PLVTARCHVS p. 362.

† Idem, ibidem.

vero contumelia afficiebant. ſtatur enim PLVTARCHVS, Aegyptios * *potentiam Typhonis obſcuratam et contritam ſacrificiis quibuſdam demulcere ac delinire.* Et multi, tempore ſaltem huius auctoris, quo Graecorum dogmata, etiam in Aegypto, praeualuerant, hanc ſolebant rationem reddere, cultus animalium, a maioribus ſuis inuecti, ** *quod anima Typhonis, in animalia migraſſet*, qua fabula id innui volebant, *naturam omnem brutam et belluinam, malo Genio iure deberi, ideoque ad eum demulcendum et placandum, ſe animalia colere et venerari.* Ex eo videtur eueniſſe, vt crocodilus, Typhoni modo ſingulari ſacer et proprius, *** in quibuſdam Aegypti regionibus, magno in honore eſſet, ritibusque religioſis coleretur. Niſi modo hoc de ſingulari aliqua crocodilorum ſpecie, minus noxia, intelligi debet. *Crocodilos* Aegyptiis dictos fuiſſe χάμψας, nouimus teſtimonio HERODOTI, Lib. II. c. 69. Et eſt ſane hoc illis in libris Coptorum nomen. Leuit. XI. 29, ὁ κροκόδειλος, ab interpretibus Coptis redditur ⲈⲘⲤⲀϨ, *Amſah.* Et in Gloſſario Copticograeco, Bibliothecae regiae Pariſienſis, *Crocodilus* Aegyptiace vocatur, addita nota maſculini generis, Ⲡ-ⲈⲘⲤⲀϨ, *P-amſah.* Eſt vero peculiaris quaedam crocodili ſpecies, quam Aegyptii olim *Suchum* appellabant, de qua DAMASCIVS in *vita Iſidori* ſcribit: † Ὁ Σοῦχος δίκαιος· Ὄνομα δὲ κροκοδείλου, καὶ εἶδος ὁ Σοῦχος· οὐ γὰρ ἀδικεῖ ζῶον οὐδέν. *Suchus iuſtus eſt, ita nominatur aliqua crocodili ſpecies, quae animal nullum laedit.* In *Scala* Copti-

* *de Iſide* p. 362.

** Idem, ibidem p. 380.

*** HERODOTVS Lib. II. c. 69. AELIANVS de Anim. Lib. X. cap. 24. et alii.

† Apud PHOTIVM in Biblioth. col. 1048.

Coptico-Arabica KIRCHERI, lego pariter p. 171. ⲠⲒⲤⲞⲨⲬⲒ, (*Pi-ſuchi*) *crocodilus*. Fuiſſe id crocodilo nomen, in Praefectura Arſinoitarum, vbi animali huic honores decreti erant eximii, teſtem habemus αὐτόπτην, STRABONEM, Lib. XVII. p. 558. Sed quia tamen * veteres obſeruant, crocodilos, etiam vbi diuinos ſortiti erant honores, incolarum liberos raptos deuoraſſe, horumque parentes id honori ſibi duxiſſe, ſuperque ea re laetatos eſſe, quod nonniſi de crocodilis rapacibus et nocentibus intelligi poſſe videtur, nihil definire hic auſim. Rem igitur hanc loco ſuo relinquo. Quod ad *Hippopotamum* attinet, vt de eo verbum quoque addam, diſcimus ex HERODOTO, Lib. II. c. 71. apud ſolos *Papremitas*, in Aegypto inferiori, cultum ipſi decretum fuiſſe. Sacra autem Papremitae animali huic faciebant in honorem *Martis*, quem prae ceteris illi placabant, quod teſtatur idem, libro eodem c. 59. 64. Suſpicor ergo Numen, in vrbe illa honoribus diuinis affectum, quod *Martem* vocat HERODOTVS, re ipſa fuiſſe *Typhonem*, qui cum Graecorum Marte, terrorum Deo, bellorumque Praeſide, non omnino incongrue comparari potuit. Ipſe HERODOTVS quaedam ſubminiſtrat, quibus id, quod dixi, euincatur, quibus addi etiam alia poſſent. Sed nunc illa omitto. Erant autem in Templis illis, quae cultum Typhonis admittebant, loca quaedam ſeparata, negotio huic dicata, et eam in rem Τυφώνεια, *Typhonia*, appellari ſolita, quorum STRABO meminit, Lib. XVII. p. 560. Quamuis vero Aegyptii, Genium hunc malum, precibus ac ſacrificiis ſibi conciliare anniterentur, ſerio id tamen, ex vero affectu et animo, non fiebat. Si igitur

E 4 tur

* AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 21. MAXIMVS TYRIVS Diſſert. XXXIX. p. 456.

tur precibus ipſorum et votis ad Typhonem directis, euentus non reſponderet, auerſum ſuum ab eo animum, odiumque ac contemtum, quo re ipſa eum proſequebantur, celare diutius non poterant. Tum enim * *in certis feſtiuitatibus, Typhonem deprimebant, contumeliisque afficiebant*, tum *ignominioſe tractabant rufos, aſinumque*, ob ſimilitudinem, quae intercedere his cum Typhone credebatur, *de praecipitio deiiciebant*. Similiter, ** *ſi forte magnus incideret aeſtus, ac moleſtus, isque vel peſtilentiales vltra modum morbos, vel alias calamitates non vſitatas, adduceret; Sacerdotes in contumeliam Typhonis, quaedam eorum, quae colebantur, animalium, tacite in locum tenebricoſum abducebant, eaque primum minis territabant; et ſi tamen malum pergeret ac perduraret, immolabant ea atque mactabant, tanquam ſupplicio aliquo genium illum malum affecturi.* Ad eandem contumeliam, qua in Sacris nonnunquam Typhon afficiebatur, pertinere videtur, quod HERODOTVS commemorat, Lib. II. c. 132. *Aegyptios verberibus caedere Deum quendam*, quem ſibi putat non nominandum. Sed quis quaeſo is eſſe queat, niſi Typhon? Confirmat id DIODORVS, vbi ait, eos, qui a Graecis gigantes nominantur, et Iſidis aetate vixerunt in Aegypto, *** *a Sacerdotibus Oſiriacis flagellari in Templis.* Eſtne vero ex eruditis quisquam, cui non illico ſuboleat, alium quam Typhonem hic non deſignari. Aliis perſuaſum erat, † *Typhonem clangore ſiſtrorum abigi poſſe.* Neſcio tamen, profluxeritne hocce commentum ex cerebro Sacerdotum Aegypti priſcorum, an vero poſt culta cum Graecis literarum commercia, in Theologiam ipſorum ſe inſinuauerit. Graecorum certe placitum hoc

* PLVTARCHVS *de Iſide* p. 362. verſus fin.

** Idem, ibidem p. 380.

*** Lib. I. p. 23.

† PLVTARCHVS p. 376.

hoc erat, eruditis non ignotum, * Daemones malos tinnitu aeris abigi auertique.

Aegyptii res Typhonis cum rebus Iudaeorum, ſibi vehementer uiſorum nonnu quam ſtu confu runt.

§. 13. Opera danda nobis nunc eſt, vt fabulae ſacerdotalis de Typhone ſenſum genuinum eruamus, quantum id nobis licet, vtque ratione aliqua patefaciamus, quidnam per Typhonis ſymbolum, priſci Aegyptiorum Theologi deſignare voluerint. Aggredimur rem, difficultatibus plurimis, non contemnendis, obſeptam, quod cuiuis, legenti PLVTARCHI librum *de Iſide et Oſiride*, non poteſt non confeſtim pateſcere; ſed ſine qua tamen, fabellas veterum de Typhone cognoſcere, vtilitatem nullam adfert. Itaque et huic negotio manum admoueamus. Obſeruat alicubi, Scriptor modo laudatus, ** *fuiſſe, qui dicerent, Typhonem e proelio vectum aſino, ſeptem dies fugiſſe, elapſumque filios genuiſſe, Hieroſolymum et Iudaeum*, additque, *facile patere, eos res Iudaeorum in hanc fabulam adſcribere.* Et profecto, non id modo argumento eſt, in fabula hac inſulſa, res Typhonis et Iudaeorum inter ſe confundi, quod illius auctores finxiſſent, *Typhonem genuiſſe filios, Hieroſolymum et Iudaeum*, quae ineptiae ipſum PLVTARCHVM haud immerito offenderunt; verum eodem etiam ſpectat, quod ibi dicitur, *Typhonem deuictum aufugiſſe, et fugiendo, die ſeptimo periculum euaſiſſe.* Hoc enim in hiſtoriis ſuis de Iudaeis, aſſeuerabant Aegyptii, vt ſic rationem redderent, ſeptimae diei, a Iudaeis ſancte celebratae, Feſtique perpetui eo die inſtituti. Nota ſunt haec TACITI, Lib. V. hiſtor. cap. 4. de Iudaeis: *Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit.* Paulo luculentius id ex Aegyptiorum Annalibus ita exponit IVSTINVS, Lib. XXXVI. cap. 2. *Itaque Moſes*

 Dama-

* Vide B. LAMPII elegantem *de cymbalis* commentationem, Lib. II. cap. XI.

** PLVTARCHVS *de Iſide* p. 363.

Damaſcena antiqua patria repetita, montem Synai occupat: quo ſeptem dierum ieiunio per deſerta Arabiae cum populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet, ſeptimum diem, more gentis Sabbatum appellatum, in omne aeuum ieiunio ſacrauit, quoniam illa dies, famem illis erroremque finierat. Niſi me coniectura fallit, fabulam hanc Aegyptii, ex hiſtoria Miriamae, ſororis Moſis deſumſerunt, quae cum lepra a Deo afflicta eſſet, ſeptem diebus, e caſtris Iſraëlitarum eiecta, ſecluſa manere debuit, eo vero tempore elapſo, recepta eſt. Numeror. XII. 10. 14. quod poſtea in legem abiit, ratione leproſorum ſeruandam. Leuit. XIV. 8. 9. 10. 11. Tales vero, id eſt lepra infectos, fuiſſe Iudaeos omnes, ex Aegypto exeuntes, eamque ob cauſam, e regno illo eiectos, * finxerunt in Annalibus ſuis Aegyptii. Obſeruatu vero dignum quoque eſt, *lepram* patria Aegyptiorum lingua ſonuiſſe ⲤⲈϨⲦ, *Sebt. Exodi* IV. 6. *Leuit.* XIII. 2. 6. 12. Eoſdem autem *Typhonem* etiam cognominaſſe *Seth*, edocemur a PLVTARCHO, qua de re nonnihil infra addemus §. 24. Quoniam igitur Iſraëlitas Aegyptii cognominarunt *Sebt*, id eſt *leproſos*, idemque fere *Typhonis* etiam fuit cognomen, tanto facilius et commodius, Sacerdotes res illorum, cum fabulis ſuis de hoc confundere potuerunt. Et a veri ſpecie ita alienum non eſt, Sacerdotes, ſaltem quoſdam, fabulas de Typhone, iis ornaſſe circumſtantiis, et nonnulla eum in modum contorſiſſe, vt facile ad Iudaeos, ſibi tantopere inuiſos, et ad eorum ex Aegypto expulſionem, transferri

* Plurima hanc in rem teſtimonia, MANETHONIS, CHAEREMONIS, et Graecorum quoque Scriptorum, adfert IOSEPHVS, Lib. I. contra Apionem. Adde DIODORVM in Excerptis e Libro XXXIV. p. 901. TACITVM Lib. V. c. 4. hiſtor. IVSTINVM Lib. XXXVI. c. 2. etc.

ferri potuerint. Verum in *Typhone* latere *Moſen*, quod perſuadere nobis annifi ſunt, * viri magni, non facile credet, qui antiquiores Aegyptiorum, de malo hoc genio, traditiones, §. 9. 10. fideliter expoſitas, curate expendere, et cum geſtis Moſis componere voluerit.

§. 14. In ipſis primordiis idololatriae apud Aegyptios excultae, et ſtabilitae, *Typhonem* arbitror nomen fuiſſe *Spiritus improbi*, cuius notitiam Aegyptii a Noachidis acceperant, vel *Principii mali*, quod vetuſti in Oriente Theologi, *Deo*, ac *Principio bono* oppoſuere. Principium hoc malum, Magi Orientales appellabant ** *Arimanium*, prouti Graeci efferunt, vel *** *Aherman*, ſiue *Ahriman*, quomodo nunc in Perſarum libris nomen illud ſcribitur. Graeci, Poëtae praeſertim, Principium illud bono Deo oppoſitum, *Gigantum* nomine deſignare ſolebant, a qua notione, Orientales etiam, ac Aegyptii ſigillatim, non abhorrebant. Sed hi tamen, vt videtur, *Typhonis* nomen praetulerunt, eoque *Spiritum improbum* ac *malum*, Deoque bono inimicum, ab vltimis inde tempore inſignire conſueuerunt, etſi tamen eundem *Gigantem* quoque cognominauerint, vti dicemus §. 22. Agnoſcebant Aegyptii, Spiritum, Deum, Principiumque bonum, a quo eſſet, quicquid boni rationem haberet, dictum *Ichnuphi*, vel *Cnuphi*, quod a *Phtha* non

Typhon [...]*mo qui*[...] *ſignifica*[...] *Spiritum* *malum*, *Principio bono oppoſitum.*

* BOCHARTVS in *Hierozoico*, Part. I. Lib. II. cap. XXXIV. HVETIVS in Demonſtrat. Euang. paſſim.

** HESYCHIVS in Ἀρειμανής. PLVTARCHVS *de Iſide* p. 369. et in *vita Themiſtoclis* p. 126. AGATHIAS Hiſtor. Lib. II. p. 60. Edit. Vulcanii, & alii.

*** D'HERBELOT Bibliotheque Orientale artic. *Aherman*, p. 71. THO. HYDE, de Relig. Vet. Perſar. c. IX. p. 161.

non differebat, niſi diuerſitate nominis, de quo * alio loco diſſeruimus. Etiam ** vox ipſa, nihil aliud, quam *Deum*, ſiue *Spiritum bonum*, ſignificat. Huic in Theologia Aegyptiorum antiquiſſima, oppoſitus erat *Typhon*, vel *Typho*, idque ex ipſius huius vocis Aegyptiacae ſignificatione, non infeliciter confirmari poſſet. ⲑⲏⲟⲩ, (*Theu*) enim Aegyptiorum ſermone dicitur *ventus*. Vti vero in dialecto Hebraeorum, vox רוח, et *ventum* et *Spiritum* ſignificat, *** quod ipſum in Graecorum et Latinorum quoque ſermone vſu venire, conſtat, ita probabilitate non caret, Aegyptios pariter, vna eademque voce ⲑⲏⲟⲩ, et *ventum*, et *Spiritum* deſignare voluiſſe, etſi **** in libris Coptorum, qui ad nos peruenerunt, ad exprimendum *Spiritum*, vox graeca πνεῦμα ſemper ſoleat retineri. ϥϩⲱⲟⲩ (*ph-hou*) vero, eadem Aegyptiorum dialecto dicitur *malus*. Eſſet igitur *Theu-ph-hou*, ſi vocem hanc interpreteris, *Spiritus malus*, *improbus*, ex quo Graeci deinde videntur *Typhoeum* ſuum effinxiſſe, et de malo Genio Aegyptiorum loquentes, *Typhonem*. Hanc ſaltem fuiſſe doctrinam antiquiorum in Aegypto Theologorum de *Typhone*, non eſt, quod dubitem. Spectat huc, quod EVDOXVS, Scriptor peruetuſtus, ex traditione Sacerdotum illius gentis retulit, † *vinum eſſe ſanguinem eorum, qui aliquando bellum Diis intuliſſent, ex quorum in illo bello cadentium cadaueribus, terrae permixtis, Sacerdotes putant, vites ortas.* Quamuis autem EVDOXVS fabulam hanc ſymbolicam, ſtylo Graecorum

* Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. IV.

** Ibidem § 5. 6.

*** Diximus etiam ea de re in *Prolegomenis* noſtris §. 59.

**** Ibid. loc. cit.

† Apud PLVTARCHVM *de Iſide* p.

rum inuoluerit, vt a Graecis tanto facilius perciperetur, quis tamen rerum Aegyptiacarum vel mediocriter tantum gnarus, non illico videat, ſermonem eſſe hic de *Typhone?* In Theologia aliorum Orientis populorum, quae hic a placitis Aegyptiorum non differebat, hoc ipſum ſic videmus efferri, * *vinum e diaboli ſemine eſſe procreatum*, vel, *eſſe ſanguinem et fel Principis tenebrarum.* Is igitur in Theologia Aegyptiorum dicebatur *Typhon.* Obſeruat etiam PLVTARCHVS, in libro *de Iſide*, p 380, Aegyptios vulgo eum reputare *κακὸν Δαίμονα*, *malum Genium*, vel *Spiritum.* Et tempore etiamnum PLVTARCHI, haec erat longe plurimorum perſuaſio, **. *Typhonem dici quicquid. in natura eſſet corruptum*, vel *** *quicquid in natura malum, corruptum, et noxium exiſtat, membrum eſſe Typhonis*, † *vel partem, vel operationem.* Talem *Typhonis* notionem Pythagoras etiam in Aegypto hauſerat, ſuisque tradiderat, quod †† ex placitis Sectatorum eius merito colligi poteſt.

Poſtea, cum Typhon ad res ſenſibiles, et materiales transferretur, a quibusdam Symbolum habitus fuit hyemis.

§. 14. Haec *Typhonis* ſignificatio, vt opinor, in Aegypto obtinuit, quamdiu Sacerdotes, traditionum a Noachidis, maioribus ſuis acceptarum, nondum immemores, animum in Entia ſpiritualia, tum infinite perfectum et Optimum, tum imperfecta etiam, et vitiis infecta, magis intendebant, ac ad eadem populum quoque attendere iubebant. Vti vero primitiuas maiorum ſuorum de hiſce Entibus notiones, ſucceſſu temporis, paulatim mirum in modum corruperant, ita tandem, in cultu ſaltem publico

* Conſuli hic poterit *Pantheon* noſtrum Lib. II, cap. I. §. 6.

** PLVTARCHVS p. 368.

*** Ibid. p. 369.

† Ibidem p. 371. 376. fin.

†† Vide PLVTARCHVM ibid. p. 363.

blico et populari, cogitationes et ſuas et populi, ab illis, ad magna et illuſtria Mundi corpora, eorumque in natura rerum effectus viſibiles aut ſenſibiles, tantum non penitus conuerterunt. Spiritui perfectiſſimo et Optimo, primae rerum omnium cauſae, adiunxerunt, vel etiam ſubſtituerunt Solem, Lunam, Nilum fluuium, horumque omnium effecta laeta et iucunda. Spiritui ſeductori malo, Dei hominumque inimico ſaeuo, corpora quaedam in mundo, eorumque effectus; ſed triſtiores ac inauſpicatos, ſuccenturiarunt. Sunt igitur, quibus probabile videtur, *Typhonem*, aduerſarium immanem *Oſiridis*, id eſt *Solis*, illum naturae rerum ſtatum innuere, quo Sol, derelicto hoc noſtro hemiſphaerio ſuperiori, in oppoſito inferiori haeret, nobisque vſura lucis et caloris vberiori carendum eſt. Quod cum fiat inprimis tempore hyberno, multi *Typhonis* nomine, tempus hybernum ſignificatum fuiſſe, non ſine magna veri ſpecie, ſibi perſuaſerunt. Memorabile eam in rem eſt, quod * de Statuis duabus ſymbolicis, Memphi, in atrio Templi Vulcano dedicati, poſitis commemoratur, *earum alteram, ad Aquilonem ſpectantem, ac aeſtatis nomine inſignitam, ab Aegyptiis adoratam, multisque beneuolentiae ac reuerentiae teſtificationibus condecoratam fuiſſe: alteram vero, quae Auſtrum reſpexit, hyemsque nuncupabatur, contraria plane experiri debuiſſe.* Itaque ſymbolicam aeſtatis, ſiue hemiſphaerii borealis ac ſuperi, imaginem, impenſo cultu proſequebantur Aegyptii, dum interea imaginem hyemis, aut, quod idem eſt, hemiſphaerii auſtralis, vel inferioris, contumelia non vna afficerent, et, vti non abs re ſuſpicor, verberibus caederent. Et hoc quidem in Templis Aegyptiorum, ſimulachris Typhonem repraeſentantibus, non raro eueniſſe, ex §. 12, liquere

ſatis

* Herodotus Lib. II. c. 121.

ſatis poteſt. Supra porro obſeruauimus, §. 11, inter animalia Typhoni, tanquam ſymbolicas quaſdam illius imagines, conſecrata potiſſimum fuiſſe *hippopotamum* et *crocodilum*. De *Hippopotamo* vero nouimus, quod inter alia fuerit etiam * *Symbolum Poli, vel hemiſphaerii alterius, ad quem Sol occidens progreditur*. Similis vero plane ratio hic eſt *Crocodili*. Aegyptii namque ** *occaſum Solis*, (id eſt locum, quem Sol derelicto hemiſphaerio noſtro adit) *ſignaturi, crocodilum inflexum ac cernuum pingebant*. Trahi huc etiam poteſt, quod iidem *** *tenebras ſignificaturi crocodili caudam pingerent*. Nam dum Sol in hemiſphaerio inferiori verſatur, hocce noſtrum tenebras patitur. Id ipſum innuere voluiſſe videntur Sacerdotes quidam, qui de *Typhone* et *Hercule* fabulam venditabant, † *Herculem, dum per Libyam iter inſtituit, certamina ſuſtinuiſſe, et a Typhone interemtum eſſe*. Nam Hercules ille, per *Libyam* iter faciens, Symbolum eſt Solis, in *hemiſphaerio inferiori*, reſpectu ad nos habito, imminuti, ſiue magna lucis et caloris portione orbati. Ita etiam VIRGILIVS Lib. I. Georgic. v. 240.

Mundus vt ad Scythiam, Riphaeasque arduus arces
Conſurgit, premitur LIBYAE deuexus in AVSTROS.

Ad quae haec commentatur SERVIVS: *LIBYAE DEVEXVS IN AVSTROS, quoniam Notius circulus* (vel hemiſphaerium auſtrale) *totus infra terram eſt, et premitur, quaſi deprimitur*. Et illo tempore, quo *Hercules*, id eſt *Sol*, in hemiſphaerio illo verſatur, vt verbis vtar Poëtae,

— *fran-*

* EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. cap. XII.
** HORAPOLLO *hieroglyphic*. Lib. I. c. 69.
*** Idem, ibid. c. 70.
† Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. III. §. 10.

— * *frangunt ſic improba Solem*
Frigora. —

Obſeruatu et hoc indignum non eſt, fabulam Phrygum, de Adonide, Veneri perdilecto, per aprum vero interemto, perquam ſimilem eſſe fictioni Aegyptiorum ſymbolicae, de Typhone Oſiridis ſiue Herculis interfectore. Neque etiam fabula illa Phrygia, in Phrygum et Aſſyriorum Theologia, aliter explicabatur. Nam ** *Adonin Solem eſſe non dubitabitur, inſpecta religione Aſſyriorum.* ——— *Nam Phyſici terrae ſuperius hemiſphaerium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt.* ——— *Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hyemis imaginem in hoc animali fingentes, quod aper hiſpidus et aſper gaudet locis humidis, et lutoſis; pruinaque contectis.* ——— *Ergo hyems veluti vulnus eſt Solis, quae et lucem eius nobis minuit et calorem: quod vtrumque animantibus accidit morte.* Aper itaque id erat Phrygibus et Aſſyriis, quod Aegyptiis Typhon. Et memorabile eſt, in fabulis Aegyptiorum ſacris fingi conſueuiſſe, aprum eſſe delicias Typhonis, *** cuius quippe venatione, noctu, tempore Plenilunii oblectare ſe ſoleat. Si haec omnia ita interpreteris, hyemem, vel tempus, quo in hemiſphaerio inferiori Sol moratur, relatum fuiſſe ad Typhonem, eo quod illo tempore tyrannidem ſuam potiſſimum exerceat, quod etiam **** PLVTARCHVS ſubinnuere videtur, me non habebis diſſentientem. Ita video etiam virum de bonis literis egregie meritum, fabulas has Aegyptiacas cepiſſe et explicuiſſe. † *Typhon*, inquit, *tum praeualere perhibe-*

* STATIVS Syluarum Lib. I. num. III. v. 7.
** MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. XXI.
*** PLVTARCHVS *de Iſide* p. 354. 357.
**** lib. cit. p. 364.
† Mr. BASNAGE *hiſtoire des Iuifs* Liv. III. chap. XVIII. §. 27.

bibebatur, cum Sol derelicto hoc noſtro hemiſphaerio, in oppoſitum tranſit. Tum namque Oſiridem e medio tollit, tum lucem nos priuat, tum tempeſtates excitat, tum tota rerum natura mutatur. Sed paulo diſtinctius explicare oportet, quidnam Typhon ipſe Sacerdotibus vere ſignificauerit. Nam hyems tempus eſt, quo regnaſſe perhibetur.

Aliis viſus ſymboli maris, vel rati... exponuntur

§. 16. Erant quoque ex interpretibus Sacrorum in Aegypto, aut forte ex Philoſophis graecis, qui eruendo Sacrorum illorum ſenſui myſtico operam impendebant, qui cenſerent, Sacerdotes priſcos, *Typhonis* nomine, nihil aliud quam mare deſignare voluiſſe. *Sunt*, inquit * PLVTARCHVS, *qui dicant, Typhonem mare eſſe, in quod incidens Nilus, perit et diſtrahitur.* Et poſt nonnulla intermedia ita pergit: *Eaque de cauſa Sacerdotes et mare abominantur, et ſalem*, puta marinum, *Typhonis ſpumam vocant, interque alia interdictum eſt ipſis, ne ſalem in menſa ponant: nautium quoque rectores ab iis non ſalutantur, quippe qui mari vtantur, indeque victum ſuum petant. Haec etiam praecipua ratio eſt, quod piſces auerſentur, ac odium hieroglyphice ſignificaturi, piſcem pingant.* Quando auctor hicce eximius obſeruat, Sacerdotes ab vſu ſalis abſtinuiſſe, id tantum de tempore, quo in caſtimonia eſſent, accipiendum. Audiamus eundem, id alio loco ſic explicantem: ** *Sacerdotes Aegyptii, quando caſtimoniae operam dant, ſalem refugiunt, ne vel cibum vel condimentum mari affine vſurpent.* Quibus et haec adiiciamus: *** *Sacerdotes ſalem quoque cibis detrahunt, quo tempore pure et caſte viuunt*, ἐν ταῖς ἁγνείαις. Verum hoc quidem in loco, aliam iſtius abſti-

* de Iſide p. 363.

** Sympoſiac. Lib. VIII. c. 8. p. 729.

*** *de Iſ. et Oſir.* p. 352. fin.

abſtinentiae rationem adfert, hanc ſcilicet, *quod ſal appetitum acuendo, voraciores et bibaces magis reddat.* Sed aliam etiamnum rei eiuſdem rationem nobis ſuppeditat is ipſe Scriptor, vbi, * *Aegyptiorum*, inquit, *Sacerdotes, dum in caſtu ſunt, ἁγνοὶ ὄντες, ſale in vniuerſum abſtinent, adeo vt pane quoque inſulſo veſcantur.* Cuius rei rationes ſubminiſtraturus, poſt nonnulla ita pergit: *Caſtimoniae profeſſio, etiam liberis operam dare, ridere, vinum bibere, multaque alia, ſtudio ceteroquin digna, prohibet. Fortaſſe ſalibus etiam abſtinent, qui caſtimoniam obſeruant, quod ii ob calorem ad rem incitent veneream.* Crediderim ego, Sacerdotes hos, ſalem quidem marinum, tanquam Typhonis ſpumam auerſatos fuiſſe ſemper, et ab eo abſtinuiſſe perpetuo; in caſtimoniis vero, non modo ſalem hunc, marinum, verum et quemcunque alium, ab omni cibo, quo vtebantur, procul eſſe voluiſſe, forte ob rationes, quas PLVTARCHVS commemorat. Fuiſſe enim aliquam ſalis ſpeciem, Sacerdotibus non ingratam, qua et ipſi videntur vſi eſſe in cibis, et quam ad ſacrificia Diis offerenda adhibuerunt, dubio caret. Sed ſal ille erat foſſilis, quod nos ARRIANVS docet, de expedit. Alexandri M. Lib. III. p. 161. Edit. Blancardi. *Gignit autem Marmarica*, (vbi Iouis Ammonis Templum ſitum erat) *ſuapte natura ſalem foſſilem, quem quidem Sacerdotes nonnulli Ammonis in Aegyptum portant. —— Hoc genere ſalis et Aegyptii, et alii, quibus diuinus cultus curae eſt, in ſacrificiis vtuntur.* Salem vero marinum Sacerdotes in vniuerſum abhorrebant, eumque ad teſtandum odium vocabant *ſpumam Typhonis*, quo cognito, vt opinor, Graeci quidam ſibi imaginati ſunt, *Typhonis* nomine Sacerdotes ſubinnuiſſe *mare.* Et ambigi vix poteſt, Typhonem in veterum Aegyptiorum Theo-

* Sympoſ. Lib. V. c. 10. p. 685. fin.

Theologia, aliquo modo ad mare relatum fuiſſe. Certe ſedes ei tribuuntur mari contiguae. Praefecturam *Sethroiticam*, quae ad mare mediterraneum ſita eſt, a *Seth*, vel *Typhone* nomen accepiſſe, ſupra monuimus, §. 10. Ibi vrbs erat maritima, primis temporibus dicta *Typhonia*. In eodem etiam tractu, lacu ſcilicet Serbonide, in quem olim mare influebat, ſepultus eſſe perhibebatur. Vxorem eius *Nephthyn*, nihil aliud Aegyptiis ſubinnuiſſe, quam terram Aegypti orientalem, quae ſinum Arabicum, vel mare rubrum attingebat, docebimus infra cap. III. Ea de cauſa, vt videtur, tradebatur Daemon ille * τῶν ἐσχάτων ἁπτόμενος, *extrema attingens.* Sed vel hinc ſatis conſtare arbitror, Typhonem a mari eſſe diſtinguendum, quamuis ad illud referretur.

§. 17. Propius illi ad veritatem accedere, priſcorumque Aegypti Theologorum mentem ac ſententiam aſſecuti mihi videntur, qui *Typhonis* nomine ac ſymbolo, vim ſiccitatis noxiam, ac aeſtum immodicum, humori, rerum omnium, ſecundum Aegyptios, principio, adeoque Nilo etiam, vehementer inimicum, intelligi debere, aſſeruerunt. Nihil enim in rerum natura, Aegyptiis eorum regioni et agris, quin etiam valetudini, ac ipſi adeo vitae, aeque metuendum eſt, atque vis ardoris et ſiccitatis nimia, in aëre inualeſcens. Illa laetos ac iucundos, Solis Lunaeque, neque minus Nili fluuii, effectus intercipit ac impedit, aut etiam in contrarium vertit, vt proinde in Theologia gentis illius Mythica, non abs ratione, Oſiridis, Iſidis, et Hori, implacabilis hoſtis dici potuerit. Video etiam PLVTARCHVM, in libro, quo Theologiam Aegyptiorum explicare voluit, horum interpretationi maiorem in modum fauere. Saepiuſcule namque eam repetit,

Alii non omnino incongrue, Typhonis nomine intelligebant vim ardoris et ſiccitatis nimis inualeſcentem.

 incul-

* PLVTARCHVS de Iſide p. 375.

inculcat, atque commendat. Haec ſunt eius verba p. 364. Τυφῶνα δὲ νομίζουσι πᾶν τὸ αὐχμηρὸν, καὶ πυρῶδες, καὶ ξηραντικὸν ὅλως, καὶ πολέμιον τῇ ὑγρότητι. Διὸ καὶ πυρρόχρων γεγονέναι τῷ σώματι καὶ πάρωχρον λέγουσι. *Typhonem cenſent omne ſiccum, igneum, et quicquid denique exſiccandi vim habens, aduerſum eſt humori. Ideo rufum et ſubpallidum fuiſſe Typhonem dicunt.* Et p. 366. *Typhonis vero inſidiae ac tyrannis, vim ſignificant ſiccitatis praeualentis, et conſumentis humorem, qui generat augetque Nilum.* Porro p. 372, poſtquam de Typhone nonnulla diſſeruiſſet, et iſta addit: *Aeſtus quo multa animalium, ac e terra naſcentium, corrumpuntur, non Solis opus exiſtimari debet, ſed ſpirituum,* (ventorum) *aquarumque in terra et aëre intempeſtiue confuſarum, quando principium facultatis inordinatae ac indiſcretae, a ſcopo aberrando, exhalationes extinxerit.* Id autem *Typhonis* nomine deſignari, illic docet. Similia inueniuntur et p. 365. Eo etiam ſpectant, quae idem obſeruat p. 380. *Ingenti autem aeſtu, ac moleſta ſiccitate incidente, quae vltra modum adducat vel peſtilentes morbos, vel alias inſuetas calamitates —— Typhonem veluti ſupplicio afficiunt.* Poſſet hinc forte ratio peti, ob quam *Typhonem* aliqui interpretarentur *mare.* Aegyptii certe * *mare ab igni cenſent factum, et excluſum finibus elementorum: quod neque mundi pars ſit, neque elementum, ſed alienum excrementum, corruptum et morboſum.*

Proprie Typhonis nomine, Theologi Aegyptiorum deſignaſſe, videntur ven-

§. 18. Vt etiam, quae ſit hac de re ſententia mea, nunc exponam, arbitror, in vetuſta Aegyptiorum Theologia, *Typhonis* nomine ſignificatum inprimis fuiſſe *ventum;* ſed minus benignum, et ſiniſtri ominis, *vrentem, exſiccantem,* et quouis modo *noxium.* Idque nomen ipſum *Typhonis*, indicare

et

* PLVTARCHVS p. 353.

et non leuiter corroborare videtur. ⲑⲏⲟⲩ, (*Theu*) enim ſignificare *ventum*, diximus §. 14. Significat et πνοὴν, *flatum venti*, Actor. II. 2. Eodem loco, §. 14, obſeruauimus ⲑⲏⲟⲩ-ϥ-ϩⲱⲟⲩ, *Theu-ph-hou*, deſignare, tum *ſpiritum*, tum etiam *ventum*, *malum* et *maleficum*. Cum hac interpretatione, omnia, quae de *Typhone* praedicare ſolebant Aegyptii, recte et bene conciliari poſſe, in propatulo eſt. Credebatur Typhon cauſa eſſe ardoris immodici, et inſecutae hunc ſiccitatis nociuae, §. 17. Norunt vero omnes, experientia quotidiana edocti, vento vim ineſſe exſiccandi ingentem. Veterum quoque permulti, * Ariſtotelici cumprimis, quibuscum Aegyptii feciſſe etiam videntur, in ea erant ſententia, ventum omnem origine ſua et natura, eſſe calidum et ſiccum, talesque ſemper editurum eſſe effectum, niſi haec eius vis et facultas, variis modis impediretur, et in contrarium verteretur. Iuxta hos igitur ventus cauſa eſt ardoris immodici, et ſiccitatis damnoſae, neque haec incommoda Soli in acceptis ferenda ſunt. §. 17. Id vero ipſum ſigillatim, iureque ſingulari dicendum erat, de quadam peculiari venti ſpecie, quae certis temporibus in Aegypto regnat, et de qua nos mox plura obſeruabimus. Poteſt ex eo etiam facillime explicari, quid ſibi velint Typhonis cum Oſiride, Horo, ac Iſide, certamina atque proelia, ex quibus modo ſuperior, modo etiam inferior diſceſſit, donec tandem penitus ab Horo vinceretur. Exponam hoc verbis vetuſti Scriptoris, magni ac celeberrimi nominis, qui, ** *accidit*, inquit, *vt modo vincat*, *aër*, (cuius motus ventum efficit) *media quidem nocte vincat*, *vincatur* au-

tum vrentem, exſiccantem et noxium.

* Vide OLYMPIODORVM, in Ariſtotelis Meteorol. Lib. II. fol. 35. b.

** THEOPHRASTVS *de ventis*, in Operibus p. 406. Edit, Heinſii.

autem meridie. Et poſt pauca: *Sole occidente, flare incipiunt venti: ceſſant autem alii mane, cum deuicti ſint, alii circa meridiem et occaſum Solis, cum vincentes et ipſi deſierint.* Quibus et haec ſubiungamus SENECAE, Natural. Quaeſt. Lib. V. c. 7. *Antelucanos flatus inſpiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex conuallibus, aut ex aliquo ſinu feruntur. Nullus ex his pertinax eſt, ſed cadit fortiore iam Sole.* In Theologia nempe Aegyptiorum myſtica, Typhon tum perhibebatur interemiſſe Oſiridem, cum effectus Solis deſiderati, minus perſentiſcebantur, venti vero nociui ac peſtilentis impetus praeualebant. Viciſſim vero Typhon tradebatur ab Iſide Horoque ſuperatus eſſe, vbi Solis virtus benefica ſuperior euaſiſſet, illumque ventus benignus adiuuiſſet, atque calamitatibus a maligno vento excitatis, finem impoſuiſſet, qua de re aliquid me * in ſuperioribus iam diſputaſſe memini. Et in ſequentibus de argumento eodem nonnulla recurrent. Notum vero eſt rerum harum ſtudioſis, imperium Typhonis, quod is, occiſo Oſiride, ad ſe rapuit, habitum fuiſſe violentum ſupra modum et tyrannicum. Per id autem ratione optima ſaeua vis ventorum ſymbolice deſignari potuit. Nam, vt ſcribit vetus quidam Philoſophus: ** Ἡ τȣ͂ ἀνέμȣ κίνησις τυραννική ἐςι, καὶ βιοτάτη, ὡς δηλȣ͂σιν καὶ οἱ σεισμοὶ, τὰ μέγιςα βάρη σαλεύοντες, φημὶ δὲ τὴν γῆν: Οὐδὲν γὰρ ἕτερον ἐςὶν σεισμὸς, ἢ ὑπόγειος ἄνεμος. *Motus venti tyrannicus eſt valdeque violentus, quod intelligi poteſt ex terrae motibus, qui moles pondere grauiſſimas concutiunt, ipſam nimirum terram. Nihil aliud enim eſt terrae motus, quam ventus ſubterraneus.* Poëtae in deſcribendis hiſce tyrannicis et tremendis ventorum motibus

* Lib. II. cap. IV. §. 5.

** OLYMPIODORVS in Ariſtotelis Meteorol. Lib. II. fol. 37. b.

motibus multi ſunt, et prolixi. Neminem paulo humaniorem latent illi VIRGILII verſus, Lib. I. Aen. 86.

— ac venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, et vaſtos voluunt ad littora fluctus.
Eripiunt ſubito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether:
Praeſentemque viris intentant omnia mortem.

Apud OVIDIVM ipſe Boreas ventus introducitur, potentiam vireſque ſuas, hunc in modum extollens, *Metamorph.* Lib. VI. v. 690.

Apta mihi vis eſt. Vi triſtia nubila pello:
Vi freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque niues, et terras grandine pulſo.
Idem ego, cum fratres coelo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor;
Vt medius noſtris concurſibus intonet aether:
Exiliantque cauis eliſi nubibus ignes.
Idem ego, cum ſubii conuexa foramina terrae,
Suppoſuique ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito Manes, totumque tremoribus orbem.

Sed ad ea potius properandum nobis eſt, quae non tam ventis in genere, quam ventis, quos Aegyptus ſentit, propria ſunt.

§. 19. Vt igitur nihil dicam de * *aëre* in Aegypto *nebuloſo et roſcido, a Nilo fluuio,* ** qui Solem ab *Ex eo ratio peti poteſt, quare ſedes*

* PLINIVS Lib. XXI. c. 6.
** *Deſcription de l'Egypte par* MAILLET To. I. p. 60.
P. LVCAE itinerarium vltimum To. I. p. 350.

Typhoni in Aegypto inferiori aſſignata fuerit.

ob eius exortu obtegit, ac veluti abſcondit, donec illius radiis victus, diſſipetur, de quo fugando et corrigendo, Sacerdotes olim ſolliciti etiam erant * in Sacris, quae peragebant, quotidianis, vti hodieque ** in India facere ſolent Brachmanes precibus et hymnis, id obſeruatione et vberiori noſtra diſquiſitione dignum exiſtimo, quod Aegyptus inferior, praeſertim quae mari finitima eſt, ſedes et veluti domicilium Typhonis habita fuerit. In ea igitur regione, ſi ad fabulae Sacerdotalis tenorem rite attendamus, Oſiridem a Typhone interemtum fuiſſe, inueniemus. In eadem prope vrbem Butum, quae a mari mediterraneo non longe diſtat, Typhon quaeſiuit Horum. In eiuſdem finibus, Lacu nempe Serbonide, ſubmerſus fuit, aut ſecundum alios circa Heroopolin, ſitam ad extremum receſſum Sinus Arabici, §. 10. Haec omnia de vento, orae maritimae Aegypti inferioris inimico et damnoſo, non incommode, nec inuita Minerua, intelligi ac explicari poſſunt. Multum ora illa ſemper a vento maritimo paſſa eſt, quod exemplis nonnullis probabimus. Deſumemus ea potiſſimum ex IOHANNIS CASSIANI *Collationibus.* Ita autem is *Collat.* VII. cap. 26., *Paulus Abbas commoratus eſt in eremo, quae adiacet *** Panephyſi ciuitati: quam ſolitudinem olim factam aquae ſalſiſſimae inundatione cognouimus. Quae, QVOTIENS FLAVERIT SPIRITVS AQVILONIS, de ſtagnis impulſa, ac ſuperfuſa adiacentibus terris, ita omnem illius ſuperficiem contegit regionis, vt antiquos ibidem vicos, qui olim hac ipſa de cauſa, omni ſunt habitatore deſerti, faciat velut inſulas apparere.* Ad rem ean-

* PLVTARCHVS de Iſide p. 383.
** Vide infra §. 22. fin.
*** De illius ſitu videndus CELLARIVS in Geograph. antiqua Africae p. 31.

eandem et haec ſpectant Collat. XI. c. 3. *Ad ciuitatem nos ſuam, id eſt Panephyſin, itineris dux ipſe perduxit. Cuius terras, imo etiam contiguae regionis plurimam partem, quondam opulentiſſimam, (ſiquidem ex ea cuncta, vt fama eſt, in regios cibos ſubminiſtrabantur) repentino terrae motu excuſſum mare, transgreſſis limitibus occupauit, atque ita collapſis fere omnibus vicis, opimas olim ſalſis* (ita legendum) *paludibus ſupertexit.* Et poſt pauca intermedia: *In his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus, eluuies illa velut inſulas fecit, quae deſideratam ſecedentibus Sanctis, ſolitudinem praebent.* De vrbe *Thenneſo*, ſita prope mare mediterraneum, Scriptor idem haec habet, Collat. XI. cap. 1. *Ad oppidum Aegypti, cui Thenneſus nomen eſt, emenſa nauigatione peruenimus. Cuius accolae ita vel mari, vel ſtagnis ſalſis vndique circumluuntur, vt ſolis, quia terra deeſt, negotiationibus dediti, opes atque ſubſtantiam nauali commercio parent, ita vt aedificiis, cum voluerint, extruendis, terra non ſuppetat, niſi de longinquo nauigiis apportetur.* Vrbs haec quondam in continenti extructa; ſed calamitate illa, quam CASSIANVS nobis expoſuit, miſere quaſſata, inſula poſthaec euaſit, cuius * Scriptores Seculi etiamnum XII. et XIII. mentionem faciunt, ac tandem ** maris impetu deſtructa, periit. Neutiquam ambigo, et huius vrbis deſtructionem, non ſecus atque Panephyſeos, effeciſſe tum ventum vehementem maritimum, tum grauem terrae motum.

 Simi-

* BENIAMIN *Tutelenſis Itinerar.* cap. XXII. ex Edit. BARATERII, cuius poſſunt notae conſuli.

** Auctor Arabs, apud KIRCHERVM, in Oedipo To. I. p. 23, (non vt perperam editum eſt, 31.) KIRCHERVS verba illa perperam accepit, de antiqua *Tani*, quae a mari longius abeſt, et etiamnum exiſtit.

Simile quid contigit etiam in tractu vrbis quondam inclytae, Canopi, vt in his nos docet vetus auctor. * Ἔλεγε δὲ Ἀμμώνιος ὁ μέγας Φιλόσοφος ἐπὶ πέντε ϛάδια τὴν γῆν θαλατlωθῆναι περὶ τὸ Ἡράκλειον καὶ τὸν Κάνωπον, ὡς δηλοῦσιν ἔτι ἐκ μέσου τῆς θαλάττης οἰκήματα ὄντα, καὶ νήσους μιμούμενα. *Memoriae prodidit Ammonius, magnus ille Philoſophus, terram circa Heracleum et Canopum, ad quinque ſtadia merſum mari fuiſſe, quod ſatis etiamnum declarant aedificia, in medio mari illic conſpicua, inſulas imitantia.* Lacus ille, quem illic effecit mare, hodie appellatur *lacus Madiae*, et ex eo ſententia ** IS. VOSSII, et plurium † qui eum ſequuntur, egregie confirmatur, Canopum antiquam, ad latus occidentale huiuſce lacus poſitam fuiſſe. Haec cauſa eſt, ob quam *Oſtium Heracleoticum*, vel, quod idem eſt, *Canopicum*, SENECA *maximum* appellauit, id enim illi tantum conuenire poteſt, quod cum *lacu Madiae* coniunctum eſſe, Tabulae Geographicae docent. Calamitates porro, his, de quibus dixi, ſimiles, in finibus Aegypti et Phoeniciae, lacum produxiſſe Serbonidem, quo Typhon credebatur demerſus eſſe, a veri ſpecie non abhorret. Vide infra §. 23. Huius itaque generis damna, ventus maritimus, et nonnunquam ſubterraneus, illis Aegypti regionibus, quae mari adiacebant, ſaepius inferre ſolebat, vti in vniuerſum ventorum vehementium impetus, †† nuſpiam fere grauiores et for-

* OLYMPIODORVS in Ariſtot. Meteor. Lib. I. fol. 26. a. fin.

** in *variis Obſeruat.* cap. X. p. 43.

† CLAVDIVS SICARDVS dans *les Memoires des Miſſions nouveaux* To. VII. p. 126. MAILLET To. I. p. 123. POCOCK Vol. I. p. 13.

†† OLYMPIODORVS, vbi ſupra fol. 38. a. *Voiage du Capitaine* DAMPIER To. II. p. 313. Edit. Rouen. 1723. 8vo.

fortiores perſentiſcuntur, quam in Sinubus ac receſſibus marium; id vero omne Typhoni in acceptis referri conſueuiſſe, auguror. Eodem referre licebit, quod in fabulis Sacerdotum tradi aſſolebat, * Typhonem, dum noctu, *plena Luna*, venatione ſe oblectaret, circa Butum, Aegypti inferioris vrbem, et a mari mediterraneo non longe diſſitam, incidiſſe in capulam Oſiridis, eumque abſtuliſſe, et membra Oſiridis mortui disieciſſe. Credebatur nempe ** tempore Plenilunii, ros cadere copioſior ſolito, qui fruges, plantas, totamque terram mirifice recrearet. Verum teſte PLINIO, Lib. II. c. 60. inſignem hanc benedictionem ſaepius nimii ardores, aut venti impetuoſi intercipiebant. Et vero experientia magiſtra ſcimus, *** ventos terreſtres verſus mare ſpirantes, noctu vim ſuam cum maxime exſerere, † idque praeſertim tempore Plenilunii. Hac ratione illi igitur fructum laetiſſimum Plenilunii interuertunt. En vim impetumque Typhonis!

Sigillatim Typhonis nomine deſignari videtur ventus, qui in Scriptura dicitur orientalis et vrens, vere terribilis.

§. 20. Verum eſt ventus in Oriente toto, illisque praecipue regionibus, quae mari ſunt propiores, notiſſimus, et qui in deſertis Aegypti, Aegyptum hinc a Libya, illinc ab Arabia diſterminantibus, vti et in †† Arabia Aegyptiaca, vaſtitates horrendas, et calamitates infinitas efficit. Ventus ille in Aegypto perſaepe a plaga meridionali ſpirat, ideoque communius *Noti* nomine deſignatur, qui, quot, quantisque malis ac damnis Aegyptum mactet, et ex veterum, et ex recentiorum relationibus, ſatis notum eſt. Ideoque ventum hunc Auſtralem, Aegypto,

* Vide ſupra Lib. III. cap. IV. §. 4.

** Ibidem, cap. eodem §. 13.

*** *Voiage* de DAMPIER To. II. p. 307. 308.

† *Recueil des voiages faits pour la Compagnie des Indes Orientales*, To. IV. p. 422. Edit. Rouen. 1725. 8vo.

†† Vide infra hoc Lib. cap. III. §. 3.

gypto, certo praeſertim tempore, ſupra modum perniciofum ac luctuoſum, nomine *Typhonis* ſignificatum fuiſſe, libenter hic aſſererem, niſi id *Thueri*, Typhonis pellici, proprie et vere conuenire, lingua vetus Aegyptiaca manifeſtum faceret, qua de re videbimus capite ſequenti III. Dicere itaque malim, Typhonis nomine, in Theologia Aegyptiorum ſymbolica, ſpecialiſſime intellectum fuiſſe, ventum qui Hebraeis, קדים audit, id eſt *Orientalis*, Graecis vero interpretibus Alexandrinis, καύσων, *ventus vrens*, quem partim ex meridionali, partim etiam ex orientali plaga flare ac ferri teſtantur, qui regiones orientales peragrarunt. In Aegypto * *appellantur hodie Meriſſi, flantes non tantum a meridie; ſed a plaga etiam orientali. Bis in anno regnant, ſemel quidem tempore illo, quod a Paſchatos feſto, ad Pentecoſten extenditur, et iterum a menſe Nouembri, ad medium vſque Februarium.* Vbi ex §. 15, obſeruaſſe non poenitebit, hoc ipſum tempus, tyrannico regno Typhonis in Aegypto, a Sacerdotibus quondam aſſignatum fuiſſe. ** Illi vero venti, quos *Meriſſi appellant, ſunt ardentes, corrumpunt fruges, ac omnibus rebus damnum inferunt.* Latini Scriptores eum ſolent nuncupare *Eurum*, de quo COLVMELLA Lib. V. *de Re Ruſtica* cap. V. *Partes eius regionis* (Baeticae) *ſic infeſtantur Euro, quem incolae Vulturnum appellant, vt, niſi tegminibus vites opacentur, veluti halitu flammeo fructus vratur.* Nemo tremenda venti huius in regionibus Orientis effecta melius deſcripſit, THEVENOTO, illuſtri peregrinatore, qui fere ea tantum memoriae mandauit, quae viderat ipſe, atque expertus erat. Is igitur ea de re literis haec prodidit.

* WANSLEB *relation d'un voiage fait en Egypte,* p. 39. 40.

** Idem, ibid. p. 41.

dit. *In magnis Arabiae deſertis, inueniuntur nonnunquam canes, ac homines etiam, mortui atque integri, quos venti ingentes, qui tota maria arenae ſecum vehunt, obruerunt. Ex arenis illis homines emergere amplius non poſſunt: et quoniam arenae illae plurimum ſalis admixtum habent, corpora conſeruant, humoreque omni exuunt.* Et ** alio loco haec nos obſeruare vult. *Id vero in peregrinatione Meccana longe triſtiſſimum eſt, quod ſaepe oriantur certi quidam venti igniti, qui reſpirationem omnem intercipiunt, eoque magnam hominum multitudinem, breui tempore enecant. Videas in his itineribus homines camelis inſidentes, ſanos, cantantes ex Alcorano pericopas et inter cantandum ſubita morte correptos, in terram concidentes.* Illis, quae modo deſcripſimus, addamus et haec, quae auctor ille propria experientia edoctus, literis conſignauit. *** *Circa horam meridianam, tanta oriebatur in Birke,* (quae nonniſi quatuor leucis a Cahira diſtat) *tempeſtas, nam in deſertis ſabuloſis, tempeſtates excitantur non minus atque in patenti pelago, vt in itinere toto illo die pergere nobis non liceret. Venti qui tum ſurrexerat, tantus erat furor, impetusque tam vehemens, vt metuerem, ne tentoria noſtra omnia eſſet ablaturus. Tantam porro in nos effudit arenae copiam, vt parum abeſſet, quin nos totos obrueret.* In itinere eodem, et haec accidiſſe ſibi narrat. † *In itinere hocce, dum ab vrbe Suez, Cahiram contendimus, ventum perſenſimus, plus ſemel, tanto ardore flagrantem, vt tergum illi obuertere cogeremur, nonnihil reſpiraturi. Si quando os aperiremus, ſabulo totum illud nobis replebatur. Aquam eum in modum ventus calefecerat, vt igne co-*

ctus

* *Voiage de Levant* Part. I. Liv. II. chap. VI. p. 435. 436.
** Eodem Lib. cap. XX. p. 488. 489
*** Lib. eodem cap. XXIV. p. 511.
† Ibid. cap. XXXIV. p. 557.

ctus videretur. —— Impetus eius vehemens horas non totas ſex durabat, et ſi diutius nos afflare perrexiſſet, pars dimidia comitum noſtri itineris periiſſet. Sunt hi ipſi venti, qui anno ſuperiori, comitatui peregrinationis Meccanae tantum detrimenti attulerunt, vt vna nocte, ad bis millia hominum extinguerentur. Haec auctor eximius obſeruauit atque ipſe expertus eſt in Aegypto. Ab hoc argumento aliena non ſunt, quae idem in deſertis Meſopotamiae didicit, et de quibus iſta refert. * *Ventus ille appellatur Samiel. SAM nempe Arabibus venenum, et IEL Turcis ventum ſignificat. Samiel proinde ventum venenatum deſignat. Vero diſſimile non eſt, per* ** *VENTVM VRENTEM, IOBI* c. XXVII. v. 21. *intelligi hunc ipſum. Cum de venti huius indole multa quaeſiuiſſem, ab omnibus idem tuli reſponſum. Eſt nimirum ventus ille calidiſſimus, vimque ſuam exſerit, tempore aeſtiuo, in tractu, qui a Moſule ad Suratam vſque in India extenditur. Sentitur vero in continenti tantum, non autem in mari. Simulatque autem quis vento hoc afflatur, continuo exanimis concidit, niſi quod nonnunquam vnus vel alter, antequam efflaret animam, circumſtantibus voce querula teſtatus fuerit, ſe totum igne interno conſumi. — Aiunt in vento hoc ineſſe ignem ſubtilem tenuemque inſtar pili, a nonnullis viſum. Eos porro, quos radius ille ignitus attingunt, mori perhibent, reliquos nihil ſentire mali.* Eſt autem operae omnino pretium, hic monere, ventos huius generis ac indolis, a Graecis proprie appellari Τυφῶνας. Ita HESYCHIVS explicat: Τυφὼν ὁ μέγας ἄνεμος. Et illico poſt Τυφῶνος· πυρώδους δαίμονος. *Typhon dicitur ventus ingens et vehemens.*

* Idem Parte II. Lib. I. chap. XII. p. 182. 183. Adde CHARDINII itinerarium Parte IV. p. 22. Edit. Amſtel. 8.

** Videndae ad locum hunc, annotationes IO. CLERICI, et ALBERTI SCHVLTENSII.

hemens. Eo nomine venit Spiritus naturae igneae. Eundem ad modum, EVSTATHIVS ex Graecorum fabulis, * *Typhonem* interpretatur πνεῦμα θερμὸν, *ventum ardentem ac vrentem.* Sic etiam EVRIPIDES in *Phoeniſſis*, v. 1161. Τυφὼν vel Τυφὼς exponitur *turbo*, vel *ventus igneus.*

Ὁδ' Ἀρκὰς, οὐκ Ἀργεῖος, Ἀταλάντης γόνος
Τυφὼς πύλαισιν ὥς τις ἐμπεσὼν, βοᾷ
Πῦρ καὶ δίκελλαν, —

Arcas vero ille, non Argiuus, filius Atalantae,
Sicut (typhon, vel) *turbo quidam igneus, in portas irruens, clamat*
Ignem et ligonem.

Vbi et Scholia veteris interpretis conſuli poſſunt. Alia argumentum hoc illuſtrantia addemus, vbi ad Typhonis cognomina peruenerimus.

§. 21. Videmus igitur, Graecos voce *Typhonis* eodem fere ſenſu vſos eſſe, quem apud Aegyptios habuiſſe contendo. PLVTARCHVS itaque, vocem hanc origine graecam eſſe, aſſeuerat, et pro tali haberi vult, in libro *de Iſide et Oſir.* poſt init. Vult autem, Τυφῶνα proprie ſignificare τετυφωμένον, *faſtu inflatum.* Obſeruationi huic aliqua ratione fauere videtur HELLANICVS, Scriptor peruetuſtus, vt qui Genium malum Aegyptiorum, non *Typhonem* nominet, verum *Babyn.* Vide ſupra §. 7. Ex quo coniicere pronum videri poſſet, *Babyn* eſſe nomen Aegyptiacum et genuinum, ** aliis quoque memoratum, illius Genii, quem Graeci poſtea *Typhonem*, ob conuenientiam cum ſuo *Typhoeo*, de quo §. 2, nuncuparunt. Sed HELLANICO opponimus HERODOTVM, Scriptorem eiuſdem aetatis diligentem, ac plerumque accuratum. Is nomina Deorum Aegyptiorum

Typhon vox eſt Aegyptiaca, ſignificans ventum corruptorem.

* In Homeri Iliad. A. p. 157. fin.
** Vide infra §. 23.

ptiorum patria omittere non ſolet, et *Typhonem* tamen, alio quam hoc nomine, quoties eius mentionem iniicit, non compellat. Non nego, malum hunc Genium, Aegyptiis dictum quoque fuiſſe *Babyn*. Sed id cognomen tantum fuiſſe opinor, qualia ipſi plura ab Aegyptiis fuiſſe impoſita, mox videbimus. At nomen, quo communiter in Aegypto, ab omnibus inſigniri ſolebat, erat, me quidem iudice, *Typhon*. Neque exiſtimare poſſum, nomen hoc e Graecia perueniſſe in Orientem; verum vice verſa, ex Oriente in Graeciam tranſiiſſe, docet vox Hebraeis valde vſitata סופה, *Supha*, id eſt *turbo*, ventus commouens et conſumens obuia quaeque, vel, vti * laudatiſſimus Scripturae interpres, *Turbo radens et verrens*. Vide librum IOBI cap. XXI. 18. XXVII. 20. Pſ. LXXIII. 16. in quibus omnibus, vti nec minus aliis ſimilibus locis, ventum hunc סופה accipi videmus, pro terribili effectu irae diuinae, maloque longe grauiſſimo. Voce autem iſta, ventum ſignificari eum, qui in deſertis potiſſimum Aegypti et Arabiae dominatur, ſubinnuunt haec IESAIAE, cap. XXI. 1. ex verſione CAMPEGII VITRINGAE: *Vt turbines auſtrales* (כסופות בנגב) *magno impetu irruunt. E deſerto venit, e terra terribili*, ad quem locum ſummus Theologus obſeruat, ſermonem eſſe de vento, qui alias in Scriptura dicitur קדים, *ventus orientalis vrens*, quique in deſertis tantas ſtrages edit. EVTYCHIO *Batricidae*, Patriarchae Alexandrino, ventus, vt videtur, idem, dicitur طوفون, *Typhon*. Verba eius haec ſunt: ** *Immolabant homines* (temporibus Seruchi) *filios ſuos et filias Daemoniis. Immiſit autem Deus in illos ventum procelloſum. Et fuit Typhon* (طوفون), *ventus*.

* ALB. SCHVLTENSIVS in *Iobi* cap. XXVI. v. 18.

** Apud SELDENVM de *Diis Syris*, Prolegom. cap. 3. pag. 48.

ventus. Literas autem T, et S, in Orientalium linguis, non minus, quam in graeca, frequenter inter ſe commutari, rerum harum ſtudioſi non ignorant. Mihi igitur, donec meliora et certiora edocear, *Typhon* vox erit Aegyptiaca. Si cui iam in mentem forte veniat, vocem hanc, quam in hebraica et arabica lingua deprehendimus, ex antiquiſſima illa dialecto ſupereſſe, qua Noachidae, in Aegypto etiam, vſi ſunt, antequam formaretur, multisque modis excoleretur Aegyptiaca, Miſraimi poſteris deinceps propria, me non inueniet repugnantem. Poteſt tamen vox iſta, et ex lingua Aegyptiaca, non incommode explicari. Diximus nempe §. 14. et 18. ⲑⲏⲟⲩ ϥ-ϩⲱⲟⲩ, *theu-ph-hou,* Aegyptiis ſignificare *ventum malignum, nociuum*, vnde Graeci, *Typhonem*, et *Typhoeum* ſuum facile potuerunt conficere. Ceterum cum ⲫⲱⲛ, (*phan*) Aegyptiorum ſermone dicatur, *conuertere*, *peruertere*, et *euertere*, Pſalm. LXVI. 6. Matth. XVII. 17. poteſt *Typhon* etiam exponi ⲑⲏⲟⲩ ⲫⲱⲛ, *Theu-phon*, id eſt *ventus euertens*, vel *peruertens*, quod inprimis turbini conuenire, cuiuis liquet. Lego vero *Geneſ.* XLI. 23. ἀνεμόφθορον, quod vulgatus interpres reddidit *percuſſum vredine*, et *percuſſum vento vrente* in verſione Coptica exprimi ϫⲱ-ⲫⲉϩ, *Dſo-pheh.* Si lectio haec recte et bene ſe habet, * de quo quis dubitare poſſet, ϫⲱ idem eſſet, quod alias ⲑⲏⲟⲩ, dicitur, id eſt *ventus*, ⲫⲉϩ, (*pheh*) vero, vel ⲫⲟϩ, (*phoh*) nam vocales in lingua Aegyptiorum miri-

* Nam cum vox illa capite citato ſaepius occurrat, vſ. 6. et 24. legitur ϫⲓⲙⲫⲉϩ. Solo verſu 23. deprehendimus ϫⲱⲓⲫⲉϩ, quod videri poteſt ex ϫⲓⲙⲫⲉϩ corruptum.

mirifice inter ſe permutantur, ſignificabit *corrumpere.* Poſſet igitur iure optimo, et ſeruando analogiam linguae Aegyptiacae, ⲐⲎⲞⲨ-ⲪⲞϨ, *Theuphoh*, vel *They-phoh*, latine explicari *ventus corruptor.* Et eum re ipſa omnia corrumpere, intel[illegible]eximus §. 20.

ab … s … a- … o- … iod … gi- … cem ſi- gnificat.

§. 22. Venio nunc ad cognomina quaedam Typhoni olim ab Aegyptiis addi ſolita, quae vel indolem illius, vel potentiam, vel facta nonnulla declarant. Ea inter primo loco hic commemorabo cognomen *Apopis*, cuius notitiam PLVTARCHVS nobis in his conſeruauit. * *Alia etiam apud Aegyptios fertur fabula, Apopin Solis fratrem bellum mouiſſe aduerſus Iouem, Oſiridem vero a Ioue, cui in hoſte debellando, auxilium tuliſſet, ab hoc filii loco adoptatum, Bacchumque fuiſſe appellatum.* Per *Iouem*, ſiue *Ammonem*, intelligendum eſſe *Solem*, qui ex hemiſphaerio inferiori, ad noſtrum ſuperius redux, in Aequinoctio verno, vires ſuas reficit, ** ſuo loco, adductis pluribus rationibus, ad liquidum deduximus. Huic, dum in hemiſphaerio inferiori adhuc haeret, et vbi primum ex illo ad ſuperius emerſit, *** certamen graue intercedit cum Typhone. *Apopis* igitur in hacce fabula, alius non eſt, quam *Typhon*, quod pluribus mox argumentis euincemus. *Ioui* vero auxilium fert *Oſiris*, qui et ipſe eſt Sol; verum hic quidem, in gloria et potentia maxima conſpicuus. Nam *Sol*, poſtquam ab Aequinoctio verno vlterius progrediens, nouum indies maiusque robur acquirit, † *Typhonem* tandem ſuperat, ac ad incitas redigit. Dixi *Apopin* alium hic intelligi non poſſe, quam *Typhonem*. Id ipſe fabulae ſenſus, quem ex Theo-

* PLVTARCHVS de Iſide p. 365.
** Supra Lib. II. cap. II. §. 5. 6. etc.
*** Vide ibid. cap. III. §. 10. 11. et cap. IV. §. 5.
† Vide ibidem cap. IV. §. 5.

Theologia mythica Aegyptiorum paucis nunc explicui, per ſe ſatis loquitur. Idemque ex Scriptore noſtro, quem ad teſtimonium vocauimus, nullo negotio oſtendere poſſumus. Etenim is illo, ex quo paucula excerpſimus, loco, *Typhonis* fabulam explicare annititur. De *Typhone* illic locutus erat, et tum haec ſubiungit: *Alia etiam apud Aegyptios fabula fertur de Apopi*, qua nempe id quod de Typhone adſtruxerat, illuſtrare vult. Paulo poſt etiam ad Typhonem reuertitur. Fabulam autem de *Apopi*, fratre Solis, hunc in modum explicat: *Apopis eſt ſicca et ignea natura. Ea vero non eſt Sol, ſed quandam habet cum Sole cognationem.* Ita vero PLVTARCHVS ſaepiſſime loquitur de Typhone, quando fabulas de eo Sacerdotales explicare ſatagit. Vide §. 17. Quis porro in Theologia Aegyptiorum mythica, Solis dici poterat et frater et hoſtis, niſi vnus Typhon, cui vtrumque hoc proprium erat? Omnium maxime vero, id quod dixi, ex ipſo *Apopis* nomine Aegyptiaco confici et probari poteſt. Monendum hic tantum nobis eſt, nomen illud, Aegyptiis ſatis familiare, ſed Graecis minus cognitum, haud ſemper eodem modo ſcribi atque efferri. PLVTARCHVS habet *Apopis*, quod vidimus. * In Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS, illud ipſum nomen ſcribitur *Apappus*, quod auctor ille praeſtans interpretatur *μέγιϛον*, *maximum*, quod de mole et magnitudine corporis ſingulari intelligendum eſſe, ex vſu linguae Aegyptiacae pateſcit. In MANETHONIS Dynaſtia XVII. apud SYNCELLVM p. 61. nomen idem ſcribitur Ἄφοβις, vel vti in margine corrigitur Ἄφωφις, *Aphophis*. IOSEPHVS Lib. I. *contra Apionem*, prolixum ex MANETHONE locum adducit, vbi rex ille appellatur Ἄπωφις,

 Apo-

* Vide *la Chronologie Sacrée* de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 753.

Apophis. Graeci Latinique nomen idem efferre ſolent *Epaphum*, tametſi Apidem et *Aphophin* inuicem confudiſſe videantur. Inter varios hos, vnam vocem pronuntiandi, modos, non ſine ratione illum praefero, qui apud MANETHONEM, gente Aegyptium, reperitur. Is enim nomen hoc ſcribit aut Ἄφωφις, aut Ἄπωφις, in cuius vera interpretatione, nemo linguae Aegyptiacae gnarus aberrare poteſt. Etenim, quod etiam ante permultos annos, B. LA-CROZIVM obſeruaſſe, mihique dixiſſe meminit, in illa lingua, ⲁⲫⲱⲫ, *Aphoph*, *gigas* dicitur, in verſione Scripturae Coptica, *Geneſ.* X. 8. 9. *Pſalmo* XIX. 5. XXXIII. 16. In dialecto vero Aegypti ſuperioris vox eadem ſcribi ſolet ⲉⲡⲱϥ, *Epoph*, vel *Apoph*. Ex his iam colligere facile eſt, *Apopin*, vel *Aphophin*, vel *Apophin*, nihil aliud ſignificare, quam *gigantem*. Graeci *Typhoeum* ſuum gigantem fingebant magnitudinis horrendae. Vide §. 2. Et in vniuerſum Theologis priſcis, in more poſitum erat, vt Deorum inimicos, nobis repraeſentarent, tanquam gigantes immanes, qui robore ſuo et viribus abuſi eſſent. Trita ſunt illa OVIDII, *Metamorph.* Lib. I. v. 151.

Neue foret terris ſecurior arduus aether;
Affectaſſe ferunt regnum coeleſte Gigantas:
Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.
Tum pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine, et excuſſit ſubiecto Pelio Oſſam.

Quibus ſimilia apud Poëtas tantum non omnes, oppido frequenter leguntur. Talia etiam in Theologia gentium Orientalium perhibebantur, vnde Theologo cuidam Anglo doctiſſimo, vero non diſſimile videtur, * Hebraeos alludendo ad notiſſimam omnibus doctri-

* IOSEPH MEDE'S Diatribae, Vol. I. p. 132. etc. Edit. Londin. 1642. 4.

doctrinam Orientalium, locum damnatorum dixiſſe קהל רפאים, *coetum gigantum*, vel *congregationem impiorum*, *Deique inimicorum*. Huiusmodi qui Aegyptios quoque de *Typhone*, immani Deorum inimico finxiſſe, tanto eſt probabilius, * quod Orientalibus in vniuerſum, et Aegyptiis ſigillatim ſciamus perquam familiare fuiſſe, vt eos, qui inſigni corporis robore, aut potentia ingenti, inter alios eminuiſſent, *gigantes* metaphorice appellarent. Quando igitur ex fabulis Aegyptiorum ſacris referri videmus, ** *Iſidis aetate fuiſſe*, *qui corporum immenſa magnitudine praecelluerint*, *eosque a Graecis gigantes vocari*, *ab Aegyptiis vero monſtroſum in modum exornari*, *et flagellari*, itemque, *** *Diis*, *qui ab initio extiterunt*, *praeualuiſſe poſtea multitudinem et improbitatem hominum terrigenarum*, nec minus, **** *Herculem* Aegyptiorum *gigantes interemiſſe*, *cum coelo propugnaret*, *quaſi virtus Deorum:* et alia inſuper huius farinae, dubium nemini eſſe poteſt, quin *Typhon* in his deſignetur. Dicebatur enim *Aphophis*, idque *gigantem* indicat. Doctrina haec Aegyptiorum vetus, perquam ſimilis eſt fabulis quibuſdam myſticis Brachmanum in India, quorum maiores Sacerdotum Aegyptiorum extiterunt diſcipuli. In Lege horum Brachmanum ſacroſancta, quam appellant *Wedam*, Europaeis hactenus de ſolo nomine nota, ſed qua tandem, poſt multos fruſtraneos conatus, et non ſine plurimis difficultatibus, potiti ſunt Miſſionarii Danici, in India Orientali, continentur † *precationes quaedam*, *quotidie aduerſus Gi-*

G 3 *gantes*,

* Vide la *Chronologie de Mr.* DES VIGNOLES, loc. cit. p. 754.

** DIODORVS p. 23.

*** Idem p. 77.

**** MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. 20.

† *Relationes Miſſionariorum Danicor.* Continuat. XLVI p. 1255.

gantes, cum Sole pugnantes, dum ſacrificium matutinum peragitur, recitari ſolitae. En! profecto, *Apopin* Theologiae Aegyptiacae, cum *Ioue Ammone*, id eſt *Sole verno* belligerantem.

Typhon cognominabatur etiam ... que ... b. ... ca... nis ſubterraneis erumpentem.

§. 23. Eſt aliud *Typhonis* cognomen, in Aegypto, vt videtur, vſu frequenti et familiari receptum, *Bebon* nempe, vel vt alii id efferunt, *Babys*. Erant, * qui nomine hoc non *Typhonem* ipſum intelligi affirmarent; ſed aliquem ex eius ſociis et amicis. Et hi nomen iſtud Βεβαιῶνα efferebant, videbanturque nomen Aegyptiacum, ad ſonum linguae graecae torquere voluiſſe. Et hinc noſtra aetate, vir quidam eruditus, linguaeque Copticae haud imperitus, occaſionem arripuit, ** nomen illud ex Graecorum lingua interpretandi, tanquam *βέβαιων*, nihil aliud eſſet, quam Graecorum *βέβαιος*, *firmus ac ſtabilis*. Verum rectius multo, MANETHO, Sacerdos Aegyptius, nomen hoc, ex antiqua Aegyptiorum Theologia depromtum, *** docuit eſſe ipſius *Typhonis* cognomen, efferendum *Βέβων*. HELLANICVS etiam, auctor graecus; ſed MANETHONE haud parum antiquior, nomen idem, a Sacerdotibus Aegyptiis vulgatum, **** *Βάβυν* ſcripſit. Sacerdotes igitur in fabulis ſuis myſticis, Genium hunc *Babyn* ſolebant nuncupare. Vocis autem huius Aegyptiacae ſignificationem PLVTARCHVS p. 71. ex MANETHONE, vti credibile eſt, talem ſuppeditat. *Significatur voce* Bebonis, *detentio*, *coërcitio*, *et prohibitio*, *quod rebus recta via incedentibus*, *et ad finem ſuum tendentibus*, *vis Typhonis obſiſtat.* In eo facile aſſentior PLVTARCHO, *Bebonem* ſubinnuere

* PLVTARCHVS de Iſide et Oſir. p. 371.
** In Collectione Orationum Dominicalium, in diuerſas linguas verſarum, Chamberlayniana p. 100.
*** Apud PLVTARCHVM p. 376.
**** Locum eius attuli, ſupra, §. 7.

nuere aliquid, quod *detinetur*, *coërcetur*, atque *prohibetur*; ſed hanc ſignificationem non ſatis aſſecutus eſt, certe non ſatis apte expreſſit. Vt vero meam de vera ſignificatione huius vocis ſententiam, luculentius aperiam, ſciendum eſt, auita Aegyptiorum dialecto, ⲂⲎⲂ, *Beb*, vel *Bab*, dici *ſpeluncam*, vel *cauernam ſubterraneam*, in qua quid cuſtodiri, detineri ac coërceri poteſt. Inde formari analogice potuit ⲂⲎⲂⲒ, *Bebi*, vel *Babi*, ſignificans id, quod *in ſpelunca*, vel *cauerna* detinetur. Hinc eſt ſine dubio *Babys* HELLANICI. Alii extulerunt Βέβωνα. Sed pergamus in explicando hoc cognomine. Per *Typhonem* exiſtimauerim, Aegyptios deſignaſſe *ventum terreſtrem*, vel qui ſuper terram flat; *Babys* vero, ſicuti opinor, *ventum* ſubinnuebat ipſis *ſubterraneum*, *in cauernis latentem*, ibique detentum. Poëtae Graeci Romanique fingunt, eſſe aliquod antrum vaſtae magnitudinis, in quo ventos omnes Aeolus detineat

* —*hic vaſto rex Aeolus antro*
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere fraenat.

Et quae ibi plura ſequuntur. En *Typhonis detentionem et coërcitionem*, Sacerdotibus memoratam; ſed PLVTARCHO minus intellectam! Quando igitur Aegyptii *Typhonem* cognominabant *Babyn*, id omni procul dubio intelligebant de vento aliquo ſubterraneo, in ſpeluncis cauerniſque profundis latitante. Graecos tale quid affirmaſſe de *Typhoeo*, ex §. 5. perſpici poteſt. Diximus loco eodem, ſimilia de *Typhone* Aegyptio tradi quoque conſueuiſſe, vnde potuit euenire, vt hi duo tanto facilius inter ſe confunderentur. Verum, quod ex locis illis adductis,

 pari-

* VIRGILIVS Lib. I. Aeneid. v. 56.

pariter liquet, Graeci *Typhoeo*, ſpeluncam aſſignabant in monte quodam Ciliciae; Aegyptii vero *Typhoni* ſuo in lacu *Serbonide*, quem ideo Τυφῶνος ἐκπνοάς, *exhalationes Typhonis* vocitabant, §. 10, aut, quemadmodum ſuſpicor, in cauerna, ex qua deinde *Typhon*, vel *Babys*, id eſt *ventus ſubterraneus*, facto impetu vehementiori, quem terrae motum vocant, lacum Serbonidem produxit, eumque per * celebratum veteribus ἔκρηγμα, quaſi dicas *eruptionem*, vel *emerſum*, vti PLINIVS loqui maluit, cum mari mediterraneo coniunxit. Ex eo videtur etiam explicanda eſſe fabula Sacerdotalis de *Typhone*, qui ** *neque iuſto tempore, neque loco proprio ex vtero matris prodiiſſet; ſed latere illius vi perrupto, exſiliiſſet.* Hoc ad Typhonem, e cauerna vi erumpentem, hocque modo lacum Serbonidem efficientem, tanto rectius transferri poſſe exiſtimo, quod ſciam, ſimilia fere de *Typhone*, olim tradidiſſe etiam incolas Syriae, accepta, vt veroſimile eſt, ab Aegyptiis. Nempe Orontes fluuius, vt ferunt, olim Typhonis nomine inſigniebatur. *** *Et huic loco Typhonis fulmine icti fabulam affingunt. —— Aiunt draconem fuiſſe, et fulminibus ictum, dum fugae latebras quaereret, tractibus terram ſecuiſſe, et, vt fons perrupta terra prodiret, effeciſſe.* Huic rei non valde abſimile eſt, quod in Corico, Ciliciae monte, vbi Typhonis oſtendebatur cubile, §. 5, eueniſſe, docet SENECA Quaeſt. Natur. Lib. III. c. 10. *Hoc accidiſſe ait Theophraſtus, in Corico monte, in quo poſt terrarum tremorem noua vis fontium emerſit.* Etenim, **** *ex concauis ſpeluncarum altitudinibus, nonnunquam erum-*

* Vide CELLARII *Geographiam antiquam Africae* p. 38.
** PLVTARCHVS de Iſide p. 355.
*** STRABO Lib. XVI. p. 516.
**** CHR. MYLAEVS in *hiſtoria Naturae*, in *artis hiſtoricae penu*, To. II. p. 45.

erumpunt venti, calidis et ſiccis reſpirationibus excitati, et concepti intus multiplices, ac diuerſorum effectuum ſpiritus atque ignes: qui cum ſunt violenti, exitum quaerentes, efficiunt, vt terrae diſcedant: inde ſunt, graues terrarum vaſtitates, et repentini hiatus. Recentiores noſtri Philoſophi, * rationes phaenomeni huius multo diſtinctius explicant; ſed veteres tamen rem ipſam, non omnino ignorarunt. Idem etiam eueniſſe circa Serbonidem lacum, fuit omnino veterum Aegyptiorum perſuaſio, quod ex modo dictis non ita obſcure colligitur. Cauſam huius calamitatis tribuebant *Typhoni*, id eſt vento vehementi atque ignito, quem etiam cognominabant *Babyn*, quoniam in cauerna ſubterranea profunda delituerat, et ex ea tandem cum vehementi impetu prorumpens lacum effecerat. Vero etiam mihi videtur ſimile, illum terrae motum, qui lacum Serbonidem effecerat, vrbem quoque eo ipſo in loco olim aedificatam, ſubuertiſſe, quod ſaepenumero vſu veniſſe, docet omnium Seculorum hiſtoria. Veteres euentus huius generis attribuere ſolent *Typhoni* vento. Quando igitur HESIODVS in *Theogonia* finxit, Typhonem congreſſum eſſe cum Echidna, habitante in ſpecu ſubterraneo, id hunc in modum allegorice interpretantur: ** *Dicitur tetra Echidna infra terram coërceri ac volutari, quoniam in concauis terrae locis nunquam deficiunt ſpiritus et venti. Illi vero Typhon miſcetur, —— quandoquidem, ſi accedant venti ac Typhones vehementiores, et ad terrae motus procellae ſe iungant, integrae vrbes aqua mergi ſolent.* Vide et ibidem antecedentia. Ad

G 5 Serbo-

* Vide illuſtris WOLFII vernünftige Gedanken von den Wirkungen der Natur §. 383. PLVCHE Spectacle de la Nature, To. III. p. 268. 269. et alii.

** IOHANNES DIACONVS in *Scholiis* ad Theogoniam, Pag. CXXXVI. a. Edit. Trincauelli. Verba, breuitatis ſtudio, ex graeco conuerſa, latine adſcripſi.

Serbonidem lacum vt reuertar, nouimus ex MANETHONE, (§. 10.) in illo tractu, tempore antiquiſſimo, ſitam fuiſſe vrbem, nomine *Auarin*, quae et in traditionibus vetuſtorum Theologorum dicta fuerit *Typhonia*. MARSHAMVS ſuſpicatur, vrbem illam eſſe *Peluſium*, quod profecto aliqua veri ſpecie lectoribus ſe commendat. Sed res tamen haec argumentis certis, omnique exceptione maioribus, confecta nondum eſt. Eodem iure dicere mihi licebit, vrbem *Typhoniam* ſtetiſſe quondam eodem in loco, e quo poſtea lacus Serbonis emerſit, et eam quidem ob cauſam, dictam fuiſſe *Typhoniam*. Nam in illo loco Typhon credebatur aquis fuiſſe merſus, ipſumque lacum Aegyptii appellabant *Exhalationes Typhonis*, §. 10. Ex quo concludere integrum mihi erit, igneas illas exhalationes, quae olim terrae motum excitauerant, aliqua ex parte illic perduraſſe, et perſentiſci ſaepius potuiſſe. Docet id verbis conceptis Scriptor graecus, etſi res Typhonis cum fabulis Graecorum de Typhoeo confundat. * Verba eius ſunt: *Dicunt Typhonem, fulmine percuſſum aufugiſſe, inque lacum Aegypti Sirbonidem lapſum, vſque ad fundum pertigiſſe, atque illic ab ardore conſtringi. Et ſane lacus ille exhalationes calidas emittit, quippe in quo Typhon exuſtus iaceat.* Et videtur omnino lacus hicce, magnam cum lacu Aſphaltite, in Iudaea, affinitatem habuiſſe, ac ſimilitudinem, vt proinde STRABO, quod eruditi dudum et ſaepe obſeruarunt, vtrumque inter ſe confuderit. Credibile eſt, lacum etiam Serbonidem, non minus ac Aſphaltitem in Iudaea, bitumen protuliſſe, quo Aegyptii veteres ad condienda ſuorum corpora vſi fuerint, quod teſtatur STRABO Lib. XVI. p. 526. etſi ſermonem de lacu Aſphaltite in Palaeſtina ſermonem inſtituerit, teſtan-

* Vide ſupra §. 10.

teſtanturque idem * Scriptores veteres Arabes. Ea quae dixi, ex ipſo nomine *Serbonis*, nouum robur acquirunt. Etenim ϫⲉⲣ, *Ser*, Aegyptiorum ſermone dicitur *ſpargere*, vel *diſpergere*. ⲃⲱⲛ vero iisdem ſonat foetidum. In *Liturgia* BASILII, qua vtuntur Copti, manu exarata, legitur ⲥⲑⲟⲓ ⲃⲱⲛ ⲛ̀ⲧⲉ ⲫⲛⲟⲃⲓ, *odor foetidus*, (vel *foetor*) peccati. Eſſet igitur ϫⲉⲣ-ⲃⲱⲛ, *Ser-bon* lacus, *qui inſignem emittit, ſpargitque foetorem.* Vnde addita terminatione graeca, *Serbonis*. In eo autem, lacus hicce Serbonis prorſus ſimilis fuiſſe videtur lacui Aſphaltitae Palaeſtino, de quo teſtantur ** veteres, ſicuti nec minus *** recentiores, quod aqua illius ſit *ſumme foetida, odorque is moleſtus ad multa ſtadia diſpergatur.* Sed haec de *Baby* ſufficiant.

§. 24. Commemorant veteres, praeter illa, quae attulimus, aliud quoque *Typhonis* cognomen, Σὴθ videlicet, *Seth.* PLVTARCHVS mentionem illius quoque fecit, in libro *de Iſide et Oſir.* p. 367. *Aegyptii Typhonem Seth nominant, quo ſignificatur is, qui alium dominio premit, vique ſubigit.* Eadem fere repetit p. 371. vbi verba graeca ita habent: Καὶ τοὔνομα κατηγορεῖ τὸ Σὴθ, αὖ (legendum ᾧ) τὸν Τυφῶνα καλοῦσι· φράζει μὲν τὸ καταδυναστεῦον καὶ καταβιαζόμενον· φράζει δὲ τὸ (lege καὶ) πόλλακις ἀναστροφὴν, καὶ πάλιν ὑπερπήδη·

Aliud Typhonis cognomen erat Seth, de quo nonnulla adferuntur.

* MAILLET *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 129. 130. Edit. in 8vo.

** DIODORVS Lib. XIX. p. 734. TACITVS Hiſtor. Lib. V. c. 6. 7.

*** *Peregrinatio* Principis RADZIVILII p. 103. *les Voiages* de THEVENOT, Part. I. p. 611. POCOCK'S *Deſcription of the Eaſt*, Vol. II. Part. I. p. 37. et alii.

πηδησιν. *Et ipſum nomen Seth, quo Typhonem compellant, rem hanc arguit. Notat enim id, quod vi rem ſubigit, illique dominatur. Saepe etiam conuerſionem ſignificat, et nonnunquam tranſilire, eadem voce indicatur.* Meminit rei eiuſdem et p. 376. Mihi, vt quod res eſt fatear, haec omnia valde obſcura videntur, neque ſatis intelligo, quomodo cum reliquiis linguae Aegyptiacae, quae in Coptorum libris ſuperſunt, commode conciliari queant. Et plus ſemel, in hoc noſtro *Pantheo* oſtendendum fuit, bonum hunc Scriptorem, aut incidiſſe in auctores minus peritos, aut interpretationes vocum Aegyptiacarum, alicubi lectas, vel auditas, non omnino recte cepiſſe, aut etiam verbis non ſatis commodis expoſuiſſe. DODWELLO, viro vndecunque doctiſſimo, ſed ad excogitandum paradoxa nimis ingenioſo, lectis PLVTARCHI de hoc argumento obſeruationibus, in mentem venit, * *Seth* eſſe nomen *Solis*, *Typhonem* vero lucidiſſimi huius Aſtri Symbolum, ideoque cognominatum fuiſſe *Seth*. Verum in omnibus his a vero longe aberrauit, vir praeſtantiſſimus. Nam ** *Seth* PETOSIRIDIS, ad quem prouocat, non *Solem* deſignat, verum *ſidus caniculae*. Et *Typhon* ſymbolice non deſignauit *Solem*, etſi olim nonnulli id ſibi imaginarentur, abſurditatis ea de cauſa poſtulati a PLVTARCHO p. 372, et iure merito, verum hoſtem *Solis* infenſiſſimum, quod capite hoc, ſatis demonſtrauimus. Multae quidem et mihi hic oboriuntur coniecturae; ſed de quibus nihil cum aliquo certitudinis ſenſu affirmare auſim. Igitur pauca tantum proferam. Nempe CHT, *Set*, Aegyptiis ſonat *infra*. Inde

* Vide illius *Diſcourſe concerning Sanchoniathon's Phoenician hiſtory* p. 26. 27.

** Vide ſupra Lib. III. cap. II. §. 11.

Inde eſt Ⲓ - ⲤⲀ - ⲠⲈⲤⲎⲦ, *ire verſus id, quod eſt infra*, id eſt, *deſcendere.* Occurrit haec vox *Deuteron.* cap. XXVIII. v. 13. vbi Textus originalis hunc ſenſum fundit: *Eris ſupra, et non ſubter*, vel *infra.* Adde illic v. 23. et 43. Hinc ⲦⲀⲆⲞⲞ ⲈⲠⲈⲤⲎⲦ, eſt καταβάλλειν, *deiicere*, et *deprimere.* SIRACID. cap. I. v. 29. aut 30. Ex eo aliqua ratio reddi poſſet, cur PLVTARCHO quidam nomen illud interpretati fuerint, *cui quis dominatur*, vel, *qui vi ſubigitur.* Intelligi nempe poſſet ventus *inferior*, *qui infra terram in cauernis et antris coërcetur, atque fraenatur.* Quo ſenſu *Seth* Aegyptiis idem omnino fuiſſet cum *Baby*, de quo §. 23. diximus. Alia nominis iſtius interpretatio in mentem olim venit, Beato, mihique amiciſſimo LA-CROZIO, cum ante annos permultos, de hoc Typhonis cognomine, mecum diſſereret. Credebat nomen illud Σήθ, Coptice ſcribendum eſſe ⲤⲎϪ, quod quidam *Ses*, alii *Seth*, pronuntiaſſe videntur, eaque voce ſignificatur *pullus aſini*, Geneſ. XLIX. 11. Matth. XXI. 2. 5. 7. etc. Supra vero §. 11. monuimus, *aſinum* Aegyptiis Symbolum aliquod *Typhonis* fuiſſe, vnde *Typhonem*, lingua myſtica Sacerdotali, non incommode *aſinum*, vel *pullum aſini*, cognominare potuerunt. Appoſite admodum ea quae dixi, illuſtrari poſſunt ex EPIPHANIO, qui cognomen Typhonis *Seth*, cum *aſini* denominatione coniungit. * Πῆ μὲν, inquit, τῷ ὄνῳ εἰς ὄνομα τοῦ Σὴθ, τοῦ Τυφῶνος τελετὰς ἐργάζονται. *Alicubi aſino ſub nomine Seth, id eſt Typhonis, Sacra ritibus conſuetis faciunt.* Ingenioſam ſane doctamque inprimis eſſe hanc viri ſummi obſeruationem, quis negare auſit? Eam igitur aliis praeferam, donec meliora quis docuerit.

§. 25.

* Lib. III. *aduerſus haereſes* p. 1093. fin.

De cognomine eiuſdem Smy, quaedam adduntur.

§. 25. Finem capiti huic imponet cognomen aliud, quo ab Aegyptiis Typhonem inſignitum fuiſſe, PLVTARCHVS docet, Σμὺ nempe, i. e. *Smy*. Ita enim ſcribit p. 367: *Typhon autem Seth appellatur et Bebon, ſicuti dictum eſt, ac inſuper Smy: quibus verbis indicatur violenta quaedam inhibitio, contrarietas, aut inuerſio.* Qui verba haec legit, non poteſt non illico animaduertere, PLVTARCHVM tribus Typhonis cognominibus, *Seth* nempe, *Bebon*, et *Smy*, eandem ſignificationem obtrudere, eaque proinde inter ſe confundere. Nemo itaque vitio nobis vertet, quod huius interpretationis rationem nullam habeamus. Neque etiam theſaurus linguae Copticae, hactenus mihi quicquam obtulit, quod interpretationi huic vocis *Smy*, fauere poſſit. Recentiorum quorundam hariolationes, quae meros verborum luſus continent, hic praetereundas eſſe opinor. Neque vero etiam ego erudito lectori polliceri queo, me interpretationem allaturum eſſe, quae maiori certitudinis et veritatis ſpecie ſe commendet. Ex PLVTARCHI teſtimonio nihil niſi hoc certo ſcimus, Typhonem Aegyptios cognominaſſe *Smy*, quae vero ſit cognominationis huius ratio, id ex eo, diſci profecto non poteſt. Offeram tamen interpretationem aliquam, cui et vetus Aegyptiorum lingua, et res ipſa, ſiue quod de Typhone obſeruauimus, et rationibus non inidoneis aſſeruimus, magnopere fauet. Nempe ϣⲟⲙ, *Som*, Aegyptiace dicitur λεπτὸν, quod *tenue*, *ſubtile* admodum, et *minutum* eſt. *Geneſ.* XLI. 3. 6. 23. etc. *Exodi* IV. 10. VI. 30. Idem quoque, quia literarum tranſpoſitio in vocibus linguae Aegyptiacae locum non raro habet, efferri potuit ϣⲙⲟ, *Smo*, aut etiam ϣⲙⲟⲩ, *Smu*. Certe hoc ſenſu ϣⲙⲁ, *Sma*, occurrit, *Exodi* XXXII. 20.

Pſalmo

Pſalmo XVIII. 42. XXIX. 6. vbi ſignificationem habet, *attenuandi*, et *minutum* valde ac *ſubtilem* efficiendi. Non incommode igitur, *Smy* exponi poteſt, aut *tenuis*, ſiue *ſubtilis* valde, aut etiam vehementer *attenuans*. Exempla allata id quod dixi, egregie confirmant. Haec vero expoſitio *Typhoni*, ſiue *vento Orientali*, *vrenti* in deſertis Aegypti et Arabiae perbene congruit. Nam ventus ille merito dici potuit λεπτὸς, *tenuis valde* et *ſubtilis*, cum praecipua eius vis poſita ſit * in *igne ſubtili*, qui viſum fugit, aut, ſi etiam oculis vſurpetur, craſſior non apparet pilo, in capite hominis. Praeterea ventus ille ſabulum ſecum vehit, aut *pulueren* ** *adeo tenuem ac ſubtilem, vt omnia penetret*, nihilque ipſi imperuium ſit. † *Ad ipſas placentas inuolucris lineis obtectas, non penetrat modo; verum eas ipſas etiam permeat, et totas intus implet.* Neque minus ventus is idem aptiſſime dici poteſt *attenuans* res alias. Experientia enim docuit, †† *peregrinatores*, in quos ille irruit, impetu illo, *vſque adeo, attenuari, tamque macilentos reddi, vt domum reduces, a ſuis agnoſci vix queant.* Quis non intelligit, *Typhonem*, ventum illum furentem, ab iſta proprietate, quae ipſi inerat, et ab hoc effectu, qui toties obſeruatus eſt, dici potuiſſe *Smy*? Ita ſaltem coniicimus. Meliora vero et ſolidiora docentem, libenter audire, et ſequi etiam, parati ſemper erimus.

* *Voiage* de THEVENOT, Part. II. p. 183.

** Idem, ibidem, To. I. p. 511. 512.

† Idem, ibid. To. I. p. 489.

†† Idem, ibid. To. I. p. 489.

CAPVT

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT III.

De Nephthy, Typhonis vxore, et Thueri pellice eiuſdem.

Vxor Typhonis dicebatur, Nephthys. Fabula de ea Sacerdotalis refertur. §. 1. Nephthyn quidam interpretabantur olim Venerem, quod cum cautione capiendum. §. 2. Re ipſa per Nephthyn, Aegyptiorum Theologi, illam intelligebant terrae Aegypti partem, quam mare rubrum alluit, infelicem et ſterilem. §. 3. Explicationem hanc noſtram confirmat vox Aegyptiaca Nephthys, cuius ſignificatio exponitur. §. 4. Typhoni additur quoque pellex, nomine Thueris, quod Aegyptiace Auſtrum ſignificat. §. 5. Interpretatio haec rationibus adductis firmatur. §. 6. Aſo, quae in fabulis Sacerdotum, perhibebatur regina Aethiopiae, ac adiutrix Typhonis, eſt Thueris ipſa, ſiue ventus meridionalis. §. 7. De hac Thueri explicatur, aut tentatur imago Tabulae Bembinae. §. 8.

§. 1.

Nephthys dicebatur Typhonis vxor. Fabula de ea Sacerdotalis refertur.

Veteres Aegyptiorum Theologi, Typhoni malo Genio, vxorem quoque iungendam eſſe cenſuerunt, ipſius et Oſiridis ſororem, nomine *Nephthyn*. Aiebant namque, * *Rheam*, id eſt ** vt interpretor, *Athor*, ſiue *Venerem* Aegyptiorum, *ex Sole, Mercurio, et Saturno ſimul, grauidam factam, intra quinque dies ἐπαγομένας, quas Aegyptii ad duodecim menſes, quouis anno adiiciebant, quinque peperiſſe deos, prima quidem Oſirin, ſecunda Aruerin, vel Horum Seniorem, aut Apollinem, tertia Typhonem, quarta Iſidem, quinta Nephthyn: deinde*

vero

* Plvtarchvs, de Iſide et Oſir. p. 355. 356.

** Supra Lib. II. cap. I. §. 9.

vero Nephthyn Typhoni nupſiſſe. Addebatur porro in fabulis myſticis Sacerdotum, * *Oſiridem, ſed inſcium, et per errorem, Nephthyn adulterio polluiſſe, credentem, ſibi cum vxore legitima, Iſide, rem eſſe, quod quidem Iſis ex corona melilotina, quam forte apud Nephthyn Oſiris reliquerat, perſpexit. Ex eo congreſſu dicebant Anubidem natum eſſe, Iſidi Oſiridique valde charum.* Sequebatur hinc, quod et Sacerdotes perhibebant, ** *Iſidem peperiſſe Horum* ſuum ex Oſiride *partu iuſto et legitimo, Nephthyn vero Anubidem furtiuo et adulterino.* In *** libris vero *de ſucceſſione regum*, myſtica nempe et aenigmatica, tradebatur etiam, *Nephthyn Typhoni nuptam, principio fuiſſe ſterilem,* dum nempe cum ſolo illo ſuo viro conſueuiſſet, antequam per adulterium furtiuum Oſiridi cognita eſſet. Haec fere ſumma eſt, fabulae Sacerdotalis myſticae de Nephthy. Longe aliter fabulam hanc refert IVLIVS FIRMICVS MATERNVS, in libro *de errore profan. religion.* vbi poſt initium haec legas: *Iſis ſoror eſt, Oſiris frater, Typhon maritus; is cum comperiſſet, Iſidem vxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſirim, artuatimque lacerauit. —— Iſis repudiato Typhone, vt et fratrem ſepeliret, et coniugem,* (videtur hic aliquid excidiſſe) *adhibuit ſibi* **** *Nephthen ſororem ſociam, et Anubim venatorem.* Haec aduerſantur non ſolum iis quae PLVTARCHVS, ſed quae etiam alii omnes nar-

* PLVTARCHVS lib. cit. p. 356. fin.

** Idem p. 366.

*** Idem loc. cit.

**** In quibusdam FIRMICI Codd. videtur ſcriptum fuiſſe *Nepthune.* Ita locum hunc citat SCALIGER de emendat. temp. p. 195. Et haec lectio videtur eruditis anſam praebuiſſe, vt hic de *Neptuno* cogitauerint.

narrant. Neſcio igitur, vnde ea hauſerit FIRMICVS, niſi modo memoriae lapſu hic aberrauit. Res certe digna non eſt, in quam plyribus inquiramus. Numen hoc EPIPHANIVS in mente habuit, vbi ſcripſit, * Aegyptiorum quoſdam initiari τῇ Σενέφθυ, vbi malim ſcribere τῇ Νέφθυϊ, id eſt *Nephthy*. Nam Sacra ipſi in quibuſdam Aegypti vrbibus fieri conſueuiſſe, dubio omni vacat. Idcirco etiam in ſacris eorum ſiſtris, ** *Nephthyos* nonnunquam vultus inſculptus cernebatur.

[Nep]thyn [no]n interpretabantur Venerem, quod cum cautione a cipiendum. Neque ex eius nomine, Neptuni nomen deriuandum.

§. 2. Erant olim, qui *Nephthyn* interpretarentur *Venerem*, forte, quod cum *Athor*, antiquiſſimo Aegyptiorum Numine, quod Graeci *Venerem* interpretantur, aliquam habere affinitatem, ipſis videretur. Secutus hos eſt DIODORVS *Siculus*, qui p. 13. enumerans quinque deos, qui ex Rhea, iuxta quoſdam, diebus quinque ἐπαγομένοις, editi ferebantur, §. 1, haec eorum nomina apponit, *Oſirin*, *Iſin*, *Typhonem*, *Apollinem*, et *Venerem*, vbi manifeſtum eſt, Scriptorem hunc, *Apollinis* nomine, eum deſignare, quem PLVTARCHVS *Aruerin* nominauerat, ac *Horum ſeniorem*, et *Apollinem* interpretatus erat. *Venus* vero DIODORO illa dicitur Dea, quam PLVTARCHVS *Nephthyn* nominauerat. Vide §. 1. Et PLVTARCHVS ipſe quoque teſtatur p. 355. fin. *Nephthyn nuncupari etiam Venerem*. Sed eam re ipſa tamen differre ab *Athor*, antiqua Aegyptiorum *Venere*, ex *Panthei* huius Lib. I. cap. I. intelligi facile poterit. Ex recentioribus noſtris eruditis *** quoſdam eo non parum pro-

* Libro III. aduerſus haereſes p. 1093. fin.

** PLVTARCHVS de Iſide p. 376.

*** BOCHARTVS in *Phaleg*, Lib. I. cap. I. CVDWORTH'S *true intellectual Syſteme*, p. 310. PLVCHE *hiſtoire du Ciel*, To. I. p. 65. in notis, et multi alii.

LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH

propendere video, *Nephthyn* fuiſſe quandam maris deam, et ex eius nomine profluxiſſe nomen *Neptuni* Romanorum. Verum non videntur antiquiores Aegyptii, Numen aliquod, mari praefectum et praeſidens, eximia vnquam veneratione proſecuti eſſe. *Typhonem*, quem nonnulli interpretabantur *mare*, execrabantur omnes, et certum eſt, * Sacerdotes mare, ac quicquid cum eo affinitatem habet, vehementer abhorruiſſe. Haec etiam videtur cauſa fuiſſe, quod ** vetuſtiores Aegyptii mare non frequentauerint, ac commercia quoque cum peregrinis ſtudioſe declinauerint. Habemus inſuper HERODOTVM teſtem, Lib. II. c. 50. Numen nomenque *Neptuni* (Ποσειδέωνος) Dei Graecorum, Aegyptiis penitus eſſe incognitum. Nimis etiam obſcurum erat *Nephthyos* Aegyptiae Numen, quam vt ex eo *Neptuni* ſui nomen Romani deriuauerint.

§. 3. PLVTARCHVS nos in viam ducit, eaque ſuppeditat, ex quibus non ita difficulter veram doctrinam phyſicam Theologorum Aegyptiorum de *Nephthy*, eruere et in apricum proferre licebit. Docet autem is in libro *de Iſide*, p. 355. extrem. *Nephthyn* appellari etiam conſueuiſſe τελευτὴν, id eſt *finem*. Luculentius id explicat p. 366. vbi ait, Deam hanc dici τελευταίην, id eſt *ultimam*. Sed praeſtat totum hunc locum adſcribere, ita conceptum. Νέφθυν καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια, καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης. Διὸ καὶ τελευταίην ἐπονομάζουσι τὴν Νέφθυν, καὶ Τυφῶνι δὲ συνοικεῖν λέγουσιν. *Nephthyn appellant extremas terrae continentis partes, quae eam terminant, mare vero attingunt, ideoque eam vltimam nominant, et Typhonis vxorem dicunt.* Et ſane ſecundum Theologos

Per Nephthyn Aegyptiorum, Theologi intelligebant, illam regionis ſuae partem, quam mare rubrum alluit, ſterilem, infelicem, ac Nilo inacceſſam.

* Vide ſupra Lib. V. cap. II. §. 16.

** STRABO Lib. XVII. p. 545. HERODOTVS Lib. II. c. 139.

logos Aegyptios, *Typhon** τῶν ἐσχάτων ἅπτεται, *vltimos terrae terminos attingere* credebatur. Quando autem Scriptor eximius docere nos vult, nomine *Nephthyos* ſubindicatas fuiſſe *terrae partes, quae, mare attingunt*, per *mare* intelligendum venit *mare* vulgo dictum *rubrum*, vel *Sinus Arabicus*. Ora enim Aegypti inferioris, quam mare mediterraneum alluit, nomine *Nephthyos* comprehenſa nunquam fuit. *Nephthys* enim, quamdiu vni ſuo marito, Typhoni nempe cognita fuit, ſterilis permanſit, nec fructum vllum tulit. Vide §. 1. Id quod de parte Aegypti, quae mediterraneum mare attingit, dici nulla ratione poſſe, omnes norunt. Maxima eius fertilitas, ab omni tempore celebrata fuit, quippe quam Nilus ſemper ſecauerit, rigauerit, foecundamque reddiderit. At non minus notum omnibus eſt, qui ſitum Aegypti cognitum perſpectumque habent, illam regionis huius partem, quam mare rubrum terminat, ** eſſe terrarum omnium, quas Sol luce ſua colluſtrat, maxime ſterilem et infelicem. Plvtarchvs, qui ſomniis Philoſophorum Platonicorum deditus non parum erat, et ad ea fabulas veterum Theologorum, vbi modo poteſt, libenter intorquet, hinc ſuo genio etiam in explicanda Nephthyos fabula, liberaliter indulſit, etſi ea in re aliorum forte veſtigia tantum preſſerit. Verum nugis hiſce, quae leguntur p. 375. lectoris tempora morari nolo. Propius optimus ille Scriptor, fabulae Sacerdotalis de *Nephthy* ſenſum verum attingit, vbi aliorum interpretationes hunc ad modum refert p. 366. *Nephthyn appellant extremas terrae continentis partes, quae hanc terminant, mare vero attingunt: ideoque eam vltimam nominant, et Typhonis*

* Plvtarchvs p. 375.

** Maillet Deſcription de l'Egypte, Tom. II. p. 78. 85. 89.

phonis vxorem dicunt. Cum autem exundans Nilus etiam in iſtas partes diffluit, hoc Oſiridis cum Nephthy coitum nuncupant, quem ſtirpes germinantes arguerint, inter quas et melilotum eſt, quo, vt fabula fert, delapſo, et relicto, Typhonem adulterium deprehendiſſe. Nihil profecto opportunius, et ad veram Sacerdotum Aegyptiorum mentem appoſitum magis dici potuit. In eo tantum illuſtrando, exiguam breuemque etiamnum collocemus operam. *Nephthys* nempe Theologis Aegyptiorum eam deſignabat terrae Aegyptiacae partem, quae mari rubro contigua eſt, quam, quia Nilus ad eam non pertingit, ſterilitas premit horrenda, et fere incredibilis. Regionem hanc, mirifice ſterilem, quae plane nihil profert, inter montes, qui Nili littus Orientale, a Memphi ad Syenen vſque cingunt, ac perpetuo comitantur, et mare rubrum intermediam, Veteres nominare ſolent * Arabiam Aegyptiacam, quia Arabes ab antiquiſſimis temporibus, vti etiam nunc, eam inhabitarunt. Veteres ** eam a Peluſio ad Syenen vſque, legendo ſemper littus ſinus Arabici, extendunt. Obſeruauerat PLVTARCHVS, *Iſin* et *Nephthyn*, in fabulis Aegyptiorum myſticis, ſibi inuicem opponi. Sed veram oppoſitionis huius rationem aſſecutus non eſt, quando p. 368. ita diſſerit: *Nephthys eſt id, quod infra terram ſitum non cernitur: Iſis quod ſupra terram manifeſtum extat.* Senſit ex indiciis quibuſdam Scriptor eximius, et *Iſidem*, et *Nephthyn*, in Theologia Aegyptiorum, ad terram referri. Sed quomodo vtraque ad terram referretur, et qua ratione ſibi oppoſitae eſ-

 ſent,

* Vide STRABONEM in deſcriptione Aegypti Lib. XVII. ſaepius. PTOLEMAEI Geographiam Lib. IV. c. V. p. 121. et alios.

** STRABO, p. 552.

ſent, non perſpexit. *Iſis* certo ſenſu, * a Theologis Aegyptiis dicebatur terra, ac ſpeciatim terra Aegypti, neque tamen omnis et tota; verum iſta tantum illius pars, quam Nilus inundat, et hoc ſuo congreſſu, mariti inſtar, foetam reddit, et fertilitate exquiſita donat. *Nephthys* viciſſim, quod et ratio oppoſitionis docet, et hic pluribus explicatur, terram Aegypti ſubinnuit ſterilem, infelicem, quam Nilus attingere non ſolet, et in quam adeo fertilitatem ſuam non transfert. *Nephthyos* huius maritus eſt *Typhon, ventus orientalis vrens*, de quo §. 20. diximus, is enim in eam agit, et quia illi maxima vrendi et ſiccandi vis ineſt, ad ſterilitatem huius ſuae vxoris, non parum confert. Certe ventum hunc tremendum, in deſerta ſterilique Aegypti parte, vim ſuam potiſſimum exſerere, ** Geographi, et *** peregrinatores praeſtantiſſimi iam dudum obſeruarunt. Refero huc illa HESYCHII. Ἀρραβικὴ πνοὴ, ἡ Τυφωνική. *Flatus venti Arabici, eſt illius venti, qui dicitur Typhon.* Vbi per Arabiam intelligendam eſſe puto Arabiam Aegyptiacam. Et certe ſedes Typhoni aſſignabantur ab Aegyptiis circa Peluſium, et Serbonidem lacum, §. 10. 23, eo ipſo in loco, vbi Arabiae Aegyptiacae initium † a Geographis ponitur. Addit autem fabula Sacerdotalis, *Nephthyn* vxorem *Typhonis*, ab *Oſiride*, ſed per errorem, ſtupro cognitam fuiſſe, quod patuerit ex floribus melilotinis, quos diſcedens a Nephthy, Oſiris reliquiſſet. Id vero, ſi quicquam aliud, genuinum fabulae huius ſenſum penitus retegit, et manifeſtum omnibus reddit. *Oſiris* in

* Vide ſupra Lib. III. cap. I. §. 8.

** BERNH. VARENIVS Geograph. general. p. 430.

*** *Voyage* de THEVENOT, To. I. p. 435. 511.

† STRABO p. m. 552.

in hac fabula * ſubinnuit *Nilum*, praeſtantiſſimum quippe ac nobiliſſimum Oſiridis effluxum. Illi ceu propria tribuitur *corona melilotina*, qua potuerit dignoſci. Nam ſimulatque fluuius ille agris campisque decedit, et intra alueum ſuum ſe rurſus continet, ** arua omnia continuo flores adſpectu iucundiſſimos, eosque inter lotos etiam, *** quas nonnulli melilotos appellabant, coronis nectendis inprimis aptas, e ſinu ſuo magna copia emittunt. Vbicunque ergo flores hi in Aegypto reperiebantur, indicio erant certiſſimo, Nilum illic ſtagnaſſe, et fertilitatis ſuae fructus et pignora reliquiſſe. Quando autem praeterea fingitur, Oſiridem inſcium et per errorem cum *Nephthy* congreſſum eſſe, exiſtimantem, ſibi cum *Iſide* ſua rem eſſe, nihil niſi hoc ſignificatur, Nilum, qui certam tantum Aegypti partem, quam vocant **** Αἴγυπτον τὴν σπειρομένην, *Aegyptum ſeminibus conſitam*, et myſtice *Iſidem*, quotannis ſtato tempore inundare ſolet, aliquo tempore, vndas ſuas tanta copia in agros Aegypti effudiſſe, vt illae montes Aegypti orientales, aut perruperint, aut ſuperauerint, et ſic in ipſam Arabiam Aegyptiacam penetrarint, huiusque campos, ceteroquin † arentes, deſertos et incultos, fertilitate veluti peregrina impleuerint, quod etiam flores, poſtea in arenis illis exorti, ſatis teſtati fuerint. Quo tempore et qua ratione id factum fuerit, amplius hic non diſquiro. Satis ex his patere arbi-

* Vide ſupra Lib. II. cap. I. §. 4.

** Vide ſupra Lib. II. cap. VI. §. 9.

*** Athenaevs Lib. III. p. 73.

**** Herodotvs Lib. II. cap. 77.

† Aristides in *Aegypto* fol. 94. a. Edit. Florent. commemorat ἄσπαρον (lege ἄσπορον, vel ἄσπαρτον) Ἀραβικὴν, *Arabiam non conſitam*, loquitur autem de Arabia Aegyptiaca.

arbitror, quidnam per *Nephthyn* deſignare voluerint Aegyptiorum Theologi.

Explicationem noſtram confirmat vox Aegyptiaca Nephth… …ius …io

§. 4. Quod iam ad ſignificationem vocis Aegyptiacae Νέφθυς attinet, ſententiam ea de re meam paucis expediam. Monui aliquoties cap. II. Libri huius, ⲑⲏⲟⲩ, *theu*, Aegyptiis ſonare *ventum*. Syllaba ⲉϥ, voci huic indit ſignificationem participii, veluti dicas *eum qui exiſtit ventus*, quod in Aegyptiorum lingua frequenter vſu venit. Accedit praefixum ⲛ, quod addit ſignificationem adiectiui, vt proinde ⲛⲉϥⲑⲏⲟⲩ, *Neph-theu*, analogice interpretari poſſimus, *ventoſum*, ſeu quod vento vehementer expoſitum eſt. Et quia *Nephthys* de aliqua terrae Aegypti parte dicitur, ſignificaret *terram vehementer expoſitam vento*, vel in qua ventus pro lubitu, ac ſine omni impedimento dominatur. Quam bene hoc conueniat Arabiae Aegyptiacae, et regionis illius ſitus, et quae §. 3. obſeruauimus, planum et liquidum faciunt. Non tamen negligendum eſſe exiſtimem, quod PLVTARCHVS, adductus §. 3, affirmat, ac ſemel iterumque inculcat, Νέφθυν Aegyptiis dici *finem*, et quod *vltimum* eſt. Nam et hac ratione vocem Νέφθυς commode omnino exponere poterimus. Nempe ⲑⲱⲥ, *thos*, *finem*, ac *terminum* rei cuiuscunque ſignificat, ac ſpeciatim agri, ſiue regionis. *Numer.* XX. 17. *Deuter.* XXVII. 17. XXX. 11. 8. Ex iis vero, quae modo diſputauimus, per ſe conſequitur, ⲛⲉϥ-ⲑⲱϣ, *Neph-thos*, Aegyptiis dici id, quod eſt *terminale*, adeoque id, quod regioni alicui, vel terrae terminum ponit. Recte igitur Arabia Aegyptiaca *Nephthys*, vel ⲛⲉϥ-ⲑⲱϣ dici potuit, quia erat re ipſa *terminalis*, hinc quidem regioni Aegypti, illinc vero

mari

mari rubro terminum ponens. Supponitur vero in vtraque hac interpretatione, *Nephthyn*, ſi rationes grammaticas linguae Aegyptiacae ſpectes, generis fuiſſe maſculini. Siue enim dicas ⲛⲉϥ-ⲑⲏⲟⲩ, *quod vento expoſitum eſt*, ſiue dicas ⲛⲉϥ-ⲑⲁϣ, *quod terminum ponit*, ſemper ſubintelligetur ⲡⲕⲁϩⲓ, *terra*, quae apud Coptos generis eſt maſculini, ideoque adiectiua, in quibus vox illa ſubintelligitur, ponuntur etiam in genere maſculino. Et *Nephthys* tamen erat *Dea*, ſicuti etiam *Iſis*, ſymbolum terrae in Aegypto conſitae et fertilis, Numen ſimiliter erat generis foeminini. Et conſtat profecto, apud Phryges, ac gentes Orientis alias, vti et Graecos et Romanos, Terram ſub imagine et ſymbolo Deae cultam fuiſſe. Terra enim paſſiue ſe habet. In eam agunt Sol, aër, ventus, et pluuia. Sinu ſuo ſemina concipit, ac ſuo tempore fruges, herbas, plantasque in lucem edit atque parit. Verum non eſt, quod hoc quemquam turbet. Nam Luna Aegyptiis Numen erat generis foeminini, ſub imagine ſymboloque Deae culta, et tamen voce deſignabatur generis maſculini, quod Coptorum libri docent, et * veteres monere minime neglexerunt. Ex eo arbitror explicandum eſſe, quod vetus quaedam ** Inſcriptio poſita legatur ISIDI FRVGIFERO. Et eodem modo rem ſe habuiſſe cum nomine *Nephthys*, non eſt, quod dubitem.

§. 5. Non vero vxorem tantum *Typhoni* iunxere priſci in Aegypto Theologi, *Nephthyn*, addidere eidem quoque pellicem, nomine *Thuerin*. Vnus tantum, quod meminiſſe poſſum, mentionem eius facit PLVTARCHVS, cuius idcirco, e libro *de*

Typhoni in fabulis Aegyptiorum additur etiam pellex, nomine

* Vide *Panthei* noſtri Lib. I. cap. III. §. 6.

** Apud CVPERVM in *Harpocrate*, p. 10.

Thueris. *Id vero Auſtrum ſignificat.*

Iſide p. 358, adſcribemus verba. Λέγεται δὲ, ὅτι πολλῶν μεταθιτεμένων ἀεὶ πρὸς τὸν Ὧρον, καὶ ἡ παλλακὴ τȣ̃ Τυφῶνος ἀφίκετο Θȣ́ηρις. Ὄφις δέ τις ἐπιδιώκων αὐτὴν ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ὧρον κατεκόπη, καὶ νῦν διὰ τȣ̃το χοινίον τι προσβαλόντες εἰς μέσον διακόπτȣσιν. *Narrant, ſubinde pluribus ad Horum tranſeuntibus, pellicem quoque Typhonis, nomine Thuerin, ad eum ſe contuliſſe, et anguem qui eam perſequebatur, ab Horo diſſectum interemtumque fuiſſe: ideoque adhuc funiculum in medium proiici et conſcindi.* Plura de hac Typhonis pellice, ex antiquis auctoribus mihi cognita non eſſe, libenter fateor. Sed ipſum tamen illius nomen, quod PLVTARCHVS conſeruauit, veram niſi fallor, Sacerdotum Aegyptiorum de ea doctrinam, nobis aperiet. Qui linguae Aegyptiacae ignarus non eſt, audito vel lecto hoc *Thueris* nomine, et conſideratis iis, quae de Typhone diſputauimus, dubitare vix poterit, quin ea deſignetur ⲑⲟⲩⲣⲏⲥ, *Thures*, ita Aegyptii *Auſtrum*, ſiue *ventum meridionalem* appellant. *Lucae* XII. 55. *Actor.* XXVII. 13. XXVIII. 13. Sic etiam Aegyptiis dicitur plaga mundi, ex qua ventus ille ſpirat, *meridionalis*, quam etiam vocare ſolemus *Auſtrum.* Ex eo etiam explicandum eſſe, * alias monui, nomen פתרוס, *Pathros*, *Geneſ.* X. 14. *Eſa.* XI. 11: *Ezech.* XXIX. 14. quibus in locis memoratur terra *Pathros*, vti et *Ierem.* XLIV. 1. Summus BOCHARTVS, ex ſitu locorum, qui cum *terra Pathros* coniunguntur, acute ſuſpicatus eſt, ** intelligi voce hac *Thebaidem*, ſiue *Aegyptum ſuperiorem*, et ſententiam hanc eius, poſtea ſuam fecerunt doctiſſimi quique. Accedit iam ad rationes ab ipſo allatas, ipſum nomen Aegyptiacum, quod magni illius

* Vide Reu. IO. IAC. SCHMIDII bibliſchen Geographus, p. 552.

** In *Phaleg*, Lib. IV. cap. XXVII.

illius viri obſeruationem mirifice confirmat. Interpretes Alexandrini, quippe qui in Aegypto ſcriberent, id vtique ſubodorati ſunt. Itaque illi, Ierem. XLIV. 1. vocem hanc graece ſcripſerunt Παθȣ́ρης. Id enim totidem literis, Coptice ſcriptum, ⲠⲀ-ⲐⲞⲨⲢⲎⲤ, vel quod eodem redit, ⲪⲀⲐⲞⲨⲢⲎⲤ, nihil aliud poteſt ſignificare, quam *terram meridiei*, quae nempe ad *Auſtrum ſita eſt*. Et ſane *Thebais*, pars Aegypti eſt *auſtralis*; vti etiam * a Scriptoribus paſſim vocari ſolet. Sic igitur *Thures*, vel vti in PLVTARCHI codicibus ſcriptum legimus, *Thueris*, ventum deſignat flantem a meridie, vel *Auſtrum*. Hanc noſtram obſeruationem, obuiam ſane callentibus linguam Copticam, ab ipſo PLVTARCHO egregie confirmari, mox videbimus §. 7.

Interpretatio haec adductis rationibus firmatur.

§. 6. Vix autem explicari, aut obſeruationibus operoſis illuſtrari meretur, quod in fabula de *Typhone*, pellex ipſi iungatur, *Thueris*; quod interpretamur *ventum meridionalem*, vel *Auſtrum*. Etenim et *Typhon*, quod ſuo loco oſtendimus; et *Thueris*, ſunt venti, vnde facile erat Sacerdotibus, myſtice fingere, ventum vnum eſſe pellicem alterius. Vterque ille ventus magnis damnis Aegyptum mactat, et calamitatibus non paucis affligit. Alter alteri ſociam praeſtat operam, illique in detrimentum incolarum Aegypti, mutuo ſe iuuant. *Typhon* vim ſuam pernicioſam potiſſimum exſerit in deſertis Aegypti, et in Arabia Aegyptiaca. *Auſter*, (ſiue *Thueris*) in vniuerſum valde impetuoſus ſaepe eſt, vt proinde *turbines Auſtri*, etiam Scriptura memoret, *Zachar.* IX. 14. ſed inprimis cladem non mediocrem infert Aegypto reliquae, certo praeſertim tem-

* OLYMPIODORVS in Ariſtotelis Meteorol. Lib. II. fol. 35. b. EVSTATHIVS in Dionyſii Periegeſin v. 242. 243.

tempore, quod in Aegypto, voce Arabica, *Hhamſin, quinquaginta*, nempe dies, ſiue τὴν πεντεκοστὴν vocant, ſolet enim circa feſtum Paſchatos initium ſumere, et ad Pentecoſten perdurare. * *Durantibus his diebus venti ſtant calidi, in vrbem inuehentes magnam ſabuli copiam, cui nihil imperuium inacceſſumue eſt. Venti hi tantum ſpirant ardorem, vt reſpirationem intercipiant, magnamque hominum multitudinem neci dent. Toto illo tempore morbi omnis generis, periculum longe maius portendunt, quam alias.* etc. ** *Regnant tum venti meridionales, quos Arabes* Meriſſi *appellant. Tantum ſecum vehunt ardoris aeſtum, vt reſpirationem plane impediant, et immenſam arenae copiam in aërem tollant. Hacce anni tempeſtate, multae paſſim graſſantur febres malignae, dyſenteriae, aliique morbi pernicioſi, qui, niſi illico adhibeantur remedia neceſſaria, poſt haec curari iam amplius non poſſunt. Et illi quoque, qui ſtantibus iſtis ventis a morbis immunes perſeuerant, maiorem tamen in modum languent, totique deficiunt.* Vnicum tantummodo his addo locum, Scriptoris non parum laudati, et cui in iis, quae ipſe expertus eſt, fides plena denegari vtique non poteſt. *** *Venti*, inquit ille, *meridionales, qui in Europa noſtra tantos ſuſcitant languores, totque mala poſt ſe trahunt, damna non minora in Aegypto efficiunt, vbi tempore aeſtiuo inualuerunt. Haec eſt tempeſtas morborum et aegritudinum, tum regnare videas febres malignas, ipſamque adeo peſtiferam luem, paſſim per Aegypti regiones, non ſine magno incolarum damno graſſari. Simulatque vero Eteſiae ſtare coeperunt, et iam perſentiſcuntur, omnis illa malorum ac mor-*

* *Les voyages* de THEVENOT, To. I. p. 837. Vide et p. 835.

** VANSLEB *relation d'un voyage fait en Egypte* p. 36.

*** MAILLET *Deſcription de l'Egypte*, To. I. p. 71.

morborum turba confeſtim euaneſcit. Vides hic *Thuerin*, ventum meridionalem, Typhonis pellicem, et malorum in Aegypto, quorum ille cauſa eſt, fidam promotricem et adiutricem. Sed eadem fabula tamen nobis refert, pellicem iſtam Typhonis, tandem eo deſerto, ad *Horum*, id eſt *Solem*, benignum prouidum et ſalutare Aegypti Numen, transfugiſſe. Nempe venti meridionales, qui certa quadam anni tempeſtate Typhoni praeſto ſunt, Aegyptoque detrimentum adferunt maximum, tempeſtate alia, autumnali ſcilicet ac hyberna, ſalutem accolarum Nili inſigniter promouent. Nam * deceſſum Nili ex agris Aegyptiorum ſtato tempore adiuuant, vt illi hoc pacto, fertilitate neceſſaria imbuti, atque ſiccati, iam nunc conſeri, laetosque et exoptatos fructus producere queant.

Aſo, quae in fabulis Sacerdotum, regina perhibebatur Aethiopiae, Typhonisque adiutrix, eſt Thueris ipſa, ſiue ventus meridionalis.

§. 7. Si recte calculos ſubduxi, *Aſo* illa Aethiopiſſa, quam Typhoni ſociam laborum, et adiutricem fuiſſe, PLVTARCHVS ex Aegyptiorum fabulis refert, alia non fuit, quam *Thueris* ipſa, adeoque ventus meridionalis, Aegyptiis tantopere metuendus. Verum vt hac de re iudicium firmum ac ſolidum inſtitui poſſit, adferenda erunt PLVTARCHI verba, ex libro *de Iſide* p. 356. *Typhonem vero aiunt, — redeunti Oſiridi inſidias ſtruxiſſe, adſcitis in coniurationem viris* LXXII, *et conatum adiuuante regina Aethiopum, quae ſe ad ipſum contulerat. ASO nomen huius fertur.* Quinam ſint Typhonis coniurati, numero LXII, non facile quis dixerit, niſi quod certum hoc ſit, numerum illum Sacerdotibus habitum fuiſſe myſticum, quod monui, Libri huius V. cap. II. §. 9. Suſpicor tamen, veteres Aegyptios, tot numeraſſe mundi plagas, et totidem ventos, qui ex plagis illis ſpirarent. Recentiores noſtri

* VANSLEB *Relation* etc. p. 55. MAILLET To. II. p. 91.

noſtri ad hunc numerum prope accedunt, qui * *ſexaginta-quatuor plagas*, et totidem *ventos numerant.* Nouimus autem aliunde, Aegyptios perhibuiſſe, ** *ſeptuaginta duas eſſe orbis habitati regiones.* Quid hoc aliud ſignificat, quam dari LXXII. plagas mundi, ex quibus totidem venti ſpirent? Fabula illa igitur ſubinnuitur, cum *Typhone*, vento Orientali vrente, certa aliqua anni tempeſtate, ventos etiam ex aliis plagis flantes, conſpiraſſe in perniciem Aegyptiorum. His vero ſe adiunxiſſe fertur ASO, regina Aethiopiae, id eſt ventus ex Aethiopia, vel plaga meridionali, ſpirans. Ventus enim hicce, ex Aethiopia fertur in Aegyptum. In fabula Sacerdotum myſtica, vocatur *regina* Aethiopiae, quoniam *** ſecundum veteres, inter ventos reliquos, Notus ex Meridie, et Boreas ex Septentrione, regnum aliquod ſibi vindicant, tyrannidemque exercent. Inter hoſce vero duos, **** Notus, ventus meridionalis, haberi ſolebat pro fortiſſimo et potentiſſimo. *Regina* autem potius vocatur quam *rex*, quia in eadem fabula, ventus ille, quod oſtendimus §. 5, perhibebatur *Typhonis pellex.* Quando porro nomen ei inditur ASO, id ſermone Aegyptiorum idem ſignificat, quod Graecis et Romanis *Aethiops*, et *Aethiopiſſa* audit. Dialecto enim Thebaidis, quae eſt in Aegypto antiquiſſima, *Aethiops* dicitur ⲈⲤⲰⲤ, *Aſos*, in verſione *Actorum*, Aegyptio-Thebaica, quae penes me eſt MSS., cap. VIII. v. 27. Nempe nomen proprium pellici huic *Typhonis*, erat *Thueris*, quod *ventum meridionalem* ſignificat, cognomen vero *Aſo*, inditum ipſi a patria, e qua in Aegyptum tendit,

* VARENII Geograph. general. p. 391. Edit. Belgic.

** HORAPOLLO *Hieroglyph.* Lib. I. c. 14.

*** OLYMPIODORVS in Ariſtotelis Meteorol. Lib. II. fol. 37. b.

**** Idem loc. cit. fol. 41. a. fin.

tendit, *Aethiopia.* Aut arbitror potius, verum pellicis huius nomen, in priſca Sacerdotum Theologia, myſtica quippe et aenigmatica, fuiſſe *Aſo*, *Aethiopiſſam*, *Thuerin* vero; ſeu *ventum meridionalem*, fuiſſe nominis illius myſtici explicationem, quae ex diſciplina Sacerdotum arcana, forte effluxerat, et ad PLVTARCHI aures peruenerat. Omnia quae hic diſputaui, egregie confirmat auctor hic ipſe, alio loco, p. 366, vbi fabulae illius ſenſum, ex rationibus phyſicis iſtum ad modum interpretatur. *Regina vero Aethiopum, quae Typhonem adiuuerit, flatus auſtrinos ex Aethiopia notat: qui ſi vincant Eteſias, a quibus verſus Aethiopiam nubes pelluntur, prohibeantque imbres decidere, quibus Nilus augetur: tum praeualens Typhon aeſtu urit.* Videmus hic *Aſonem Aethiopiſſam* nihil aliud eſſe, quam *ventum auſtrinum*, flantem e meridie. Cum vero id ipſum lingua Aegyptiaca ſignificet *Thueris*, nempe *ventum meridionalem*, cum ille ex Aethiopia feratur in Aegyptum, cum *Thueris* fingatur Typhonis pellex, ſocia et adiutrix, colligere quiuis perquam facile poteſt, *Thuerin* et *Aſonem* eſſe vnam eandemque.

§. 8. Redit mihi hic in memoriam, quod Lib. I. cap. V. §. 12. dixi, coniicere me, imaginem *Tabulae Bembinae*, vel *Iſiacae*, quae in primo ſegmento, litera L. deſignatur, nobis exhibere *Tithrambonem*, vel *Iſidem iratam.* Neque etiam coniecturam illam in vniuerſum reiicio. Certum mihi eſt, deſignari in illa imagine, ventum aliquem noxium et damnoſum. Docui autem Lib. III. c. I. §. 6. Iſidem, ſecundum doctrinam Aegyptiorum, ventis dominatam fuiſſe omnibus, illosque diſpenſaſſe. Hinc vtique eſt, quod in fabulis Sacerdotum fingeretur, *Iſidem aliquo tempore, Typhonem in vinculis habuiſſe, eundemque rurſus liberum dimiſiſſe. Eam ob rem exiſti-

De hac Thueri explicatur aut tentatur imago quaedam Tabulae Bembinae.

* PLVTARCHVS p. 358. 367. 368.

exiſtimabam, in illa imagine depingi *Iſidem iratam*, ſeu *Tithrambonem*, quae ventis peſtiferis, in multorum perniciem fraenum laxaret. Sed iterum tamen perpenſis omnibus, vero mihi etiamnum videtur ſimilius, deſignari illic *Thuerin*, pellicem *Typhonis*. Et primo quidem ventum hic ſymbolice nobis depingi, mihi tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Si audimus PIGNORIVM, effigies illa *Tabulae Iſiacae* ſiſtit nobis * *grypem*. Quicquid ſit, nam ſubtilius ea de re diſputare nunc nolim, corpori quadrupedis, adaptatas videmus alas, et caput inſuper alitis additum. Cogitandum igitur nobis eſt de quadrupede alata. Alae vero Orientalibus ſemper, neque minus Graecis et Romanis, ſymbolum fuere venti. *Alae ventorum*, ipſis Scriptoribus ſacris indictae non ſunt. *Pſalmo* XVIII. et CIV. 3. Graeci etiam ventos depingere ſolebant, ſub forma virorum vel iuuenum alatorum, quod ſcite et eleganter depictum cernere licet in turri quadam, ** quae Athenis etiamnum ſubſiſtit, et ventorum praecipuorum imagines conſeruat. PALAEPHATVS igitur in libro *de incredibilibus*, cap. XIII. celebratas a tot poëtis *alas Daedali*, interpretatur *ventum vehementem ac impetuoſum*. Et de Poëtis obſeruant veteres, *** quod *tam ventos, quam fulmina alata fingant*. De *Aquilone* ſigillatim, vento Boreali docere nos vult **** vetus Grammaticus, nomen hoc inditum ipſi fuiſſe, *a vehementiſſimo volatu*, quod *ad inſtar aquilae* volet. Sed non minus id in vento oppoſito meridionali, ſiue *Auſtro*, locum habet. De eo enim canit OVIDIVS, *Metamorph.* Lib. I. v. 264.

Emittitque Notum. Madidis Notus euolat alis.

Et

* In *Menſae Iſiacae* expoſitione p. 29.

** *Voyage* de SPON, To. II. p. 134. 135.

*** SERVIVS in Lib. V. Aeneid. 319.

**** FESTVS in voce *Aquilo*.

Et ibidem v. 467.

— *rorant pennaeque ſinusque.*

Sic et VIRGILIVS L. VIII. Aeneid. v. 430.

— *et alitis Auſtri.*

Ad quae verba SERVIVS haec notat: *Id eſt autumni, quo ventorum crebra ſunt flamina.* Aegyptios vero ſigillatim, ſymbolo hoc, ad ventum deſignandum, perſaepe vſos eſſe, docet vetus Scriptor, de ipſorum pictura hieroglyphica diſſerens. * *Accipiter,* inquit, — *ventos oſtendit. Item et aliter: Accipiter expanſas in aëre alas habens, ventum, qui alas quaſdam habere videtur, ſignificat.* Ventum vero in imagine noſtra depictum, non poſſum non agnoſcere *Thuerin*, vel *Auſtrum.* Id enim ordo totaque ſeries rerum in Tabula Bembina, ab initio, ad finem vſque ſeruata, quam ** dudum expoſui, ſic iam ſatis declarat. Ex eo enim ſequitur, imaginem, in qua explicanda verſamur, in menſem circiter Maium incidere. Et hoc eodem menſe, in Aegypto omnium maxime ſaeuire peſtiferum Auſtrum; diſcimus *** ex relatione meliorum et fide digniorum Peregrinatorum. Attenta etiam conſideratione noſtra indignum non eſt, quod in imagine illa, ſiue *gryps*, ſiue quaecunque demum ſit alitis fabuloſae ſpecies, latus nobis obuertat ſiniſtrum. Illud enim **** Aegyptiis ſymbolum fuiſſe meridiei, ex teſtimoniis minime ſpernendis conſtat. Idque ab his † ad alias quo-

* HORAPOLLO Lib. II. c. 15.

** In *Miſcellaneis Berolin.* To. VI. p. 140. 141.

*** Peregrinatio Principis RADZIVILII p. 165. 210. THEVENOT To. I. p. 836. 837. VANSLEB p. 36. 37. 40. MAILLET To. I. p. 70. 71. To. II. p. 115. 228. *Le voyage hiſtorique* du Pere LOBO p. 39.

**** PLVTARCHVS de Iſide p. 363. 364. et in *Sympoſ.* L. VIII. Quaeſt. VIII. p. 729.

† THEO in Scholiis ad Aratum p. 12. fin. Edit. Oxon.

quoque gentes politas translatum fuiſſe, deprehendimus. Accedit ad ea, quae diximus, exquiſita alitis huius, in capite, in pectore, et in quadam alarum parte, nigredo, quae etiam βασίλειον eius totum occupauit. Licetne nobis ex hoc indicio detegere *Aſonem Aethiopiſſam*, quae * *Iſidem Aethiopicis Solibus furuam* efficit. Nigror ille ** Symbolum vtique erat ardoris ſolaris, res quaſcunque adurentis. Erat etiam Symbolum *Auſtri*, venti meridionalis, eandem ob cauſam. Poëtae eo non parum delectantur. Eos inter VIRGILIVS canit Georgic. L. III. v. 278.

— aut vnde NIGERRIMVS AVSTER
Naſcitur —

Et OVIDIVS *Metamorph.* Lib. I. v. 264.

— madidis NOTVS euolat alis
Terribilem PICEA TECTVS CALIGINE VVLTVM.

Et VALERIVS FLACCVS Argonaut. Lib. I. v. 611.

— et NOCTI CONCOLOR ALAS
Nimborum cum prole NOTVS.

CLEOMEDES de Meteoris p. 9. et 147. PLVTARCHVS de placitis Philoſ. Lib. I. c. 10.

* ARNOBIVS adu. gentes Lib. I. p. 20.

** PORPHYRIVS apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. III. cap. XIII.

CAPVT

* *

CAPVT IV.

De Canobo, et Menuthi illius vxore.

Canobus Menelai perhibetur Nauclerus, ſepultus eo loco, vbi poſtea vrbs cognominis in Aegypto aedificata fuit. Non videtur autem is in Deorum ordinem ab Aegyptiis vnquam receptus eſſe. §. 1. Neque id etiam Scriptores Ethnici veteres affirmant. Locus *Dionyſii Periegetae* excutitur. §. 2. Templa *Herculis* et *Serapidis* Canobitica a veteribus celebrantur; ſed nullum Canobi. §. 3. Sed nec a Nauclero quidem Menelai, Canobus vrbs nomen accepit. Aegyptii nomen illius vrbis longe aliter interpretabantur. §. 4. Epiphanii locus de diuinitate Canobi Naucleri locus examinatur. Itemque hiſtoria Ruffini de eodem Deo. §. 5. Simulachrum illius Dei Canobitae, quem Ruffinus Canobum vocat, in formam hydriae, vel Baucalii effictum erat. §. 6. 7. Simulachrum hocce a Ruffino deſcriptum, erat forte Agathodaemonis. §. 8. Sed verius erat Simulachrum Serapidis Canobici. §. 9. Inquiritur, cur Serapidi Canobico, forma hydriae afficta et indita fuerit. §. 10. De Menuthi, vxore venditata Canobi. §. 11.

§. 1.

Canobo inter Diuinitates Aegypti, in hoc noſtro *Pantheo*, locus quoque conceditur; non tamen ex noſtra; ſed tantum ex Patrum quorundam ſententia. Nam reliqui Graeci, eum Diis Aegyptiorum haudquaquam accenſent. Tradunt hi, Canobum Nauclerum fuiſſe Menelai, Troia redeuntis, et in Aegyptum appellentis, dum reditum parat in patriam. Aiunt porro, Menelaum aliquod in Aegypto tempus tranſegiſſe, vt naues vireſque collapſas reficeret, eoque

Canobus Menelai perhibetur Nauclerus, eo loco ſepultus, vbi poſtea vrbs cognominis in Aegypto aedificata eſt. Non

autem videtur vnquam in Deorum Aegypti ordinem ab Aegyptiis receptus eſſe.

eoque tempore Canobum e letali viperae morſu interiiſſe, ſepultum illic a Menelao, qui et in honorem eius, vrbem ab eo denominatam Canobum condiderit. Ita Graeci, et, qui hos ſequuntur, Scriptores Latini, plerique, quorum teſtimonia plenis calathis nobis ſubminiſtrat, inſigne Muſarum Germanicarum decus, IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS, in Diſſertatione elaboratiſſima *de Numo Hadriani plumbeo*, * p. 91. 92. Teſtantur illi quidem, Canobum Gubernatorem Menelai, illic loci, vbi poſtea vrbs Canobus extructa fuit, diem ſuum obiiſſe, illic ſepulchrum inueniſſe, illic etiam ad perpetuandam eius memoriam, vrbem ipſi cognominem a Menelao conditam fuiſſe; ſed de eius in coetum Deorum translatione, deque cultu ipſi decreto ſolenni, nec volam nec veſtigium, apud hosce Scriptores reperire licet. Et res haec profecto, ſi verum fateri volumus, omni probabilitatis ſpecie deſtituta eſt. Verum otia hic mihi fecit, Vir doctrina praeſtans, cuius modo feci mentionem, et cuius verba adſcribere non pigebit. * *Cogitemus enim*, ita ille, *Menelaum eiusque comites in Aegypto fuiſſe alienigenas, et, quod maximum, graeca gente oriundos. Cogitemus porro, quod S. Scripturae firmatur teſtimonio* (*Geneſ.* XLIII. 31.) *peregrinos homines adeo auerſatos eſſe Aegyptios, vt cum illis veſci piaculum exiſtimauerint. Ponderemus praeterea, quod maximae inter Graios auctoritatis hiſtoricus*, HERODOTVS, (in Euterpe cap. 31.) *propria edoctus experientia, tradit, Aegyptiorum neminem, Graeci viri os eſſe ſuauiatum: aut cultro, vel veru, vel lebete eius vſum: aut guſtaſſe carnem bouis puri, cultro graeco diſſecti. Haec profecto ita ſunt comparata, vt Iudaeus ſit Apella, qui credat, Aegyptios Canopum, cuius*

* Celeberrimus et Ampliſſ. SCHLAEGERVS, *de Numo Hadriani plumbeo*, p. 93.

ius viui conſortium cane peius et angue fugerant, tantis poſt mortem proſecutos eſſe honoribus, vt eum non ſolum inter Deos retulerint; ſed etiam poſt Oſiridem Iſidemque, Numen reputauerint maximum. Nihil dici verius potuit, idque a nemine, antiquitatum Aegypti bene perito, negari vnquam poterit. Neque etiam in vniuerſum, me vt credam induci patiar, vetuſtiores Aegyptios, dum ſui etiamnum iuris eſſent, legibusque patriis in omnibus obſecundarent, homines, qualescunque etiam eſſent, in Deorum ordinem, dignitatemque euexiſſe. Sed ea de re in *Prolegomenis* prolixe diſputo, quae proinde pluribus hic non tango.

Neque etiam Scriptores veteres Ethnici id affirmant. Locus Dionyſii Periegetae excutitur.

§. 2. Solus, quantum nunc meminiſſe poſſum, DIONYSIVS *Periegetes*, Canobo huic, de quo diximus, Templum, et, quod ex eo ſequitur, honores diuinos vindicare videtur. Etenim de vrbe celeberrima Canobo dicturus, verſibus hiſce eam deſignat v. 12.

> Ἔνθα βορειότατος πέλεται μυχὸς Αἰγύπτιοιο,
> Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου.
> *Vbi maxime borealis eſt Aegypti receſſus,*
> *Et Fanum percelebre Amyclaei Canobi.*

Verum vbi quaeſo Fanum iſtud Canobi celebratum et laudatum oſtendi poteſt? Noui * Scriptores veteres permultos, ſepulchrum memorare Canobi, et inter eos ** quendam de Monumento graeci illius Naucleri ſic loqui, tanquam diu poſt obitum eius conſpicuum etiamnum fuiſſet. Sed de illius Templo, altum apud omnes hos obſeruatur ſilentium. Quae vbi cogitationibus mecum reuoluo, vel inuitus interpretationem EVSTATHII amplecti, meamque facere

* Apud SCHLAEGERVM, lib. cit. p. 92.
** SCYLAX in *Periplo* p. 104. Edit. Gronou. vel p. 43. 44. Edit. Hudſ.

cere cogor. Ita autem is Dionyſii verba interpretatur. Τὴν Κάνωβον πόλιν περιφράζων, ἔτω φησὶ, τέμενος περίπυςον, etc. *Vrbem Canobum deſignaturus, circumſcriptione vtens, Poëta vocat fanum percelebre Amiclaei Canobi, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Canobus vrbs.* Nempe Poëta per metaphoram aliis quoque non parum familiarem, Canobum Fanum dixit, vel Templum Spartani illius Naucleri, eo quod in eius honorem condita eſſe, vulgo crederetur. Vtitur eadem dictione, in illo, quem diximus ſenſu, HOMERVS, Iliad. B. v. 695.

Οἱ δ' εἶχον Φυλάκην, καὶ Πύῤῥασον ἀνθεμόεντα
Δήμητρος τέμενος ———

Qui autem habitabant Phylacem; et Pyrrhaſum floridam,
Cereris Templum. ——

En! *Pyrrhaſum*, vrbem totam, vocat *Templum Cereris*, * quia nempe agri vrbis huius tritici inprimis erant feraces. Conſimiliter PINDARVS, Libyam et Aegyptum integram vocat ** Νείλοιο πίον τέμενος, *Nili pingue fanum*, vel *Templum.* Et ſic locum hunc exponit vetus isque pereruditus Poëtae illius interpres. Τέμενος Νείλυ τὴν Λιβύην φησίν. *Libyam vocat Templum Nili.* Eodem igitur modo DIONYSIVS Canobum vrbem dixit Templum Naucleri Spartani.

Templa Herculis et Serapidis Canobitica celebrantur a

§. 3. Vt vero, quae hactenus adſtruxi, nouum quoddam robur acquirant, obſeruare iuuabit, Canobum vrbem, *** pluribus Templis fanisque celebribus inſtructam fuiſſe, quorum etiam mentionem veteres iniiciunt non raram; verum inter illa, Cano-

* Ita EVSTATHIVS ad hunc loc. p. 324.
** *Pythion.* Od. IV. p. 239. Edit. Pauli Steph.
*** AMMIANVS MARCELLINVS, Lib. XXII. p. 252. Edit. Lindenbrog.

Canobi quoque Templum recenſeri haud videas. HERODOTVS Lib. II. c. 113, prope Canobum ſitum fuiſſe ait *Templum Herculis.* Locus ille, qui Herculis Canobici Templum complectebatur, quique erat quoddam Canobi ſuburbium, dicebatur *Heraclium*, teſte STRABONE, p. 551. *Herculis* vero illic religioſe culti, praeter STRABONEM, meminit etiam TACITVS, Annal. Lib. II. c. 60. Et erat Hercules hicce Aegyptius, Canobi cultus, in ipſa Graecia percelebris. Meminit eius * Oraculum hocce Apollinis Delphici,

veteribus; ſed Canobi nullum.

Ἄλλος ἄρ' Ἡρακλέης, Τιρύνθιος, ἐχὶ Κανωβεύς·

Alius ille erat Hercules, Tyrinthius nempe, non Canobiticus.

Addit autem PAVSANIAS, poſtquam hunc Oraculi verſum attulerat, *Nam et ante Aegyptius Hercules* (id eſt Canobiticus) *Delphos venerat.* Satis autem teſtatur HERODOTVS, loc. cit. Templum illud Herculis prope Canobum ante Menelai aetatem conditum fuiſſe, idque Oraculo illo, cuius verſus attulimus, confirmari videmus. Erat aliud in ipſa vrbe Canobo Templum, *Serapidis* ſcilicet, veterum ſermonibus magnopere celebratum. De illius et Templo et Oraculo, cuius apud omnes exiſtimatio erat magna, STRABO plura refert. Is autem celebriora in vrbibus Aegypti Templa, ſuis plerumque oculis vſurpata, diligenter commemorat, hic vero praeter *Herculis*, ac *Serapidis* Fana, aliud nullum nominat. Hunc ipſum *Serapidem* in animo habuit PLVTARCHVS, vbi ** ex HERACLIDE-*Pontico*, *Plutonis Canopici* mentionem iniecit; quod, cum totus ille locus abunde loquatur, vberiori noſtro

* Apud PAVSANIAM in *Phocicis* cap. XIII. p. 830.

** *de Iſide et Oſir.* p. 361.

explicatione non eget. Neque alium, niſi hunc, dicere voluit CALLIMACHVS, * vbi de Θεῷ Κανωπίτᾳ loquitur, cui Calliſtium, pro filio, votum nuncupauerat. *Canobitarum* ergo *Deus*, qui per excellentiam ſic diceretur, vrbis quippe illius Numen tutelare, non erat Nauclerus Spartanus; ſed *Serapis* Aegyptius. Videntur Ptolemaei reges, Templum huius *Serapidis* Canobicum, aut aedificaſſe, aut ſaltem reſtauraſſe, idque tantis ſumtibus, et tam ſplendide, vt *Serapis Canobicus* in omnium ore eſſet, et magnam etiam apud exteros, famam acquireret, ita vt ipſi in Graecia quoque Templa nuncuparentur. PAVSANIAS certe in arce Corinthi Templum vidit ** Σεϱάπιδος ἐν Κανώβῳ καλȣμένȣ, *Serapidis, quem Canobiticum appellant*, vel qui Canobi colitur. Eorundem Ptolemaeorum curae, ac in bonas literas, auditoresque homines beneuolentiae tribuendum eſſe crediderim, quod Canobi, quae ab Alexandria non longe remota erat, *** Schola floreret, doctis viris egregie ornata, et cuius tanquam magnopere celebris, veteres mentionem non ſemel faciunt. In hac igitur Schola vitam triuit Claudius Ptolemaeus, Mathematicus ſummus et Geographus. Nam **** *in alis Templi Canobici* † (ἐν τοῖς λεγομένοις πτεϱοῖς τȣ̃ Κανώβȣ) *Aſtronomiae*

* In *Epigrammate* LIX. Collectionis Bentleianae. Vide *Callimachum Graeuii*, To. I. p. 228.

** in *Corinthiacis*, cap. IV. p. 121.

*** KIRCHERVS in *Oedipo* To. I. p. 208. Sed cum hoc conferendus et conſulendus omnino erit SCALAEGERVS ſaepe hic citatus, p. 270. 271.

**** OLYMPIODORVS in Commentar. MSS. ad Phaedonem Platonis, apud ISM. BVLLIALDVM, ad Ptolemaeum de iudicandi facultate p. 203.

† Πτεϱὰ ſiue *alae* dicebantur quaedam aedificia Templo contigua. Vide praeter alios BVLLIALDVM, loc. cit. p. 204. 209. 210. etc.

miae operam nauans, quadraginta per annos habitauit. Ob quam cauſam inuentas a ſe Aſtronomicas demonſtrationes et concluſiones, in columnis illic poſitis deſcripſit. Templum vero illud, in cuius alis Ptolemaeus conſenuit, eſſe celebre Serapidis Canobici Templum, ex Inſcriptione Ptolemaei, in columnis Templi illius inſculpta, et * a BVLLIALDO luce publica donata, clare intelligitur. Dicata enim eſt Θεῷ Σωτῆρι, *Deo Seruatori*, qui, vt recte obſeruatum ** viro doctiſſimo, *alius praeter Serapidem non eſt.* In eodem Templo poſthaec, qui Philoſophiam Platonico-Pythagoraeam, recentiorem nempe, ſtudioſe excolebant, illi praeſertim, qui arcanis Theologiae Theurgicae dediti erant, quorum vitas ab EVNAPIO *Sardiano*, homine ſupra quam credi aut dici poteſt, ſuperſtitioſo, deſcriptas habemus, libentiſſime agebant, Sacrisque inanibus operabantur, quod *** exemplis plurimis oſtendi poteſt, donec tandem, imperante Theodoſio M. Templum illud, idolorum cultoribus longe chariſſimum, et Sacro-ſanctum, non ſine ingenti eorum luctu, † penitus euerteretur. Haec ſunt Templa Canobitarum, veteribus, et ſaepiuſcule, vt vidimus, memorata. Solus, quod quidem ſciam, STEPHANVS *Byzantius*, aut forte Epitomator eius HERMOLAVS, Templis hiſce tertium addit *Neptuni*, †† καὶ Ἱερὸν, inquit, Ποσειδῶνος Κανώβου, *et Templum Neptuni Canobi.* Verum, vt quod res eſt dicam, locus ille STEPHANI, non poteſt non mihi vehementer eſſe ſuſpectus, Codex Voſſianus, quem *Berkelius* in Edi-

* In Lib. cit. p. 234.

** BVLLIALDVS, vbi ſupra p. 206.

*** Vide EVNAPIVM in *Aedeſio*, p. 59. 60. 61. Edit. Colon. Allobr. 1616.

† EVNAPIVS, vbi ſupra p. 63. 64.

†† In voce Κάνωβος.

Editione ſua conſuluit, habet hic Ἱερὸν Ποσειδῶνος Κάνωβον. HOLSTENIVS in notis ad eundem locum, comparans eum cum verſu DIONYSII *Periegetae*, ſupra laudato, §. 2, ſcribendum putabat Ἱερὸν Ποσειδῶνος καὶ Κανώβȣ. *Templum Neptuni et Canobi.* At enim, cum oſtenderimus, alium omnino eſſe verſus illius ſenſum, emendationi viri docti ſubſcribere non poſſumus. Templum vel *Neptuni*, vel etiam *Canobi*, aliis Scriptoribus omnibus, de vrbe Canobo loquentibus, videmus eſſe inauditum et incognitum. Ante tempora etiam Ptolemaeorum, in vrbe illa nullum potuit eſſe Templum *Neptuni*, quippe * cuius Numen et nomen, Aegyptiis tempore HERODOTI, penitus ignotum eſſet. Si itaque re ipſa, Canobus, ambitu ſuo Templum compleсteretur *Neptuni*, illud nonniſi auſpiciis regum illorum graecae originis, cum vbique praeualerent Graeci, exſtrui potuit. Sed ne tale quidem Templum *Neptuni Canobitici*, a Scriptore, praeter STEPHANVM, vllo, commemoratum oſtendi poteſt. Quae cum ita ſint, licebit mihi coniicere, STEPHANVM ipſum ſcripſiſſe, Ἱερὸν Πλȣ́τωνος Κανωβίτȣ, *Templum Plutonis Canobici.* Erat nempe, quod modo oſtendimus, Canobi Templum *Serapidis*, magnificum et illuſtre, Deusque hic κατ᾽ ἐξοχὴν dicebatur *Deus Canobicus.* Illum vero HERACLIDES *Ponticus*, vir magnae apud omnes exiſtimationis, ** dicendum eſſe cenſuerat *Plutonem.* Et illum, de quo vix dubitari poteſt, ſecuti erant alii, ob rationem, quam *** antehac pluribus expoſui. Hos, vti opinor, ſecutus quoque eſt STEPHANVS. Verum cum librarii, rei huius ignari, Templum *Plutonis* in Aegypto, con-

* HERODOTVS Lib. II. c. 50.

** Apud PLVTARCHVM, p. 361.

*** Lib. II. cap. IV. §. 6. 7.

concoquere non poſſent, ſcirentque, Canobum eſſe vrbem maritimam, pro Πλέτωνος, perperam omnino repoſuerunt Ποσειδῶνος.

Sed nec a Canobo quidem, Menelai Gubernatore nautico, vrbs ei in Aegypto, vt videtur, cognominis, nomen accepit. Alio namque modo Aegyptii nomen vrbis illius interpretabantur.

§. 4. Quaeſiuimus hactenus, fueritne Canobus, Menelai Spartani Nauclerus, Templum honoresque diuinos in Aegypto conſecutus, quod pernegandum eſſe oſtendimus. At quaeri praeterea et hoc poteſt, appuleritne vnquam Nauclerus Menelai in Aegyptum, nomine *Canobus*, acceperitue ab eo nomen vrbs quondam et in Aegypto, et inter Graecos vehementer celebrata. HERODOTVS Lib. II. c. 119. Menelaum ait in Aegyptum perueniſſe, ibique a Proteo rege Helenam, quam incolumem cuſtodiuerat, recepiſſe; ſed pro hoc beneficio, mala et iniurias Aegyptiis rependiſſe. Et haec ſe a Sacerdotibus accepiſſe teſtatur. De Canobo autem, Menelai Nauclero, verbum non addit. Et profecto, ſi memoria Menelai, quod affirmarunt Sacerdotes, Aegyptiis eſſet ingrata, aut potius inuiſa, quomodo quaeſo paſſi fuiſſent, vt in honorem Canobi, qui Menelao Nauclerus fuerat, vrbs multis nominibus praeſtans, nomine eius inſigniretur? aut quomodo hominem talem, ordini Deorum ſuorum addituri fuiſſent? Et ſane Canobum vrbem, a Nauclero Menelai nomen traxiſſe, diſerte negauit Sacerdos Templi Canobici, quem ſuper ea re ARISTIDES interrogauerat. Verba eius, quibus id teſtatur, etſi ab eruditis plurimis iam excitata, hic quoque apponenda eſſe duxi. * Ἐπεὶ ἔγωγε ἤκεσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῶν ἱερέων· ἐ τε φαυλοτάτε, ὅτι μυρίοις ἔτεσι πρότερον, ἢ Μενέλαον ἐκεῖσε προσχεῖν, τὸ χωρίον ἕτως ὠνομάζετο Καὶ ἐκ ἄντικρυς μὲν ἔλεγε τἔνομα τἔτ' αὐτὸ, ὡς ἀπογράψαι γράμμασιν ἑλληνικοῖς. Ἀλλ' ἦν μὲν ὥσπερ ἐμφερόμενον καὶ περιτρέχον. Αἰγύπτιον δὲ καὶ δυσγράμ-

ματον

* In *Aegyptio*, fol. 96. a. Edit. graec. Florent.

ματον μᾶλλον. Τοδ᾽ ἐν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλȣν ἔφη χρυσȣν ἔδαφος. *Ego quidem in ipſa vrbe Canobo, de Sacerdote quodam non infimo cognoui, multis ante Seculis, quam appelleret eo Menelaus, locum illum nomen Canobi habuiſſe. Neque tamen idem hoc nomen diſerte proferebat, vt Graecis literis ſcribi poſſet, verum vt quaſi alluderet, et Aegyptium eſſet, ac minus poſſet commode ſcribi. Iam illud lingua noſtra ſonare dicebat AVREVM SOLVM.* Et poſtea haec inſuper addit: *Veroſimile eſt, Aegyptiis res ſuas eſſe notiores, quam Homero et Hecataeo.* Et quis, obſecro, verum id eſſe, non agnoſcat? Vides Sacerdotem Canobitam, generis non infimi, et in hiſtoria patria, quod tuto affirmare licet, non hoſpitem, diſerte teſtari, vrbi *Canobo*, nomen hoc fuiſſe diu antequam eo Menelaus, cum Nauclero ſuo appelleret. Et omnino negat, *Canobum* nomen eſſe, aut viri, aut etiam Dei, a quo vrbs fuerit cognominata, quippe cum *Canobi* voce nihil aliud Aegyptiace deſignetur, quam *Solum aureum.* Auſusne fuiſſet Sacerdos ille hoc aſſerere, aut an non tale quid aſſerens, ab ipſo ARISTIDE, et ab vnoquoque, mendacii argui confeſtim potuiſſet, ſi aut *Canobi,* Naucleri Spartani, monumentum qualecunque illic ſuperfuiſſet, aut ſi Templum aliquod, *Canobo* Deo conſecratum, vrbem illam ornaſſet? Et an non ARISTIDES, qui ipſe Canobi praeſens, haec a Sacerdotibus acceperat, audita magnopere probat, eaque, narrationibus Graecorum omnibus et commentis, plane anteponit? Nulla igitur iuſta dari poteſt ratio, cur nos Sacerdoti huic Aegyptio, de rebus patriis teſtanti, fidem denegare velimus. Accedit ad ea quae diximus, quod lingua Aegyptiaca, ex qua Sacerdos nomen *Canobi* explicandum eſſe docuit, obſeruationem eius mirifice confirmet. Oſtendamus id teſtimonio viri ſummi, et quo hactenus rerum harum

harum peritior vixit nemo. Sic autem ille.** *De Ariſtidis fide dubitare non ſinunt ea quae ſuperſunt hodie Copticae, ſiue Aegyptiacae linguae Monumenta, ⲕⲁϩⲓ KAHI enim hodie, quae vox ob adſpirationem graece ſcribi non poteſt, TERRA, et ⲛⲟⲩⲃ, NVB, AVRVM Aegyptiace dicuntur.* Communiter vrbes in Aegypto, quod et ** Veteribus obſeruatum videmus, nomina ſortiebantur a Diis, in quorum tutela eſſe credebantur. Notae ſunt *Dioſpoles*, *Heliopoles*, *Aphroditopoles*, *Hermopoles*, *Heracleopoles*, et ſimiles aliae plurimae. Graeci igitur, moris huius Aegyptiorum non ignari, cum ſaepe audirent *Canobi* vrbis mentionem fieri, et recordarentur, idem illud, aut conſimile nomen, tribui etiam Nauclero Spartano Menelai, hunc vero in Aegyptum, eo circiter loco, quo ſita eſt vrbs Canobus, appuliſſe, in Poëtarum carminibus legiſſent, imaginati ſibi ſunt, a Nauclero vrbem nomen traxiſſe, idque ab vno alteroue literis proditum, Graeci alii admiſerunt, eandemque fabulam ad alios porro propagarunt, cum tamen *Canobus* nihil aliud Aegyptiis, quam *aureum Solum* ſignificauerit.

Epiphanii locus de diuinitate Canobi, Naucleri examinatur. Itemque hiſtoria Ruffini de Deo Canobo.

§. 5. At ſingularia plane ſunt, et aliis vetuſtioribus inaudita, quae de *Canobi* diuinitate, Scriptores quidam Chriſtiani, neſcio vnde petita, referunt. Multis auctoritas eorum impoſuit, nomenque *Canobi*, Naucleri Spartani, celebrius reddidit, quam antea fuerat, quare hoc quicquid eſt, ſine examine dimitti non poteſt. Primum ex iis produco EPIPHANIVM, qui *** in Ancorato, §. CVIII. de *Canobo*

* MAT. VEYSSIERE LA CROZE, in *Diſſertatione Philologica*, ſubiuncta Collectioni Orationum Dominicalium Chamberlaynianae, p. 136.

** Vide Lib. III. cap. III. §. 5.

*** Opp. To. II. p. 109. Edit. Petauii.

nobo haec habet. Κάνωβός τε ὁ Μενελάου κυβερνήτης, καὶ ἡ τούτου γυνὴ Εὐμένουθις, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τεθαμμένοι τιμῶνται πρὸς τῇ ὄχθῃ τῆς θαλάσσης, ἀπὸ δεκαδύο σημείων διεστῶτες. *Canobus quoque Menelai gubernator, cum vxore Eumenuthi, ad Alexandriam ſepulti, prope littus, duodecimo ab vrbe lapide, diuino cultu conſecrantur.* Quod auctor hicce *Canobum, Menelai gubernatorem,* ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, *Alexandriae*, eſſe ſepultum tradat, ex eo erit explicandum, * quod magnae huius vrbis ſuburbia, ad vrbem Canobum vſque pertigiſſe videantur. Et ſane eum vrbem Canopum in animo habuiſſe, ex eo facile pateſcit, quod Nauclerum Alexandriae, ad littus, *duodecimo ab vrbe lapide*, ſepultum fuiſſe ſcribat. Tanto enim interuallo ab Alexandria abfuiſſe vrbem Canobum, ** notant veteres. Quod ad vxorem Naucleri huius, quam liberaliter ipſi tribuit EPIPHANIVS, attinet, de ea ſub finem capitis huius videbimus. Is ceteroquin Scriptor, inter veteres, qui Canobum Spartanum ad honores diuinos euectum eſſe dixerint, primus eſt, quantum inquirendo reperire potui. Sed leuia haec ſunt, et EPIPHANIO condonanda, prae iis, quae ab aliis adduntur. Rem omnem ita narrat RVFFINVS, Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 26. *Iam vero Canopi, quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia? vbi praetextu Sacerdotalium literarum (ita enim appellant antiquas Aegyptiorum literas) magicae artis erat pene publica Schola. Quem locum velut fontem quendam atque originem daemonum, in tantum venerabantur Pagani, vt multo maior ibi celebritas, quam apud Alexandriam*

* IS. VOSSIVS, in *variis Obſeruationibus*, cap. X. p. 43.

** AMMIANVS MARCELLINVS, et PHILARGYRIVS apud SCHLAEGERVM in libro ſaepius citato p. 106. qui videndus hic erit.

drium haberetur. *Sed de huius quoque Monſtri errore, cuiuſmodi originem tradant, abſurdum non erit paucis exponere. Ferunt aliquando Chaldaeos ignem, Deum ſuum, circumferentes, cum omnium Prouinciarum dlis habuiſſe conflictum, quo ſcilicet ſi viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur.* —— *Haec cum audiſſet Canobi Sacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hydriae fieri ſolent in Aegypti partibus fictiles, vndique crebris et minutis admodum foraminibus patulae, quibus turbida aqua deſudans, defecatior ac purior redditur. Harum ille vnam cera foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam ſtatuit in Deum. Et exciſum veteris ſimulachri, quod Menelai Gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptauit. Adſunt poſthaec Chaldaei: itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera qua foramina fuerant obturata, reſoluitur: ſudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldaeorum victor oſtenditur. Vnde ipſum Canopi ſimulachrum pedibus perexiguis, attracto collo, et quaſi ſugillato, ventre tumido, in modum hydriae, cum dorſo aequaliter tereti formatur. Ex hac perſuaſione velut Deus victor omnium colebatur.* Nullus dubito, RVFFINVM haec deſumſiſſe ex Scriptore aliquo graeco, pariter Chriſtiano, ſed dudum deperdito. Verba illius graeca, vti credo, ſeruauit nobis SVIDAS, in voce Κάνωπος, ſed quae, quoniam ſunt prolixa, et cum Ruffinianis, verbulo vno alteroue excepto, per omnia conſentiunt, apud ipſum auctorem legi malo. Hac igitur occaſione, ſi Ruffinum, ſimilesque Scriptores, in cauſa hac audiendos eſſe, cenſemus, *Canobus* Spartanus, inter Aegyptiorum Deos, locum inuenit. Verum impenſe miror, viris eruditis, qui fabulae tali, aures nimium faciles praebuerunt, futilitatem illius non continuo ſuboluiſſe.

luiſſe. Chaldaeos, enim tanta ignem veneratione proſecutos eſſe, vt illi inter Numina domeſtica, locum concederent primum, cum veritate hiſtorica conciliari non poteſt, cum * ne id quidem vllo argumento alicuius ponderis probari poſſit, Chaldaeos igni cultum exhibuiſſe vllum. Viciſſim idonea ratione nulla quiſquam euincet, Aegyptios igni diuinitatem omnem abiudicaſſe, ** cuius contrarium potius nullo negotio, ſi res poſceret, demonſtrari poſſet. Taceo alia, quae abſurditatem et ineptias fabulae huius inſulſae ſatis produnt, ne lectori faſtidium pariam. Aliquid tamen fabellae iſti ſubeſſe veri, quod in pleriſque vſu venit, vltro libensque largior, eique eruendo, aliquam nunc impendamus operam.

Simulacrum illius Dei, quem Ruffinus Canobum vocat, in formam hydriae vel Baucalii effictum erat.

§. 6. Docet nempe RVFFINVS, Statuam *Canobi*, diuinis honoribus affecti, fuiſſe re ipſa *hydriam*, ex certa quadam terra poroſa confectam, qua vti ſolebant ad percolandum aquam Nili turbidam. *Hydriae fieri ſolent*, inquit Presbyter Aquileienſis, *in Aegypti partibus fictiles, vndique crebris et minutis admodum foraminibus patulae, quibus turbida aqua deſudans, defecatior ac purior redditur.* Verba graeca, Scriptoris Anonymi, ex quibus haec RVFFINVS deſumſiſſe videtur, apud SVIDAM ita habent. Ὑδρίαι ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Αἰγύπτου εἰώθασι γίνεσθαι ὀστράκιναι, τρήσεις ἔχουσαι λεπτὰς συνεχεῖς, ὥστε διὰ τῶν τρήσεων ἐκείνων τὸ τεθολωμένον ὕδωρ διυλιζόμενον ἀποδίδοσθαι καθαρώτατον. *Hydriae fictiles, minutis et crebris foraminibus plenae, in Aegypto confici ſolent, vt per foramina illa aqua turbida percolata, redderetur limpi-*

* Vide HYDIVM *de religione vet. Perſarum*, cap. V. p. 130. et SCHLAEGERI Commentationem ſaepius citat. p. 90. 91.

** Videri tamen poſſunt *Prolegomena* noſtra §. 29.

limpidiſſima. Eaſdem hydrias HESYCHIVS deſignat, vbi in voce Στατικὸν inquit: Στατικὸν (lege cum viris doctis Σταϰτικὸν,) πεμμάτιον. πλακουντῶδες. Ἄλλοι δὲ ἀγγεῖα διυλίζοντα νειλῷον ὕδωρ. Id est: Σταϰτικὸν *appellatur aliquod placentulae genus. Alii vero ſic vocant vaſa, quibus aqua Nili percolatur.* Luculentus quoque eſt de iiſdem * GALENI locus, quem debeo diligentiae ** illuſtris SPANHEMII, isque ita ſe habet: Ἔστι δὲ δήπου καὶ τὸ ἰλυῶδες ὕδωρ σύνθετον πῶς, ὡς καὶ τὸ τοῦ Νείλου, τὸ κατ' Αἴγυπτον, ἀλλὰ διὰ τῶν κεραμέων ἀγγείων διηθούμενον. *Eſt porro etiam aqua limoſa quadantenus compoſita, veluti Nili, quae in Aegypto eſt, ſed ea per fictilia vaſa percolata, plane pura efficitur.* Effigies hydriae huius generis, non inelegans, in qua foramina, per quae aqua Nilotica percolatur atque defecatur, diſtincte notata deprehenduntur, in gemma conſpicitur, quam Theſaurus Boruſſo-Brandenburgicus cuſtodit, cuiusque ex eo iconem *** LAVRENTIVS BEGERVS edidit.

§. 7. Alexandrini hydrias et vaſa huius generis ſolebant appellare Βαυκάλια et Καυκάλια. Diſcimus hoc ex PHILOSTORGII Excerptis hiſtor. Eccleſ. Lib. I. c. 4. *Ait Alexandrum quendam Presbyterum, Baucalin cognominatum fuiſſe, ob coacervatam carnis ſuperfluae molem, quae in dorſo eius excreuerat inſtar vaſis teſtacei: cuiusmodi vaſa Alexandrini patrio ſermone Baucalas,* (Βαύκαλας) *vocant.* Si cum his conferre digneris RVFFINI verba, allata *Argumentum idem continuatur et illuſtratur.*

* De Simpl. Medic. Facult. Lib. I. cap. IV.
** Notis in Callimachum p. 117.
*** In *Theſauro Brandenburgico*, To. III. p. 308. Vide et KIRCHERI *Prodromum Copticum* p. 227. et SCHLAEGERI librum ſaepe citat. p. 86.

allata §. 5. 6. videbis deſcriptionem hanc quadrare in eius *Canobum*, qualem nobis depingit. OLYMPIODORVS igitur, Alexandrinus Philoſophus, voce illla * ſemel iterumque vſus eſt. In hiſtoria Monachorum Aegyptiorum, plurima eius mentio occurrit, vbi modo Βαυκάλιον, modo Καυκάλιον appellari videas. In Apophthegmatibus Patrum legas: ** Ἰδὲ παιδάριον ἔςη ἐνώπιον αὐτȣ̃, ἔχον ἄρτον, καὶ βαυκάλιον ὕδατος. *Ecce puerulus coram eo ſtetit, panem tenens, et baucalem aquae.* In iisdem *Apophthegmatibus* et haec occurrunt. *** Ἀνέςη τις πρεσβύτερος μέγας δȣ̃ναι τὸ καυκάλιον **** νερȣ̃. Vtuntur voce eadem Scriptores quoque Latini, quos inter IOHANNES CASSIANVS, Lib. IV. *de inſtitutis renuntiantium* cap. 16. *Si quis*, inquit, *gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, caſu aliquo fregerit.* In iſtis vero *baucaliis*, vel *baucalibus*, aquam Niloticam in Aegypto percolari conſueuiſſe, diſcimus ex PALLADII *hiſtoria Lauſiaca* cap. XX. vbi haec leguntur. † Ὤφθη αὐτῷ τις ἐν σχήματι κόρης, —— καθαρὰν ὀθόνην φέρȣσα, καὶ κατέχȣσα καυκάλιον, ὕδατος ςάζον. *Viſa eſt ei quaedam, puellae ſpeciem prae ſe ferens, —— munda linea veſte induta, et tenens baucalin aqua ſtillantem.* Etenim ἀπὸ τȣ̃ ςάζειν, quod aqua percolata *deſtillaret*, vaſa illa nun-

* In ARISTOTELIS Meteorol. fol. 20. b. verſus fin. et 38. b. verſus fin.

** COTELERII Monumenta Eccleſiae Graecae To. I. p. 441. Vide et p. 434. 470. 471. 490. etc.

*** Ibidem p. 470.

**** Νερὸν apud Scriptores aeui ſequioris dicitur *aqua.* Vide MEVRSII Gloſſarium Graecobarbarum, in voce ΝΕΡΟΝ.

† In *magna Bibliotheca Patrum* Pariſina To. XIII. p. 927.

nuncupata fuiſſe σακτικά, docuit nos HESYCHIVS §. 6. Adde his, quae in *Apophthegmatibus Patrum* habentur, in hunc ſenſum: * *Dicit Abbas Poemen: Aquae natura mollis eſt, lapidis autem dura; verum baucale, quod ſuſpenſum eſt ſupra lapidem, ſtillando, ſtillandoque paulatim, eum cauat ac perforat.*

§. 8. Habebat ergo Statua *Canobi* Dei, de qua RVFFINVM vidimus referentem, §. 5, formam Baucalis vel hydriae, de quo locus dubitandi non eſt. Etenim RVFFINVS, qui Aegyptum A. C. 371. vel 372, adiit, ibique aliquamdiu vixit, de eo loqui poterat, quod oculis ipſe ſubiecerat. Quamuis autem libros hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcripſerit, poſt euerſionem Templi Canobici, quae in A. C. 391. ingruit, de re tamen loquitur notiſſima, tot hominum millibus viſa, plurimorum ſermonibus celebrata, et quae in recenti erat omnium memoria. Non eſt igitur, vt ipſi formam ſimulachri Canobici deſcribenti, fidem denegemus. Et ſupereſt etiamnum ** nummus, a Canobitis, Hadriano imperante percuſſus, in quo ſimulachrum tale, quale RVFFINVS deſcripſit, etſi tamen non per omnia ſimile, diſtincte conſpicitur. Hoc inuicte probat, habuiſſe Canobitas Numen tutelare, forma illa, quam deſcripſimus, viſendum, quod RVFFINVS *Canobum* nuncupauit. Verum quaerat nunc quis, ecquodnam illud Canobitarum Numen fuerit, et cur *Canobi* nomine a RVFFINO deſignetur; cum tamen in vrbe Canobo, nullum hoc nomine inſignitum, Numen cultum fuiſſe, prolixe aſſeruerimus. Venit mihi aliquando in mentem, ſimulachrum illud formae adeo ſingularis, re ipſa repraeſentaſſe

Simulachrum Dei Canobitae, videtur fuiſſe Agathodaemonis.

K 2 τὸν

* COTELERII *Monumenta* To. I. p. 636.

** IOH. VAILLANT *Numiſmatica Aegyptus* ſubiuncta hiſtoriae Ptolemaeorum p. 205.

τὸν ἀγαθὸν Δαίμονα, *bonum Spiritum*, vel *Genium*, vel etiam *Deum*, quem * Aegyptii lingua vernacula dixerunt *Ichnuphi*, et contractius *Cnuphi*. Coniecturae huic non parum fauet ** gemma elegans, cuius ectypon ſaepius editum eſt. In illa cernimus grypem alatam, cui inſidet ſimulachrum ex eorum genere, quae Canobica nuncupant. Gryps pede ſiniſtro premit rotam, in cuius medio crux appa- ret, hoc fere modo picta, . Nouimus autem ex teſtimonio PROCLI, *** alio loco iam in medium allato, hoc ipſo charactere, Aegyptios ſubinnuiſſe τὴν ψυχὴν κοσμικὴν, *Animam mundi*, **** quae a *Cnuphi*, ſiue *Agathodaemone* re ipſa non differre cenſeri debet. Eſtque obſeruatione praeterea dignum, figuram illam Canobicam, quam in nummo Canobitarum cerni diximus, in capite ſerpentem gerere. † Illum vero Symbolum fuiſſe Agathodaemonis Aegyptii, permultorum teſtimoniis vulgatum eſt. Accedit ad haec, quod alueus ille Nili, qui Canobum tendit, et prope illam vrbem in mare ſe exonerat, olim †† ἀγαθὸς δαίμων nuncuparetur. Et vero diſſimile non eſt, nomen hoc a Canobitis ipſi primum impoſitum fuiſſe. Erat enim ipſorum alueus, qui prope ipſorum vrbem celebre oſtium Canobiticum efficiebat. Caretne igitur probabilitate, Numen hoc in vrbe Canobo cultum inueniſſe?

§. 9.

* Vide ſupra Lib. I. c. IV. §. 5. 6.

** *Gemmae* LEONARDI AVGVSTINI Parte I. num. 205. *L'Antiquité expliquée* de MONTFAVCON To. II. Part. II. Planche CXXXIV. num. 4. SCHLAEGERI Commentatio p. [illegible].

*** Lib. I. c. IV. §. 3. p. 86. in not.

**** Ibidem §. 1. et 7.

† Vide ibidem §. 5.

†† PTOLEMAEVS *Geograph.*

§. 9. Sunt tamen, quae ratione inuicta demonſtrant, ſimulachrum *Canobicum*, a RVFFINO deſcriptum, et in Canobitarum Nummo depictum, re ipſa fuiſſe *Serapidis*, quod etiam haud ita pridem, * viro doctiſſimo placuiſſe, non ſine voluptate intellexi. Etenim Dei huius Templum Canobicum, magnitudine, pulchritudine, et ſplendore, inter alia plurima eminens, commemorant veteres, et huius vnius mentionem tantum faciunt, ſi *Herculis* Templum excipias, in Oppido *Herculeo*, vel ſuburbio Canopico aedificatum, §. 3. Et hunc quidem *Serapidem*, veteres *Deum Canobicum* κατ' ἐξοχὴν vocare ſolent, §. 3, tanquam Canobi aut Numen aliud plane non cultum, aut vnum illud ſaltem, vrbis illius verum Numen tutelare fuiſſet. Sed et ea, quae de *Canobi* Numine refert RVFFINVS, talia ſunt, vt nonniſi Serapidi conuenire queant. Scribit enim auctor ille: *Canobi quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia?* Quaenam vero ſint illa flagitia, omnium optime intelligi poterunt, ſi quae RVFFINVS Lib. II. c. 24. ac ** alii, de euerſione Templi Serapidis Alexandrini narrant, diligenter expendantur. Pergit ita RVFFINVS de *Canobo*: *Vbi praetextu ſacerdotalium literarum (ita enim appellant antiquas Aegyptiorum literas,) magicae artis erat pene publica Schola.* Nempe in Templo *Serapidis Canobici*, ſeruabantur Monumenta literis hieroglyphicis, vel Sacerdotalibus conſignata. Et erant, qui ſibi illarum ſcientiam arrogarent, quam cum aliis quoque ſe communicare et poſſe et velle dictitarent. Similiter in Templo *Serapidis Alexandrini*, poſtquam

Re ipſa tamen, certe a temporibus Ptolemaeorum, ſimulachrum erat Serapidis Canobici.

* Ampliſſimus SCHLAEGERVS in *Commentatione* ſaepe citata p. 166. 167. etc.

** SOCRATES hiſt. Eccleſ. Lib. V. c. 16, 17. SOZOMENVS Lib. VII. c. 15.

euerſum eſſet, * literae hieroglyphicae inuentae memorantur. Sed nihil luculentius dici potuit, quam *Canobi Templum magicae artis fuiſſe pene publicam Scholam.* Per *Magiam* hic intelligi Theurgiam Philoſophorum Pythagoraeo-Platonicorum recentiorum, facile mihi largietur, quiſquis in hiſtoria Philoſophica illius aeui hoſpes non eſt. Hanc vero Theologiae Paganicae ſpeciem, in Templo *Serapidis* Canobico, Seculo Aerae Chriſtianae III. et IV. ſtudio mirifico excultam fuiſſe, ideoque, qui eius deſiderio capti erant, ad hancce Scholam auide ſe contuliſſe, ex §. 3. perſpici potuit. De Templo denique *Canobi*, haec inſuper addit RVFFINVS: *Quem locum veluti fontem quendam atque originem daemonum, in tantum venerabantur Pagani, et multo maior ibi celebritas, quam apud Alexandriam haberetur.* Quando Presbyter Aquileienſis ait, Canobum *fontem quendam atque originem daemonum fuiſſe,* videtur alludere ad illam Philoſophorum quorundam gentilium doctrinam, ** *Serapidem eſſe Principem daemonum, malorumque Spirituum.* Vbi vero *celebritatem* Templi *Canobici*, cum *celebritate* Templi *Alexandrini* comparat, nemo eſt, qui non illico intelligat, ſermonem eſſe de *Serapide.* Huius enim Dei Templum, ſumtibus Ptolemaeorum vere regiis, Alexandriae conſtructum, magnitudine, ſtructura mirabili, et celebritate, haud dubie *** ſuperabat omnia totius Aegypti Templa, cumque eodem coniuncta fuerat Schola literarum ac diſciplinarum Graecanicarum valde illuſtris. *Canobus* igitur RVFFINI, alius a *Serapide* eſſe non poteſt.

* SOCRATES, vbi ſupra, cap. 17. SOZOMENVS loc. cit.

** PORPHYRIVS apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. IV. cap. XXIII.

*** RVFFINVS Lib. II. c. 23. THEODORETVS hiſt. Eccleſ. Lib. V. c. 22.

poteſt. Cur vero RVFFINVS, *Serapidem Canobicum*, nomine *Canobi* deſignauerit, ratio in promtu eſt. Sciebat Presbyter ille, vrbes in Aegypto pleraſque, Diis huius gentis eſſe cognomines, conditas quippe in eorum honorem. Sciebat praeterea, a Graecis omnibus perhiberi, Canobum vrbem, in memoriam honoremque Gubernatoris Menelai conditam eſſe, et ab eo nomen accepiſſe. Verum igitur vrbis illius Numen tutelare, credidit eſſe *Canobum* Spartanum, quocunque demum nomine, illud ab Aegyptiis poſtea inſignitum fuiſſet.

Inquiritur, cur Serapidi Canobico, forma hydriae affiƈta fuerit,

§. 10. Vnum reſtat, vt videamus, quam ob rem Canobitarum Sacerdotes, *Serapidi* ſuo formam *baucalis*, vel hydriae indiderint: nam * Alexandriae, ** aliisque in vrbibus Aegypti, ratione longe diuerſa Serapis fingi, ſculpi, pingique conſueuerat. Ideoque, quia forma haec Serapidi in vrbe Canobo culto, propria et peculiaris fuiſſe videtur, omnia huiuſcemodi ſigna, veteris Aegypti, baucalis formam prae ſe ferentia, quae in theſauris Principum, aut aliorum Muſeis ſuperſunt, ab eruditis, vſu fere vniuerſaliter recepto, *Canobica* vocari aſſolent. Et dantur tamen ſigna huius generis plurima, quorum nonnulla *Agathodaemonem*, (§. 8.) alia *** *Iſidem*, alia Numina ab his diuerſa repraeſentant, quaeque, quomodo dici poſſint Canobica, cum Canobum veroſimiliter nunquam viderint, ego quidem rationem nullam video. Verum RVFFINI auƈtoritas eruditos noſtros in erroris ſocietatem pertraxit. Memini, Seculo hoc, in Cryptâ quadam Memphitica, quae

* Vide CVPERI *Harpocratem*, p. 18.

** CVPERVS lib. cit. p. 82. Cui iunge *l'Antiquité expliquée* de MONTFAVCON To. II. Part. II. Planche CXXI. CXXII.

*** Vide SCHLAEGERI Commentationem p. 121. etc. 187.

inter alia, continebat etiam reliquias boum nonnullorum Memphiticorum ſacrorum, quos *Apidum* nomine, veteres Aegyptios coluiſſe ſcimus, * repertas quoque fuiſſe octo hydrias, ex illarum genere, quas *Canobicas* appellare mos eſt, quibus capita foeminina addita erant. Quid ſi dicas, earum vſum non fuiſſe alium, quam vt per illas, aqua Apidi porrigi ſolita, primum percolaretur? Facile tamen et libenter largior, Canobitas omnium primos Serapidi ſuo formam talem adaptaſſe, horumque exemplum imitatos eſſe in Aegypto alios. Et ſuſpicari quis poſſet, terram Canobiticam, ad conficienda huiuſmodi vaſa, ex quibus tantum commodi, vtilitatisque percipiebant Aegyptii, prae aliis aptam, et inprimis idoneam fuiſſe. Hodie vſum illum ipſum praeſtat ** argilla, quae in Aegypto media, prope vrbem reperitur, *Minie* dictam. Et num non coniecturae huic, ipſum vrbis *Canobi* nomen fauet? quod *terram auream* deſignare, ex ARISTIDE, ſupra §. 4. monuimus, et ex reliquiis linguae Aegyptiacae veteris confirmauimus. Qua in re, ſi a vero non aberraui, licebitne mihi dicere, Canobitas, vt oſtenderent omnibus, quanti vaſa haec, a ſe inuenta facerent, Deo ſuo tutelari, formam talem adaptaſſe? Obſeruaui etiam §. 8. vero perquam ſimile eſſe, Canobitas antiquiores Numen coluiſſe *Agathodaemonis*, ſiue *boni Dei*, et hunc forma eadem antiquitus effingi conſueuiſſe. Et fieri potuit, vt Diuinitas haec, tempore demum Ptolemaeorum, priſtinum nomen *Cnuphis*, cum nouo *Serapidis* commutauerit, eo quod huius Numen, Ptolemaeis ſupra omnia charum eſſet et venerabile. *Bonus* vero *Deus*, a Canobitis cultus,

* Voyage troiſieme de PAVL LVCAS To. I. p. 346.

** VANSLEB Relation d'un voyage etc. p. 402. Le dernier voyage de LVCAS To. II. p. 157.

cultus, ipſe erat *Nilus*. Quam non apte ergo illius Numen vaſe huiuſcemodi ſymbolice repraeſentari poterat, quo aqua Nili percolata, iucunda demum ſalubrisque Aegyptiis reddebatur. Quodſi vero Numen Canobitarum antiquiſſimum, etiam ante Ptolemaeorum tempora, fuiſſet *Serapis*, * quod nihil abſurdi inuoluit, multis tamen rationibus, ** proprio ſuo loco demonſtrauimus, huius Numen ad Nilum omnino relatum fuiſſe, eoque vas tale Niliacum, ipſi ceu ſymbolum elegans et valde commodum, dedicari potuiſſe.

§. 11. De *Menuthi*, vxore Canobi, verbum hic addendum putamus. Illius notitiam vni debemus EPIPHANIO, cuius §. 5. haec verba attulimus. *Canobus Gubernator Menelai, cum vxore ſua Eumenuthi, ad Alexandriam ſepulti prope littus, duodecimo ab vrbe lapide, diuino cultu conſecrantur.* In graeco eſt, τȣ́τȣ γυνὴ Ἐυμενȣ̃θις. Scimus vero ex STEPHANO *Ethnicographo*, *** vicum fuiſſe iuxta Canobum, cui nomen Μένȣθις. Vicus hic videtur nomen accepiſſe a *Menuthi* Dea, ſi omnino talis in rerum natura extitit. Aut forte a vico nomen Diuinitati inditum erat, tanquam illius Numini tutelari. Non male igitur ABRAH. BERKELIVS, in notis ad illum Stephani locum, apud EPIPHANIVM legendum cenſet: καὶ ἡ τȣ́τȣ γυνὴ Μένȣθις, quam emendationem non poſſum non probare, vti nec ab eadem HOLSTENIVM alienum eſſe intelligo. Fuiſſe vero in vico *Menuthi*, Templum Numinis alicuius ei cognominis, ex eo colligere eſt, quod EPIPHANIVS † alio loco *mulieres* commemo-

De Menuthi, vxore Canobi ventitata.

* Vide *Panthei* huius Lib. II. c. V. §. 4. 5.

** Lib. IV. c. III.

*** In articulo Μένȣθις.

† *aduerſus haereſes* Lib. III. p. 1093.

memoret, ἐν Μενουθίτιδος (lege Μενούθιδος) *in Templo Menuthis, quae furore correptae, pudoris ſui ac modeſtiae obliuiſcuntur.* Fuit igitur *Menuthis* Numen locale, in ſolo illo vico, cui et nomen forte dedit, cultum. Cur vero eam Canobo, Menelai gubernatori, vxorem iunxerit EPIPHANIVS, cauſam ipſe dicat. Aliam tamen habuiſſe non videtur, quam quod *Menuthis* vicus, in quo Numini cognomini Sacra fiebant, a *Canobo* prope abſuerit. De Numine vero prorſus obſcuro, et cuius praeter EPIPHANIVM, quenquam meminiſſe, non nouimus, alia haud addo, niſi quod ⲘⲈⲒ - ⲚⲞⲨϮ, *Mei - nuti*, Aegyptiis ſignificet *amantem Dei*, aut *amantem Deorum*; ⲘⲎ - ⲚⲞⲨϮ, *Me-nuti* vero deſignare *Deum*, vel *Deam aquae*. Haec videtur vera eſſe nominis illius interpretatio.

CAPVT

* *

CAPVT V.

De Thoth, Hermete, ſeu Mercurio Aegyptiorum.

De Thoth, Aegyptiorum Mercurio, omnia ſunt incerta. §. 1. Nomen huius Dei diuerſimode effertur, Graeci eum interpretantur Mercurium. §. 2. De Patria eius admodum diuerſa referuntur. §. 3. Secundum plurimos fuit rex Aegypti. §. 4. Aegyptii perhibebant, Thoth ſuum fuiſſe virum diuinum, ſumma ſapientiae laude inclytum. §. 5. Idem ex conſenſu omnium literas inueniſſe traditur. §. 6. Neque minus ſcientias fere omnes. §. 7. 8. Eam ob cauſam, viri quidam egregii cenſuerunt, Thoth non eſſe nomen viri; ſed mere fabuloſum, aut myſticum. §. 9. Re ipſa Thoth erat Numen ſymbolicum, cui adſcribebatur, quicquid Sacerdotes ac Philoſophi inueniſſent, aut commentati eſſent. §. 10. Erat ergo Numen Sacerdotale, quod Sacerdotibus, eorumque Collegiis, inuentis ac ſcientiis praeſidere credebatur. §. 11. Numen illud proprie erat Phthas, ſiue Vulcanus, a quo Sacerdotes ſe iactabant impelli, dirigi et inſpirari. §. 12. Antiquiſſimis temporibus, quicquid a Philoſophis inueniretur, aut componeretur, columnis inſcribi ſolebat. §. 13. Inprimis vero id fiebat in Aegypto. §. 14. Columnas ſuas, quibus Sacerdotes ſcientiarum inuenta inſcribebant, referebantur ad Thoth, eiusque eſſe dicebantur. §. 15. Ex obſeruatis conſequi videtur, Sacerdotes per ſuum Thoth, myſtice intellexiſſe columnas, quibus ſcientiae omnes inſcribebantur, idque ex lingua veteri Aegyptiaca confirmatur. §. 16. Has vero columnas religioſo proſecuti ſunt cultu, illisque praefecerunt Vulcanum ſuum ſiue Phthan, quem ex eo cognominarunt Thoth. §. 17. Veteres tres, aut ſaltem duos, Aegyptiorum Mercurios, ſiue Thoth, commemorant, alterum literarum inuentorem, alterum reſtauratorem. §. 18. Id cum ſententia noſtra, §. 16. propoſita, conciliatur. §. 19. De aetate qua duo Mercurii vixerunt. §. 20. De Scriptis Hermeticis. §. 21.

§. 1.

§. 1.

De Thoth, Aegyptiorum Mercurio, omnia incerta ſunt.

Progredior nunc ad Numen Aegyptiorum *Thoth*, quod Graeci Ἑρμῆν, Latini *Mercurium* interpretantur. De eo nihil fere dici poteſt, in quo veteres inter ſe conſentiant omnes, adeo omnia ſunt incerta. Quaeritur, fueritne homo, an vero nomen eius ſit tantum ſymbolicum, quod de reliquorum Deorum Aegypti nominibus aſſeruimus. Qui vero Thoth hominem fuiſſe contendunt, qui olim inter Aegyptios vixerit, eosque beneficiis inſignitis ornauerit, in reliquis quae ad eum ſpectant, non magis inter ſe conſentiunt. Nam et de patria, quae ipſum ediderit, et de tempore, quo vixerit, et de dignitate, quam in Aegypto geſſerit, mira eſt veterum diſſenſio. Plerique etiam eum multiplicant, aut ex vno tres nobis exſculpſerunt *Mercurios* Aegyptios. Si omnia, quae de eo aut veteres memoriae prodidere, aut recentiores etiamnum diſputant, adferre, et pro merito diſcutere vellem, non diſſertationem breuem; ſed librum molis haud exiguae ſcribere me oporteret. Ne igitur laborem vanum, omnique fructu vacuum ſuſcipiam, ea tantum in medium proferam, quae ad ſcopum mihi propoſitum inprimis conducent, et haec ipſa pro virili, vt potero, contraham.

Nomen huius Dei non vno modo effertur. Graeci eum interpretantur Mercurium.

§. 2. Numini illi, cuius interpretationem aggredimur, Aegyptii patrio ſuo ſermone, nomen impoſuerunt *Thoyth*, vel *Thoth*. Plato veterum omnium, ex iis qui ſuperſunt, antiquiſſimus, qui Dei huius meminerit, eum nuncupat *Theuth*. Nam de eo loquens in *Phil.* p. 156. Edit. graec. Baſil. ſcribit: εἴτε τις Θεὸς, εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ Θεὺθ τινα γένεσθαι λέγων. *Siue aliquis Deus, ſiue vero homo diuinus, vt fama fert in Aegypto, fuit ille Theuth.* Sic nomen ſcriptum legitur

gitur etiam in *Phaedro* p. 213. Sed plerique nomen hoc Θωὺθ, *Thoyth*, et nonnihil contractius, Θὼθ, *Thoth*, efferre ſolent. Pſeudo-SANCHVNIATHON, in ficta, quam ipſi PHILO *Byblius* ſuppoſuit, *hiſtoria Phoenicica*, eum vocat *Taautum*, et de eo hoc addit: * Τάαυτος, ὃν Αἰγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θὼθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν. *Taautus, quem Aegyptii Thoyth, Alexandrini vero Thoth nominant, Graeci autem* Ἑρμῆν, *id eſt Mercurium reddidere.* CICERO, vbi plures Mercurios enumerat, etiam noſtri mentionem facit, Lib. III. *de Nat. Deor.* cap. 22. *Quintus Mercurius, qui dicitur Aegypto praefuiſſe, atque Aegyptiis leges et literas tradidiſſe. Hunc Aegyptii Thoyth appellant. Eodem nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* Et notum eſt eruditis, primum Aegyptiorum menſem, lingua ipſis propria dici *Thoth*, ** quemadmodum Graeci Latinique nomen illud efferunt. In Coptorum vero libris manu exaratis, quos euolui, nomen iſtius menſis ſcribitur ⲐⲰⲞⲨⲦ, *Thouth.* LACTANTIVS ex CICERONE, quem et nominat, eadem repetit Lib. I. cap. 6. Plura non adfero. Satis ex his perſpicitur, Numen illud, cuius molimur interpretationem, ab ipſis Aegyptiis, voce patria appellatum fuiſſe *Thoyth*, vel *Thoth*, idque Graecos omnes interpretatos eſſe et dixiſſe Ἑρμῆν, ſiue *Mercurium.*

De Patria huius Thoth admodum diuerſa referuntur.

§. 3. Patriam Merçurio huic non omnes eandem aſſignant. Pſeudo-SANCHVNIATHON, Scriptor hiſtoriae, vti iactatur, Phoenicicae, *** facit eum

* Apud EVSEBIVM, Praeparat. Euang. Lib. I. cap. IX. p. 31. fin. 32.

** Vide LINDENBROGII *notas* ad *Cenſorinum de die natali* cap. XVIII.

*** Apud EVSEBIVM, Praeparat. Euang. Lib. I. c. X. Vide inprimis p. 40.

eum popularem ſuum, id eſt Phoenicem, aitque, eum vna cum Saturno in *regionem Meridiei* (εἰς Νότȣ χώραν) id eſt Aegyptum, veniſſe. Refert Auctor *Chronici Paſchalis*, vel *Alexandrini*, traditionem aliam, * ſecundum quam *Mercurius* gente fuit Italus, ac in Italia etiam ſub nomine *Fauni* regnauit: poſt aliquod vero tempus, relicta Italia, in Aegyptum conceſſit, ibique regno potitus eſt. CICERO,, neſcio quo praeeunte, eum transfert in Graeciam. Etenim perhibet, ** eum *coli a Pheneatis, interemiſſe Argum, ob eamque cauſam in Aegyptum profugiſſe —— eumque Aegyptios Thoth appellare.* Quid opus eſt plura eandem in rem congerere? Cum vero extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, ipſos Aegyptios Thoth ſuum, tanquam indigenam regionis ſuae, ſibi vindicare, non eſt, quod in eadem cauſa, alios potius audiamus, praeſertim tanta, tamque immani diſcordia, inter ſe laborantes.

Secundum plurimos Thoth rex fuit Aegypti.

§. 4. Ex iis quae modo attulimus, perſpici iam potuit, fuiſſe, qui eum in Aegypto regnaſſe, tradiderint. SANCHVNIATHON namque fictitius, non modo narrat, eum cum Saturno in Aegyptum veniſſe; ſed *** addit etiam, *Saturnum eum Aegypti vniuerſae regem creaſſe.* Et ex *Chronico Paſchali* retulimus §. 3, traditionem, iuxta quam, *ex Italia profugus, in Aegyptum peruenit, vbi poſt Meſtrem* (i. e. *Miſraim*) *Chami ſobolem, cuius tempore aduenerat, regno potitus eſt.* Id ERATOSTHENES ipſe, in laterculo regum Thebaeorum Aegypti, dicere viris doctiſſimis viſus eſt. Is enim primum Aegypti regem *Menem* appellat, quod etiam alii plurimi affirmant. Et hunc *Menem* eſſe aut *Chamum*, aut filium

* *Chronicon Paſchale* p. 44. Edit. Pariſ.
** *de Natura Deor.* Lib. III. c. 22.
*** Vbi ſupra.

ſilium eius *Miſraim*, concors eſt pene omnium ſententia. *Meni* vero idem ſucceſſorem dat *Athothen*, quem graece interpretatur Ἑρμογενῆ, *Mercurio genitum*. Hunc * MARSHAMVS habet pro ipſo *Thoth*, vel Mercurio Aegyptiorum, calculum ſententiae huic adiiciente ** SAMVELE SCHVCKFORDIO, qui praeterea hariolatur, fuiſſe hunc *Thoth*, illum Miſraimi filium, quem hiſtoria Moſaica *Pathruſim* nuncupat, *Geneſ.* X. 14. Verum, vt quod res eſt dicam, ego haec probare nulla ratione poſſum. Nam *Menem* veterum, eſſe *Miſraimum* Scripturae, non facile mihi quiſquam perſuadebit, cum *** tot rationes huic ſententiae obeſſe videam. Et ſi vel liberaliter largirer, *Menem* ERATOSTHENIS, eſſe *Miſraimum* Moſaicum, ne ſic quidem confici poſſet, filium huius *Athothem*, eſſe celebratum illum tot hominum ſermonibus *Mercurium* Aegyptiorum. Nam non dicitur ille *Thoth*, vel *Thoyth*, verum *Athothes*, idque ipſe ERATOSTHENES interpretatur Ἑρμογενῆ, *Mercurio natum*. Et profecto *Ha-Thoth* ſignificat *Mercurialem*, vel qui ad *Mercurium*, ſeu generatione, ſeu alio quocunque modo pertinet. Id tamen ex eo diſcimus, *Thothum*, quiſquis demum ſit, antiquitatis eſſe vltimae, et in ipſis initiis conditi regni Aegyptiorum, iam floruiſſe. Hinc in *Dynaſtiis* MANETHONIS tradi vidimus, † primum *Thoth*, Diluuio extitiſſe antiquiorem, quod de diluuio Noachico intelligendum eſſe, omnia clamant. Nempe nihil eo antiquius norant.

§. 5. Verum PLATO, qui id in ipſa Aegypto, ex perueuſta traditione hauſiſſe videtur, *Thothum* nobis *Aegyptii tradiderunt, Thoth*

* in *Canone Chronico* p. 34.
** *Hiſtoire du Monde* T. I. p. 215.
*** Vide PERIZONII *origines Aegyptiacas* cap. V. p. 65. 66.
† Apud SYNCELLVM in Chronograph. p. 40. Vide infra §. 14.

fuiſſe virum diuinum, et ter maximum, ſumma ſapientiae laude inclytum.

nobis repraeſentat tanquam Deum, aut virum diuinum, maxima ſapientiae gloria inclytum, ac ſcientiarum praeſtantiſſimarum inuentorem, §. 2. Ait quoque eum floruiſſe, * dum in Aegypto ſummae rerum praeeſſet *Thamus*. Suſpicor autem, hunc eſſe illum ipſum, qui Meni in regno Aegypti ſucceſſit, quique ERATOSTHENI, quod vidimus §. 4, *Athothes* audit. Ceterum laus illa rarae ſapientiae ac doctrinae, qua ſemper *Thoth* in Aegypto illuſtris fuit, effecit, vt, ſaltem ** a MANETHONIS tempore, cognomine Τρισμεγίστου, *ter maximi* condecoraretur. Reperias illud etiam *** in fragmento SANCHVNIATHONIS, Scriptoris, ſi Diis placet, antiquiſſimi. Et de eodem LACTANTIVS ſcribit Lib. I. c. 6. *Qui tametſi homo fuit, tamen antiquiſſimus omni genere doctrinae: adeo vt ei multarum rerum et artium ſcientia, Triſmegiſto cognomen imponeret.* Neque illud ignorauit MARTIALIS, vt qui ipſum ſic compellet, Lib. V. Epigr. 24. vel 25.

Hermes omnia ſolus, et ter maximus.

Solent cognomen idem praeferre Scripta, quae *Mercurio* huic tanquam auctori tribuuntur, quos tamen, certe pleroſque Chriſtiani Scriptores orbi obtruſerunt, et quidem Gnoſticorum deliriis imbuti. Alii traditionem hanc, de *Thotho*, Philoſophorum Aegypti omnium et primo, et maximo, ſic incruſtarunt, vt perhiberent, eum **** ſiue *Saturno*, ſiue, vt alii, † *Oſiridi*, a ſecretis et Epiſtolis fuiſſe. Neque deſunt, qui tradiderint, †† eum, poſtquam mu-

* in *Phaedro* p. 213.

** SYNCELLVS in *Chronographia* p. 40.

*** Apud EVSEBIVM, Praepar. Euang. Lib. I. c. X. p. 36.

**** SANCHVNIATHON apud EVSEBIVM, vbi ſupra p. 36.

† DIODORVS *Siculus* p. 14. 15.

†† SANCHVNIATHON, vbi ſupra p. 36. et 39. SCHVCKFORD hiſtoire du Monde To. I. p. 230.

munere hoc aliquamdiu functus eſſet, ad regnum tandem perueniſſe.

§. 6. Id vero magno conſenſu teſtantur veteres omnes, Aegyptium huncce *Thoth* inueniſſe literas. Teſtem huius rei habemus ipſum PLATONEM, qui id in Aegypto a Sacerdotibus accepiſſe videtur. Ait autem is, * *Thoth* hunc literas inueniſſe, ac vocales a conſonantibus, mutasque a liquidis diſcreuiſſe, vnde merito Deus, aut certe vir diuinus dicendus ſit. Et idem hoc, ** plurimi alii perhibent. Sunt inter eos, qui de *Thoth* hoc affirmant, qui contendant, eum literas in vniuerſum inueniſſe, earumque vſum primum inuexiſſe. Ita certe ſenſit PLATO, eaque videtur eſſe opinio apud veteres communiter recepta. Pſeudo-SANCHVNIATHONIS ea de re verba magnificum quid ſonant. *** *Taautus, inquit, omnium, qui lucem hanc aſpexerunt, primus literas inuenit, ac ſcribendorum commentariorum auctor fuit.* Alii hanc inuentionis laudem ad ſolas Aegyptiorum literas, reſtringere videntur. Eos inter eſt PLVTARCHVS, cuius verba a KIRCHERO perperam accepta, ideo apponam, vt explicare poſſim. Sic autem illa concipiuntur. † Ἑρμῆς λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν. διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον Ἶβιν γράφουσι, οὐκ ὀρθῶς κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, ἀναύδῳ καὶ ἀφθόγγῳ προεδρίαν ἐν γράμμασιν ἀποδόντες. Quae latine hunc in modum reddenda ſunt. *Mercurius primus Deorum, in Aegypto traditur inueniſſe*

Idem ex conſenſu omnium, literas inueniſſe traditur.

* In *Philebo* p. 157. Adde eiuſdem *Phaedrum* p. 213.

** CICERO de Nat. Deor. Lib. III. c. 22. PLINIVS Lib. VII. c. 56. ARNOBIVS Lib. IV. p. 135. Sic et DIODORVS p. 14.

*** Apud EVSEBIVM *Praeparat. Euang.* Lib. I. c. IX. p. 31.

† *Sympoſiac.* Lib. IX. Quaeſt. 3. p. 738.

ueniſſe literas. Itaque Ibin ſignum primae literae fecerunt Aegyptii: non recte quidem meo iudicio, literae mutae primum deferentes locum. Non nego, haec in verſione vulgata, obſcurum quid ſonare, quare non miror, * KIRCHERVM, qui illi inhaeſiſſe videtur, in percipiendo PLVTARCHI ſenſu aberraſſe. Aegyptii nempe, vt in fingendis etiam literis, memoriam Mercurii honorarent, primae literae ſignum voluerunt eſſe Ibidem, quae eſt ales Mercurio ſacra. Perhibebant autem Aegyptii, ** ibidem roſtrum ſuum ſub pectus, in pennas recondentem, figuram referre trianguli aut cordis. Id etiam *** in gemmis quibuſdam antiquis, diſtincte depictum, luculenter cerni poteſt. Eaque de cauſa, Aegyptii † cor deſignaturi, Ibidem pingere ſolebant. Sed quaenam eſt illa Aegyptiorum litera prima, Ibidis figuram referens? KIRCHERVS exiſtimabat, literam hanc eſſe A, quippe quae cordi inuerſo, aut triangulo abſimilis non eſſet. Verum non attendit ad PLVTARCHI verba modo allata, quae ſane in verſione vulgata latina auctoris ſui mentem non referunt. Id autem ſignificat PLVTARCHVS, Aegyptios inter literas, locum primum, haud recte, dediſſe *literae mutae*. Literam igitur illam, cuius ſignum erat Ibis, liquet fuiſſe mutam, quod literae A non conuenire, quiuis intelligit, quippe quae vocalis ſit. Difficultatem hanc ſoluet MARTIANVS CAPELLA, cuius idcirco verba e Lib. II. p. 42. adſcribam. *Erat in medio auis Aegyptia, quae Ibis memoratur, ab incolis.* —— *Ipſa vero Ibis praenotatum gerit nomen menſis cuiuſdam Memphitici.* Vt

* Vide eius *Prodromum Coptum*, p. 235.

** PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. IV. Quaeſt. 5. p. 670. AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 29.

*** Vide KIRCHERVM loc. cit. CHIFLETII Gemmas Abraxeas num. 16.

† HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 36.

Vt vero haec diſtinctius intelligantur, tenendum eſt, quod iam monuimus, * *Ibidem autem* Mercurio ſingulariter dilectam et conſecratam fuiſſe, vnde poſtea Graeci finxerunt, ** *Mercurium* Aegyptiorum, ſiue *Thoth*, rabiem Typhonis euaſurum, Ibidis induiſſe figuram. Hinc iam diuinare licet, quiſnam ſit menſis ille Memphiticus, cuius nomen praenotatum gerit Ibis. Eſt nempe primus menſium anni Aegyptiorum, qui idem plane cum ipſorum Mercurio nomen gerit, nempe *Thoth*. Vide §. 2. Huius nomen praenotatum gerit Ibis, quia vbi roſtrum abscondit in pennis, quas ſub pectore habet, figuram repraeſentat cordis, aut trianguli, aut literae Θ, quae eſt prima litera nominis Θωϑ, quo Aegyptii et Mercurium ſuum, et primum totius anni menſem deſignabant. Locum hunc MARTIANI CAPELLAE, quem nunc excuſſimus, egregie illuſtratum videmus in *Tabula Bembina*. In illius enim Segmento ſecundo, locum fere medium occupat, *** *imago ſedens, cui appoſitum eſt Ibidis caput*, eaque in Editione Amſtelodamenſi *Friſii*, litera X, inſignitur. PIGNORIVS in illius Tabulae expoſitione, arbitratur, imagine illa deſignari *Iſidem*; verum in eo fallitur. Subindicat enim Aegyptiorum *Thoth*, ſiue *Mercurium*, cui ales illa, vt diximus, perdilecta ſacrataque erat. Et cum hanc imaginem, ſubſequatur continuo ſymbolica alia, † quae *Sothin*, id

 eſt

* PLATO in *Phaedro* p. 212. fin. AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 29. PLVTARCHVS Sympoſ. p. 738. HORAPOLLO Hierogl. Lib. I. c. 10. et 36.

** OVIDIVS Metamorph. Lib. V. v. 330. ANTONINVS LIBERALIS Fab. XXVIII. HYGINVS Poët. Aſtron. Lib. II. c. 28.

*** Ita PIGNORIVS in *expoſitione Menſae Iſiacae*, p. 40.

† Ea de re dixi Lib. I. cap. III. §. 14. Adde Lib. IV. cap. II. §. 21.

eſt principium anni, adeoque primum diem menſis *Thoth* innuit, ſatis iam perſpici poterit, figuram illam Mercurialem, capite Ibidis inſignem, *praenotare*, vt loquitur CAPELLA, vel praeſignificare *Thoth*, menſem Memphiticum, iam iam imminentem. Ex his igitur, quae paulo prolixius diſputauimus, conſequi manifeſtum eſt, literam, quae Ibidis figuram refert, quamque veteres Aegyptii, in literarum ordine, primum locum ſeruare volebant, eſſe, Θ, et literam hanc in antiquiſſimo Aegyptiorum Alphabeto, figura ſua, acceſſiſſe ad formam graeci Θ. Num vero hoc de primo *Thoth* intelligi poſſit, atque temporibus antiquitatis vltimae conueniat, ex ſequentibus diiudicari poterit.

Neque minus ſcientias propemodum omnes.

§. 7. Quomodocunque vero res iſta ſe habeat, Aegyptii huic ſuo *Thoth*, praeter inuentionem literarum, ſcientiarum quoque tantum non omnium liberaliter adſcribebant, vt igitur *Thoth*, non hominis; ſed doctrinae nomen fuiſſe, totumque ſcientiarum omnium vaſtum ambitum deſignaſſe videatur. Nam ſi veteribus credimus, * *communem loquelam articulatim diſtinxit, rebusque multis nomen primus indidit.* Ad haec ** *numeros* quoque rerumque menſuras excogitauit et *artem Arithmeticam* digeſſit. Factum hinc eſt, vt cum Aegyptii rerum harum inuentionem et ſcientiam Mercurio ſuo adſcriberent, eandem quoque *** ad Ibidem, volucrem ipſi conſecratam, transferrent. Aſſerebant porro de *Thoth* ſuo Aegyptii, quod **** *Geometriam* quoque, ſcientiam ſibi perneceſſariam, ac inſuper ſcientiam

* DIODORVS p. 14.

** PLATO in *Phaedro*, vbi ſupra. STOBAEVS Eclog. Phyſic. p. 2.

*** CLEMENS *Alexandr.* Stromat. L. V. p. 567.

**** PLATO in *Phaedro* loc. cit. DIODORVS p. 73.

tiam * *Aſtronomicam*, non minus atque vaniloquentiam *Aſtrologicam* adinueniſſet. Et extabant olim libri plurimi, ſuperſuntque hodie nonnulli, praeceptis Aſtrologicis referti, ab impoſtoribus contexti, qui tamen illis venerabile *Hermetis*, ſiue *Mercurii* nomen praefixerunt. Dicebant praeterea Aegyptii, huncce *Mercurium*, ſiue *Thoth*, ** *vocum* quoque *harmonias et naturas primum obſeruaſſe*, ac *** *lyram* ad haec excogitaſſe. Neque minus idem doctrinam de actionibus recte, iuſte, et pie inſtituendis, in Aegypto tradidit. Veteres certe teſtantur, eum **** *Aegyptiis leges tuliſſe*. Et nouimus ſane † leges de iuſtitia et iure, quibus Aegyptii vtebantur, ad ipſorum *Mercurium*, ceu verum auctorem relatas fuiſſe. Inter *libros* etiam *Mercuriales*, Sacerdotum cuſtodiae concreditos, quosque illi plane ediſcebant, erant †† *libri de Legibus*, quos AELIANVS videtur voluiſſe deſignare, ††† vbi commemorat τὰ τȣ̃ Ἑρμȣ̃ νόμιμα, quod vertere poſſis, *corpus iuris et legum Mercurii*. Verum eidem quoque omnem de Deo rebusque diuinis ſcientiam in acceptis ferebant. Credebatur ipſe †††† doctrinam de Deo in formam artis redegiſſe, inque certum ordinem methodice digeſſiſſe, ac praeterea * cultum Deorum, et rationem ſacrificiorum totam ordinaſſe, idque

 ſatis

* PLATO, vbi ſupra. DIODORVS p. 14. ARNOBIVS Lib. II. p. 92.

** DIODORVS p. 14.

*** DIODORVS loc. cit. PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 373.

**** CICERO, vbi ſupra. LACTANTIVS Lib. I. c. 6.

† DIOGENES LAERTIVS in Prooem. hiſt. Philoſ. §. 11.

†† CLEMENS *Alexandrinus* Stromat. Lib. VI. p. 634.

††† Var. Hiſt. Lib. XIV. c. 34.

†††† PHILO BYBLIVS, apud EVSEBIVM Praep. Euang. Lib. I. c. X. p. 40.

* DIODORVS p. 14

ſatis teſtantur * *libri Mercuriales*, quos Sacerdotes ſollicite cuſtodiebant, ſecundum quorum praeſcripta, ipſis incumbebat, omnia quae ad religionem, cultumque Deorum ſpectabant, curate peragere.

Quod porro illuſtratur.

§. 8. Ex his igitur, quae veteres de Aegyptiorum *Thoth*, ſiue *Mercurio* referunt, ſatis intelligi poteſt, omne quicquid doctrinae aut ſcientiae nomen mereri viſum eſt Aegyptiis, id huic Deo, ſcientiarum inuentori et conditori, attributum fuiſſe. TERTVLLIANVS igitur, omnis Antiquitatis egregie peritus, ** *Mercurium illum Triſmegiſtum, magiſtrum omnium Phyſicorum* vocare non dubitauit. Quoniam vero doctrina de rerum natura, olim apud gentes pleraſque, certe cultiores, et artium ſtudiis expolitas, *** fundamentum fuit omnis Theologiae, ſequitur, ipſi deberi, quicquid Theologi vetuſtiores de Deo rebusque diuinis, populis tradiderunt ac praeceperunt. Et vt omnia paucis complectar, **** *Sacerdotes* Aegyptii *aſſeuerabant, ſcientias, diſciplinas, ac artes omnes inueniſſe Mercurium*, ſiue *Thoth*. Has AELIANVS vocat † τȣ̃ Ἑρμȣ̃ τὰ νοήματα, *Mercurii ſcientias et placita.* Paulo vberius id explicat, auctor Anonymus *Librorum* XV. *Hermaicorum*, ſiue *Mercurialium*, Athenis olim editorum, apud quem Sacerdos aliquis introducitur, hunc in modum diſputans. †† *Vt igitur ad ſimiles progrediamur, numquid audis, noſtratem Herculem Aegyptium, vniuerſam terram in tractus et portiones diuiſiſſe, funiculo rura dimenſum eſſe, foſſas ad irrigationes duxiſſe,*

* CLEMENS *Alexandrinus* p. 633. 634.
** aduerſus Valentinianos, cap. XV.
*** Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra, §. 45.
**** DIODORVS p. 41.
† *Var. Hiſt.* Lib. XII. cap. 4.
†† Apud CYRILLVM *Alexandr.* Lib. I. adu. Iulian. p. 30.

duxiſſe, leges poſuiſſe, * *et regiones ab iis denominaſſe, conſtituiſſeque contractus ac conuentiones, nouiſſime vero de ſingulorum ſiderum exortu accurate diſſeruiſſe, ac herbarum etiam naturam ac indolem indagaſſe: nec non numeros ac computationes excogitaſſe, ac Geometriam denique et Aſtronomiam, vti et Aſtrologiam, Muſicam ad haec, totamque Grammaticam a ſe inuentam tradidiſſe.* Quid de homine dicendum putabimus, qui primus omnium harum rerum ideam concipere, qui eas polire, digerere, perficere, et in artis formam redigere potuit? Mirum non eſt, ſi talis homo vnquam fuit, eum a ſuperſtitioſis creaturarum cultoribus ipſi Deorum ſuorum choro additum, aut certe viris diuinis, omniumque Seculorum admiratione ac veneratione dignis, annumeratum fuiſſe. Haec ceteroquin Aegyptiorum de Mercurio ſuo, ſcientiarum omnium inuentore, perſuaſio, tranſiit quoque in eorum genethliacam, ex cuius praeceptis haec tradit IVLIVS FIRMICVS, *Matheſ.* Lib. III. c. 8. *Mercurius in parte horoſcopi partiliter conſtitutus, in his quibus gaudet ſignis, in diurna genitura, faciet Philoſophos, grammaticae artis magiſtros; geometras, coeleſtia ſaepe tractantes, — aut ſacrarum literarum peritos facit.*

§. 9. Cum igitur in propatulo ſit, hinc quidem, de patria, aetate, ac dignitate noſtri *Thoth*, omnia incertitudine laborare mira, illinc vero, huic ipſi attribui, quae ab vno homine proficiſci omnino non potuerunt, quippe quae complures, ſociata opera, aut in curriculo eodem, ſibi inuicem ſuccedentes, praeſtare vix poſſint, non eſt quod valde mirer, viros ingenii perſpicacis, variaque doctrina ornatos, ancipites in hoc argumento haeſitaſſe, et in ſententias admodum diuerſas diſtractos fuiſſe. Olim qui-

Eam ob rationem viri egregii cenſuerunt, Thoth non eſſe nomen viri, ſed mere fabuloſum, aut myſticum.

* Excidit hic aliquid e Textu, quod ſic fere poſſis ſupplere, *vrbes condidiſſe.*

quidam in eam incidere cogitationem, Aegyptium *Thoth*, * ſolo tantum hoc nomine peregrino, non autem re ipſa, ab *Henocho* Patriarcha diſtinctum eſſe. Alii ex veteribus, in *Hermete*, ſeu *Thoth* Aegyptio, ** *Moſen* legislatorem Hebraeorum latere, eorumque ſententiae veritatis ſpeciem pro virili conciliare anniſus eſt, vir illuſtris; ſed in his rebus nimis ingenioſus, HVETIVS, cuius conatus neminem latent. Alia nunc tacitus praetereo. Sed eorum ſententiam omittere non poſſum, *** quibus *nomen* Aegyptii *Thoth*, vel *Hermetis Triſmegiſti*, *totum fabuloſum*, *ſeu potius myſticum eſſe videtur*, *quo non homo aliquis*, *qui vere in his terris aliquando vixerit*, *familiarisque genii adminiculo*, *ita eminuerit*, *veluti de Hermete ex quorundam opinione refert Ammianus Marcellinus Lib. XXI. cap. 14. ſed Deus ipſe*, *ſiue diuinae ſapientiae vis ſignificetur*, —— *cuius nomine ſapientiſſimos quoſque Aegyptiorum*, *quaeuis ſcripta ac reperta ſua commendaſſe*, *Iamblichus autor eſt*, *in quam ſententiam auctor Aſclepii dialogi*, *qui ſub Hermetis ſecundi ambulat nomine*, *auum ſuum laudat*, *tanquam Deum aliquem*, *Mercurium maiorem*, *patrem conſilii*, *omniumque* κατηχητήν. Sententia haec ſemper mihi perplacuit, parumque a vero abeſſe viſa eſt. Et mihi, ea de re cogitanti, cogitationes his perſimiles in mentem venerunt, quas nunc dilucidius exponam.

Re ipſa Thoth Numen erat ſymbolicum, cui adſcribebatur,

§. 10. Si nempe rem hanc ab omni parte verſemus, ac diligenter excutiamus, facile apparebit, *Thoth* Numen aliquod fuiſſe ſymbolicum, cuius nomini adſcribebatur, quicquid in literis & diſciplinis eſſet

* ABVLPHARAIVS hiſt. Dynaſt. p. 6. 7.
** ARTAPANVS apud EVSEBIVM Praep. Eu. L. IX. c. 27. EVSTATHIVS in Hexaëm p. 82.
*** CLVVERIVS et CONRINGIVS, in FABRICII Biblioth. Graec. Vol. I. p. 47.

eſſet inuentum, etſi re ipſa ex ingenio et calamo Sacerdotum ac Philoſophorum in Aegypto, eſſet profectum. Et id quidem conceptis verbis teſtatur IAMBLICHVS, in ipſo initio librorum *de Myſteriis Aegyptiorum*, cuius locum proinde adſcribo, id fere ſonantem. *Deus eloquentiae praeſes Mercurius, olim recte exiſtimatus eſt, Sacerdotibus omnibus eſſe communis; quique verae de Diis ſcientiae praeeſt, vnus eſt idemque in vniuerſis. Quare et noſtri maiores, ſuae ſapientiae inuenta, illi dedicabant, propria ſua commentaria omnia Mercurii nomine inſcribentes.* Haec autem loquitur Sacerdos Aegyptius, nomine *Abammon* (quaſi dicas Sacerdotem Dei Ammonis,) ſub cuius nomine IAMBLICHVS librum ſuum conſcripſit. Ex eo igitur liquet, re ipſa non fuiſſe aliquem *Thoth*, tot voluminum auctorem, qui literarum vſum inuexerit, quique ſcientias plurimas, inuenerit, expoliuerit, perfecerit; verum Sacerdotes et Philoſophos, Numini cuidam *Thoth* in acceptis tuliſſe, quicquid aut ipſi inueniſſent, aut ordinaſſent, ac praecepiſſent, aut denique literis mandaſſent. Hinc iam ſtupendus ille et vere incredibilis librorum Hermeticorum numerus. THOMAS GALEVS vir doctiſſimus, ad locum IAMBLICHI modo citatum, egregia plurima obſeruat, eo ſpectantia, illisque tandem haec ſubiungit, quae praetermittere nolim. „Galenus Lib. I. contra Iulianum cap. I. notat, in Aegypto, quicquid in artibus fuerat inuentum, probari oportuiſſe a communi conſeſſu eruditorum; tum demum ſine auctoris nomine inſcribebatur columnis, et in adytis ſacris reponebatur. Hinc tantus librorum Mercurio inſcriptorum numerus. —— Imitati ſunt hoc Pythagoraei. Omnia ſua inuenta Pythagorae nomine inſigniebant, ſua ſubtrahentes. —— De Pythagoraeis audi Proclum in Timaeum. Τὴν κοινωνίαν ἠσπάζοντο

quicquid egregii Sacerdotes ac Philoſophi inueniſſent, et commentati eſſent.

„ζοντο τὴν ἐν ταῖς εὑρέσεσι τῶν δογμάτων, καὶ „τὰ ἑνὸς συγγράμματα, κοινὰ πάντων ἦν. „ Haec ille. Quae quantopere faueant iis, quae nunc ediſſerturus ſum, lectoris iudicio relinquo.

Erat ergo Numen Sacerdotale, quod Sacerdotibus, eorumque Collegiis, inuentis, ac ſcientiis praeſideret.

§. 11. Ex omnibus obſeruatis ſponte conſequitur, *Thoth* proprie fuiſſe Numen Sacerdotale, quod Sacerdotibus, eorumque Collegiis, omnibus itidem eorum inuentis, ac ſcientiis cunctis praeeſſe crederetur, cuique omnia ad vtilitatem Reipublicae, Religionis atque Scientiarum, ſolerter excogitata, Scripta denique omnia eximia, et laude aliqua digna, tanquam auctori vni et vero, in acceptis ferrentur. Hic autem duo nonnihil vberius diſquirenda, et diſtinctius explicanda eſſe cenſeo, primo quidem, quodnam proprie Numen illud fuerit, quod ſibi praeeſſe Sacerdotes dictitabant, et ad quod ſcientias omnes, omnesque ſuos commentarios, tanquam ad legitimum auctorem retulerint. Deinde examinandum ſumam, quanam de cauſa Numen illud *Thoth* appellari placuerit. Haec enim accurate euoluta et explicata, toti huic argumento lucem non ſpernendam inferent.

Numen illud erat proprie Phthas, ſiue Vulcanus, a quo in excogitandis et amplificandis ſcientiis, videri volebant, impulſi, directi, et inſpirati eſſe.

§. 12. Numen illud, quod Sacerdotum Collegiis, ac ſcientiis omnibus praeerat, et a quo ſcientiae omnes et proficiſci et perfici credebantur, erat ipſe *Phthas*, *Vulcanus* Aegyptiorum, Spiritus infinitus, rerum omnium creator et conſeruator, ipſorumque Deorum pater ac princeps, de quo Lib. I. cap. II. copioſe diſſeruimus. *Tradebant* namque * *Aegyptii, Vulcanum Nili filium fuiſſe, qui Philoſophiae aperuerit principia, cuius antiſtites Sacerdotes ac Prophetae appellantur.* Vides *Vulcano* Aegyptio idem plane tribui, quod *Mercurio* communiter adſcribi conſueuiſſe, tot veterum teſtimoniis euicimus.

Vul-

* Apud DIOGENEM LAERTIVM, in principio hiſt. Philoſ.

Vulcanus iuxta Aegyptios Philoſophiae verus erat auctor. Eas credebatur inueniſſe, iisque praeeſſe ſcientiis, quas Sacerdotes profitebantur. Ea de cauſa videmus *Vulcanum* illum nobis etiam repraeſentari, * vt *Legiſlatorem Aegyptiorum*, quod tamen *Mercurio* proprium fuiſſe, teſtantur veteres omnes, allati §. 7. Hunc nempe *Vulcanum*, vel *Phthan*, ** Spiritum infinite perfectum, et omnia in hoc vniuerſo permeantem atque viuificantem, Praeſidem ſibi elegerant Sacerdotes, et huic, quicquid in ſcientiis egregii praeſtabant, tanquam auctori attribuebant, vt viderentur in omnibus, quae in commodum religionis et reipublicae meditarentur aut molirentur, iis praeſertim, quae ad perpetuam rei memoriam literis conſignabant, ab ipſo Numine Principe impulſi, directi, ac inſpirati eſſe. Nihil dico, quod non cum doctrina, perſuaſione, et praxi vetuſtorum in Aegypto Sacerdotum, plane conueniat. Credebant enim illi, aut certe alios credere volebant, ſibi Sacra Diis ſuis rite et pie facientibus, ſatis arctum cum ſupremo Numine intercedere commercium, quod vocabant *viſionem Dei*, In *Apophthegmatibus Patrum* ea de re haec leguntur. *** *Sacerdos gentilium, in Aegypto, deſcendens aliquando in Scetin, venit ad cellam meam, ibique pernoctauit. Videns autem Monachorum viuendi rationem, ait mihi: Ita agentes, nihilne CONSPICITIS A DEO VESTRO? Dico, nihil. Excipit Sacerdos: Certe nobis ſatrificantibus Deo noſtro, NIHIL ILLE A NOBIS ABSCONDIT; SED SVA MYSTERIA REVELAT.* Hoc ſubinnuit CHAEREMON, Sacerdos Aegyptius, quando teſta-

* EVSEBIVS in Chronico graeco Scaligeri p. 7.
** Vide ſupra Lib. I. cap. IV. §. 7.
*** In COTELERII *Monumentis Eccleſ. Graecae*, To. I. p. 582.

teſtatur, * Sacerdotes ſuae gentis, omnibus aliis rebus et negotiis penitus renuntiare, ſeque totos tradere τῇ τῶν θείων θεωρίᾳ, καὶ θεάσει, *rerum diuinarum cognitioni, Deorumque viſioni.* Et mox addit, ipſos αἰεὶ συνεῖναι τῇ θείᾳ γνώσει καὶ ἐπιπνοίᾳ, *ſemper deorum cognitioni et afflatui vacare.* Eos etiam in mente habuit IVLIVS FIRMICVS, vbi Lib. III. *Matheſ.* cap. 8. ſcribit: *Mercurius in parte horoſcopi partiliter conſtitutus, —— faciet Philoſophos, —— aut qui ad hoc apti ſint, vt deorum poſſint praeſentiam intueri; aut ſacrarum literarum peritos facit.* Nec omittere hic poſſum iſta MICHAELIS PSELLI. ** *Aegyptii, vt ferunt, vel farro, ſic enim vocant, oculos oblinentes, vel thuris liquore, vel bdellio: Aſſyrii vero, teſſeris quibuſdam, infandisque nominibus, myſticisque literis, in Sacerdotalibus bracteis, ſe ipſos ſanctificantes, ſubſtratum illud incorporeis copiis lumen perſpexerunt.* A pluribus in hoc argumento congerendis prudens abſtineo. Satis ex iis, quae in medium attulimus, intelligere datur, Sacerdotes Aegyptiorum, poſt rite et legitime inſtituta quaedam ſacrificia, perſuaſum habuiſſe, ſe videre Deum, afflatumque eius excipere, vel ſibi ab eo reuelari myſteria. Hinc tanto fidentius huic diuino reuelationis afflatui, adeoque Deo ipſi, cogitationes ſuas, de rebus diuinis, adſcribere potuerunt. Crediidiſſem equidem, talem perſuaſionem, antiquioribus Aegyptiorum Sacerdotibus incognitam, tum demum homines inuaſiſſe in Aegypto, poſtquam Philoſophia et Theologia Graecorum, Pythagoraeo-Platonica recentior, et cum hac, doctrina quoque illorum Philoſophorum Theurgica, in regione illa obti-

* Apud PORPHYRIVM, Lib. IV. *de Abſtin.* §. 6. vel p. 361. Edit. Lugdun.

** In GREGORII *Nazianzeni* Orat. XLII. Operum To. II. col. 1132.

obtinuit, niſi iſtius rei veſtigia, in hiſtoria Aegyptiorum antiquiori deprehendiſſem ſatis luculenta. Refero huc, quod a MANETHONE memoriae mandatum legimus, * *Amenophin cupiuiſſe Deorum viſione frui, quod etiam contigiſſet Horo, vni eorum, qui ante ſe imperium tenuerint.* Sic in fabulis Sacerdotalibus perhibebatur etiam, ** *Herculem aliquando videndi Iouis ingenti deſiderio incenſum fuiſſe.* Equidem dubitari non poteſt, quin hae fabulae, ex doctrina Sacerdotum phyſiologica explicari debeant; verum ſupponunt tamen et hancce eorundem perſuaſionem, Deos piis cultoribus, ſe conſpiciendos praebere, et quicquid ſcitu neceſſarium, aut vtile eſt, ipſis petentibus reuelare. Veroſimilius itaque longe eſt, perſuaſionem hancce, ab Aegyptiis, aliisque Orientalibus, ad Philoſophos Graecos perueniſſe, qui poſtea *de viſione Dei*, multa diſcipulis ſuis tradidere. Ex iis quae hic diſſeruimus, liquere etiam poteſt, cur, quod in ſuperioribus iam monuimus, cultus Numinis huius popularis, procedente tempore paulatim neglectus et fere obliteratus, ſolis Sacerdotibus derelictus fuerit.

§. 13. Videndum nunc, quamobrem Sacerdotibus placuerit, *Vulcani* Numen, quatenus ſcientiis omnibus praeeſſet, *Thoth* appellare, quidque nomen hocce ſignificet. Qua de re, etſi ſperare vix audeam, lectoris aſſenſum me impetraturum eſſe, ſententiam meam tamen libere et candide exponere pergam. Hic iam primo obſeruari velim, temporibus vetuſtiſſimis, quicquid memoriae mandandum, literisque conſignandum erat, id omne in στήλαις, ſiue *columnis*, id eſt lapidibus et marmoribus, fuiſſe inſculptum. De *Stelis* multa reperiuntur apud veteres; ſed non intelliguntur columnae proprie ſic dictae;

Quicquid antiquitus a Philoſophis egregie inuentum aut compoſitum erat, ſolebat inſcribi columnis

* Apud IOSEPHVM Lib. I. *adu. Appion.* T. II. p. 460.
** HERODOTVS Lib. II. cap. 42.

dictae; verum lapides, vt plurimum quadrati, arte politi et leuigati, quibus inſcribi aliquid poterat. Ita vocem hanc explicat *Scholiaſtes Sophoclis* vetus ad *Electram* v. 722. vel p. 56. Edit. Cantabrig. Στῆλαι, κυβοειδεῖς λίθοι, ἐπιγράμματα τινῶν ἔχοντες. *Stelae dicuntur lapides formae quadratae, in quibus res memoratu dignae inſcribuntur.* Si apud nos* IOSEPHI auctoritas valet, vſus huiuſmodi columnarum, ipſo diluuio antiquior extitit. * *Sethus* enim *Patriarcha, ne ſapientia et inuenta Aſtronomica ex hominum memoria elaberentur, et antequam venirent in notitiam, interciderent (cum rerum omnium interitum fore, alterum quidem ignis vi, alterum vero per violentiam et multitudinem aquarum, praedixiſſet Adamus) columnis duabus extructis, vna quidam ex latere, altera vero ex lapidibus, inuenta ſua vtrique inſcripſerunt. Vt ſi inueniret lateritiam euerſam iri per imbrium vim, lapidea ſuperſtes, oſtenderet hominibus Aſtronomica inſcripta, ſimulque indicaret, et lateritiam ab illis poſitam fuiſſe. Manet autem hodieque in Terra Siriad,* κατὰ γῆν τὴν Σιριάδα. Similia fere quidam etiam de *Chamo*, Noachi filio, literis prodiderunt. ** *Quantum enim antiquae traditiones ferunt, Cham filius Noae, qui ſuperſtitionibus, et ſacrilegis ac profanis fuerat artibus inſtitutus, ſciens, nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in arcam inferre, in quam erat — ingreſſurus, ſceleſtas artes ac profana commenta — duriſſimis inſculpſit lapidibus. Quae peracto diluuio, eadem, qua caelauerat, curioſitate perquirens, ſacrilegiorum ac perpetuae nequitiae ſeminarium transmiſit in poſteros.* Et SANCHVNIATHON confictus

* IOSEPHVS Antiquit. Iudaic. Lib. I. cap. II. §. 3.

** IOHANNES CASSIANVS, *Collat.* VIII. cap. 21.

ctus hiſtoriae Phoenicicae Scriptor, iactauit, * ſe omnia hauſiſſe ex Templorum monumentis (id eſt Stelis) ex *Taauto*, (qui ab Aegyptiorum *Thoth* non differre putandus eſt,) et ex ſecretis libris Ammoneorum. *Taautum* vero illum, non diu poſt diluuium floruiſſe, Scriptor adulterinus ſupponit.

§. 14. Verum illa conſuetudo, res memoria Poſteritatis dignas, lapidibus inſcribendi, apud Aegyptios inprimis, ab vltima antiquitate recepta, illisque propria quodammodo fuit et peculiaris. Si MANETHONI, Sacerdoti Aegyptio, et celeberrimo Sacrorum Scribae, fidem adhibemus, ante diluuium, et illico etiam poſt diluuium, mos hic in regione illa obtinuit. Profitetur enim ille, in libro *Sotheos*, ad Ptolemaeum Philadelphum, ſe ea, quae tradat, deſumſiſſe ** *ex Stelis vel columnis, poſitis in terra Seriadica, quibus quondam Thoth, primus Mercurius, dialecto Sacra, et characteribus Sacerdotalibus vſus, ea inſcripſerat, quae deinde poſt diluuium, Agathodaemon, filius ſecundi Mercurii, paterque Tati, ex dialecto Sacra, literis hieroglyphicis deſcripta, in Graecorum linguam transtulit.* Locus hic, fateor, mihi ſemper perdifficilis viſus eſt. Sed ad eum in ſequentibus redeundum nobis erit. Id tamen hinc abunde perſpicitur, Aegyptios perſuaſum habuiſſe, Stelas ipſorum, ipſum diluuii tempus attingere. Tangit rem eandem AMMIANVS MARCELLINVS, Lib. XXII. p. 250. *Sunt et Syringes ſubterranei quidam et flexuoſi ſeceſſus, quos, vt fertur, periti rituum vetuſtorum, aduentare diluuium praeſcii, metuentesque, ne ceremoniarum oblitera-* *Inprimis vero id fiebat in Aegypto.*

rare-

* Apud EVSEBIVM Praep. Euang. Lib. I. cap. IX. p. 31. 32.

** Apud SYNCELLVM in *Chronographia* p. 40. Vide et infra §. 18.

raretur memoria, penitus operoſis digeſtos fodinis, per loca diuerſa ſtruxerunt: et exciſis parietibus, volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, quas hieroglyphicas literas appellarunt, Latinis ignorabiles. In his igitur *parietibus*, vel *Stelis*, omnia ſua ſcientiarum inuenta inſcripſerunt. De *Scientiis Aſtronomicis*, vt alios taceam, teſtatur ACHILLES TATIVS, laudatiſſimus ARATI interpres, * *Aegyptios primos omnium, tam coelum quam terram eſſe dimenſos, eiusque rei ſcientiam, columnis inciſam, ad poſteros propagaſſe.* Et apud MARTIANVM CAPELLAM, Aſtronomia ita loquens introducitur. ** *Per immenſa ſpatia Seculorum ne profana loquacitate vulgarer, Aegyptiorum clauſa adytis occulebar. Quippe quadringenta fere annorum millia, illic reuerenti obſeruatione delitui.* Et additur coepiſſe hoc ante diluuium. De *Grammatica* ſimilia fere idem obſeruat Lib. *III.* init. De ipſa quoque Dialectica haec habet Lib. IV. p. 95. *Haec ſe educatam dicebat Aegyptiorum rupe, atque in Parmenidis exinde Gymnaſium, atque Atticam demeaſſe.* Verba haec; ſed peſſime et lecta et intellecta, in animo habuit IOHANNES SARISBERIENSIS, vbi haec ſcripſit *Metalog.* Lib. I. c. II. *Licet Parmenides Aegyptius, in rupe vitam egerit, vt rationes Logices inueniret.* De *Theologia* denique veterum Aegyptiorum, et hunc auctoris eiuſdem locum non poſſum non adſcribere ex Libro II. p. 35. *Erantque* libri *quidam ſacra nigredine colorati, quorum literae animantium credebantur effigies. Quas librorum notas Athanaſia conſpiciens, quibuſdam eminentibus ſaxis iuſſit aſcribi, atque intra ſpecum per Aegyptiorum adyta collocari. Eademque ſaxa STELAS appellans, deorum Stemmata praecepit continere.* Inſerui-

* In PETAVII *Vranologio* p. 121.

** In *Satyrico* Lib. VIII. p. 274.

ſeruiebant Stelae eaedem conſeruandae memoriae rerum in Aegypto geſtarum, vtpote * *quibus inſcriberetur, quicquid ſingulare et admiratione dignum ab hominibus aut actum, aut inuentum eſſet.* Hae igitur Stelae, erant veterum Sacerdotum in Aegypto libri, quibus inuenta ſua, obſeruationes, et omnia, poſteritatis memoria digna, inſcribebant et concredebant. Et eas ſane Pſeudo-SYNESIVS, quiſquis eſt, in Epiſtola ad Dioſcorum, vocat ** *πετρώας βίβλους, libros lapideos.*

§. 15. Secundo autem loco obſeruaſſe iuuabit, Stelas illas, quae doctrinam Aegyptiorum quondam omnem, ſacram et profanam, complectebantur, a *Thoth*, vel *Mercurio*, nomen accepiſſe. Dicebantur *Stelae Mercurii.* Teſtatur IAMBLICHVS de Myſter. Lib. I. cap. II. Sacerdotes in Aegypto, omnia *determinare iuxta antiquas MERCVRII COLVMNAS, (τὰς Ἑρμοῦ στήλας) quas Plato, et Pythagoras ante eum, lectitantes, Philoſophiam inde conſtituerunt.* Tangit rem eandem THEOPHILVS ANTIOCHENVS, Lib. III. *ad Autolycum*, §. 2. in haec verba: Τὶ ὠφέλησεν Πυθαγόραν τὰ ἄδυτα, καὶ Ἡρακλέους στῆλαι, vbi pro Ἡρακλέους ſcribendum eſſe Ἑρμοῦ, recte vereque monuit *** vir doctus. Verte igitur: *Quid Pythagorae profuit, Adyta* Aegyptiorum, *et COLVMNAS MERCVRII conſuluiſſe?* MANETHO id ſic expreſſit, † *Mercurium*

Columnas has Aegyptiorum Sacerdotes referebant ad ſuum Thoth.

* PROCLVS in Timaeum Platonis Lib. I. p. 31. Vide et p. 26.

** Verba haec ex Epiſtola indicata citat KIRCHERVS in Prodromo Copto, p. 173. Epiſtola illa inſerta eſt FABRICII Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 233. etc. Sed verba laudata illic reperire non potui.

*** THO. GALEVS in notis ad *Iamblichum* p. 185.

† *Apoteleſm.* Lib. V. v. 2. 3.

rium inueniſſe columnas, ſiue Stelas, *arcanas, inque iis ſculpi et inſcribi iuſſiſſe Aſtrorum decreta.* Et ex eodem didicimus, §. 14, *Thoth*, ſiue *Mercurium*, in *Stelis* vel *columnis*, poſitis in terra Seriadica, ſcripſiſſe hiſtoriam rerum geſtarum, et ſcientiarum praecepta. Hoc in memoriam mihi reuocat traditionem peruetuſtam, cuius IOSEPHVS, Scriptor hiſtoriae Iudaicae meminit, (§. 13.) *Sethum* Patriarcham, in columnis deſcripſiſſe inuenta Aſtronomica, ne illorum notitia periret, ſiue mundus igne, ſiue diluuio deſtruendus eſſet. Columnae iſtae *Sethianae*, a *Stelis Mercurialibus* in Aegypto differre, mihi quidem non videntur. Nam et hae dicuntur, metu diluuii, antequam adeſſet, conſcriptae fuiſſe. §. 14. Docet praeterea IOSEPHVS, *columnas Sethi*, ſua etiamnum aetate ſuperfuiſſe, in *terra Siriad.* MANETHONEM vero affirmaſſe intelleximus, §. 14, *Mercurium*, ſiue *Thoth* Aegyptium, *Stelas* opera ſua conſcriptas, poſuiſſe in *terra Seriadica*, Aegypti videlicet. Vbi non poſſum non aſſentiri * viris doctis, qui pro eo, quod in graeco legitur, ἐν τῇ Σηϱιαδικῇ γῇ, antiquitus ſcriptum fuiſſe cenſent, ἐν τῇ Συϱιγγικῇ γῇ, *in terra Syringica*, vel *Syringum*. Notae ſunt Aegyptiorum Syringes, quas ex AMMIANO deſcripſi, §. 14, ad cuius locum, illic adductum, conſuli poſſunt notae virorum eruditorum. Docuit nos autem AMMIANVS, in *Syringibus* illis, *Stelas Mercuriales* erectas primitus et conſcriptas fuiſſe. Neque omittendum puto, quod ** a veterum nonnullis proditum deprehendo, *Sethum* literas, Sapientiam, ſigna itidem

* VALESIVS ad Ammianum Lib. XXII. p. 240. Edit. Pariſ. CVDWORTH in the true intellectual Syſteme p. 322.

** Vide FABRICII *Codicem Apocryphum*, Vet. Teſt. Vol. I. p. 151. 152.

itidem coeleſtia, annorum conuerſiones, menſesque et ſeptimanas inueniſſe, ac Stellis etiam ac Planetis nomina indidiſſe. Quo videtur ſignificari, ſcientias haſce, columnis Sethi, tantopere celebratis, inſculptas fuiſſe. Et quem eruditorum fugere poteſt, haec ipſa eſſe, aut perhiberi Aegyptiorum inuenta, in *Stelis Mercurialibus* ſollicite et accurate deſcriptas? Denique et id monendum, quod * alio loco prolixius perſecutus ſum, in Scriptis veterum, de Aegyptiis loquentium, nomina haec, *Seth*, *Soth*, et *Thoth*, ſaepe idem valere, ac vnam eandemque rem deſignare. *Columnae* igitur *Seth*, et *Stelae Thoth*, ſiue *Mercurii*, poſſunt, ſi cetera concurrant, ſeque mutuo iuuent, eoſdem lapides, literis inſcriptos, ſignificare. Et vero diſſimile non eſt, Iudaeos Alexandrinos, cum audirent, ab Aegyptiis iactari *columnas Thoth*, vel, vt quidam pronuntiaſſe videntur, *Seth*, ex eo anſam arripuiſſe, fabulam de *columnis Sethi* Patriarchae confingendi.

§. 16. Quae omnia, vbi meditate expendo, cogitationibusque voluo ac reuoluo, aliter cenſere non poſſum, quam *Stelas Mercurii*, ab ipſo *Mercurio*, ſiue *Thoth*, diuerſas non fuiſſe. Etenim literarum ac ſcientiarum omnium, in Aegypto cultarum, initia et incrementa, quae tribuebantur *Mercurio*, ceu auctori, a quo eſſent profecta, complectebantur *Stelae Syringicae*, ex quibus diſcebantur, hauriebantur, et ad alios propagabantur. Quicquid ſciebant Sacerdotum filii, id ex *Stelis*, tanquam communi omnium magiſtro, didicerant, et quicquid ipſi inuenerant, id *Stelis* inſcribi curabant, vt ex iis, tanquam ſuo magiſtro, reliqui poſthaec diſcere poſſent. Quando igitur MANETHO dixit, *Sacerdotes Aegypti, ſapientiae ſuae inuenta dedicaſſe Mer-*

Ex dictis ſequi videtur, nomine Thoth, primo et proprie, deſignatas fuiſſe columnas, quibus ſcientiae omnes inſcribebantur, idque ex lingua Aegyptiaca confirmatur.

* Lib. III. cap. II. §. 11. 12.

Mercurio, nihil aliud ſubinnuere voluit, quam quod GALENVS ſic extulit, *Sacerdotes, quicquid ab ipſis inuentum, et a communi conſeſſu probatum eſſet, ſine auctoris nomine columnis inſcripſiſſe.* Vide §. 10. Et tum dicebatur, *inuentum*, vel *placitum Thoth.* Eodem fere modo, Aegyptii ſignificaturi, Seſoſtrin, regem ſuum potentiſſimum, Sacris rite initiatum, ad cognitionem ſcientiarum, quae Stelis erant inſculptae, admiſſum fuiſſe, perhibebant, * Σέσωϛριν παρ' Ἑρμῦ τὰ νοήματα ἐκμυσωθῆναι, *Seſoſtrin a Mercurio in ſcientiis ſacris inſtitutum fuiſſe.* Id vero, quod dixi, ex lingua Aegyptiorum vetuſta, non leuiter confirmatur. Nam ϛήλη, *columna*, Aegyptiis dicitur ⲐⲞⲨⲞϮ, *Thuothi*, vel *Thyothi*, *Geneſ.* XIX. 26. Sicuti vero et ⲐⲰⲞⲨⲦ, *Thouth*, et ⲐⲰⲞⲨϮ, *Thouti*, eadem lingua *congregare* et *congregatio* dicitur, ita mihi quidem dubium non eſt, quin ⲐⲞⲨⲞⲦ, *Thu-oth*, non ſecus *columnam* ſignificauerit, atque ϪⲞⲨⲞϮ, *Thuoti.*

Columnas has religioſo cultu proſecuti ſunt, illisque praefecerunt Vulcanum ſuum, vel Phthan, quem ex eo cognominarunt Thoth.

§. 17. Verum quomodo tandem factum eſt, vt columna in diuinitatis faſtigium eueheretur? Id ita eueniſſe, mihi quidem probabile fit. Nomine *Thoyth*, vel contractius *Thoth*, primo quidem deſignabatur *Stela*, ſiue *columna*, cui omnia ſapientiae et ſcientiarum inuenta inſcribebantur, et quae illa conſeruabat. Deinde vero, venerabiles has et ſacro-ſanctas *Stelas*, omnem Aegyptiorum ſapientiam complexas, per σωματοποιΐαν, genti illi valde familiarem, (cuius exemplum, huic de quo agimus, perſimile habuimus Lib. III. cap. III. §. 12. 13.) diuinitate donarunt. Aut *Stelis* ſuis Sacerdotes praefecerunt Numen aliquod, idque a *Phtha*,

* AELIANVS Var. hiſt. Lib. XII. cap. 4.

Phtha, vel *Vulcano*, Deo Aegyptiorum Principe, non potuit eſſe diuerſum. Vide ſupra §. 12. Hunc autem *Phthan*, quatenus Scientiarum, et Stelarum, quae illas complectebantur, ſigillatim Praeſes eſſet ac Patronus, dixere ⲐⲞⲨⲞϮ, id eſt *Numen Stelarum*, vel *columnarum*, idque eius aliquod cognomen haberi poteſt. Videntur autem Sacerdotes, poſtquam *Stelas* ſuas, omnium ſcientiarum inuenta complexas, honoribus diuinis donarunt, voce ϢⲞⲨⲞϮ, ad deſignandam *columnam*, in communi ſermonis vſu magis abſtinuiſſe, rariusque vſi eſſe. Aliam certe vocem inuenio, qua rem eandem ſermo Aegyptius deſignat, videlicet Ⲭⲏⲣⲓ-ⲛ̀-ⲥϧⲁⲓ, *Seri-en-ſchai. Exodi* XXIII, 24. Et ſane ex hac poſtrema voce, Graeci videntur formaſſe *Syringas*, in quibus *Stelae* antiquitus collocabantur, et terram *Syringicam*, de qua §. 15.

Veteres tres aut ſaltem duos memorant Aegyptiorum Mercurios, alterum literarum inuentorem, alterum reſtauratorem.

§. 18. Tacere hic non poſſum, a veteribus tres commemorari, *Hermetis*, vel *Mercurii* nomine inſignes, quorum ingentia fuerint in literas, ſcientiasque Aegyptiorum merita. PLATO, qui de vno tantum *Theuth* loquitur, in *Philebo*, et *Phaedro*, dialogis, non videtur cognitum habuiſſe, niſi vnum et ſolum; alioquin illum de quo loquitur, ab aliis cognominibus diſcreturus fuiſſe videtur. MANETHO vero, in loco, quem deſcripſimus §. 14, *primum Mercurium*, quem et *Thoth* vocat, quemque ante diluuium vixiſſe ſignificat, diſtinguit a *ſecundo Mercurio*, quem ait filium fuiſſe *Agathodaemonis*, vti illius filius *Tat* fuerit. Hic enim duos *Mercurii* nomine inſigniri videmus, quibus tertium poſſis addere, *Tat*. Nam nomina iſta, *Theuth*, *Thoth*, *Thoyth*, et *Tat*, eodem redeunt, idemque ſignificant, *Mercurii* nempe Aegyptii Numen. Et ho-

 rum

rum quidem trium, Scripta *Hermetis*, vel Mercurii, *Triſmegiſti* nomen prae ſe ferentia, quae ſuperſunt, frequentem iniiciunt mentionem. *In *Dialogo Aſclepio*, Hermeti illi adſcripto, et inter APVLEII Opera edi ſolito, p. 77. Hermes Triſmegiſtus memorat *Tatium amantiſſimum et cariſſimum filium.* Idem p. 99. ait: *Hermes, cui auitum mihi nomen eſt.* In his igitur videmus recenſeri duos *Hermetes*, et vnum *Tat.* Verum cum inter hos, duo tantum *Hermetis* nomen geſſerint, eorumque alter *Mercurius primus* vocetur, alter *ſecundus*, ab his vero *Tat* diſtinguatur, * *duo* communius numerantur Aegyptiorum *Hermetes*, vel *Mercurii*, alter quidem literarum inuentor, alter earundem reſtaurator: alter qui inuenta Sapientiae literis hieroglyphicis, in lapidibus conſignauit; alter qui literarum hieroglyphicarum ſenſum interpretatus eſt, et quae ſub ignorabilibus illis characteribus latitabant, literis nouis, Sacerdotalibus nempe deſcribi curauit. Primum ex his MARSHAMVS cenſet eſſe *Athothen*, qui in laterculo regum Thebaeorum, locum tenet ſecundum, et de quo ſententiam meam paucis aperui §. 4. Secundum vero hariolatur eſſe eum, qui in laterculo dicitur *Siphoas*, eſtque in ordine regum Thebaeorum trigeſimus quintus. MARSHAMI obſeruationem plerique calculo ſuo probant. Verumtamen ratio, quam is ad probandam ſententiam ſuam attulit, ſolidi profecto nihil habet. Verba ERATOSTHENIS, ex quibus id conficere vult, ita ſe habent: Θηβαίων λε. ἐβασίλευσε Σιφώας, ὁ καὶ Ἑρμῆς, υἱὸς Ἡφαίστου. *Thebaeorum rex 35, Siphoas, qui et Hermes audit, Vulcani filius.* Ex eo enim, quod rex ille *Siphoas*, dictus quoque fuit *Hermes*, concludit, hunc eſſe celebrem in hiſtoria *Mercurium*

* MARSHAMVS Canone Chronico ad Sec. X. p. 240, CVDWORTH in *the true intellectual Syſteme* p. 322. et alii.

rium ſecundum. Verum, vt, quod res eſt, dicam, Ἑρμῆς mihi hoc loco, nomen potius videtur Aegyptiacum, quam graecum. Nam ERATOSTHENES vbique ponit regum ſuorum nomina genuina Aegyptiaca, deinde illis interpretationem graecam ſubiungit. Equidem nonnunquam ſola nomina Aegyptiaca refert, nulla addita interpretatione graeca; nuſpiam vero in toto Catalogo, nudam ſolamque interpretationem graecam nominis Aegyptiaci, qualis tamen eſſet Ἑρμῆς, ſi nomen illud deſignaret Aegyptium *Thoth*, ſiue *Mercurium.* Itaque nomen iſthoc videtur eſſe potius Aegyptiacum, ſimile illi, quod in eodem laterculo occurrit num. XXXIII, *Siſtos*, *Chermes*, quod etiam recte ſine vitio efferri poſſet *Hermes.* In hiſtoria veteri Aegyptia, ſaepius occurrit nomen *Armais*, quod re ipſa idem eſt. Et hoc vere fuiſſe cognomen *Siphoae*, multa ſunt, quae probabile efficiunt. Quod ſi vero etiam largirer, Ἑρμῆς hoc in loco, poſitum eſſe pro *Thoth*, vel eſſe nominis huius Aegyptiaci interpretationem graecam; attamen ne ſic quidem ſequeretur, eum eſſe *Mercurium ſecundum.* Nam Aegyptiis familiare erat, vt a Diis ſuis nomina ſibi mutuarentur, cuius conſuetudinis ipſe ERATOSTHENIS catalogus, exempla nobis plurima ſubminiſtrat. Sed, vti dixi, *Mercurii* nomen, rex ille omnino non geſſit.

Notio duorum Mercuriorum, cum ſententia noſtra, propoſita §. 16. 17. conciliatur.

§. 19. Quidnam vero de duobus *Hermetibus* iudicandum eſſe putabimus, et quomodo illos, cum explicatione mea, quam lectori §. 16. 17. obtuli, conciliare licebit? Imo vero optime! Nihil illi duo ſententiae meae detrimenti afferunt. Dixi *Hermetem*, ſiue *Thoth* Aegyptiorum, proprie nomen eſſe literarum, nomen ſapientiae, ſcientiae, et doctrinae Stelis Aegyptiorum inſcriptae. Poteſt autem doctrinae, Stelis Aegyptiorum inſcriptae, duplex a nobis conſiderari facies, ſicuti duplex eius

 aetas

aetas recte conſtitui poteſt. Altera igitur facies repraeſentabit nobis doctrinae huius infantiam, ac tenuia initia: Altera maiorem, quam conſecuta eſt, labentibus Seculis, perfectionem, virileque quoddam robur. Sic igitur, ſalua manente mea ſententia, *duos* nacti ſumus *Mercurios*, primum et ſecundum, iuniorem et ſeniorem. Id ipſum Aegyptios ſymbolice credo ſubinnuere voluiſſe, quando * *Mercurium duplici ſpecie finxerunt, iuuenem iuxta ſenem collocantes.* Non mediocriter haec illuſtrari poſſunt ex loco MANETHONIS inſigni, ſed cuius verba emendatione opus habent. Tentarunt eam ** viri doctiſſimi, et ex parte manum medicam adhibuerunt, non infeliciter. Nos totum locum ita legendum eſſe arbitramur. Teſtatur nempe MANETHO, *** ſe ea quae relaturus erat, deſumſiſſe, *ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στήλων, ἱερᾷ διαλέκτῳ καὶ ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν κεχαρακτηρισμένων ὑπὸ Θωθ, τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτου, εἰς τὴν ἑλληνίδα φωνὴν, γράμμασιν ἱερογραφικοῖς, καὶ ἀποθέντων ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ δαίμονος υἱοῦ τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ, πατρὸς δὲ Τὰτ, ἐν τοῖς Ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγύπτου.* Quae ſic ſunt vertenda: Deſumſit hiſtoriam ſuam MANETHO, *ex Stelis vel columnis, poſitis in terra Seriadica, quibus quondam Thoth, primus Mercurius, dialecto Sacra, et characteribus hieroglyphicis vſus, ea inſcripſerat, quae deinde poſt diluuium Agathodaemon, filius ſecundi Mercurii, paterque Tati, ex dialecto Sacra, literis Sacerdotum ſacris deſcripta, in Graecorum linguam tranſtulit, ac in libros relata, in Adytis*

* SYNESIVS *de Prouidentia*, p. 101.

** Vide WARBVRTON'S *Eſſai ſur les Hieroglyphes* To. I. p. 162. etc.

*** in SYNCELLI Chronographia p. 40

Adytis Templorum depoſuit. Primus nempe Mercurius artem inuenit, animi ſenſa per characteres hieroglyphicos declarandi, ac lapidibus inſcribendi. Hoc teſtatur etiam AMMIANVS MARCELLINVS, cuius verba dedi §. 14. Teſtantur id et alii, et res ipſa loquitur. Secundus Mercurius, characteribus his ignorabilibus, vt loquitur AMMIANVS, ſubſtituit literas veri nominis, certum oris ſonum exprimentibus, quarum plures inter ſe iunctae, ſyllabas et voces conſtituunt. Subſtituit ille, inquam, literas; ſed *Sacerdotales*, quarum tantum in rebus ſacris, ad Sacerdotes pertinentibus, vſus erat, diſtinctas a communibus et popularibus. Mentionem hic etiam fieri videmus *Dialecti Sacrae*, Sacerdotibus nempe in tradendis diſciplinis arcanis vſitatae, ex qua Mercurius ſecundus, ea quae hac dialecto erant conſignata, in linguam graecam transtulerit. Verum dialecto *Sacerdotali* opponenda potius erat lingua δημοτικὴ, *communis* et *vulgaris*, omnium vſu trita et cognita. Et certe tempore Mercurii ſecundi, graeca lingua apud Aegyptios nullo nec in vſu, nec in pretio; ſed penitus incognita erat. Quare voci huic ἑλληνίδα, videtur aliquod ſubeſſe mendum. Forte tamen id non librario tribuendum; ſed MANETHONI ipſi, cuius apud me, in permultis, fides magnopere vacillat. Secundus porro Mercurius, pater dicitur *Agathodaemonis*, ſiue *Cnuphis*, et auus *Tati.* Latet hic aliquid veri, dum negotio huic literario *Agathodaemon* ingeritur. Nam *Agathodaemonem*, ſiue *Cnuphin*, eundem eſſe cum *Phtha*, vel *Vulcano*, * loco ſuo ad liquidum perduxi. *Vulcanum* vero habitum fuiſſe et Sacerdotum, et ſcientiarum, lapidibus inſculptarum, Praeſidem ſummum, harumque verum auctorem, intelligi poteſt ex §. 12. Sed hoc quicquid eſt veri, hic qui-

M 5

* Lib. I. c. IV. §. 7.

quidem tot tantisque tenebris immerſum eſt, vt difficulter erui queat. In Scriptis vero, Hermetis Triſmegiſti nomen praeferentibus, quae ſuperſunt, inque eorundem fragmentis apud STOBAEVM, *Tat* Mercurii ſecundi, ſemper non dicitur nepos, verum filius. Horum igitur auctores verba MANETHONIS aliter vtique legiſſe, aut accepiſſe videntur. Aliud certe illi Agathodaemonis Stemma habuerunt, quodque priſcae Sacerdotum doctrinae magis conueniret. Quomodocunque vero res haec ſe habeat, id ſaltem ex perobſcuro illo MANETHONIS loco diſcimus, duos Aegyptiis cognitos fuiſſe *Mercurios*, nomine *Thoth* celebratos, diſcimus etiam ex eodem, qua ratione duo hi, a ſe inuicem diſtinguantur.

De aetate qua vixerunt duo Aegyptiorum Mercurii.

§. 20. *Primus* ergo *Mercurius*, initia ac rudimenta literarum atque ſcientiarum in Aegypto, Stelis vel columnis inſcripta, mihi deſignat. Diximus, MARSHAMVM hunc habere pro *Athothe*, Menis ſucceſſore, quam ſententiam ab omni vere ſpecie repulſam eſſe, oſtendimus, §. 4. Aliquid tamen veri, etiam ſub hac hariolatione viri illuſtris latere mihi videtur. Suboluit ipſi, illo iam tempore, *Mercurium* primum, ſiue *Thoth*, in Aegypto inclaruiſſe, ideoque in *Athothe* eum latere ſuſpicatus eſt. Et ſane, niſi *Thoth* iam tum extitiſſet, quomodo ab eo, *Athotae* regis nomen deriuari potuiſſet? Veroſimile igitur etiam atque etiam eſt, illo iam tempore, apud Aegyptios, ſaltem regionis ſuperioris incolas, in flore aliquo Sacerdotum Collegia fuiſſe, aut Scholas Philoſophorum, qui de iis, quae ſalutem Reipublicae, commodumque Religionis promouere poſſent, ſedulo cogitarunt, ac inter ſe contulerunt, et tandem inuenta vtilia, ne eorum aut notitia, aut memoria, periret, monumentis aere perennioribus commendare voluerunt. Vt itaque animi ſui

ſenſa,

ſenſa, ad poſteritatem transmitterent, vſum inuenerunt Scripturae hieroglyphicae, quae etiamnum in Obeliſcis quibuſdam, Monumentis Aegypti literatae antiquiſſimis, cerni poteſt, ac obſeruari; ſed non legi, aut intelligi. Haec enim ſcientia, ante plus, quam bis mille annos, penitus intercidit. Nempe prima ſcientiarum initia tenuia fuerunt, arctisque limitibus circumſcripta, quibus memoriae mandandis, Scriptura hieroglyphica ſufficere potuit. Id voco *primum Thoth*, ſiue *Mercurium*. Et quandoquidem primis his rudimentis eruditionis lapidariae, ſucceſſor Menis regis vehementer fauit, eamque viribus omnibus adiuuit, promouitque, Sacerdotibus mereri viſus eſt, qui appellaretur *Athoth*, vel *Hathoth*, quod poſſis vertere *Mercurialem*, (§. 4.) id eſt, cui eruditio lapidaria, vel *Mercurialis*, curae cordique inprimis eſſet. In illo ſtatu, res Aegyptiorum literaria, per aliquot Secula perſeuerauit; ſed ita tamen, vt aliqua ſenſim incrementa caperet, et paulatim per gradus augeretur. Multa ſunt, quae fidem faciunt, Philoſophos Aegyptiorum, illo de quo loquor temporis interuallo, ſcientias alias quoque ſedulo expoliuiſſe; ſed in perficiendis praeſertim Mathematicis ac Aſtronomicis, omnes ingenii neruos intendiſſe. Cum vero fines regni huius ſcientiarum, eum iam in modum proferri coepiſſent, vt characteres hieroglyphici, quorum vſus non poterat non eſſe perdifficilis, laborioſus valde, ac faſtidioſus, conatus Sacerdotum pari ſucceſſu ſecundare amplius non poſſent, de via faciliori, compendioſa et idonea magis, cogitandum omnino erat. Inuentum itaque eſt Alphabetum literarum, proprie ſic dictarum: ac in vſum Sacerdotum excogitatae primo fuere literae vſus ſecretioris, quae vocari ſolent Ἱερατικαὶ, et Ἱερογραφικαὶ, *Sacerdotales*, et *Sacratae*, vel vſui Sacrorum deſtinatae. Illas igitur vſibus ſuis Sacerdotes reſeruarunt,

runt, *quibus* arcana Scientiarum ſuaeque Religionis complecterentur. His, niſi fallor, conſcripti reperiuntur integri parietes, in cauernis quibuſdam Aegypti mediae, vel Thebaidos inferioris, quod ex teſtimonio nonnullorum peregrinatorum ſcimus; ſed de quibus, quia earum ectypos videre non contigit, plura dicere, aut obſeruare, haud poſſumus. Videntur etiam in aliis quibuſdam Monumentis, priſcorum Aegyptiorum literae, quarum maxima videtur eſſe antiquitas; verum ſintne illae Sacerdotales, quod mihi probabilius vtique videtur, an vero vulgares, quas et epiſtolographicas nuncupant, definire non auſim. Columnae illae, aeui poſterioris, ſacrae, quibus ſcientiae Sacerdotales, ad maiorem iam perfectionis gradum euectae, literis *Sacerdotalibus* erant inſcriptae, mihi *Mercurium ſecundum* conſtituunt. Nolim hic ſilentio premere, MARSHAMO hanc ſtare ſententiam, *Siphoam*, quem *in* ordine regum Thebaeorum videmus numerari *trigeſimum* quintum, re ipſa eſſe *Mercurium ſecundum*. Nos rationem, qua id voluit probare vir praeſtantiſſimus, nullius eſſe momenti, ſatis oſtendimus §. 18. In eo vero facile ipſi aſſentior, tempore regis *Siphoae*, *Mercurium ſecundum* caput extuliſſe in Aegypto, id eſt, ſcientias ſacras, a Sacerdotibus excultas, illa aetate maturitatem aliquam et perfectionem conſecutas eſſe, et ſimul vſum literarum Sacerdotalium, per totam Aegyptum, in Templis, Adytisque celebrioribus omnibus, inualuiſſe. Id certe ſatis euicerunt * viri ſummi, illo ipſo tempore, a Sacerdotibus, tum Heliopoli, in Aegypto inferiori, tum Thebaeis in ſuperiori Aegypto, annum conſtitutum, inque eam formam redactum fuiſſe, quae deinceps ſeruata eſt, vſque ad Auguſti Imperatoris aeuum, quando vago Aegyptiorum anno, ſub-

ſtitui

* Vide inprimis la *Chronologie Sacrée* de M. DES VIGNOLES, To. II. p. 771 - 780.

ſtitui paſſim coepit annus fixus, ſiue Julianus, quem tamen Iulius Caeſar ab ipſis Sacerdotibus Aegyptiis acceperat, didiceratque. Id quod diximus, ex ipſo *Siphoae* nomine, haud parum illuſtrare poſſumus. * Alibi iam oſtendimus, verum huius regis nomen eſſe, et ſcribi debere *Saphthas*. Id enim Aegyptiis ſonat, τὸν πρὸς Ἥφαιστον, quaſi dicas *Vulcanium*, vel *Vulcanidem*. Et ſane ERATOSTHENES ipſe nomen hoc interpretatur *Vulcani filium*. Erat autem *Phthas*, ſiue *Vulcanus*, Scientiarum omnium Praeſes, ac Philoſophorum Deus §. 12. Neſcio, an non hoc, licet aliquanto obſcurius, ſubinnuere voluerit MANETHO, quando ait, literarum Sacerdotalium vſum inuexiſſe *Agathodaemonem, Mercurii ſecundi filium*. §. 19. Nam *Agathodaemonem*, ſiue *Cnuphin*, nonniſi ſolo hoc cognomine, a *Vulcano*, ſiue *Phtha* differre, monuimus Lib. I. c. IV. §. 7. Simili ſane ratione, rex ille, quo regnante, *primus* in Aegypto *Mercurius* apparuit, dictum videmus *Ha - Thoth*, id eſt, *Mercurialem*. Talibus nempe cognominibus, Sacerdotes regum horum in ſcientias ſacras ſtudium, honorare, ac remunerari, eorumque memoriam poſteritati commendare voluerunt. Eodem ſpectare puto, regis *Saphthae* cognomen Ἑρμῆς, quod ERATOSTHENES ipſi tribuit; verum non interpretatur. Ⲉⲣ - ⲙⲉϩ, *Ermeh*, eum proprie ſignificat, qui alicui rei complementum dat, vel eam plenam perfectamque reddit. Potuit a Sacerdotibus ita rex ille cognominari, quod eius auſpiciis, annus Aegyptiorum plene conſtitutus, illamque perfectionem, quam indere ipſi volebant, iam nunc eſſet adeptus. Mirum ſit, niſi hunc ipſum dicere voluerit CENSORINVS, vbi ſcripſit, *de die Natali* cap. XIX. *Annum Aegyptiorum nouiſſime ARMINON ad tredecim* (legunt eruditi *duodecim*)

* Ad Catalogum ERATOSTHENIS, in VIGNOLII Chronologia Sacra To. II. p. 763. 764.

cim) menſes et dies quinque perduxiſſe. Eum enim de illo negotio loqui, quod regnante *Siphoa* vel *Erme*, perfectum eſt, per ſe ſatis unicuique liquet.

De libris Hermeticis. §. 21. De libris Hermeticis, non eſt, quod operoſe diſquiram. Ex iis quae adſtruxi, iam ſic ſatis colligere licet, nullos fuiſſe, neque dici vere potuiſſe *Hermeticos*, quam eos, qui ex Adytis Steliſque veterum Aegyptiorum fideliter eſſent deſcripti. Tales fuiſſe credo, quos CLEMENS *Alexandrinus* commemorat, et de quibus nos quaedam obſeruauimus in *Prolegomenis* noſtris, §. 41. Non tamen exiſtimandum eſt, libros hos complexos fuiſſe totam Aegyptiorum ſapientiam Sacerdotalem. Quaedam enim ſibi reſeruabant ii, qui proprie Ἱερογραμματεῖς, et Νοήμονες dicebantur, de quibus in iiſdem *Prolegomenis*, ſatis prolixe diſputamus. Comprehendebant igitur libri proprie dicendi *Hermetici*, omnem ſcientiam variis Sacerdotum ordinibus perneceſſariam, vt ſecundum praecepta patrum, cultus diuinus rite peragi poſſet. Praeter hos, libri omnes, qui celeberrimum *Hermetis* nomen praeferebant, ab otioſis hominibus confícti erant, ſpuriique cenſeri debent. Sed de his, ne alios iam nominem, conſulere oportet optimi et meritiſſimi FABRICII Bibliothecam Graecam, Lib. I. cap. VII. vſque ad XII. et quos ille ibi laudat.

CAPVT

* *

CAPVT VI.

De Aeſculapio Aegyptiorum.

Aeſculapius Aegyptiorum, quem Graeci memorant, antiquitus Memphi praecipue cultus. §. 1. De Aeſculapio, quem Scripta Hermetica memorant. §. 2. Numen Graecorum antiquiſſimum, Eſmunum, Graeci Aeſculapium interpretantur. §. 3. Manetho regem quendam Memphiticum, Toſorthrum, interpretatur Aeſculapium: ſuper qua re coniectura proponitur. §. 4. Nonnunquam Aeſculapium cum Vulcano aut Patte videntur eundem feciſſe. §. 5. Plerumque tamen Aeſculapii Aegyptii nomine, intelligitur Serapis, cuius rei cauſa indicatur. §. 6.

§. 1.

Aeſculapius Aegyptiorum, antiquitus Memphi praecipue cultus.

Mercurio Aegyptiorum vel *Thoth*, iungimus eorundem *Aeſculapium*, quem Graecorum ſermones celebrant, ſicuti eoſdem ſociauit CLEMENS *Alexandrinus.* Nam duos hos, * *Mercurium Thebanum*, et *Aeſculapium Memphiten*, illis annumerat, qui cum homines fuiſſent, poſt mortem honores diuinos nacti fuerint. Dum *Aeſculapium* hunc, Scriptor pereruditus, *Memphiten* nuncupat, non obſcure ſubinnuit, eum Memphi praecipue magno in honore, ac cultu religioſo condecoratum fuiſſe. Idem AMMIANVS MARCELLINVS docet Lib. XXII. p. 245. vbi *Memphim vrbem* appellat *praeſtantem, praeſentiaque Numinis Aeſculapii claram.* Eodem ſpectat, quod de iuuene quodam HIERONYMVS hunc in modum refert: ** *Perrexit Memphim, vt confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad virginem.*

* Lib. I. Stromatum p. 334.
** In *vita Hilarionis*, Opp. To. IV. Part. II. col. 80.

ginem. *Igitur poſt annum doctus ab Aeſculapii vatibus, —— venit praeſumtum animo ſtuprum geſtiens.* In *Aegypto Numiſmatica* IOHANNIS VAILLANT, p. 209. viſitur Nummus Memphitarum, in quo ſtat vir barbatus, in capite quidem, vt mihi videtur, gallum gallinaceum oſtendens, dextra manu haſtam tenens, ſiniſtra vero ſiſtrum prae ſe ferens. VAILLANTIO is videtur *Oſiris;* mihi vero *Aeſculapius* Graeco-Aegyptius Memphitarum. Gallum certe, quem in capite gerit, ſacrum fuiſſe Aeſculapio, vel ex eo ſatis liquet, quod * Socrates cicutam hauſturus, pro ſe Aeſculapio gallum voluerit ſacrificari. Conſimilem Nummum, ſub Hadriano percuſſum, ** a MARSHAMO indicari crediderim, *in quo Aeſculapii imago.*

De Aeſculapio, quem Scripta Hermetica celebrant.

§. 2. Neſcio, an Aeſculapius, cuius in Scriptis, *Hermetis* nomen praeferentibus, non raro mentio fit, ſit idem ille Memphites. In *Dialogo Aſclepio*, cui *Hermetis Triſmegiſti* nomen praefigitur, Hermes Aſclepium interlocutorem ita affatur, p. 99. *Auus enim tuus, o Aſclepi, medicinae primus inuentor, cui Templum conſecratum eſt in monte Libyae, circa litus crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id eſt corpus.* Crediderim, per *montem Libyae*, ſubinnui eum, *** qui ab occidente Memphim tendit, vrbique huic imminet. Idem non valde diſſitus eſt a *litore crocodilorum*, id eſt *lacu Moeridis*, † in cuius litore crocodili nutriebantur, et ad quem aedificata erat *vrbs crocodilorum*, cui poſtea *Arſinoës* nomen impoſitum fuit. In aliis huius farinae Scriptis Hermeticis, videas commemorari *Aeſculapium* nonnihil iuniorem *Tato*, isque dici-

* Apud PLATONEM in *Phaedone*, fin.
** In *Canone Chronico* Secul. IV. p. 61.
*** HERODOTVS Lib. II. c. 12. 149. 158.
† STRABO Lib. XVII. p. 558.

dicitur * Ἀσκληπιὸς ὁ Ἰμέθης, σπανὸς (vel vt alii, πᾶνος) καὶ Ἡφαιστοβέλης, isque dicitur Scientiae Medicae inuentor. Sed quid graeca haec ſibi velint, diuinare perdifficile eſt. Aliquid tamen ea de re infra addam, §. 5.

§. 3. Verum miſſis hiſce librorum Hermeticorum ſomniis, videamus potius, numquid alia hiſtoriae veteris Monumenta, de Aeſculapio Aegyptiorum, docere nos aliquid poſſint. Hic iam memoriam ſubit, tempore antiquiſſimo, diuque ante Moſis aetatem, ** Aegyptios Numen aliquod coluiſſe, quod Graeci *Chemmin* efferre conſueuerunt, et a quo *Chemmis*, vrbs Thebaidos primaria, quae in Graecorum libris *Panopolis* audit, hocce nomen accepit. Aegyptios nomen huius diuinitatis antiquiſſimae, lingua ſua extuliſſe ϣⲙⲓⲛ, *Smin*, et ϣⲙⲟⲩⲛ, *Smun*, certum eſt. Et Graecos quoque Numen illud ipſum nuncupare *Eſmunum*, quod a *Smun* vix recedit, argumentis idoneis ſuo loco adſtruxi. Hunc vero *Smun*, vel *Eſmunum*, canum Gentis Aegyptiacae Numen, Panopoli, in ſuperiori, et Hermopoli, in media Aegypto cultum, *** Graeci interpretantur *Aeſculapium*. Sed quis tamen ſit ille Aeſculapius, quae ei quondam vis ac poteſtas a primis Aegyptiorum Theologis aſſignata fuerit, nondum liquet. Sunt rationes quae mihi perſuadent, † *Eſmunum* initio cum *Phtha*, vel *Vulcano* eun-

Numen Aegyptiorum. antiquiſſimum, Eſmunum, Graec. Aeſcula umint tantu

* Apud STOBAEVM in Eclogis Phyſicis p. 117. Vide et FABRICII Bibl. Graec. Vol. I. p. 52.

** Haec omnia, pluribus perſecutus ſum, et explicui, Lib. II. cap. VII. §. 11. 12. 13.

*** DAMASCIVS in vita Iſidori, apud PHOTIVM in Biblioth. p. 1074. SANCHVNIATHON apud EVSEBIVM in Praepar. Euang. p. 37. fin. 39.

† Vide *Prolegomena* noſtra, §. 26.

eundem *fuiſſe*. Verum vbi Polytheiſmus inualuiſſet, ac noua quotidie incrementa cepiſſet, id quod antea ad vnum referebatur Numen, inter plures diuidere placuit. *Eſmuni* igitur Numen Panopoli iis ritibus cultum placatumque eſt, vt Graeci viderentur ſibi in eo aliquam cum *Pane* affinitatem obſeruaſſe, ideoque eum *Panem* nuncuparunt. Hermopolitani vero in Aegypto media, *Eſmuno* ſuo tales detulerunt honores, vt procedente tempore, Numen illud crederetur eſſe *Thoth*, vel *Mercurius*. Et hoc quidem nomine a Scriptoribus Deus ille ſemper inſignitur, etſi *Eſmunum* fuiſſe primitus Numen illius vrbis tutelare, vel ipſius vrbis nomen auitum et genuinum, *Smin*, vel *Smun*, abunde teſtetur.

Manetho regem quendam Memphiticum, Toſorthrum, interpretatur Aeſculapium. Super qua re coniectura proponitur.

§. 4. Sed de hoc *Eſmuno* ſiue Aeſculapio Aegyptiorum, cano ipſorum Numine, vix veterum quiſquam loquitur. Nam * quae nos ea de re obſeruauimus, ex indiciis tantum quibuſdam ſubobſcuris, ſed in vnum collatis, et inter ſe comparatis, eruere potuimus. Praeter hunc alius commemoratur in Aegyptiorum Annalibus, cui nomen *Aeſculapii* impoſuerunt Graeci. Nam in MANETHONIS Dynaſtiis, et tertia quidem, quae eſt regum Memphitarum, rex ſecundus *Toſorthrus*, dicitur ab Aegyptiis pro *Aeſculapio* habitus fuiſſe. Verba MANETHONIS, prout ea AFRICANVS et EVSEBIVS conſeruarunt, id ſonant: ** *Secundus rex*, Τόσορθρος *Thoſorthrus, annis 29. regnauit. Hic Aeſculapius Aegyptiis ob medicandi peritiam habitus: ſectis et politis lapidibus aedificandi artem inuenit. Operam etiam dedit, vt ars ſcribendi excoleretur.* In graecis *Euſebianis* SCALIGERI, qui ea ex SYNCELLO, tum nondum edito, deſcripſit, p. 14. legitur Σέσορθος, vnde ſuſpicari licet, in Codice MS. ſcri-

* In *Pantheo*, vbi ſupra.
** Apud SYNCELLVM in *Chronograph.* p. 56.

ſcriptum fuiſſe Τόσοϱϑος, quod ſane rem, de qua ſermo hic eſt, egregie exprimeret. Etenim cum ⲦⲞⲨϪⲈ, *tuſe*, Aegyptiis ſignificat *ſanare*, ⲐⲞ, *tho*, autem, quod aliquoties in hoc* *Pantheo* monendum fuit, τὴν οἰκȣμένην, ſiue *terram*, patet ⲦⲞⲨϪⲈ-ⲐⲞ, *Tuſe-tho*, dici eum, *qui totam terram curat*, vel *ſanat*. Hinc factum eſt *Toſorthus*, et tandem *Toſorthrus*. Licuit ſane Graecis, hunc nominare *Aeſculapium*, quippe cui ſanationem totius terrae curae cordique eſſe crederent. Quod vero rex ille, cognomine adeo honorifico donatus, et pro *Aeſculapio* habitus fuerit, inde eueniſſe reor. Medicina * inter primas artes ac ſcientias merito numeratur, quas Philoſophi Aegyptiorum inuenerunt, ac ſtudioſe excoluerunt. Illius quaedam inuenta, videmus ad ipſum *Mercurium* primum, qui floruit regnante *Athothe*, referri. De hoc enim *Athothe* MANETHO iſtud notat: ** Οὗ φέϱονται βίβλοι ἀνατομικαὶ, ἰατϱὸς γὰϱ ἦν. *Huius feruntur libri Anatomici. Nam medicinam profitebatur.* Quo nihil aliud, quam hoc ſignificari arbitror, tempore Athothae, ſcientiam Medicam, in Aegypto, inueniri et excoli coepiſſe, illiusque principia et inuenta columnis in Templorum Adytis, aut in ſpecubus ſacris, inſcripta fuiſſe. Quando vero ſimilia fere de *Toſorthro* referuntur, ipſique eam ob rem *Aeſculapii* cognomen additur, id videtur innui, ſub illius regno, Studium ſcientiae Medicae, inſignia expertum eſſe incrementa, multasque eam in rem obſeruationes, memoria poſteritatis dignas, in Stelas, vel columnas ſacras, fuiſſe relatas. Eſtque memoratu dignum, de rege eodem narraſſe MANETHO-

* MARSHAMVS Canone Chronico p. 41. SCHVCKFORD hiſtoire du Monde To. I. p. 341. 342. etc.
** Apud SYNCELLVM p. 54.

NEM, quod operam dederit, vt ars ſcribendi excoleretur. Nempe non modo excitauit Philoſophos, vt fines Studii Medici, nouis inuentis proferrent; verum effecit etiam, vt quae excogitauerant et obſeruauerant in poſteritatis vſum, literis ſollicite conſignarentur. Hinc factum eſſe videtur, vt Aegyptiorum vetuſtus *Aeſculapius*, cum eorundem *Thoth* vel *Mercurio*, nonnunquam vnus idemque exiſtimaretur. Vide §. 3. Idem nobiliſſimo MARSHAMO obſeruatum video, in *Canone Chronico*, Secul. I. p. 40. 41. MANETHO vero ſcriptum reliquit, * Mercurium, dum Scientiarum inuenta in columnis deſcripſit, *adiutorem operis et conſiliarium nactum eſſe Aeſculapium.*

Nonnunquam Aeſculapius, cum Vulcano, aut Pane Aegyptiorum, videtur conſueuiſſe confundi.

§. 5. Ex iis etiam, quae §. 3. obſeruauimus, liquere poteſt, Aeſculapium Aegyptiorum, nonnunquam cum *Vulcano*, vti nec minus cum *Pane* eorundem, in vnum compingi conſueuiſſe. Haec forſitan cauſa eſt, quod in *Scriptis Hermeticis*, Aeſculapius perhibeatur ὁ Πᾶνος καὶ Ἡφαιστοβούλης, *filius Panis et Hephaeſtobules*. En igitur *Aeſculapium* filium *Panis!* Animaduerterunt nempe auctores horum librorum, *Aeſculapium* aliquem, vti Graeci loquebantur, nonnunquam eundem haberi cum *Pane*, aut ad hanc diuinitatem referri. Mater vero illius Aeſculapii, in iiſdem libris appellatur Ἡφαιστοβούλη, quod proprie *Vulcani conſilium aut decretum* deſignat. Neſcio, num non id etiam ex effigie *Aeſculapii* Aegyptii, qualem nobis depingit SYNESIVS, in *Encomio caluitii*, p. 73. aliquo modo illuſtrari poſſit. *Vnus porro*, inquit, *Deus ab iis minime occultatur, ſed in propatulo habetur*, (id eſt fingitur et pingitur ſecundum natiuam et genuinam, quam habet, formam) *Aeſculapius nempe, quem quidem piſtillo caluiorem videas.* Hicce

* *Apoteleſm.* Lib. V. v. 4.

Hicce profecto Aeſculapius perſimilis fingebatur Sacerdotibus Aegyptiis, quorum *caluata ſiſtrataque turba*, cui non eſt celebrata? Erat ſane figura horum Sacerdotum, toto corpore raſorum et leuigatorum, quod non diffitetur SYNESIVS p. 70. fin. apta ad riſum excitandum: idemque propter rationis paritatem dicendum quoque erat de Aeſculapii ſimulachris. Et eiuſdem plane indolis, riſu nempe et ludibrio non indignum, fuiſſe etiam vetuſtum Vulcani Memphitici ſimulachrum, diſcimus ex HERODOTO Lib. III. c. 37. Accedit ad haec, quod Vulcanus * a veteribus, *Deus Memphiticus* κατ' ἐξοχὴν vocari conſueuerit. Et vero *Aeſculapium*, *Deum Memphiticum* paſſim etiam nuncupari, obſeruauimus §. 1.

§. 6. At enim veterum plerique, vbi de *Aeſculapio* Aegyptiorum loquuntur, hoc nomine alium deſignare non ſolent, niſi *Serapidem*. Conceptis verbis TACITVS id docet, Hiſt. Lib. IV. c. 84. *Deum ipſum* Serapim, *multi Aeſculapium, quod medeatur aegris corporibus, coniectant.* Ex PAVSANIA diſcimus, in *Corinthiacis* p. 114. Cenchreis, vbi portus erat Corinthi orientalis, *Fanum dedicatum fuiſſe Aeſculapio et Iſidi.* Myſteria in hoc Fano peragi ſolita, prolixe deſcribit APVLEIVS, qui ſe iisdem heic loci initiatum fuiſſe, teſtatur Lib. X. Metamorph. fin. et Lib. XI. At nulla illic *Aeſculapii* mentio occurrit. Deos Aegyptiorum ibi cultos nominat *Serapidem* et *Iſidem*, vnde merito colligas, *Aeſculapium* PAVSANIAE, et APVLEII *Serapidem*, re ipſa eſſe eundem. Quando porro AELIANVS de Animal. Lib. XVI. c. 39. narrat, Alexandriae draconem permagnum, tempore Ptolemaei Euergetae, ἐν Ἀσκληπιοῦ, *in Aeſculapii Templo* nutritum fuiſſe, intelligere vtique videtur Templum ingens et ſplendidum,

Plerumque tamen Aeſculapii, apud Aegyptios, nomine, intelligitur Serapis, cuius rei ratio indicatur.

* Vide *Pantheon* hoc Lib. I. cap. II.

didum, ſumtibus Ptolemaeorum Serapidi in vrbe illa extructum. Neque opus eſt, vt pluribus id confirmem argumentis. Non difficile vero fuerit, rationem indicare, ob quam Graeci Serapidem Alexandrinum cum Aeſculapio ſuo componere; illique huius nomen imponere ſoliti ſint. Etenim inter duos hos affinitas ac ſimilitudo intercedit, certe non mediocris, et confeſtim ab vnoquoque facile obſeruanda. Norunt omnes, Graecos *Aeſculapium* ſuum veneratos eſſe, tanquam magnum Medicinae et Medicorum Deum, qui aegrotis valetudinem, et * ipſis adeo mortuis vitam reſtituere poſſet. Id ipſum quoque de *Serapide*; non Aegyptii tantum; verum et Graeci ac Romani ſibi perſuadebant, vnde fieri conſueuerat, ** vt aegrotos, morbis et infirmitatibus variis excruciatos, in Templum eius deducerent, ſanandos. Celebrabatur inprimis eo nomine Aeſculapius, quod coecis redderet viſum, quod vel ex ARISTOPHANIS *Pluto* abunde pateſcit, in quo Deus hicce diuitiarum, ſed coecus, in Fanum Aeſculapii defertur, vt viſum illic recuperet. Cui iungi poteſt GRVTERI Theſaurus Pag. LXVII. Inſcript. 9. et Pag. LXXI. Inſcript. 1. Idem veteres de *Serapide* praedicant, cuius rei, ne prolixior ſim, exemplum memorabile, dummodo ſit verum, adfert TACITVS, Hiſtor. Lib. IV. cap. 81. Qui *Aeſculapii* manum auxiliatricem implorabant, in Templum eius vehebantur, vt ibi noctem transigerent, ea ſpe freti, fore, vt ſibi dormientibus, per quietem remedium ſalutis oſtenderetur, quod ex ARISTOPHANIS *Pluto* ſatis ſuperque intelligi poteſt. Eundem morem ſeruabant etiam, qui *Serapidis* opem poſcebant

aegroti.

* EVRIPIDES in *Alceſti* v. 125. PINDARVS Pythion. Od. III. p. 221. Edit. Pauli Steph. et ad illum locum vetus *Scholiaſtes*.

** AELIANVS de Animal. Lib. XI. cap. 32. 34. 35.

aegroti. Extat ea de re hic VARRONIS * in *Eumenidibus* verſus

— In ſomnis venit.
Iubet me cepam eſſe et ſeſaminum.

Plura, qui hanc in rem deſiderat, adire poterit IS. VOSSII Obſeruationes in Catullum p. 27. 28. Eodem loco obſeruatur, Romae Serapidis Fanum aedificatum fuiſſe extra vrbem, cuius rei haec potuit eſſe cauſa, quod Aegyptiorum Sacra in vrbem eo tempore nondum admitterentur. Sed idem tamen factum quoque fuiſſe in ipſa Aegypto, *vt nullum*, in illa regione *oppidum, intra muros ſuos, Serapis fanum reciperet*, teſtem habemus MACROBIVM Saturnal. Lib. I. c. VII. Eadem vero etiam fuit ratio Templorum Aeſculapii, et Romae, et in Graecia, cui quidem rei hanc ſubeſſe rationem exiſtimat GERH. IOH. VOSSIVS, ** *quod Aeſculapius Numen eſſet ſanitatis, agri autem vrbibus ſalubriores.* His igitur de cauſis, Graeci perſuaſum habebant, *Aeſculapium* ſuum, ab Aegyptiorum *Serapide* vix differre, et, cum vtriusque idem eſſet Numen, eadem poteſtas, atque exiſtimatio, huic illius nomen vere indi poſſe.

* Apud NONIVM in voce *Cepe* p. 201.
** De origine Idolol. Lib. I. cap. 13.

CAPVT VII.

De Beſa, Paamyle, Palmyte, et Sochari, Aegyptiorum Diis.

Beſa, Deus Abydi in ſuperiori Aegypto cultus, Numen eſt obſcurum. §. 1. Paamyles quidam, a nonnullis Deus, ab aliis Sacrorum in Aegypto miniſter fuiſſe traditur. §. 2. Re ipſa Paamyles nomen erat Feſti, quotannis in honorem Oſiridis celebrati. §. 3. Erat Feſtum idem, quod etiam, Oſiridis inuenti, aut renati, aut renouati, dici conſueuerat. §. 4. Vox Aegyptiaca Paamyles ſubinnuit annuntiationem rei dulcis et iucundae. §. 5. Palmytes videtur fuiſſe cognomen Oſiridis vel Solis, ipſi ex eo inditum, quod fructus ad maturitatem perduceret. §. 6. Socharis cognomen forte erat Iſidis, ſignificans, eam generationi hominum et animantium praeſidere.

§. I.

Beſa, Deus Abydi in ſuperiori Aegypto cultus, Numen eſt obſcurum.

Superest nunc, vt de Numinibus Aegyptiorum nonnullis, obſcurioribus, et quorum vix ſemel atque iterum mentio occurrit, pauca quaedam ſubiungamus. Primum inter illa locum concedimus *Beſae*, Deo locali, qui tantum in aliqua Aegypti, aut vrbe, aut parte, colebatur. Notitiam eius debemus AMMIANO MARCELLINO, cuius haec ſunt de eo verba Lib. XIX. p. 164. *Oppidum eſt Abydum, in Thebaidis parte ſitum extrema, hic Beſae Dei localiter appellati Oraculum quondam futura pandebat, priſcis circumiacentium regionum ceremoniis ſolitum coli.* Erat igitur Deus hicce Abydi localiter cultus, ibidemque Oraculum eius conſuli ſolebat. Cenſet tamen * ISAACVS CASAVBONVS, ſedem Dei huius fuiſſe etiam *Antinoum*, vel *Antinopolin*, vrbem conditam ab Hadriano, in honorem pueri, quem deperibat, cuiusque extincti memoriam ad ſeram poſteritatem propagari enixe cupiebat. Arbitrabatur autem vir doctiſſimus, vrbi huic, a Deo illic cul-

to,

* In notis ad SPARTIANI *Adrianum*, c. 14.

to, nomen quondam fuiſſe *Beſae;* ſed ab Hadriano reſtauratam, priſtinum cum nouo *Antinoi* nomine, commutaſſe. At hac de re, apud Scriptores veteres, qui tamen tum Abydi, tum Antinoi, mentionem perſaepe faciunt, altum plane ſilentium. Adfert tamen pro ſe vir ſummus, teſtimonium PHOTII, vt qui in *Bibliotheca* Cod. CCLXXIX. p. 1596. de Helladio, Scriptore ſua aetate non incelebri, referat: *Erat natione Aegyptius, ciuitate Antinoi, vel vt de ſe ipſe ſcribit, Beſantinoi.* Cur HELLADIVS iſte, *Antinoum* patriam ſuam appellauerit *Beſantinoum*, ignoramus. Sed inter tot Scriptores, qui de vrbe hac, et occaſione illius condendae, loquuntur, vnus tantum hicce, qui ducentis fere, poſt conditam *Antinoum* floruit, eam *Beſantinoum* vocaſſe deprehenditur. Forſitan *Beſae* cultus, qui olim Abydi in pretio fuerat, poſtea Antinoopoli renouatus eſt, eaque de cauſa HELLADIVS eam *Beſantinoum* nuncupauit. Plura quae de *Beſae* huius Numine dicam, non habeo. Ex indiciis tantum nonnullis colligere licet, Deum hunc in exiſtimatione non exigua, apud Aegyptios fuiſſe. Paſſim enim in hiſtoria occurrunt viri Aegyptii, quibus ab eo nomen inditum fuiſſe videmus. In Monumentis Copticis BONIOVRII p. 10. memoratur aliquis *Abbas Biſa.* Neque dubito, quin *Abbas Biſarion*, de quo * in Apophthegmatibus Patrum legimus, nomen ex eodem fonte traxerit. Talia nomina, a Diis Aegyptiorum petita, etiam apud Chriſtianos illius regionis diu in vſu perſeueraſſe, ſaepe in hoc noſtro *Pantheo* monuimus. Alios eodem *Beſae* nomine inſignes CASAVBONVS obſeruauit loco ante citato.

§. 2. Video a quibuſdam in catalogum Deorum Aegyptiorum referri etiam aliquem *Paamylen.* *Paamyles quidam, nonnullis*

 De

* In COTELERII *Monumentis Eccleſiae Graecae* To. I p. 611.

Deus, ab aliis Sacrorum Miniſter fuiſſe traditur.

De eo HESYCHIVS: Παααμύλης, αἰγύπτιος θεὸς Πριαπώδης. *Paamyles dicitur Numen aliquod Aegyptiorum Priapeium, vel Phallicum.* Cur Deus ille dicatur Priapeius, ex §. ſequenti, melius intelligetur. Adfert ibidem Grammaticus ille, verſum CRATINI, Comici iunioris; ſed valde corruptum, ex quo tamen id colligi poſſe videtur, *Paamylen* et *Socharin* habitos fuiſſe pro Numinibus Aegyptiorum Priapeiis et Phallicis. Alii nomen hoc viri tantum alicuius Aegyptii fuiſſe contendunt. Eorum ſententiam ſic refert PLVTARCHVS de Iſide et Oſir. p.355. *Prima autem epagomenarum die, Oſirin natum aiunt, et ſimul cum eo vocem editam, quae indicaret, Dominum rerum omnium in lucem prodire. Alii Pamylen * quendam dicunt, cum Thebis e Templo Iouis aquatum exiiſſet, vocem audiiſſe, qua iuberetur proclamare, Oſirin magnum regem et beneficum eſſe natum: ideoque eundem, Oſiridem a Saturno ſibi traditum, enutriuiſſe, et Sacra quoque Pamylia ei peragi, Phallephoriis, id eſt feſtis, in quibus ventri imago circumfertur, non diſſimilia.* Hic igitur *Pamyles* non Deus eſt; ſed quidam Templi Thebaei, et rerum ſacrarum illic peractarum miniſter. Et tamen PLVTARCHVS, ex quorundam ſententia refert, in eius honorem, feſtum diem, quem Aegyptii dixerunt *Paamylia*, celebrari conſueuiſſe.

Re ipſa Paamyles, Feſtum erat, in Oſiridis honorem quotannis celebrari ſolitum.

§. 3. Et hanc quidem veram illius nominis ſignificationem fuiſſe, putauerim. *Paamylia*, vti loquuntur Graeci, vel *Paamyles*, Feſtum in Aegypto erat ſolenne, in *Oſiridis* honorem quotannis concelebratum, quod verba PLVTARCHI modo adducta clare teſtantur. Equidem praeclarus hicce Scriptor ſignificare videtur, Feſto huic nomen fuiſſe *Paamyles*, vel *Paamyliorum*, eo quod in honorem

* Verſio vulgata habet *quandam*, eique hoc loco fauet Textus graecus; ſed eum corrigi debere, oſtendi in Miſcellan. Berolin. To. VII. p. 391. in notis.

rem *Paamyles* inſtitutum fuerit. Et ſane, ſicut a *Libero* dicta *Liberalia*, a *Baccho Bacchanalia*, a *Vulcano Vulcanalia*, a *Termino Terminalia*, a *Quirino Quirinalia*, ita Graeci quidam ſibi videntur eſſe imaginati, *Paamylia* feſtum, a *Paamyle* quopiam nomen traxiſſe. Verum PLVTARCHI verba graeca, ita etiam accipi poſſent, tanquam *Paamylia* in honorem ipſius *Oſiridis*, ſiue *Solis*, in Aegypto celebrari conſueuiſſent. Et profecto, quaecunque demum fuerit PLVTARCHI ſententia, res ipſa ita ſe habuit. Meminit idem hicce Scriptor *Paamyliorum* alio quoque loco, vbi Sacra *Oſiridis* explicat, in libro *de Oſir*. p. 365. *Porro Paamyliorum feſtum agentes, quod, vti dixi, adhibito ſimulachro membri virilis celebratur, imaginem proponunt, ac circumferunt, cuius triplus eſt penis*, (ὃ τὸ αἰδοῖον τριπλάσιόν ἐστιν.) PLVTARCHVM vero loco iſthoc de Oſiride eiusque Sacris diſſerere, adeoque ad eius Numen, *Paamylia* eſſe referenda, non negabit, quiſquis locum inſpicere, ac attente conſiderare dignatus fuerit. Forſitan his Aegyptiorum *Paamyliis* diſſimilia non ſunt, Sacra quaedam Perſarum, in honorem *Mithrae*, id eſt *Solis* peragi ſolita, quorum Pſeudo-DIONYSIVS *Areopagita* meminit Epiſtola VII. vbi ſcribit: * Καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα, τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν. *Magi etiamnum triplicis Mithrae*, id eſt Solis, *memoriam recolunt*. Nam Sacra *Mithrae* Perſarum, etiam fuiſſe Phallica, ad ſignificandam vim Solis prolificam et genitalem, Simulachrum Numinis huius, ** apud HYDIVM, *de relig. vet. Perſar.* cap. IV. pag. 113. conſpiciendum, ſatis docet. Ad Aegyptios vt redeam, Feſtum hocce eorum, quod *Paamylia* vocari teſtatur PLVTARCHVS, niſi me vehementer fallit opinio, tangit etiam HERODOTVS, vbi de ſolennitate quadam,

* Operum To. I. p. 774. fin. Edit. Corderii.

** Vide et LEONARDI AVGVSTINI Gemmas Part. II. num. 33.

dam, in honorem *Oſiridis* inſtituta, hoc refert Lib. II. c. 48. *Reliqua vero in hoc Feſto, in honorem Bacchi* (ita vocat *Oſiridem*) *celebrato, Aegyptii eodem fere modo peragunt, quo Graeci, porcis exceptis. Sed loco phallorum, ſimulachra excogitarunt cubitalia, quae fidiculis tractae mouentur tanquam viuae. Has mulierculae circumferunt per pagos, mentula nutante, quae haud paulo maior eſt, reliquo corpore. Praecedit autem* in hac Pompa *tibia, eam vero ſequuntur mulierculae, Bacchum* (Oſiridem) *canentes. Cur vero ſimulachrum mentulam habeat tantae magnitudinis, et vnum hocce tantum in toto corpore membrum commoueat, perhibent fabulam ſacram.* Habes hic Feſtum in honorem *Bacchi* celebratum, ita autem * HERODOTVS interpretatur *Oſiridem:* et in Feſto hoc phallum magnitudinis abnormis, quem PLVTARCHVS dixerat τριπλάσιον, *triplicem*, vt proinde dubio locus non ſit, deſignari ab vtroque auctore, vnum idemque Feſtum, Aegyptiace *Paamylia* dictum, *Oſiridi*que dicatum.

Erat Feſtum illud idem, quod [illegible] Oſiri- [illegible] inuenti, [illegible] renati, vel renouati, dici conſueuerat.

§. 4. Paucis nunc videamus, qualenam Feſtum *Paamyliorum* fuerit, quaque de cauſa, Aegyptii illud nomine hoc deſignauerint. Et primo quidem, quod ad indolem Feſti huius attinet, ex iis, quae §. 3. hac de re obſeruauimus, ſatis liquet, fuiſſe Phallicum, in quo nempe facultas naturae, aut potius Solis, ad rerum omnium generationem, multiplicationem, et conſeruationem, in Symbolo, quod nobis non valde honeſtum videri poteſt, concelebrata fuerit. Cum vero de eo quoque conſtet, Sacerdotes celebritatem hanc, in honorem *Oſiridis* inſtituiſſe, dubitare amplius non poſſum, *Paamyliorum* Feſtum fuiſſe illud ipſum, ** quod etiam *inuenti*, aut *renati Oſiridis*, dicebatur. In eo populus alta voce clamabat: Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, *Inuenimus iam*, (Oſiridem) *et vna gaudemus.* Certe in fabula de *Paamyle*, Aegyptiaco-graeca, quam EX PLVTARCHO retulimus, §. 2. mentio fit clamoris, ſignificantis, *Oſiridem natum*, vel quod plane idem eſt, *inuentum eſſe.*

* Lib. II. c 42.

** Plura de hoc Feſto annotata fuere in *Miſcellan. Berolin.* To. VII p. 377. etc. 387. etc. et in hoc *Pantheo* Lib. II. c. VI. §. 8.

eſſe. Spectabat igitur negotium hoc ad *inuentum Oſiridem.* Et in fabula eadem ſermo quoque eſt de *aquatione*, tum temporis inſtituta, quae ſane * in Feſto *Oſiridis inuenti*, magno cum gaudio peragebatur. Quod porro PLVTARCHVS de imagine *veretri tripli*, in Paamyliorum Feſto, circumduci ſolita, commemorat, (vide §. 3.) id, ſi recte coniicio, *Tabula Bembina* eo loco, quo Feſtum Oſiridis renati, vel inuenti, ſymbolice deſignatur, in aenigmate aliquo Aegyptio Sacerdotali, oculis noſtris obiicit. Nam in ipſa Tabulae huius clauſula, quam ** olim ſatis prolixe expoſui, ſub litera T. T. in Editione *Friſii* Amſtelodamenſi, effigies conſpicitur *Hori*, vel *Harpocratis* tenelli, quaſi recens nati, ac faſciis inuoluti, vtraque manu haſtam tenentis, in cuius ſummitate *crux anſata* triplex effecta eſt, hunc in modum.  Monui autem *** antehac, ex obſeruatione doctiſſimi LA CROZII, *crucem illam anſatam*, in Monumentis veterum Aegyptiorum toties occurrentem, nihil aliud eſſe, niſi *Phallum*, vel imaginem paulo obſcuriorem veretri. Cumque videamus, crucem hanc, illa in effigie triplicari, an non in eo, *triplicem phallum* PLVTARCHI, Feſto *Paamyliorum* proprium, agnoſcere oportet?

Vox Aegyptiaca Paamyles, ſignificat annuntiationem dulcem et bonam.

§. 5. Tentemus iam, num non vocem *Paamyles*, ex reliquiis linguae veteris Aegyptiacae explicare poſſimus, quod nobis loco *ſecundo* propoſueramus. *Paamyles*, ſi HESYCHIO et PLVTARCHO fides, nomen fuit in Aegypto proprium, ſiue Dei, ſiue viri cuiuſpiam, Sacrorum adminiſtri. Mihi vero, quod profeſſus iam ſum, nomen videtur fuiſſe ſolennitatis religioſae, magno cum gaudio in Aegypto celebratae. Ipſum nempe Feſtum *Oſiridis inuenti*, aut *renati*, patrio ſermone, Aegyptii dixerunt, vti mihi perſuadeo, *Paamyles*: et ſane PLVTARCHVS ipſe Feſtum *Paamylia*, non ſemel commemorauit. Significauit autem *Paamyles*, Aegyptiacis literis ſcriptum ⲡⲁⲁⲙⲉϩⲏⲗⲥ, *Paamehels*, vel ⲡⲁⲙⲉϩⲏⲗⲥ, *Pamehels, diem bonae annuntiationis*, vel *annuntiationem bonam*, vel denique ⲡⲁⲙⲉ-ⲟⲩϩⲏⲗⲥ, *Pame-uhols*, quod plane idem ſignificat. Nimirum ⲁⲙⲉ, *ame*, Aegyptiorum ſermone, vti autumo, ſignificat *annuntiare, docere, oſtendere*. Equidem fateor, in Coptorum libris, manu

* Vide *Miſcellanea Berolin.* vbi ſupra p. 391.
** In *Miſcell. Berolin.* loco cit. p. 373. 374. etc.
*** in hoc *Pantheo*, Lib. II. cap. VII. §. 6.

nu exaratis, et publice editis, ſemper legi ⲦⲀⲘⲈ, *Matth.* VIII. 4. *Apoc.* IV. 1. Sed ſunt indicia, ex quibus non potui non colligere, antiquitus Aegyptios etiam dixiſſe et ſcripſiſſe ⲀⲘⲈ. Altera vox, ex qua nomen illud Aegyptiacum compoſitum eſſe auguror, ϨⲞⲖϪ, *hols*, innuit *dulce et iucundum*, *Rom.* XVI. 18. *Iacobi*, III. 11. 12. Erit igitur *Pamehels*, *annuntiatio*, vel *Paame-hels*, *dies bonum annuntians*, cui denominationi egregie reſpondet, quod in Feſto illo populus exclamabat, Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, *Inuenimus*, quod quaerebamus, *et* nunc *omnes vna gaudemus.* Cur vero in hoc Feſto, Phallus et triplex quidem, circumferri olim ſoleret, haec ſine dubio ratio fuit, quod in eo venerarentur Solem, qui ad hemiſphaerium noſtrum rediens, principia omnigenae fertilitatis ſecum veheret, et ſecutura aliquanto poſt incrementa Niliaca, e longinquo oſtenderet, ac certo polliceretur. Hinc in illo Feſto deſcendere ſolebant aquatum, dulcem aquam Niliacam hauſturi, quod monuimus §. 4. Simile fere Feſtum etiam hodie celebrant Chriſtiani in Aegypto, Die XXV. Menſis *Phamenoth*, qui reſpondet Diei XXI. noſtri *Martii*, quo Sol aequinoctium vernum peragere ſolet. Dies enim ille, in Canone lectionum S. Scripturae, ſingulis diebus Dominicis, et Feſtis, in Eccleſia Coptica, aſſignatarum, quem ex Codice IV. Euangeliorum Coptico, et longe vetuſtiſſimo, Bibliothecae regiae Pariſienſis, olim deſcripſi, dicitur ⲠⲒϢⲈⲚⲞⲨϤⲒ, quaſi dicas *diem* 'Ευαγγέλιε, id enim vox Aegyptiaca ſonat, vel *nuntii boni* et *exoptati.* Nam ab illo die, * olim multi, ſicut et hodie, initia repetebant incrementi Nilotici.

Palmytes videtur fuiſſe cognomen Oſiridis, vel Solis, fructus nempe ad maturitatem perducentis.

§. 6. A *Paamyles* nomine non multum recedit *Palmytes*, quomodo Numen aliquod Aegyptium appellatum fuiſſe, HESYCHIVS docet. Verba eius ſunt: Παλμύτης, αἰγύπτιος θεός, *Palmytes eſt Deus aliquis Aegyptius.* Plura de Numine iſthoc, ſi aliquod fuit, ſcire datum nobis non eſt. Effeciſſe hoc videtur, ut SALMASIVS dubitaret, eſſet haec genuina et vera in Lexico Heſychiano, iſtius vocis lectio. Ita enim ad DOSIADAE *Aram primam* commentatur: **. *Sequitur apud Heſychium* Παλμύτης αἰγύπτιος θεὸς, *ſed perperam*, pro Παα-μύλης, *vt alibi dicemus.* An vero fidem datam, ſe ea de re alibi dicturum, liberauerit vir magnus, hactenus ignoro. Ego emendationi huic Salmaſianae, multum et pertinaciter refragari

* Vide *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. II. §. 7.
** In THO. CRENII *Muſeo Philol.* To. II. p. 200.

gari nolim. Nam etſi vocem Παάμυλης, iam interpretatus antea fuerit HESYCHIVS, quod emendationi huic videtur obſtare, fieri tamen facile potuit, vt Grammaticus ille, vocem in Collectaneis ſuis corrupte ſcriptam, ex iis deprauate repetierit, quod in eius Lexico alias non ſemel factum fuiſſe, quiuis haud obeſae naris, facile ſubodorabitur. Nihil vero facilius, quam vt A in Λ transeat, adeoque ex ΠΑΑΜΥΛΗΣ enaſcatur ΠΑΛΜΥΤΗΣ. Quem errorem in voce ignota, barbarica, Aegyptiaca, tanto facilius committere potuit HESYCHIVS. Fatendum tamen, coniecturam Salmaſianam, etſi non exiguam veri ſpeciem prae ſe ferat, non penitus certam eſſe. Nam HESYCHIVS duas has voces Παάμυλης, et Παλμύτης, ceu voces diſtinctas, in Lexicon ſuum ſeparatim retulit. Et vna non minus quam altera, typum prae ſe fert dictionis Aegyptiacae. Suſpicatus ergo ſum, *Palmyten* Aegyptiis ſubinnuiſſe Numen, fructibus praefectum, quod illos ad maturitatem perducere crederetur. ϩⲱⲗⲉⲙ, *holem*, certe in lingua gentis illius *accelerare* ſignificat, ⲟⲩⲧⲁϩ, *utah*, autem dicitur *fructus*, ex quo conficitur, Ⲡ-ϩⲱⲗⲉⲙ-ⲟⲩⲧⲁϩ, *P-holem-utah*, eum deſignare, qui *fructus accelerat*, maturitatem eorum procurat, eosque breui ad perfectionem deducit. Soli hoc egregie conuenire, nemo eſt, qui non intelligat. Videtur itaque cognomen apud Aegyptios fuiſſe *Oſiridis*, ipſi in hymnis Sacris tribui ſolitum, quemadmodum et STATIVS Lib. I. *Thebaid.* in fine *Oſiridem* dixit *frugiferum*. Id vero Aegyptiace non incommode diceretur *Palmuta*.

§. 7. In verbis CRATINI, quorum feci mentionem §. 2, *Paamylae* iungitur *Socharis*, tanquam Aegyptiorum Numen, eiuſdem indolis, id eſt Phallicum. Verba eius, quamuis inſigniter corrupta, haec apud HESYCHIVM extant, in voce Παάμυλης. Ὡς σφοδρῶς ἡ Αἰγυπτιώδης σίχαρις Παάμυλης. Niſi vox Σόχαρις ſit corrupta, qua de re nihil temere affirmauerim, veroſimile eſt, latere in ea nomen Dei alicuius Aegyptii, aut Deae, cuius, ſicuti Paamylae, Sacra videntur fuiſſe Phallica. Quod ſi Numen illud ab Aegyptiis habitum fuerit generis maſculini, crediderim a *Pane* Aegyptiorum, ſiue *Mendete*, parum fuiſſe diuerſum. *Socharis* certe et *Mendes*, mihi idem ſignificare videntur. Nam *Mendes* Aegyptiorum filiis proprie ſonuiſſe *valde prolificum et foecundum*, eoque nomine deſignatum fuiſſe *Solem omnia inſeminantem*, ſupra docuimus, Lib. II. c. VII.

Socharis cognomen forte erat Iſidis, ſignificans, eam generationi hominum et animantium praeſidere.

§. 7.

§. 7. 9. Neque aliud quid *Socharis* ſignificaſſe mihi videtur. Etenim ϭⲟ, vel ϭⲱ, *So*, Nili accolae dicebant φυτεύειν, *plantare*, *ſeminare*, *generare*. Iisdem porro ⲁⲣⲉϩ, *areh*, eſt *cuſtodire*, vnde in propatulo eſt, ϭⲟ-ⲁⲣⲉϩ, *So-areh*, et inſerta, quod a Graecis in efferendis vocabulis peregrinis ſaepe fit, adſpiratione, *Sochare*, innuere *cuſtodem generationis*, et *ſeminationis*. Vel poſſet vox illa quoque explicari ϭⲟ-ⲁⲣⲓ, *So-ari*, quod Graeci pronuntiarunt *Sochari*, idque ſignificat *auctorem* et *cauſam generationis*, quod nomen Aegyptii *Planetae* quoque *Martis* indiderunt. Vide Lib. III. cap. VI. §. 4. Suſpicari ergo procliue eſt, fuiſſe *Socharis* cognomen, aut forte etiam Epitheton, in hymnis Aegyptiorum Sacris, *Soli* tributum. Quod ſi vero Socharis nomen fuerit, generis foeminini, exiſtimarem, cognomen illud fuiſſe *Iſidis*, ſiue *Lunae*. Nam et illa generationis corporum in mundo, cauſa credebatur atque cuſtos, quod multis perſecuti ſumus Lib. III. cap. I. §. 4. Operae quoque pretium eſt, hic obſeruaſſe, * ϣⲁⲓⲣⲓ, *Sairi*, lingua Aegyptiorum dici κοιτὴν, *concubitum*. Hinc enim pateſcit, ⲥⲁ-ϣⲁⲓⲣⲓ, *Sa-ſchairi*, vel Σαχαϊρὶ, *Sa-chairi*, (vnde Graeci fecerunt *Socharin*) explicari recte poſſe eam, *quae concubitui praeeſt*, vel quae homines et animalia, ad multiplicandum genus ſuum, occulta vi impellit. Hoc Lunae etiam tribuerunt veteres Aegyptii, ideoque ** *ad res amatorias Lunam inuocabant: et iis rebus praeeſſe Iſidem*, *Eudoxus*, Scriptor peruetuſtus, *affirmat*. De *Iſide* nempe, ſiue *Luna*, id crediderunt Aegyptii, quod de *Venere* Romanorum LVCRETIVS canit in principio Operis de rerum Natura.

Alma Venus Coeli ſubterlabentia ſigna
Quae mare nauigerum, quae terras frugiferentes
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina Solis.

Et poſt verſus plures interiectos:

Denique per maria, ac montes, fluuiosque rapaces,
Frundiferasque domos auium, camposque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis, vt cupide generatim ſecla propagent.

Id vero Aegyptiis ſignificaſſe *Socharin* arbitror.

* Vide ſupra Lib. IV. cap. III. §. 11.

** PLVTARCHVS de Iſide p. 372.

PROLEGOMENA

PROLEGOMENA.

§. I.

Operae pretium facere mihi ſemper illi viſi ſunt, qui in eruendis ac explicandis Theologiae priſcae Aegyptiorum originibus, ſedulo et diligenter laborarunt. Etenim inter eruditos omnes conſtat, Aegyptios, ſi non primos omnium, certe inter primos, vires ingenii, rationisque vſum, ſtudio exquiſito perpoliuiſſe, et ſcientiarum nobiliſſimarum, cunctarum fere, fundamenta non poenitenda poſuiſſe. Ipſa [a] diuina Scriptura, tempore iam Salomonis regis, ſapientiam populi huius inſigniter laudat, deque ea nos quoque magnifice ſentire docet. Teſtatur eadem verbis diſertis, [b] Moſen, Scriptorum omnium, qui extant, antiquiſſimum, Sapientia Aegyptiorum inſtitutum atque imbutum fuiſſe. Id vero cumprimis teſtimonio nititur meliorum antiquitatis Scriptorum, doctrinam de Diis, ab Aegyptiorum Sapientibus ſingulari induſtria excultam, poſtea ad Phoenices, ad Arabas, ad Grae-

a. 1 *Reg.* IV. 30.

b. *Actor.* VII. 22.

Graecos, et per hos ad Romanos, et vt vno verbo dicam, ad gentes politiores cunctas perueniſſe. Videntur enim Aegyptii, cum apud ipſos iidem, et ſapientiae ſtudium profiterentur, et res diuinas procurarent, fructus praecipuos, quos ex cultis ſolerter ac ſtudioſe literarum ſcientiis perceperant, ad amplificandam doctrinam de Deo, rebusque diuinis transtuliſſe, vt quanto maiores in ſcientiis quibuscunque profectus facerent, tanto ornatior quoque et politior euaderet ipſorum religio. Factum eo eſt, vt exiſtimatio Sacerdotum Aegypti, et fama ſapientiae eorum, ac inprimis circa res diuinas, longe lateque ſe diffunderet, nouaque indies incrementa caperet, vtque ad Scholas ac Sacraria ipſorum vndecunque confluerent, qui ſupra vulgum ſapere audebant, et in ſcientia omnium praeſtantiſſima, de Deo ſcilicet rebusque diuinis, eximium aliquid praeſtare in animum inducebant. Abunde id hiſtoria Philoſophica, Graecorum cumprimis teſtatur, idemque argumentum ſubinde infra attingemus. Theologiam igitur Aegyptiorum priſcam, recte beneque cognitam, dicere non immerito poſſis, clauem Theologiae Phoenicum, Arabum, Graecorum, Romanorum, et gentium politiorum plurimarum, tametſi non negem, gentes iſtas ad religionem primitiuam, ab Aegyptiis deriuatam, labentibus annis, figmenta non pauca, ſibique propria, adieciſſe. Ex eadem Aegyptiorum religione auita, intelligi porro quam optime poterit, quouſque mens humana, luce ſalutari reuelationis coeleſtis deſtituta, ſuoque tantum inſtinctui obſecundans, quantumuis rerum praeſtantium ſcientia ſollicite imbuta ac exercitata, in cognitione Dei progredi queat, ad quae etiam non deuia, ipſa ſibi relicta, ſuisque tantum ratiocinationibus ac cerebri inuentis indulgens, prona ruat.

II.

§. II. Ea igitur de cauſa ſemper fuere, qui omni ope, animique contentione id agerent, vt, ſi fieri poſſet, in intimos Theologiae veterum Aegyptiorum receſſus perrumperent, illiusque arcana aliis aperirent et explicarent. Quem eruditorum latere poteſt, quid hac in re praeſtiterit, aut certe praeſtare voluerit HERODOTVS, quid DIODORVS *Siculus*, quid PLVTARCHVS, quid poſt hos tentauerint PORPHYRIVS, IAMBLICHVS et MACROBIVS, quid conati fuerint, ac ad argumentum hoc illuſtrandum contulerint, Scriptores noſtrates, CLEMENS *Alexandrinus*, EVSEBIVS, atque praeter hos alii cauſae Chriſtianorum aduerſus Ethnicorum obtrectationes, defenſores atque vindices? Abſque his auctoribus, in argumento hoc magna cum laude verſatis, eſſet, hodie in Theologia Aegyptiorum nihil plane cerneremus. Gratia proinde his, neque minima, habenda eſt, quod in Cimmeriis his tenebris, aliquam nobis facem praetulerint, cuius ope nunc, quamuis non ſine ingenti labore, verum a falſo diſcernere, atque ex caliginoſa abyſſo erutum, in apricum proferre poſſumus. Nihil dicam de recentioribus, qui veſtigia veterum legentes, eorumque obſeruationibus vſi, de illuſtrando et explicando eodem argumento, ſerio, neque ſine omni ſucceſſu cogitarunt. Ingratus eſſem, ſi de ipſorum laboribus ac laudibus detraherem, neque ipſorum egregia merita agnoſcere aut praedicare vellem. Quantumcunque vero, viri immortali memoria digni, de hoc noſtro argumento meriti ſint, auſim tamen, quoniam res id poſtulat, libere profiteri, genuinam Theologiae Aegyptiacae indolem, verumque eius ingenium, non ſatis perſpicue hactenus declaratum, neque ita, vt merebatur, dilucide et diſtincte explicatum fuiſſe. Vtrum vero idem hicce conatus, mihi feli-

cius ceſſerit quam aliis, eruditis et cordatis huiusmodi rerum arbitris, diiudicandum relinquo. Antequam tamen ſingularium Deorum in Aegypto explicationem auſpicer, viſum eſt aliquid de Theologia gentis huius praemittere. Et vt ordine commodo haec mea procedat Diſſertatio, I. quidem inquiram in primordia atque origines doctrinae de rebus diuinis corruptae, cultusque idololatrici inter Aegyptios. II. Diſpiciam, qualenam fuerit cultus iſtius idololatrici proprium et genuinum obiectum. Ac III. denique exponam, quo modo, quaue methodo, Aegyptiorum Sapientes, in tradenda doctrina Sacrorum vſi fuerint. Quae quidem totidem diſtinctis capitibus explicabimus.

* *

CAPVT I.

De initiis et originibus corruptae inter Aegyptios doctrinae Theologicae, cultusque Deorum idololatricae.

Vera Dei cognitio et religio, in Aegypto, poſt diluuium, per annos plus quam trecentos perſeuerauit. §. III. Neque iis quae dixi, obſtat impietas Chami. §. IV. Eadem etiamnum florebat, quo tempore Abrahamus illic peregrinatus eſt. §. V. Id ex eo etiam illuſtratur, quod Patriarchae huic apud Philiſtaeos contigit. §. VI. Et ex ritu circumciſionis, apud Aegyptios poſt aetatem Abrahami recepto. §. VII. Ad obiectiones quaſdam, quae ex Eratoſthenis catalogo regum Thebaeorum peti poſſent, reſpondetur. §. VIII. Tempore Ioſephi Patriarchae, religio deprauata, et idololatria, radices iam egerat in Aegypto. §. IX. Et ipſe quoque animalium brutorum cultus. §. X. Multo luculentiora eiuſdem rei veſtigia, in Aegypto, poſt mortem Iacobi et Ioſephi, Patriarcharum reperiuntur. §. XI.

§. III.

Primorum Aegypti, poſt diluuium, incolarum, cum ex Noacho, eiusque filio Chamo, et nepote Miſraimo, ortum traherent, nulla alia potuit eſſe Theologia ac religio, quam vera et pura, ab ipſo Deo tradita. NOACHI ſinceram et conſtantem pietatem, tota eius hiſtoria, a MOSE conſcripta, vbique loquitur, et praedicat, eique [a] Scriptores etiam alii diuini, Deusque adeo ipſe, vbi ſe occaſio offert, teſtimonium perhibent honorificum. Quis igitur dubitet, virum fide et pietate in Deum adeo illuſtrem, quique in mundo antediluuiano, inter homines peruerſos atque impios, munere [b] *praeconis iuſtitiae* aſſidue, quamuis non ſine [c] *moleſto men-*

Vera cogniti[o et] religio, [in] Aegypto, [poſt] diluuium, per annos plusquam trecentos perſeuerauit.

a. *Ezech.* XIV. 14. 18. 20. *Matth.* XXIV. 37. 38. 39. *Hebr* XI. 7. 2. *Pet.* II. 5. 8.

b. 2 *Pet.* II. 5. c. *Ibid.* v. 8.

mentis cruciatu, functus eſt, natos ex ſe liberos, et natorum natos, in cognitione vnius veri Dei, et in timore nominis eius, pro virili erudiuiſſe, et per totam vitam confirmaſſe? Quando autem ex teſtimonio Scriptoris ſacri certum eſt, Noachum poſt diluuium, totos d *trecentos et quinquaginta annos* ſuperuixiſſe, veroſimile prorſus non eſt, Aegyptios ante id tempus, doctrinam de Deo, rebusque diuinis, a Noacho et Noachidis ſibi fideliter traditam, notabili aliquo modo corrupiſſe. Omnia potius, vt credamus ſuadent, et clare teſtantur, veram vnius Dei cognitionem, et cultum cognitioni huic accommodatum, per plus quam trecentos annos, in Aegypto poſt diluuium viguiſſe, et ſine mutatione damnabili perſeueraſſe.

d. *Geneſ.* IX. 28.

Dictis impietas Chami non obſtat.

§. IV. Neque vero eſt, vt quis aduerſus ea quae diximus, impietatem *Chami*, progenitoris Aegyptiorum, obiiciat. Nam etſi inficias non eam, facinus Chami, quod memoriae proditum legimus *Geneſ.* IX. 20-24. vere impium fuiſſe, atque incredibilem animi leuitatem, omni excuſatione indignam, prodere, quae omnino meruerit, vt et ipſe, et poſteri eius maledictione onerarentur, et hi poſteris fratrum Chami poſtponerentur, ac certa etiam ratione ſubiicerentur, nondum tamen ex eo conſequi opinor, Chamum vſque adeo a bona mente, ſanaque ratione repulſum fuiſſe, vt piae inſtitutionis paternae, et magnorum Dei operum, quae toties oculis ſuis vſurpauerat, ſubito et penitus obliuiſceretur, aut cognitio Dei vera et recta, qua eo vſque fruitus erat, in eius mente funditus obliteraretur. Ne id quidem credibile eſt, Chamum illico, poſt admiſſum turpe facinus, relicta patris domo, in Aegyptum ſe recepiſſe. Videtur potius tota Noachi et Noachidarum familia, vt a ferarum incurſionibus tanto tutiores eſſe, ſeque mutuo et defendere et adiuuare

iuuare poſſent, poſt diluuium, per longam multorum annorum ſeriem, in eodem fere regionis tractu, vna habitaſſe, donec tandem creſcens indies hominum numerus, aliaeque forte rationes, multos compellerent, vt nouas ſedes quaeſitum proficiſcerentur. Hos inter fuit etiam Chamus, aut quod verius mihi videtur, Miſraimus filius eius, qui regionem a ſe denominatam *Miſraim*, id eſt Aegyptum, incoluit, inque eam, doctrinam de vno vero Deo, paternis auitisque in aedibus hauſtam, introduxit, poſterisque ſuis tradidit.

Vera ... in Ae... etiamnum florebat, quo tempore Abrahamus illic peregrinatus eſt.

§. V. Non nego tamen, in familia Semi, viuo adhuc Noacho; ſed eo, vt credere par eſt, inſcio, aliquam in doctrinam et cultum corruptionem furtiuo greſſu, clam et pedetentim irrepſiſſe. Maioribus certe Abrahami, qui Chaldaeam inhabitauerant, cultum idololatricum, Deus ipſe [e] diſertis verbis exprobrat, et hanc eſſe cauſam ait, ob quam Abrahamum e patria et a cognatis ſeuocauerit. At idem quoque apud poſteros Chami, Aegypti incolas, Noacho adhuc ſuperſtite, vſu veniſſe, ex hiſtoria ſacra, nullo prorſus aut argumento, aut indicio, colligi vel oſtendi poteſt. Qui vero hiſtoriam ſacram Abrahami, ſecundo ab exceſſu Noachi anno, in lucem editi, ſerio et attente penſitauerit, haud ita difficulter perſpiciet, Miſraimi in Aegypto poſteros, tempore etiam huius Patriarchae, Deum Noachi verum cognouiſſe, et quantum iudicare datur, ſine vlla idololatriae mixtura coluiſſe. Nam [f] cum Abrahamus cum vxore Sara, quam pro ſorore venditabat, in Aegyptum veniſſet, et hanc Pharao rex, ſibi connubio iungere cupiuiſſet, is tamen a Deo monitus, deſtitit a cogitatis, vxoremque Abrahamo intactam reddidit, veritus nimirum, ne tanto peccato aduerſus Prophetam Dei commiſſo, iram Dei, quem timebat, in ſe domumque ſuam, ac totam etiam Ae-

e. *Ioſuae* XXIV. 2. 3

f. *Geneſ.* XII. 10. etc.

gyptum, prouocaret. An non hiſtoria haec clare docet, Pharaonem Aegyptiorum regem, metu ſupremi Numinis actum, a delictis grauioribus ſe abſtinere voluiſſe, et intellecto errore, in quem ex ignorantia lapſurus erat, mox reſipuiſſe, monitum etiam et caſtigatum a Deo, manum hanc eius caſtigatricem agnouiſſe, humiliterque reueritum eſſe, ac ei ſine mora paruiſſe? Comparentur modo acta pii huius Principis, cum actis inſani illius Pharaonis, ad quem nomine Dei Moſes erat miſſus, [g] quique ſe aut Deum hunc nouiſſe, aut illi parere velle, praefracte negabat. Nonne haec probant, idololatriam, pulſa veri Dei cognitione iam tum inſigniter praeualuiſſe, vti ex illis, non citra rationem, colligimus, veri Dei nomen Aegyptiis ea adhuc aetate et cognitum, et bene cultum fuiſſe?

[g] *Exodi* V. 2.

Id illuſtratur etiam ex eo, quod Patriarchae eidem apud Philiſtaeos [con]*tigit.*

§. VI. Vt vero ea, quae Abrahamo in Aegypto accidiſſe, MOSES mira breuitate, paulo contractius narrat, vberiori luce perſpergantur, vtque pateſcat, ea quae in hac hiſtoria, illuſtrationis cauſa ſuppleui, ingenio Aegyptiorum illius temporis, probe conuenire, age, conferamus cum his, quae Abrahamo eidem, interiectis pluſculis annis, in aula regis Gerarienſis eueniſſe, ex hiſtoria MOSIS diſcimus. Sciendum vero eſt, [h] Philiſtaeos, non ſecus atque Aegyptios, ex *Miſraimo* deſcendiſſe, et aliquamdiu [i] in Aegypto inferiori, vbi Syriae confinis eſt, circa Peluſium, ſedes habuiſſe auitas, vnde tandem, forte poſt, aut ſub Abrahami natiuitatem, egreſſi, illam Syriae partem occuparunt, quae deinde ab ipſis *Philiſtaea*, vel *Palaeſtina*, nuncupata eſt. Erant ergo Philiſtaei, Aegyptiorum ex vno ſanguine fratres, qui veroſimiliter per plus quam ducentos annos, eandem regionem incoluerant. Vnum vtriusque gentis, ante factam feceſſionem, erat ingenium, iidem mores, eadem ſtudia, eadem

[h] *Geneſ.* X. 13. 14.

[i] RELANDI Palaeſtina p. 77. IOH. PHILIPPI HEINII Diſſertt. Sac. Lib. II. c. VI. §. 9.

Sacra.

Sacra. Si alterutram gentem noſti, noſti et alteram. Videamus nunc iam quid de Philiſtaeis, in quorum regione Abrahamus ad tempus conſederat, eorumque rege Abimelecho, hiſtoria ſacra commemoret. [k] *Dixerat de Sara vxore ſua Abrahamus, ſoror mea eſt. Miſit ergo rex Gerari, qui eam adducerent. Deus autem per ſomnium ſic allocutus eſt Abimelechum: Ecce illico morieris, propter hanc mulierem, quam domum duxiſti, nam marito iuncta eſt. Abimelechus autem, qui non tetigerat eam, reſpondit Domino: An o Domine, gentem etiam innocentem malo afficies? Nonne Abrahamus dixit mihi, Saram eſſe ſororem ſuam? —— Quicquid hic egi, egi corde integer, manibusque purus. Regeſſit autem ipſi Deus, et ego ſcio, te feciſſe hoc corde ſimplici, et integro, ideoque cohibui te, ne tanto peccato te contaminares, et viri alius vxorem pollueres. Nunc ergo redde viro vxorem, ſcitoque eum eſſe Prophetam. Roga eum, vt precibus pro te intercedat, tuque viuas. Cum autem e lecto Abimelechus mane ſurrexiſſet, ſeruos ſuos vocauit, iisque quae geſta erant, expoſuit, eoque ipſis metum incuſſit. —— Deinde aduocato Abrahamo, dixit ei Abimelechus: Quid feciſti nobis, aut quid aduerſus te commiſimus, vt in tantae noxae periculum nos induceres? —— Et dedit Abimelechus Abrahamo oues et boues, et ſeruos et ancillas, reddiditque illi Saram vxorem. Dixitque ei: Ecce regio haec vobis aperta eſt. Elige locum, qui tibi commodus videbitur, inibique habita.* Dixerisne, bonum hunc piumque regem, in Scholis Prophetarum educatum inſtitutumque fuiſſe? Et tamen alia diſciplina vſus non eſt, quam quae in Aegypto, vnde Philiſtaei erant egreſſi, expectari poterat. Eſt praeterea in iis, quae duo hi reges, Pharao Aegyptius, et Abimelechus Philiſtaeus, cum Abrahamo egerunt, tanta ſimilitudo, vt exiſtimare aliter non poſſis,

quam

k. Geneſ. XX. 2. 3.

quam eos ſub. iiſdem magiſtris formatos, iiſdem praeceptis imbutos, eodemque Spiritu directos fuiſſe. Et idem quoque virtutis et pietatis ſtudium, in illa Philiſtaeorum gente viguiſſe tempore adhuc Iſaaci Patriarchae, docemur *Geneſ.* cap. XXVI.

Et ex ritu circumciſionis, apud Aegyptios, poſt ...tatem A-...ami ...o. ...ſ. XX. 7.

§. VII. Memorabile omnino eſt, quod modo ex MOSE intelleximus, Abimelecho, Philiſtaeorum Principi ſignificatum fuiſſe a Deo, Abrahamum eſſe [l] *Prophetam Dei*, huic valde charum, qui idcirco audiendus, cuiusque dictis obediendum ſit, atque Abimelechum, cognito hoc, cum reliquis Philiſtaeis, eum pro tali quoque habuiſſe. Gerar, ſedes Abimelechi regia, prope admodum a finibus Aegypti aberat, vnde non parum mihi veroſimile fit, famam eorum, quae Abrahamo Gerare contigerant, continuo ad Aegyptios permanaſſe, ibique exiſtimationem, quam ſibi antehac iam pepererat, virtute ſua, et pietate Abrahamus, inſigniter auxiſſe. Potuit exiſtimatio illa de Abrahamo, tanquam Propheta Dei, quae, vt docte obſeruat, [m] vir antiquitatum Orientalium peritiſſimus, permagna erat in toto Oriente, et ad ipſos Indorum Brachmanas peruenerat, efficere, vt Aegyptii, accedente forte peculiari quadam occaſione, quam hiſtoria non commemorat, circumciſionis ritum, quem Abrahamus Propheta Dei in familia ſua inſtituerat, et ipſi adoptarent, ſuumque facerent. Notum vulgo eſt, vulgoque multorum ſermonibus celebratum, * Aegyptios, a temporibus antiquiſſimis, ritum circumciſionis religioſe obſeruaſſe. Verum ** diſputant viri

m. THOMAS HYDE de re-...ione vet. ...r. toto

* Vide LEONEM ALLATIVM in Euſtathii Antiocheni Hexaëmeron p. 268. 269. SPENCERVM de Legibus Hebraeor. Lib. I. cap. IV. MARSHAMVM in Canone Chronico, Seculo V. p. 74. Edit. Franeq.

** Vide inprimis SPENCERVM, vbi ſupra. IO. CLERICVM in Comment. ad *Geneſ.* XVII. 10. et WITSII Aegyptiaca, Lib. I. cap. VII. §. 1. 2. Lib. III. c. VI.

viri eruditiſſimi, ſumſerintne Iudaei ritum hunc ab Aegyptiis mutuo, an vero vice verſa, eum ab Abrahamo et Abrahamidis didicerint Aegyptii. At enim, niſi vehementer fallor, ex comparatione hiſtoriae Abrahami Moſaicae, cum hiſtoria exotica, confici luculenter poterit, ab Abrahamo ritum hunc transiiſſe ad Aegyptios. HERODOTVS, qui haec ex Sacerdotibus Aegyptiis percontatus fuerat, auctor eſt, [n] ritus huius tantam eſſe antiquitatem, vt prima eius origo, ſitne ab Aethiopibus, an vero Aegyptiis deriuanda, certo oſtendi nequeat. Nempe puduit Sacerdotes Aegyptios, confiteri, conſuetudinem hanc ab Abrahamo et Abrahamidis ad ſe dimanaſſe. At veram eius originem, in hiſtoria Abrahami clare indicat MOSES, vbi docet, [o] circumciſionem a Deo praeſcriptam fuiſſe Abrahamo, vt eſſet ſignum foederis cum Deo, quo et ipſe et poſteri eius, in foederis huius ſocietatem admiſſi, ab aliis non foederatis diſcernerentur, et dignoſcerentur, quod locum non habere potuiſſe mihi videtur, ſi alii iam tum eodem ritu inſigniti vixiſſent. Poſſumus etiam aliunde colligere, Aegyptios ante Abrahami tempus, circumciſionis legem ignoraſſe. Nam ſi ritu illo iam tum vſi fuiſſent, Philiſtaei eorum coloni, et quondam ciues, Sacrorum etiam vinculo ipſis iuncti, recens ex Aegypto egreſſi, morem eundem ſeruaſſent. At enim Philiſtaeos a circumciſione ſemper alienos fuiſſe, [p] certo conſtat. Neque tamen etiam, Ioſephi in Aegyptum venditione, et Iacobi in eandem regionem profectione, circumciſio Aegyptiorum recentior dici poterit. Eo namque tempore, mores Aegyptiorum, in rebus praeſertim ad religionem ſpectantibus, nimio interuallo, ab Iſraëlitarum moribus diſtabant, quam vt ab his illi ritum huius indolis ſacrum mutuaturi fuiſſent. Et tamen iſthoc iam tempore, Aegyptios circum-

n. Lib. II. c. 104.

o. *Geneſ.* XVII. 10. 11. 12.

p. 1. *Sam.* XVIII. 25. 27. vbi adde Commentar. IOH. CLERICI. 2. *Sam.* III. 14.

circumciſionis ſuae praeceptum tam rigide obſeruaſſe videmus, vt cum illud aliquando neglexiſſent Iſraëlitae, neglectus hicce q probrum dicatur *Aegyptiorum*, quod nempe eum in Iſraëlitis aegre tulerint, reprehenderintque Aegyptii. Conſequitur ex his, circumciſionis ritum, tempore illo, quod inter peregrinationes Abrahami et Iacobi, intermedium effluxit, admiſſum, vſuque paulatim receptum fuiſſe. Inſuper vero animaduerti et iſtud meretur, circumciſionis ritum, ſicut apud Abrahamidas, ita quoque apud Aegyptios, actum fuiſſe religioſum, ſignum ac veluti teſſeram, ſingularis in religione puritatis et caſtimoniae. Colchorum circumciſio videtur fuiſſe ritus politicus, quale quid de ſua circumciſione in hodiernum vſque diem praedicant Copti et Habeſſini. Et ipſi quoque Aegyptii, r alias nonnunquam huius ſuae conſuetudinis praetexebant cauſas. Sed res ipſa ſatis per ſe loquitur, circumciſionis Aegyptiorum praecipuum ac proprium reſpectum fuiſſe ad religionem. Apud Aegyptios enim, ad circumciſionem nemo tenebatur, s niſi Sacerdos myſteriis religionis initiandus, qui rerum diuinarum curam agebat, et ad ſcientias ſacras admittebatur. Solebant id obſeruare etiam t ex aedituis Templorum religioſiſſimi quique; verum ad initiationem myſticam, ſacrorumque arcanorum perceptionem et communionem, vſque adeo neceſſarium erat, vt Pythagoras, quantumuis Amaſi, Aegyptiorum regi, de meliori nota commendatus, tamen ad perceptionem Sacrorum initiationisque priuilegia peruenire ante non poſſet, * quam circum-

q. *Ioſuae* V. 9.

r. SPENCERVS, vbi ſupra. CLERICVS in Gen. XVII. 10.

[illegible] HORAPOL. [illegible] Hiero- [illegible] Lib. I. [illegible] ORIGE- [illegible] in Epi- [illegible]l. ad Rom. Lib. II. ANAXANDRIDES apud ATHENAEVM Lib. VII. p. 300.

t. CYRILLVS *Alexandr.* aduerſus Iulian. Lib. IX. p. 298.

* CLEMENS ALEXANDRINVS Stromatum Lib. I. p. 302. THEODORETVS de curandis Graecorum affectibus, Opp. To. IV. p. 467. idque ſubindicat etiam PORPHYRIVS in vita Pythagorae p. 183. Edit. Cantabr. vel 12. Edit. Kuſteri, vbi ait, *Sacerdotes Thebaeos*

cumcidi ſe paſſus fuiſſet. Erat igitur circumciſio Aegyptiorum, religioſa quaedam confoederatio, ſicuti illa Abrahamidarum. Sed nec iſtud praetermittendum, quod AMBROSIVS memoriae prodidit, *de Abrahamo* Lib. II. c. XI. *Aegyptios quarto decimo anno circumcidere mares*, id enim aperte imitationem Abrahami ſapit, quem nouimus, [u] filium ſuum Iſmaëlem, annos tredecim natum circumcidiſſe. Et Abrahamum quidem, id non dedita opera, ſed fortuito tantum feciſſe, in propatulo eſt. Nam cum Sacramentum circumciſionis a Deo accepiſſet, accidit, vt Iſmaël annum compleuiſſet decimum tertium, reliquis vero Abrahamidis ab eo tempore naſcituris iniunctum erat, [w] vt pueri recens nati, octauo a natiuitate die legem circumciſionis ſubirent, etſi lex illa poſthaec, vſque ad introitum Iſraëlitarum in Canaanem, [x] non ſine ſcandalo ipſorum etiam Aegyptiorum, plerumque negligeretur. Illa vero et Abrahami ipſius, et Iſmaëlis filii, annos tredecim nati, circumciſio, adeo iam tum vbique celebrata erat, vt eam deinde imitarentur Aegyptii, quod videmus, non ſecus atque [y] Arabes. Poſſent his haec alia quoque addi, ad oſtendendum, quamdiu inter Miſraimidas, vera perſeuerauerit religio. Sed iſta iam ſufficiant.

u. *Geneſ.* XVII. 25.

w. *Ibid.* v. 12.

x. *Ioſuae* V. 9.

y. AMBROSIVS loc cit. Adde GROTIVM de verit. Rel. Chriſt. I. §. 16. notis.

§. VIII. Verum diſſimulare tamen nolo, in Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS *Cyrenaei*, ſummi ſua aetate viri, talia occurrere, quae ſententiae meae hactenus adſtructae, manifeſto aduerſa videntur. Etenim rex catalogi illius, numero ſecundus, dicitur *Athothes*, quod auctor laudatus interpretatur ἑρμογενῆ, *Mercurio ſatum*. Nomen idem gerit, qui in ordine eſt tertius. Quintus

Ad obiectiones quaſdam, quae ex Eratoſthenis catalogo regum Thebaeorum peti poſſent, reſpondetur.

Pythagorae iniunxiſſe dura, et a Graecorum religione prorſus aliena.

tus appellatur. *Pemphos*, vel, vti legendum eſſe, [z] alias monui, *Semphos*, idque exponitur Ἡρακλείδης, *Hercule genitus*. Qui in eadem ſerie nonum locum occupat, Aegyptiis dicebatur *Mares*, id autem graece redditur Ἡλιόδωρος, *a Sole datus*. Et hi quidem omnes aduentum Abrahami in Aegyptum anteuerterunt, vt de ſecutis iam nihil dicam. Neque quicquam proderit regeſſiſſe, illuſtribus viris, prima illa aetate, nomina quae in hiſtoria gerunt, poſt mortem demum a poſteris impoſita fuiſſe. Quamuis enim res haec negari in vniuerſum nequeat, oportet tamen, id non valde diu poſt mortem celebrium virorum factum fuiſſe, dum res ab ipſis praeclare geſtae, in recenti omnium memoria haererent, vnde liquet, ex iſta obſeruatione, nos hic lucri nihil capere poſſe. Sed paucis tamen ſingula haec ſeorſim percurramus. Primo igitur hic occurrere videmus *Athothen*, id eſt *Mercurio genitum*, vel *Mercurialem*, in quo *Mercurii* Aegyptiorum, quem ipſi lingua ſua auita *Thoth* nominabant, veſtigia deprehendi luculenta, quiuis intelligit. Verum ea de re pluribus hic nunc agere opus non eſt, quoniam argumentum iſtud de *Thoth*, ſiue *Mercurio* Aegyptiorum, in hoc *Pantheo*, [a] loco magis opportuno prolixe perſecutus ſum. Ex iis, quae illic obſeruaui, poterit intelligi, *Athotem* vere Aegyptiis, eum dictum fuiſſe, *qui literis et ſcientiis, more antiquiſſimo, in columnis inſculptis, magnopere fauet, easque promouet*. Non minorem, immo non maiorem, difficultatem parere videtur, nomen regis in illo catalogi quinti, *Semphos*, quod bene vereque exponitur *Hercule genitus*. An non hoc nomine aperte ſignificatur cultus, *Herculi*, turpi idolo, de quo nos Lib. II. cap. III. *Panthei* huius differimus, eo iam tempore offerri ſolitus? Fateor libenter, *Sem*, *Som*, vel *Dſom*, Aegyptiace ⲬⲈⲘ et ⲬⲞⲘ, nomen eſſe, quo Seculis inſecutis,

z. la Chronologie de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 739.

a ib. V. ap. V.

cutis, Aegyptii coluerunt Numen aliquod idololatricum, quod Graeci *Herculem* interpretantur, cuiusque rationem et ſignificationem, loco ſuo explicui: at enim per ſe, nomen illud nihil aliud deſignat, quam quod Hebraeis אל, et אל גבור ſignificant, nempe *fortem*, *robuſtum*, vel *Deum fortem*. Quis negare audeat, primis illis temporibus, de quibus loquimur, Aegyptios nomine tam auguſto, verum Deum compellaſſe, etſi poſthaec illud ipſum, ad ficta hominum idola translatum fuerit. Locum et hic habet, quod de Diis Syrorum vere et opportune vir eruditione et meritis in bonas literas illuſtris monuit. [b] *Populus Dei ſatis pie, eum Baalem ſuum vocabant, priusquam ob vocem illam ad profana Numina frequenter nimis traductam, id ipſum Deus vetaret.* Et iterum: [c] *Belus enim primo ſummum rerum gubernatorem, Deum O. M. denotabat. —— graſſante vero hominum errore, ad idola transferebatur: et quod ſimpliciſſimum et vnicum inprimis erat, tam multiplex poſtea redditum eſt.* Supereſt nonus Thebaeorum rex *Mares*, quod ERATOSTHENES optime interpretatur, *a Sole donatum*, vel *donum Solis*. Verum vti non inuitus largior, nomen hoc de idololatria Aegyptiorum teſtari, poſtquam Solis cultus in illa gente inualuit, ita ante hoc tempus, ſine vitio, et idololatriae ſuſpicione adhiberi potuit. Melius vtique id liqueret, ſi occaſio imponendi nominis iſtius regi, perſpecta nobis eſſet. Nouimus ceteroquin, etiam in populo Dei, heroëm fortiſſimum *Simſon*, nomen hoc traxiſſe a שמש, *Sole*, tanquam dicas *virum ſolarem*, einen Sonnen-Mann, vel, vt viris doctis etiam placet, *Solem eximium*. Neque tamen pietatem, aut Simſonis ipſius, aut parentum eius, quisquam idcirco in dubium vocauit. Non inficias tamen eo, ex Thebaide, prima corruptae religionis

b. SELDENVS de Dis Syris, Synt. II. cap. I. p. 196.

c. *Idem, ibidem* p. 201. fin. 200.

et Theologiae ſemina, in Aegyptum inferiorem ſe diffudiſſe. Et forte *Mariſ* iam aeuo, rei illius quaedam proluſiones apparuerint. At nomen ipſum, argumentum certum et ſolidum non praebet.

Tempore Ioſephi Patriarchae, religio deprauata, et idololatria, ...dices iam ...ant in ...ypto.

cc. Vide *Pantheon* hoc Lib. II. cap. I. §. 8.

d. Vide plura ibidem.

§. IX. Prima Theologiae vehementer deprauatae, et cultus aperte idololatrici, indicia et documenta indubia, in Aegypto, ſuppeditat nobis hiſtoria Ioſephi, et Iacobi, Patriarcharum, eorumque commorationis in Aegypto; ſed ea tot ſunt et tam inſignita, vt ſatis appareat, idololatriam iam dudum ante inualuiſſe, radicesque altas egiſſe. Videmus enim in hiſtoria Ioſephi, Aegyptios iam tum ſacra *Soli* feciſſe ſolennia. In Numinis illius honorem condita iam exiſtebat [cc] vrbs *On*, quam interpretes Alexandrini, ſicuti Graeci omnes, ἡλίȣ πόλιν, *vrbem Solis* vocant, vocabulo Aegyptiaco, id ipſum ſignificante. Et huic *Soli*, conſecratum fuiſſe diſcimus, [d] *Sacerdotem Onienſem*, quem hiſtoria Moſaica vocat פוטיפרע, *Potiphera*, vbi Graeci habent Πετεφρῆ, et Πεντεφρῆ, quod interpretor Π-ϨΟΝΤ-ΦΡΗ, *P-hont-phre*; id eſt *ſummum Sacerdotem Solis*. Neque credo, quenquam linguae Aegyptiacae bene peritum, ea quae dixi, in dubium vocaturum eſſe. Ex eo facile quoque intelligitur, cuiusnam generis fuerint Sacerdotes in Aegypto alii, numero plurimi, quorum hiſtoria eadem mentionem iniicit, *Geneſ.* XLVII. 22. Docet loco illo MOSES, Sacerdotum in Aegypto numerum, iam tum fuiſſe ingentem, ita vt ipſis, ad commodam ſuſtentationem, certae Aegypti partes aſſignandae fuerint, quod in iis regionibus, vbi vera religio Patriarchalis viguit, ac floruit, ante Oeconomiam Moſaicam, locum habuiſſe non videmus. At in Aegypto, numerus Sacerdotum eo tempore, valde iam auctus erat, illisque per totum regnum,

agri

agri ſundique ampli, erant diſtribuendi, vt ex eorum reditibus, cultum diuinum, multiplici rituum cumulo, iam, vt videtur, oneratum, et ſumtuoſum, commode obire, et literarum quoque ſtudiis excolendis, vacare poſſent. Non obſcura hic eorum cernuntur initia, quae de Sacerdotum Aegyptiorum numero, variisque functionibus, memoriae prodiderunt Scriptores graeci. Et quod de Ioſepho narrat MOSES, quod Sacerdotum in Aegypto agros, ab oneribus, quae aliis regionis illius ciuibus perferenda erant, immunes exemtosque eſſe voluerit, id ſuo aeuo adhuc obſeruatum fuiſſe, teſtatur [e] HERODOTVS Lib. II. c. 168. Praeter *Solem*, ſummum Aegyptiorum Numen, ſi recte iudico, in hiſtoria Ioſephi Patriarchae, veſtigia etiam reperimus, *Neithae* Deae, Sai in Aegypto inferiori religioſe cultae; ſed quam inprimis idololatriae naſcentis temporibus, vbique, et in ipſa adeo Aegypto ſuperiori, venerationi ac adorationi omnium, expoſitam fuiſſe, ambigere nequeo. Ab ea enim nomen accepiſſe *Aſenetham*, Potipherae Sacerdotis Onienſis filiam, quae poſtea Ioſepho nupſit, [f] non abs ratione ſuſpicor.

e. Adde I[...] DORV[...] p. 24.

f. Hac de re diſputo Lib. I. c. III. §. 3.

Et ip[...] que ani[...] etiam br[...] rum cultus.

§. X. Sed ipſum quoque brutorum animalium cultum, qui Aegyptios riſui atque contemtui Graecorum, aliarumque gentium politiorum expoſuit, Ioſephi aeuo, in tota Aegypto, apud indigenas receptum fuiſſe, ambigi merito non poteſt. Eo certe referendum eſt, quicquid etiam viri eruditiſſimi argutentur, et comminiſcantur, quod legitur *Geneſ.* XLIII. 32. *Appoſuerunt cibos Ioſepho ſeorſim, Aegyptiis etiam comedentibus apud eum ſeorſim, non enim poterant Aegyptii ſumere cum Hebraeis cibum, quia abominationi id eſt in Aegypto.* Quae potuit eſſe huius rei ratio, vt Aegyptii abominationi ſibi ducerent, cum alienigenis cibum capere, niſi diuerſitas

 Sacro-

Sacrorum et religionis. Animalia, quae Aegyptii tanquam diuinitatis imagines et ſymbola, impenſo cultu proſequebantur, aliarum regionum et nationum homines, ſine cunctatione in cibum adhibebant, iisque ventrem paſcebant. Hoc Aegyptiis non poterat non abominabile videri. Cum huiusmodi Deorum ſuorum contemtoribus et interfectoribus, vna, et eundem cibum capere, ipſis vtique piaculum erat maximum. Recte et opportune g vetuſtiores Hebraeorum magiſtri id iam obſeruarunt et monuerunt: eſtque vtique memoratu dignum, HERODOTVM veteris hiſtoriae patrem; et qui in Aegypto ipſe, de rationibus Sacrorum et religionis, Sacerdotes diligenter percontatus eſt, et rem eandem referre, quam MOSES, et rei illius eandem reddere rationem, quam reddunt Iudaeorum Magiſtri. Verba eius haec ſunt Lib. II. c. 41. *Boues mares, eoſdemque mundos ac vitulos Aegyptii vniuerſi immolant: at foeminas ipſis immolare non licet, vt quae Iſidi ſacrae ſint. —— Bouesque foeminas omnes itidem Aegyptii venerantur, ex omnibus pecudibus longe plurimum, multo etiam magis, quam oues: eoque nemo Aegyptius vel Aegyptia, Graeci viri, vtpote alienigenae, aut os ſuauiaretur, aut cultro, vel veru, aut olla eius vteretur, aut pura bouis carne, graeco cultro inciſa, veſceretur.* En! veram et genuinam rationem illius moris, quem memoriae prodidit in hiſtoria Ioſephi MOSES. Retinent eandem conſuetudinem hodieque Indorum Brachmanes, veterum Aegyptiorum haud dubie diſcipuli, et in rebus plurimis aemulatores, neque illi aliam, quam eandem ipſam, quam modo retuli, huius conſuetudinis rationem promunt. Nam, h *quia vident, Chriſtianos Europaeos vaccas iugulare, et animalium omnis generis viuentium carne veſci, id ipſis abominationi eſt, eoque ipſis; neque Chriſtianum, neque ſupelle-*

g. ONKELOS et IONATHAN, Paraphraſtae Chaldaei ad l. cit. Adde MAIMONIDIS *More Nebochim* Parte III. cap. 46. et DRVSII notas ad loc. cit.

h. Relationes Danicorum in India Miſſionariorum.

pellectilem eius cibariam attingere licet, metu ne tali contactu polluantur. An non omnia haec amice inter ſe conſpirant? Hinc facile etiam perſpicitur, quamobrem, quod MOSES pariter obſeruat, [i] *Paſtores Aegyptiis abominationi fuerint.* Id profecto nonniſi de Paſtoribus peregrinis, quales tum erant Iſraëlitae, dici potuit. Nam ceteroquin ipſe Aegyptiorum rex, ex Iſraëlitis [k] *quoſdam gregibus ſuis paſtores praeficere* cogitabat: et apud veteres, paſtorum Aegyptiorum, mentio ſane plurima occurrit, cui argumento immorari iam non licet. Paucis tantum monebo; inter ſeptem hominum genera, in quae tota Aegyptiorum gens erat diuiſa, [l] numerari etiam *paſtores:* in Praefectura vero Mendeſia, [m] *caprarios* honore affectos fuiſſe plane ſingulari: ac inter paſtores Aegyptios, [n] ſolos tantum ſubulcos, et ſocietate hominum, et communione Sacrorum indignos reputatos fuiſſe. Poſſet quis haec ſecum perpendens, ad eam ſuſpicionem delabi, Iſraëlitas, dum in Aegypto habitarent, a ſuibus alendis non adeo alienos fuiſſe, ac poſtea quidem, lege Moſaica intercedente, redditi ſunt. Verum enim vero, talis ſuſpicio parum videretur probabilis, et praeterea vera ratio, cur Aegyptii, Paſtores Iſraëlitas, cum vniuerſum peregrinos deteſtarentur, haec eſt: Peregrini gregum paſtores, a moribus Aegyptiorum alieni, animalia cuiuſcunque generis, ſic paſcebant et nutriebant, vt ea promiſcue etiam iugularent, eorumque carne veſcerentur. Id vero Aegyptii, animalium cultores ſuperſtitioſiſſimi, toto pectore abominabantur, et nullo modo ferendum eſſe cenſebant.

Continuat. VII. p. 341. not. a.

i. *Geneſ.* XLVI. 34.

k. *Geneſ.* XLVII. 6.

l. HERODOTVS Lib. c. 164. DIODORVS Lib. I. p. 67. Edit. Wechel.

m. HERODOTVS Lib. II. c. 46.

n. *Idem ibid* c. 47

§. XI. De temporibus quae mortem Iacobi, Ioſephi, reliquorumque Patriarcharum in Aegypto ſecuta ſunt, vſque ad exitum Iſraëlitarum e domo ſeruitutis, nullum poteſt ſupereſſe dubium. Quam vni-

Multo luculentiora eiuſdem rei veſtigia in Aegypto,

poſt mortem Iacobi, Ioſephi, et Patriarcharum reperiuntur.

o. *Exodi* VIII. 25. 26.

vniuerſaliter cultus animalium turpis, tempore Moſis, in tota Aegypto, probatus receptusque fuerit, ſatis ex eo intelligi poteſt, quod cum rex Aegyptiorum, Iſraëlitas iuſſiſſet, ° *Deo ſuo ſacrificare in terra Aegypti*, Moſes in haec verba ipſi reſponderit: *Non expedit ita facere, quia abominationem Aegyptiorum ſacrificaturi eſſemus Iehouae Domino noſtro. Etſi immolaremus abominationem Aegyptiorum, nonne illi nos lapidarent?* Num dubium cuiquam eſſe poteſt, Scriptorem ſacrum per *abominationem Aegyptiorum*, intelligere boues, oues et capras, ab Iſraëlitis Deo in ſacrificium offerendas, id quod Aegyptiis, animalium illorum cultoribus et adoratoribus, abominationi omnino fuiſſet. Sic verba haec ceperunt p antiqui Iudaeorum Doctores, et ex noſtris Scripturae interpretibus, * probatiſſimi quique. Conferendus autem erit hicce locus, cum alio, *Geneſ.* XLIII. 32. de quo nonnihil dixi §. 10. Illi enim ſeſe mutuo illuſtrant. Iuuant nos hic etiam antiquiſſimae Aegyptiorum traditiones, ex quibus MANETHO retulerat, q *Moſen*, quem is ** *Oſarſiph* appellat, ſuis praecepiſſe, vt nullis animalibus, quae praecipue ſacra apud Aegyptios erant, ſe abſtinerent. Certe traditiones hae cum hiſtoria Moſaica concinunt, eique lucem non ſpernendam inferunt. Ceterum quae hic adſtruenda mihi eſſent, adeo nota

p. ONKELOS et IONATHAN, Paraphraſtae Chaldaei hoc loco.

q. apud IOSEPHVM adverſus Apionem Lib. I. §. p. 460.

* MVNSTERVS, FAGIVS, VATABLVS, DRVSIVS, CARTWRIGHTVS, AYNSWORTHVS, CLERICVS, aliique plures ad hunc locum. Quibus adde BOCHARTVM in *Hierozoico* Parte I. col. 664.

** in Graeco eſt Ὀσαρσίφιον; verum credo veram lectionem olim fuiſſe Ὀσιρσάφιος. *Oſir-Saph*, certe Aegyptiace vocatur *deſtructor* vel *deſolator Oſiridis*. *Oſiris* hic, per prolepſin hiſtoricam vocatur *Sol*, Heliopoli cultus. Hunc nempe polluiſſe, et euertiſſe Moſes perhibebatur in Annalibus Aegyptiorum.

ta iam cenſentur, et * a cordatis omnibus tam libenter admittuntur, vt ſi diutius ea perſequi vellem, nonniſi actum agerem. Vnicum iſtud nunc tantum addam, in illo nempe temporis interuallo, quod hic ob oculos habemus, quodque a morte Iacobi, Ioſephi, et reliquorum Patriarcharum, vſque ad exitum Iſraëlitarum ex Aegypto decurrit, non modo ſuperſtitionem idololatricam Aegyptiorum, multis foedisque modis auctam, vehementer creuiſſe; verum huius quoque mali contagionem perniciosiſſimam, ad Iſraëlitas ipſos permanaſſe, ipſosque ad imitationem tam inſanae impietatis pellexiſſe. Grande hoc nefas, populum Dei, dum in Aegypto etiamnum habitaret, mente peruicaci iam ſaepius commiſiſſe, Deus ipſe per Prophetas ſuos, ipſis * non ſemel exprobrauit, et propenſionis huius ſuae ad idololatriam Aegyptiorum ſpecimen ipſi dederunt oppido luculentum, in cultu vituli aurei in deſerto, de quo in *Pantheo* noſtro, ^s loco proprio, et nos nonnihil obſeruabimus.

r. Inſtar omnium eſſe poſſunt, BOCHARTVS, vbi ſupra, et WITSIVS in Aegyptiacis Lib. II. cap. II.

s. Lib. IV. cap. II. §. 16.

* *Ioſuae* XXIV. 14. *Ezech.* XX. 7. 8. 25. XXIII. 3. 8. *Amos.* V. 25. 26. *Actor.* VII. 41. 42. quae loca egregie illuſtrantur in CAMP. VITRINGAE Obſeruat. Sac. Lib. II. cap. I. Adde WITSIVM, vbi ſupra.

* *

CAPVT II.

De obiecto cultus idololatrici Aegyptiorum proprio et genuino.

Eruditorum plerique opinantur, praecipuum obiectum cultus religioſi Aegyptiorum fuiſſe homines, poſt mortem honoribus diuinis donatos. §. XII. Ex Myſteriis Graecorum, probare id non licet. §. XIII. Myſteria Aegyptiorum a Myſteriis Graecorum differunt. §. XIV. *Multo minus id ex* Myſteriis Aegyptiorum probari poteſt, etſi tale quid Leo, Sacerdos Aegyptius perhibuiſſe feratur. §. XV. Epiſtola Alexandri M. qua id de Leone teſtatur, a Chriſtiano quodam confiсta fuit. §. XVI. Euſebii in hac cauſa teſtimonium, veritati praeiudicare non poteſt. §. XVII. Ex teſtimonio Sacerdotum Aegyptiorum, et meliorum inter Graecos Scriptorum probatur, Aegyptios homines non coluiſſe. §. XVIII. Idem illud etiam ex Dynaſtiis Manethonis euincitur. §. XIX. Aperitur ratio, ob quam recentiores Graeci, vetuſtis Aegyptiis Apotheoſin hominum mortuorum affinxerint. §. XX. Obiectum cultus idololatrici veterum Aegyptiorum re ipſa duplex fuit: Dii νοητοὶ intelligibiles, et αἰσθητοὶ, ſenſibiles. §. XXI. Aegyptiorum maiores coluerunt Deos νοητοὺς, naturae ſpiritualis, aeternae. §. XXII. Praeter illos Aegyptii coluerunt etiam Deos αἰσθητοὺς, ſenſibus obnoxios, inter quos eminuerunt, Sol et Luna. §. XXIII. Adiecti his deinceps reliqui Planetae. Ea, vt videtur, de cauſa, numerus ſeptenarius Orientalibus ſanctus erat. §. XXIV. Et praeſertim Aegyptiis. §. XXV. Cabiri olim in Aegypto et Phoenicia culti, erant primitus ſeptem Planetae. §. XXVI. De cultu tamen Planetarum apud Aegyptios antiquiſſimo, vix aliquid memoriae proditum reperitur. §. XXVII. Ex Planetis emerſit primus Deorum octonarius apud Aegyptios, cui tractu temporis ſucceſſit octonarius ſecundus, in quo deſignando Scriptores variant.

riant. §. XXVIII. Octo Aegyptiorum Dii a quibuſdam ad prima rerum principia et elementa referuntur. §. XXIX. Ex octo Diis, ſucceſſu temporis facti ſunt duodecim. §. XXX. De ordine Deorum Aegyptiorum vltimo. §. XXXI. Dii Aegyptiorum αἰσθητοὶ erant re ipſa, Sol, Luna, et Nilus fluuius, ad quorum Numina, reliqui omnes referebantur. §. XXXII. Praeter obiectum cultus Aegyptiorum proprium, de quo diximus, eſt quoque aliud; ſed improprium, ſecundarium, et relatiuum. §. XXXIII. Eo ſpectant Obeliſci, imagines Solis, apud Aegyptios antiquiſſimae. §. XXXIV. His videntur ſucceſſiſſe animalia viua, habita ab Aegyptiis ſymbolicae Deorum imagines. §. XXXV. Cultus animalium viuorum fuit in Aegypto, longe vetuſtiſſimus, et exitum Iſraëlitarum ex Aegypto anteceſſit. §. XXXVI. Ad animalia additae ſunt proceſſu temporis imagines et ſimulachra, tum animalium, tum etiam forma humana praedita. §. XXXVII.

§. XII.

Eruditorum plerique opinantur, praecipuum obiectum cultus r… gioſi … ptiorum … iſſe homi… poſt mort… diuinis honoribus donatos.

Si Scripturam rite conſulamus, illa nos ignorare non ſinet, quodnam fuerit cultus Aegyptiorum idololatrici verum et proprium obiectum, etiamſi ea de re viri doctiſſimi, ab antiquo ad hoc noſtrum vſque tempus, inter ſe vehementer diſſenſerint. Antequam vero illud explicemus, videndum in anteceſſum eſt, num Dii maiorum gentium, ab Aegyptiis culti, Oſiris, Iſis, Ammon, Horus, Vulcanus, Hercules, Pan, aliique ſimiles, primo quidem mortalium lege ex hominibus prognati; ſed deinde propter ingentia merita, et in homines beneficia, coelo donati, et in deorum cenſum relati fuerint. Non nego, eſſe hanc ſatis communem virorum longe doctiſſimorum et celeberrimorum ſententiam, eamque video radices paſſim egiſſe tam profundas, et quotidie nouis, neque parum ſpecioſis rationibus, eum in modum exornari, vt vix ſpes vlla mihi ſuperſit, illam ex animis plerorumque poſſe euelli. Sed eſt tamen eius generis hocce argumentum, vt

 mihi,

mihi, Theologiam et religionem priſcorum Aegyptiorum exploranti, illud tacite praeterire non liceat. Exponam igitur, quod poſt inſtitutum rei huius examen ſerium et diligens, veritati quam maxime mihi congruere viſum eſt.

Ex Myſteriis Graecorum id probare non licet.

§. XIII. Inter omnia argumenta, quibus vtuntur viri docti, ad probandum, Aegyptios coluiſſe homines, poſt mortem diuinis honoribus donatos, illud ſine dubio primum meretur locum, quod ex Myſteriis Graecorum, et ipſorum quoque Aegyptiorum, petitum eſt. Obſeruauit nempe a Theologus Anglus praeſtantiſſimus, omnique doctrinae genere cultus, in Myſteriis Graecorum, hanc etiam initiatis doctrinam tradi conſueuiſſe, Deos illos, quos vulgo adorarent omnes, re ipſa mortales extitiſſe homines, idque teſtimoniis quibuſdam, e CICERONE perquam opportune allatis, demonſtraſſe, et extra omnem dubitationis aleam poſuiſſe videtur. Sunt autem haec CICERONIS verba, Tuſcul. Lib. I. c. 12. *Quid? totum prope coelum, ne plures perſequar, omne humano genere completum eſt? Si vero, ſcrutari vetera, et ex his ea, quae Scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner: ipſi illi, maiorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur. Quaere, quorum demonſtrantur ſepulchra in Graecia: reminiſcere, quoniam es initiatus, quae tradantur Myſteriis: tum denique, quam late hoc pateat, intelliges.* Herculem, Bacchum, Leucotheam, Caſtores, et alios horum ſimiles, ex turba mortalium hominum, translatos fuiſſe in ordinem deorum immortalium, notum erat vulgo, neque ea de re cuiquam poterat ſupereſſe dubium. De illis CICERO, eo, quem laudauimus, loco, quoque dixerat. Verum mox, in verbis quae deſcripſimus, addit, intelligi ex myſteriis, quam late hoc pateat, in ii quippe tradi initiatis, ipſos maiorum gentium deos,

a GVILIELMVS WARBVRTONVS. Vide les Diſſertations de Mr. DE SILHOVETTE ſur l'union de la religion etc. Differt. V. p. 193. 194. etc.

deos, Iouem, Apollinem, ceterosque mortali lege creatos, propter virtutem vero et bene merita, immortalitate et conſortio deorum donatos fuiſſe. Eodem ſpectant et haec auctoris eiuſdem verba, Lib. I. de nat. Deor. c. 42. *Quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros, tradunt poſt mortem ad Deos perueniſſe, eosque eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus, nonne expertes ſunt religionum omnium? ——— Omitto Eleuſinam, ſanctam illam et auguſtam,*

Vbi initiantur gentes orarum vltimae

Praeterea Samothraciam, eaque

Quae Lemni

Nocturno aditu occulta coluntur

Silueſtribus ſepibus denſa.

Cui quidem loco, ex priori, lux eſt accendenda. Iubebantur ergo omnes, initiati Graecorum myſteriis, credere, Deos, quos Graecia coleret, cunctos, in lucem hanc aliquando editos fuiſſe, inter homines vixiſſe, et tandem mortem quoque oppetiiſſe. At quaeri non immerito poteſt, fuerintne legislatores, et conditores myſteriorum, de eo, quod credere volebant alios, ipſi certo perſuaſi. Docere nos voluit ingenioſus ille auctor, qui arcana Myſteriorum Eleuſiniorum nobis non ſine ſucceſſu explicare conatus eſt, [b] legislatores et Philoſophos veteres permulta ſuis inculcaſſe et vehementer commendaſſe, quae credebant hominibus fore vtilia, etiamſi ea re ipſa iudicarent eſſe falſa. Quid vetat nos credere, ex illorum numero fuiſſe etiam doctrinam in myſteriis traditam, de mortalibus ad honores diuinos euectis, iſtoque virtutis praemio donatis, quod ſane ſcopo, quem legislatores in myſteriis inſtituendis, ſibi propoſitum habebant, erat multo conue-

b. Vide les Diſſertations de Mr. DE SILHOUETTE *ſur l'union* etc. Diſſertat. VIII. init.

conuenientiſſimum. Volebant autem praeterea Myſteriorum conditores, quod pariter,[c] auctor noſter doctiſſimus nos obſeruare iubet, initiatos a cultu Deorum plurium, ad agnoſcendam vnitatem Entis ſupremi, rerumque omnium ſummi moderatoris, reuocare: quid igitur, quaeſo, ad rem hancce conducibilius excogitari poterat, quam iſthaec doctrina, Deos, quos adoraret vulgus, re ipſa homines fuiſſe, ob ſolius virtutis meritum, ad illud, in quo nunc conſpicerentur, honoris faſtigium euectos? Nonne pii Eccleſiae primitiuae doctores, rem plane eandem, et eadem etiam de cauſa, conſtanter docuerunt, multisque adſtruxerunt? Si res iſta ex bonis et genuinis hiſtoriae antiquae monumentis, legitime demonſtrari potuiſſet, tanquam certa et indubia, quid, obſecro! opus erat, eandem, ceu doctrinam arcanam, multa et ſollicita cum cautione myſtis ſolis, rite initiatis, tradere? An non vel id ipſum argumento eſt ſatis luculento, rem hanc, quae non ex hiſtoria, ſed ex myſteriorum arcanis placitis, tantum cognoſci poterat, a Myſteriorum inſtitutoribus fuiſſe excogitatam, vt hominum vtilitas et vera felicitas, quae per myſteria quaerebatur, hoc pacto tanto melius promoueretur?

[illegible]teria Aegyptiorum a Graecorum myſteriis vehementer differunt, et ex his aeſtimanda non ſunt.

§. XIV. Verum quomodocunque res iſta ſe habeat, quam nunc mittimus, ſuoque loco relinquimus, ſit hoc ita, fuerint Dii illi, quos Graecia colebat, miſeri mortalesque homines, quod in Myſteriis illius gentis aſſerebatur; quid quaeſo Graecorum Myſteria, ad Deos Aegyptiorum? Num non, quod mox videbimus, ipſius Graeciae meliores et maxime cordati Scriptores candide fatentur, ea in re Graecorum mores, a moribus Barbarorum, ac ſigillatim Aegyptiorum, toto coelo differre? At enim, inquit[d] vir ingenii politiſſimi, conſtat vnanimi veterum conſenſu, Myſteria ex Aegypto tranſiiſſe in Grae-

c. Vide eundem, Differtat. V. et VI. p. 346. 347.

d. Mr. DE SILHOVETTE, vbi ſu-

Graeciam, ac ſingularem reperiri inter Myſteria gentis vtriusque ſimilitudinem. Et iſtud quidem libens et vltro largior, videri modum, certas quaſdam doctrinas ſacras, nonniſi initiatis in Myſteriis tradendi, in Aegypto inuentum, et exinde ad alias gentes translatum fuiſſe. Veroſimile eſt, in antiquiſſimis, et apud hos, et apud illos, Myſteriis, doctrinam de Dei aeterni vnitate, de animarum immortalitate, deque praemiis et poenis poſt hanc vitam diſtribuendis, ſollicite inculcatam fuiſſe. At vti diuerſi erant Aegyptiorum Graecorumque Dii, ita de iis, diuerſa etiam, in vtriusque gentis doctrina tradi ſolebant. In Myſteriis Eleuſiniis, tota fabula de Cerere et Proſerpina, qualem nobis e docti quidam veteris Eccleſiae Patres conſeruarunt, tradebatur, ac explicabatur, idque erat praecipuum illorum Myſteriorum argumentum. Nihil certe huiusmodi, in Myſteriis Aegyptiorum vnquam audiebatur. Ita in Myſteriis Samothracum, innumerisque aliis, talia de Diis perhibita fuiſſe nouimus, quae Aegyptiis in vniuerſum ignota erant. Vnicum tantum adiiciam exemplum, ex quo intelligi clare poſſit, ex Myſteriis nihil probari poſſe de Diis Aegyptiorum. Perhibent veteres, f Philoſophum quendam, quem Zoroaſtrem vocant, initiatum in Aegypto, Myſteria illius gentis in Perſiam inuexiſſe. Et de Perſis tamen hoc obſeruat Scriptor peruetuſtus, omnique fide hic dignus, g *eos non, ſicuti Graeci, ſentire, Deos ex hominibus eſſe genitos.* Ideoque apud eundem, Athenienſes, Xerxi Perſarum regi hoc exprobrant, quod h *heroum*, id eſt hominum diuinis honoribus mactatorum, *nullam neque curam agat, neque rationem habeat.* Tale quid ergo, in Perſarum Myſteriis, etſi ex Aegypto arceſſitis, non docebatur. Id igitur, quod volunt viri docti, non ex Graecorum; verum ex ipſorum Aegy-

pra, Diſſ. V. p. 171. 218. et aliis in locis.

e. CLEMENS *Alexandr.* in *Protreptico* p. 13. ARNOBIVS aduerſus Gentes Lib. V. p. 173. 174.

f. M[illegible] SILHOV[illegible]TE, vbi ſupra, Diſſ. V. p. 171.

g. HERODOTVS Lib. I. cap. 131.

h. *Idem* Lib. VIII. cap. 143.

Aegyptiorum myſteriis oſtendendum adſtruendumque eſſet.

Neque id etiam probari poteſt ex Myſteriis Aegyptiorum, etſi Leo quidam, Sacerdos Aegyptius, id perhibuiſſe dicatur.

§. XV. Sed ſilentio tamen inuoluere non poſſum, doctiſſimos viros, ad ipſa quoque Aegyptiorum myſteria, [hh] in quibus tale quid traditum fuerit, prouocare. Videamus igitur, qualia illa ſint. Adferuntur nempe iſta ex AVGVSTINO *de ciuit. Dei* Lib. VIII. cap. V. *In eo genere ſunt etiam illa, — quae Alexander Macedo ſcribit ad matrem, ſibi a magno Antiſtite Sacrorum Aegyptiorum, quodam Leone patefacta. Vbi non Picus et Faunus, et Aeneas, et Romulus, vel etiam Hercules et Aeſculapius, et Liber Semele natus, et Tyndaridae fratres, et ſi quos alios ex mortalibus pro diis habent; ſed ipſi etiam maiorum gentium dii, quos* [i] *Cicero in Tuſculanis nominibus videtur attingere: Iupiter, Iuno, Saturnus, Vulcanus, Veſta, et alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes, ſiue elementa, transferre, homines fuiſſe produntur. Timens enim et ille quaſi reuelata Myſteria, petens admonet Alexandrum, vt cum ea matri conſcripta inſinuauerit, flammis iubeat cremari.* Eandem in rem citantur et haec CYPRIANI, ex libro *de idolorum vanitate* p. 12. *Non vnus ab omnibus Deus colitur, ſed propria cuique maiorum ſuorum cultura. Hoc ita eſſe, Alexander M. inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit: metu ſuae poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus a Sacerdote ſecretum; quod maiorum et regum memoria ſeruata ſit; inde colendi et ſacrificandi ritus inoleuerit.* Quibus gemina leguntur apud MINVTIVM FELICEM in *Octauio* cap. 21. et ATHENAGORAM in libro pro Chriſtianis p. 31, cuius verba adſcribere, operae pretium fuerit. *Alexander Philippi filius, in Epiſtola ad matrem (ambo vero Heliopoli, Memphi, et Thebis colloquia cum Sacerdotibus inſtituiſſe dicuntur) Deos fuiſſe homines ſcribit, ſe ex Sacerdotibus cognouiſſe.*

hh. Mr. DE HOVETTE, vbi ſupra, Diſſ. V. p. 236. 237. etc.

i. locum hunc ſupra §. XIII. deſcripſi.

uiſſe. Obſeruare hic lectorem velim, ATHENAGORAM ſcribere, Olympiadem, et filium eius Alexandrum, Heliopoli, Memphi, et Thebis, cum Sacerdotibus colloquia inſtituiſſe, cum tamen ex genuinis hiſtoriae Alexandri Monumentis certum et teſtatum ſit, Olympiadem filium ſuum in expeditione bellica comitatam plane non fuiſſe, Alexandrum vero, temporis penuria preſſum, vltra Memphim non proceſſiſſe, neque Thebas vnquam oculis vſurpaſſe. Ita ad conſtituendam illam fabellam, mendaciis merisque figmentis opus erat. Si ceteroquin loca hic a me excitata inter ſe compares, atque coniungas, intelliges, Scriptoribus hiſce Chriſtianis, aut lectam, aut ſaltem de fama notam fuiſſe epiſtolam, ab Alexandro Macedone, vti iactabatur, ad matrem Olympiadem ſcriptam, in qua ipſi ſignificauerit, ſibi a Leone Antiſtite Aegyptio, ſecretum aliquod, ſummo ceteroquin ſtudio occultatum, metu proditum fuiſſe, Deos nempe, in Aegypto cultos, olim fuiſſe homines. Quid igitur de hac, ſiue Epiſtola, ſiue fama exiſtimabimus? Nam ſi res ita ſe habet, prouti eam Scriptores illi Chriſtiani referunt, manum vtique de tabula auferenda, pedibusque in doctiſſimorum virorum ſententiam eundum nobis erit.

§. XVI. Verum enim vero, quae fides poterit haberi Epiſtolae, ſupra quidem, quam dici poteſt, memorabili; ſed de qua, ante Scriptorum illorum Chriſtianorum aetatem, nemo vnquam aliquid fando audiuit? Nonne conſtat, a Chriſtianis quibuſdam, illo tempore, intentione non mala; ſed peſſimo tamen exemplo, permulta tanquam veterum Scripta venerabilia conficta fuiſſe, quod crederent, illa ſibi fidem apud lectores tanto maiorem conciliatura, viamque ad felicius deſtruendum gentilium errores ſuperſtitionemque apertura eſſe? Quem fugiunt Sibyllina,

Epiſtola Alexandri. M. qua id de Leone teſtatus eſſe perhibebatur, a Chriſtiano quodam conficta, fuit.

lina, aliorumque etiam Oracula, Oſthanis et Hyſtaſpis, Magorum nempe Perſarum, libri, Hermetis Trismegiſti varia, et ſimilia his innumera, pia fraude, a Chriſti cultoribus, orbi obtruſa? ſed quae hodie ab idoneis talium rerum aeſtimatoribus, merito contemnuntur. Neque vero etiam antiquitatis Chriſtianae ſtudioſis ignotum eſſe poteſt, Scriptores Chriſtianos veteris Eccleſiae, ad vnum omnes, vbi exquiſito ſtudio idololatriam oppugnant, eiusque vanitatem ac inſaniam annituntur oſtendere, id ſemper et cumprimis vrgere, Deos qui in mundo coluntur, re ipſa homines fuiſſe, aliis ſimiles; ſed dudum mortuos. Eſtne igitur mirum, tenebrionem, neſcio quem, in eorum gratiam, talem Alexandri Epiſtolam confinxiſſe, eamque poſtea certatim alios in vſum ſuum conuertiſſe? Si Epiſtola illa, quam Patres laudant, genuina eſſet, tum quaeſtio de eſſentia, natura, et origine deorum Aegyptiorum, quae, vti ex notiſſimo PLVTARCHI libro *de Iſide et Oſiride*, vbique intelligitur, veteres Philoſophos tantopere exercuit, ſic deciſa et penitus finita fuiſſet, vt nemini amplius dubium ſupereſſe potuerit, et profecto Epiſtola illa, inter Graecos, Philoſophos praeſertim, nihil fuiſſet illuſtrius. Non certe videmus, vnquam aliquem, vbi de natura Deorum diſputare in animum induxit, ad hoc Oraculum confugere, aut eius vel leuiſſimam mentionem facere, non VARRONEM, [k] vbi de Deorum Aegyptiorum natura diſſerit, non CICERONEM in libris *de natura Deorum*, in quibus de hoc argumento, ſubtiliter profecto et copioſe diſceptat, qui in hac cauſa maluit ad obſcura Graecorum myſteria prouocare, ex quibus tamen rem hanc non tam ediſſertat, quam potius tantum muſſitat, quam ad luculentam illam Alexandri Epiſtolam: non DIODORVM *Siculum*, etſi tamen is p. 18. ſecretorum quorundam Sacerdotalium,

k. *De lingua latina*, Lib. IV. p. 17. Edit. Dordrecht.

um, his de quibus loquimur, non diſſimilium, aliquam mentionem iniecerit: non PLVTARCHVM, qui in libro *de Iſide et Oſiride*, in explicandis et conciliandis veterum de hac re ſententiis, ſe mirum in modum torquet, quique illam ipſam quaeſtionem, an Dii Aegyptiorum homines fuerint, intactam praeterire non potuit; ſed de Alexandri Epiſtola ne γρῦ quidem habet, quinimo ſententiam illi contrariam aperte aſſerit; non alium denique quenquam, quod me iudice, documento eſt irrefragabili, illis de tali Epiſtola nihil plane conſtitiſſe. Legat quis porro Scriptores vitae Alexandri M. DIODORVM *Siculum*, ARRIANVM, PLVTARCHVM, CVRTIVM, et inueniet illos commemorare ſacrificia a rege hoc Apidi oblata Memphi, ſermones etiam eum inter et Sacerdotes Iouis Ammonis, in Marmarica, inſtitutos; ſed de Leone, de ſecretis ipſi a Sacerdotibus Aegyptiis reuelatis, de Epiſtola ſuper ea re ad Olympiadem matrem exarata, verbulum aut indicium deprehendet nullum. Non ſum neſcius, Patronos Epiſtolae illius vexatae, [1] nos ad auctoritatem PLVTARCHI ablegare, qui diſertis verbis, in vita Alexandri M. p. 680, epiſtolae illius meminerit. Et meminit ſane; ſed operae profecto pretium eſt, videre, quomodo. En! Scriptoris illius verba. Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιςολῇ πρὸς τὴν μητέρα, φησὶν γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀποῤῥήτους, ἃς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην. *Alexander in Epiſtola ad matrem ſuam, Oracula quaedam arcana ſibi ait reddita, quae reuerſurus ſoli ei reuelaturus eſſet.* Ergo extabat tempore Plutarchi Epiſtola, quae ab Alexandro ad matrem ſcripta eſſe ferebatur. Verum, an dices, obſecro hanc eſſe Epiſtolam illam, quam Patres laudant? Sed in hac agebatur de doctrinis myſticis Theologiae Aegyptiorum, ante non auditis, in illa ſermo tantum eſt de diuinationibus et praedictionibus ſibi diuinitus

[1] IOH. FELLVS Epiſcopus Oxo[illegible]enſis, [illegible] laude cu[illegible]latiſſimus, in notis ad *Cypriani* librum *de vanitate idolor.* p. 12. Edit. Oxon.

factis, quas propalare rebus ſuis conſultum non ducat. In hac doctrinas Sacerdotum arcanas, fidei ſuae concreditas, libere et ſine vllo ſcrupulo, reuelat; in illa nihil tale ſe facere poſſe affeuerat, verum haec omnia, ſe aliquando poſt reditum, matri coram aperturum eſſe, ſignificat. Et cum poſthaec matrem non viderit, arcana illa Oracula, per quae deſignari videntur omina Apidis, (de quibus nos diximus Lib. IV. cap. II. §. 7. 8.), obliuione perpetua ſepulta fuiſſe oportet. Quanta non, bone Deus! inter Epiſtolam vtramque intercedit diſcrepantia? Eſtne opus pluribus, ad Epiſtolam illam, quam boni Patres Eccleſiaſtici, ab aliis ſeducti, laudant, fraudis et fictionis apertae conuincendam? Et ſi talis cauſa nonniſi fraudibus et figmentis fulciri poterat, quid de cauſa ipſa iudicabit aequus et peritus rerum arbiter?

Euſebii in hac cauſa teſtimonium, veritati praeiudica- non pot-

§. XVII. Sed ſunt viri magni nominis, [m] qui tantum apud nos valere debere, EVSEBII auctoritatem, vrgent, vt, quoniam et is docet, Aegyptios, viros bene meritos in Deorum cenſum retuliſſe, hac de re merito addubitari nequeat. Et certe inficias non eo, EVSEBIVM, magnum vtique virum, et quocum, ſi ingenii mirabilem copiam, et eruditionis profundae multiplicem varietatem ſpectes, pauci in tota antiquitate conferri queunt, iudicem in cauſa huius generis, dici poſſe idoneum. Satis ex *Praeparatione* eius *Euangelica*, intelligi poteſt, quanta induſtria is origines Theologiae veteris, apud gentes omnes, ex fontibus genuinis ſcrutatus fuerit, quamque ſagax et limatum iudicium de rebus omnibus tulerit. Sed quid tamen non poſſunt, apud homines etiam doctrina mirabiliter cultos, opiniones praeiudicatae? Nouerat Scriptor egregius, Eccleſiae Doctores, qui ipſum praeceſſerant, meliores pene omnes, ad demonſtrandam impiam idololatriae

m. WARBVRTON *Eſſai ſur les Hieroglyphes*, p. 312.

latriae veſaniam, toties omni niſu aſſeruiſſe, Deos ab omnibus fere in mundo hominibus cultos, re ipſa homines fuiſſe, poſt mortem a Sacerdotibus coelo illatos, in terra vero Templis, honoribusque diuinis donatos. Doctrina eorum hac de re talis etiam erat, vt ſe non mediocri veriſimilitudinis ſpecie commendare omnibus poſſet. Scriptores Chriſtiani, eam non primi excogitauerant; ſed a DIODORO *Siculo*, aliisque magni nominis Scriptoribus Ethnicis traditam, ac magnopere ornatam, adoptauerant tantum, ſuamque in rem verterant. Et credibile eſt, argumentum hoc, a Scriptoribus inprimis Chriſtianis, diligenter exaſciatum, multos permouiſſe, vt doctrinam religionis Chriſtianae accuratius explorandam ſibi ſumerent. Quidni igitur EVSEBIVS tot praedeceſſorum veſtigiis inſiſteret, ac arma, ab ipſis Scriptoribus Ethnicis liberaliter ſuppeditata, ad eradicandam impietatem cultus idololatrici, feliciter conuerteret? Etſi igitur nobiliſſimus Scriptor, alias quoque de origine idololatriae, ſententias, et prolixe ſatis, retulerit, [n] illam tamen, quae vult, Deos plerumque gentium, primo fuiſſe mortales terrae noſtrae incolas, aliis aperte antepoſuit. Sed omnium tamen horum auctoritas veritati praeiudicare nec poteſt nec debet.

n. [*Praeparat. Euang.* Lib.III. c. III. et

Ex teſtimonio Sacerdotum Aegyptiorum, et meliorum inter Graecos Scriptorum, probatur, Aegyptios homines non coluiſſe.

§. XVIII. Verum et aliis argumentis nunc oſtendamus, Oſiridem, Iſidem, Ammonem, Horum, Vulcanum, Herculem, aliosque huius generis deos Aegyptiorum, non fuiſſe homines, ab hominibus aliis, poſt mortem, honoribus diuinis condecoratos, et talem opinionem, merum eſſe figmentum cerebri Graecorum recentiorum, vetuſtioribus omnino incognitum. Graeci, qui [o] *totum prope coelum humano genere impleuerant*, et veſaniae huic modum ponebant nullum, alios, interque hos etiam

o. CICERO Tuſculan. Lib. I. c. 12.

Aegyptios, ſuo modulo ac pede metientes, his id tribuebant, cui ipſi inter ſuos aſſueti erant, quodque domi a teneris vnguiculis viderant, audiuerant, compertumque habuerant. Deos adorabant, quos fuiſſe homines certo ſciebant, proindeque criminis eiuſdem maculam, Aegyptiis quoque affricabant. Mirum itaque videri nemini debet, opiniones huiuſcemodi, tempore praeſertim Ptolemaeorum, qui et ipſi Graeci erant, et graecis ſtudiis, placitis, ac moribus, magnopere ſemper fauebant, inualeſcere, et plerorumque animos occupare potuiſſe. At inter ipſos Graecos, antiquiores et cordatiores quosque longe aliter exiſtimaſſe, probari facile poteſt. De Perſis vidimus, HERODOTVM, hiſtoricorum omnium, qui extant, patrem, teſtari, illos *non, ſicuti Graeci, ſentire, Deos ex hominibus eſſe genitos.*

§. XIV. Aegyptiorum vero, in hoc negotio, mores, moribus graecis etiam in iſthoc negotio opponit, Philoſophus elegantis ingenii, et in hiſtoria antiquitatis, ſi quiſquam alius, vehementer exercitatus. Verba eius, breuitatis ergo, in latinum ſermonem conuerſa, appono. P *Aegyptiorum quoque inſtituta non poſſum non improbare. Bouem illi colunt, auem et hircum. —— Moritur ergo in Aegypto Deus et lugetur, eiusque et Templum monſtratur et Sepulchrum. Et Graeci quidem bonis etiam viris Sacra faciunt, quorum virtutum memoriam celebrant, calamitates vero obliuione obruunt. Apud Aegyptios vero ex aequo lachrymas Deo et honores offerunt.* Si Scriptor eximius crediidiſſet, Aegyptios homines olim mortuos adorare, hiſce eorum moribus, mores Graecorum non oppoſuiſſet, verum in vna eademque gente crimen vtrumque notaſſet. Conſimilem inter Graecorum Aegyptiorumque cultum comparationem inſtituit LVCIANVS, qui tamen ad excuſandos Aegyptios addit, cultum animalium eſſe aenigmaticum.

MAXIMVS … RIVS, … ſſert. XXXVIII. p. 455. Edit. Oxon. 1677. 12.

Sed

Sed locum eius, nimis prolixum, quam vt hic inſeri poſſit, q apud ipſum legi malo. Sed audiamus potius HERODOTVM, qui omnium primus, res Aegyptiorum, de quibus Sacerdotes eorum, in omnibus fere totius Aegypti Templis, diligentia ſcrupuloſa percontatus fuerat, popularibus ſuis, Graecis, expoſuit, et videamus quam aperte is Graecorum hac de re opiniones condemnet. Ita autem loquitur Lib. II. c. 50. Νομίζουσι δ᾽ ὦν Αἰγύπτιοι οὐδ᾽ ἥρωσι οὐδέν. *Aegyptii heroës nullo cultu proſequuntur*. Sunt vero heroës proprie illi, quos Graecia ſuperſtitioſa, mortales cum eſſent nati, pro Diis habendos et colendos eſſe, edixit. Tales eſſe Aegyptiis, conceptis verbis HERODOTVS negat. Eodem Libro, cap. 142, auctor is idem haec ſcribit: *Sacerdotes referebant, et demonſtrabant, a primo rege, vſque ad Vulcani Sacerdotem, generationes fuiſſe trecentas quadraginta et vnam* (id eſt annos 11340) *quo temporis interuallo, negabant vllum Deum forma humana extitiſſe, neque etiam vel prius, vel poſtea, in regibus Aegypti extitiſſe quenquam, qui Deus fuerit.* Quae hic ad nos ſpectant, eo redeunt, ἀποθέωσιν Graecis adeo familiarem, Aegyptiis penitus incognitam eſſe, neque concedere eos, quemquam fuiſſe inter reges ſuae gentis, qui poſt mortem honores diuinos conſecutus ſit. Eadem docet ac vrget, Scriptor hicce cap. 143. ex quo iſta tantum adferemus. *Hecataeo hiſtoriae Scriptori, originem ſuam recenſenti, atque aſſerenti, ſextum decimum, ex maioribus ſtirpis ſuae, Deum fuiſſe*, Sacerdotes Thebaei *opponebant ſui proprii generis genealogiam, in recenſione tamen illa non admittentes, id quod ab illo diceretur, hominem progenerari a Deo. Ita vero genealogiam ſuam, genealogiae Hecataei opponebant, vt dicerent Piromin ex Piromie genitum ſemper eſſe, donec trecentos quadraginta quinque numero impleti eſſent, omnes Piromies,* vt

q.' in *Deorum Concilio*, Opp. To. II. p. 951 - 956. Edit. Salmur.

vt itaque genealogia vltimo nec in Deo, nec in heroë deſineret. Nempe Hecataeus hiſtoricus graecus, cum Sacerdotibus Thebaeis in Aegypto, ſermones miſcens, ex inani quadam iactantia, genus ſuum ad Deum aliquem retulerat, a quo ipſe in ſtemmate eſſet decimus ſextus, ſicuti in Graecia nihil profecto erat frequentius, quam vt hi genus ſuum referrent ad Iouem, alii ad Apollinem, alii ad Bacchum, alii ad Herculem, cuius praeſertim numeroſa erat in Graecia poſteritas, alii ad Venerem, alii ad alios. Vano huic graeco, Sacerdotes Thebaei, oppoſuerant genealogiam ſummi ſui Pontificis, qui per * generationes 345, in linea recta a primo ſummo Pontifice deſcenderat, ſed ita vt ſemper *Piromis*, e *Piromie* prognatus fuiſſet. Ergo Sacerdotes ſignificare volebant Hecataeo, memoriam temporis praeteriti, apud ſe multo eſſe longiorem et diuturnam magis, quam apud Graecos; ſed ſe nullos tamen Deos agnoſcere, a quibus longa ſerie homines genus ducerent, quae tantum eſſet Graecorum vaniloquentia. *Piromis*, ⲠⲒ-ⲢⲰⲘⲒ, eſt vox Aegyptiaca, deſignans *hominem*, quod res ipſa, totaque orationis ſeries iam ſic ſatis declarat, et Aegyptios aliam vocem non habuiſſe, ad deſignandum *ἄνθρωπον*, *hominem*, verſio Coptica librorum Scripturae, quae proſtat, docere vnumquemque poteſt. *Piromis* itaque ex *Piromie*, eſt *homo ex hominibus ortum trahens*, qui opponitur *homini ex Deo; ſtemmatis ſui auctore, prognato.* Quod vero HERODOTVS affirmat, *Piromin graece ſignificare καλὸν κἀγαθὸν, bonum et honeſtum*, id pro luſu aliquo etymologico habendum eſt. Nam ⲠⲒ-ⲢⲎ-ⲘⲎⲒ, *Pi-re-mei*, reipſa ſignificat

* Numerus hic generationum fidem vtique omnem ſuperat. Sed non dubito, quin hic lateat aliquid arcani, quod tamen nunc diuinando aſſequi haud poſſum.

ficat *facientem quod iuſtum eſt*, vnde conflatam eſſe vocem ⲠⲒ-ⲣⲱⲙⲓ, (*hominem*) exiſtimare potuit, qui eam Herodoto interpretatus eſt. Sed pergit mox HERODOTVS cap. 144. docetque ex ore Sacerdotum, *ante hos homines, regnum in Aegypto tenuiſſe deos, ſed qui cum hominibus non vna vixerint, eorumque ſemper regnaſſe vnum, vſque ad Horum, Oſiridis filium, qui fuerit omnium vltimus.* Ab eo igitur tempore, quo homines regionem Aegypti occupare, ſibique ſubiicere coeperant, Dii, ſecundum Aegyptios, in illa amplius non conſpiciebantur. Non dubito, quin doctrina haec, quam HERODOTVS ex ore Sacerdotum acceperat, doctrina fuerit Aegyptiorum omnium, per totam Aegyptum recepta, vſque ad Ptolemaeorum tempora. Nam Scriptor, qui in hocce argumentum diligenter apud Sacerdotes omnes inquiſiuerat, nihil plane in contrarium obſeruat. Semper doctrinam hac de re Aegyptiorum, Graecorum doctrinae et cultui opponit. Et mox videbimus, teſtimonium hoc HERODOTI ipſius MANETHONIS, Sacerdotis Aegyptii antiqui, teſtimonio egregie confirmatum. Videmus etiam, architectos primos noui dogmatis de cultu hominum diuino, vetuſtis Aegyptiis temere afficti, vt fidem ſibi conciliarent, aliis perſuadere debuiſſe, rem hanc a Sacerdotibus ſemper ſollicite occultatam fuiſſe, donec tandem vnus ex eorum numero, Alexandro demum eam aperuerit. Vide §. XV. XVI. Igitur ante Alexandri M. aetatem, nemini ea de re quicquam conſtabat, niſi, vt volebant fabulae huius auctores, ſoli initiati. DIODORVS mentionem figmenti huius etiam iniicit, vbi Lib. I. p. 18. ait: *Interitum Oſiridis ex antiqua traditione, in arcanis Sacerdotes habuiſſe. Verum temporis ſucceſſu, tandem accidit, vt aliqui ſilentio occultatum in vulgus effutirent.* Praeclari

clari huius Scriptoris tempore, fabula de Leone arcanum hoc Alexandro aperiente, nondum innotuerat. Alioquin rem hanc, magni certe in cauſa iſta momenti, et hic, et in hiſtoria expeditionis Alexandri in Aegyptum, commemoraſſet. Sed aliquam tamen hiſtoriolam, illi, quam Patres quidam referunt, non diſſimilem, fingere omnino oportebat, vt traditiones recentiorum, cum vetuſtioribus genuinis, inter quas tanta apparebat diſcrepantia, aliqua ratione conciliari poſſent.

Idem ex Dynaſtiis etiam Manethonis oſtenditur.

§. XIX. HERODOTVS vero omni fide, hac in re, tanto dignior omnibus videri debet, quod ea quae aſſerit, cum aliis vetuſtiſſimisque Aegyptiorum monumentis plane concinant. Norunt omnes, MANETHONEM Sacerdotum in Aegypto, tempore Ptolemaei Philadelphi, Pontificem maximum, ex columnis ſacris, et melioribus, quae tum ſupererant, monumentis Sacerdotalibus, notiſſimas illas Dynaſtias regum Aegypti confeciſſe, in quibus digerendis, et ad Chronologiam ſacram accommodandis, operam non poenitendam poſuere MARSHAMVS, et haud ita pridem VIGNOLIVS noſter. [r] Diſtinguit autem MANETHO regnum Deorum et Semideorum, a Dynaſtiis hominum, prius illud regnum inſecutorum. Cum vero Dynaſtiae hominum incipiant a Mene, qui conſenſu omnium, primus ex Chami poſteris in Aegypto regnauit, ſiue is ſit Chamus ipſe, vti nonnullis placet, ſiue Mizraimus, Chami filius, quod plurimis placet, ſiue huius filius, aut nepos, quod vero videtur ſimilius, ſequitur neceſſario, Deos eorumque regnum, antecedere regnum primorum Chami poſterorum, ac plane ſupra diluuium collocandum eſſe. Et ita etiam AFRICANVS, EVSEBIVS, SYNCELLVS, et quicunque Dynaſtias illas Manethonis nobis conſeruarunt, rem ceperunt, neque etiam alia potuit eſſe mens ac ſententia MA-

r. apud SYN-
...LVM in
...no-
...p. 18.
...40. 41.

NETHONIS. SYNCELLVS, cui potiſſimum Dynaſtiarum illarum conſeruationem debemus, ſimilia etiam de regno Deorum, Semideorum, et poſtea hominum, refert [s] ex *Chronico vetuſto* Aegyptiorum, quod ipſe quidem Manethone antiquius cenſet, [t] VIGNOLIVS vero ad aetatem Euſebii demittit. Quicquid ſit, illud tuto hinc colligimus, in antiquiſſimis et maxime genuinis Aegyptiorum Monumentis, regnum Deorum anteponi regno primorum in Aegypto hominum. Et hoc ſane id ipſum eſt, quod HERODOTVM docuerant Sacerdotes, *ante primum Aegypti regem regnaſſe deos, ſed qui cum hominibus non vixerint.* §. XVIII. Neque etiam traditionis huius Sacerdotalis priſcae expers fuit [u] DIODORVS, etſi tamen ipſe recentiores potiſſimum ſequatur. Et profecto non poteſt oſtendi, ex regibus Aegypti poſt Menem quiſquam, in quem omnes illae Sacerdotum fabulae de Iſide, Oſiride, Horo, et Typhone, vere et recte quadrare dici poſſint. Et oportuit tamen Oſiridem, ſi vera ſunt, quae de eo in fabulis traduntur, fuiſſe regem longe celeberrimum, cuius in hiſtoria non potuit intercidere memoria. Sed oſtendi non poteſt rex, cui illae de Oſiride fabulae adaptari legitime poſſint. Nam ceteroquin * *nihil quidem facilius, quam in tot tantisque fabulis de Oſiride et reliquis Diis, aliquid reperire circumſtantiarum, quod ad hunc vel illum regem accommodes.* Sunt etiam in iis, quae de Oſiride, Iſide, et Horo in fabulis tradebantur talia, vt hiſtorice et proprie accipi nullo modo queant, et non aliam, quam allegoricam, et ſymbolicam explicationem admittant, etſi in fabula illa, qualem PLVTARCHVS prolixe narrat, ad priſcas et genuinas Sacerdotum traditiones, multae acceſſerint aeui

s. SYNCELLVS Chronograph. p. 51. 52.

t. *Chronologie de l'Hiſtoire ſainte,* To. II. p. 650.

u. Lib. I. p. 41. 42.

(C) 5 poſte-

* Verba ſunt PERIZONII Origin. Aegypt. cap. V. p. 79.

poſterioris. Aliter ergo exiſtimare non poſſum, quam, regnum Oſiridis, Iſidis, Hori, Typhonis, et ſimilium, non eſſe hiſtoricum et verum; ſed mere fabuloſum, ſymbolicum et allegoricum, methodo Sacerdotum, tradendi dogmata ſacra, aenigmaticae, plane attemperatum. Et ſimiles ſane fabulas, vetuſtiſſima, Phoenicum, Phrygum, ipſorumque Graecorum Theologia, nobis abunde ſubminiſtrat, vt ſatis appareat, idem fere Theologis priſcis variarum gentium fuiſſe ingenium, et diuerſas ipſorum fabulas, ex vno fonte deriuatas fuiſſe. Praeterea regnum illud Deorum Aegypti fabuloſum, a Sacerdotibus hunc in modum adornatum fuiſſe, vt cyclos ipſorum aſtronomicos et chronologicos accurate referret, tam ingenioſe et luculenter haud ita pridem probauit vir vndecunque doctiſſimus, vt dubio locus ſupereſſe nequeat.

V. Chronologie de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 656. 657. 660. etc.

Indicatur ratio, ob quam recentiores Graeci, vetuſtis Aegyptiis theoſin hominum mortuorum affinxerint.

§. XX. Neque etiam ita difficile eſt, diuinando aſſequi, vnde tandem euenerit, vt Graeci poſterioris aeui, Theologiam Aegyptiorum, tam turpi ratione corruperint, totique orbi perſuadere annisi fuerint, Oſiridem, Iſidem, Horum, et primores quoſque Aegyptiorum deos, ſola ſua virtute et praeclare geſtis, meruiſſe, vt ſorte humana exemti, diuinis gauderent honoribus. Ficta illa Alexandri M. epiſtola, de quo §. XVI, niſi me opinio vehementer fallit, totum rei huius arcanum nobis referabit. Nemini ignotum eſſe poteſt, niſi cui Alexander ipſe ignotus eſt, magnum hunc Aſiae domitorem, dum etiam in viuis eſſet, pro deo haberi colique voluiſſe, et ſuper ea re, poſt occupatam Aegyptum, Oraculum Iouis Ammonis in Marmarica conſuluiſſe. Hoc ſine dubio anſam praebuit Epiſtolae illi confingendae, qua nempe Alexander veſaniam ſuam et impietatem, exemplo primorum in Aegypto regum, Oſiridis, Iſidis et Hori, ceteto-

rumque excuſare voluerit. Alexandrum huiuſcemodi conſilia mente ſua agitaſſe certum eſt. Hinc videmus ipſi a LVCIANO exprobrari, [x] quod etiam poſt mortem ſtulta illa ſpe ſe lactauerit, fore, vt aliquando Anubis aut Oſiris euadat. Veſtigia haec Alexandri, legerunt eius in regno Aegypti ſucceſſores, Ptolemaei, qui tantum non omnes, aut poſt mortem Deorum choro additi fuere, aut viui in illud conſortium recipi voluere. Poteratne aliquid his auditu iucundius fingi, quam eos honores tantos appetendo, imitari tantum exempla primorum et maxime illuſtrium Aegypti regum, qui ſint illi ipſi dii, qui nunc ab omnibus, in toto regno, tam impenſa religione colerentur. Erat illo tempore Aegyptus graecis hominibus tota repleta, Graeci etiam paſſim *opimis* fruebantur Sacerdotiis, in *Templis* praeſertim munificentia Ptolemaeorum recens extructis, aut etiam ex puluere et ruina magnifice denuo reſtauratis. Alii a tenera aetate, Graecorum diſciplina ſollicite imbuebantur, quibus MANETHONEM ipſum accenſendum eſſe exiſtimauerim. Horum itaque ſtudio, vt et regibus rem gratam facerent, et vt proprio ſuo ingenio obſecundarent, effectum eſt, vt priſca Aegyptiorum Theologia non mediocriter corrumperetur, et multis peregrinis additamentis vehementer incruſtata, talis fere traderetur, qualem a DIODORO *Siculo*, et PLVTARCHO repraeſentatam legimus, in quorum excellentibus ceteroquin Scriptis, vbi de rebus Aegyptiorum agunt, non ipſorum, ſed temporis, vitio, vero falſa permulta, genuinis tot adulterina ſic admixta reperiuntur, vt vnum ab altero diſcernere, non cuiuſuis ſit, laboremque requirat minime vulgarem.

x. *in dialogis mortuorum*, Opp. To. I. p. 254.

§. XXI. Sed tempus eſt, vt videamus, quodnam fuerit re ipſa genuinum obiectum, Theologiae et

Obiectum cultus idololatrici vete-

rum Aegyptiorum, duplex fuit: Dii nempe intelligibiles, et ſenſibiles.

et cultus idololatrici veterum Aegyptiorum, ad quod illi, derelicto iam vno vero Deo, honorem et reuerentiam ipſi ſoli debitam, peruerſa mente transtulerunt. Sacrae literae teſtantur, homines in vniuerſum, interque hos etiam Aegyptios, cum oculos in coelum attollerent, inibique Aſtra contemplarentur ſplendida, cum experientia magiſtra didiciſſent, quam multiplicem vſum, clariſſima Mundi lumina terrae noſtrae praeſtarent, diuinitatem iis tribuiſſe, et cultum aliquem, tum publicum, tum priuatum, decreuiſſe. Ex iis, quae ſupra obſeruauimus §. V. VI. VII. IX. liquere arbitror, cultum Solis, aliorumque, vt credo, Aſtrorum, Lunae praeſertim, aeuo Iſaaci Patriarchae, in Aegypto inualuiſſe, quo ſine dubio factum eſt, vt cognitio et cultus veri Dei ſenſim pelleretur, etſi tamen non illico extingueretur. Credibile omnino eſt, primo ad cognitionem et cultum veri Dei, ſuperacceſſiſſe cultum aliquem Aſtrorum, tanquam illuſtrium ſupremi Numinis adminiſtrorum, per quos hominibus in mundo benefacere et benedicere velit. Nonne in ipſo Chriſtianorum coetu tot reperiuntur, qui cum cultu creatoris, cultum etiam coniungunt creaturarum, quas pro mediatoribus ac interceſſoribus pro hominibus apud Deum haberi et inuocari volunt? Quidni tale quid etiam apud Aegyptios, in primordiis cultus eorum idololatrici, contigiſſe diceremus? Et videmus profecto, tempore Ioſephi Patriarchae, quo tota Aegyptus cultui creaturarum mancipata iam erat, hunc tamen Patriarcham, regi de ſuo, id eſt vero Deo, locutum eſſe libere. y *An ſine Deo*, inquit, *fauſtum reſponſum edetur Pharaoni?* Tantum vero abeſt, vt rex piam hanc admonitionem Ioſephi aegre tulerit, aut contemtim reiecerit, vt potius ingentem fiduciam, quam in Deo Ioſephi collocauerat, huiuſmodi verbis

y. *Geneſ.* XLI. 16.

bis declarare non dubitauerit: [z] *An inueniemus virum huic* Ioſepho *ſimilem, in quo ſit Spiritus Dei? Ioſepho vero dixit: Quandoquidem tibi omnia haec patefecit Deus, neque quiſquam eſt prudentia et ſapientia tui ſimilis, domui meae praefectus eris.* In ipſo igitur idololatriae progreſſu, cum illa Aegyptum vniuerſam iam inundaſſet, notitia tamen Entis infinite perfecti, creatoris et conſeruatoris omnium, ex mentibus Aegyptiorum deleri neutiquam potuit. Et illa veri Dei notitia, in gente, quae viſum rationis diligenter excoluit, et antiquiſſimi temporis memoriam induſtrie cuſtodiuit, ſine dubio ſemper etiam poſthaec aliqua ratione conſeruata, adque ſeros poſteros propagata fuit. Non poſſum itaque non magnopere probare iudicium, quod de Theologia Aegyptiorum tulit vir impenſe doctus, ROBERTVS BALFOREVS, Scotus, idque meum facere. Sic autem ille: [a] *Vetus illa Aegyptiorum ſchola, vnde Philoſophiam ſuam omnis Graecia hauſit, iam inde a Mercurii ter maximi temporibus, mundum duplicem conſtituit, vnum νοητὸν, alterum αἰσθητὸν, hoc eſt, dicamus, vt poſſumus, alterum intelligibilem, alterum ſenſibilem,* eamque in rem haec CLEMENTIS *Alexandrini* verba addit: [b] Κόσμον τε αὖθις, τὸν μὲν νοητὸν οἶδεν ἡ βάρβαρος φιλοσοφία, τὸν δὲ αἰσθητόν. *Philoſophia Barbarica duplicem mundum praedicat, intelligibilem alterum, alterum ſenſibilem.* Nihil in Philoſophia Platonica et Pythagoraea celebrius eſt, inter duplicem hunc mundum, vti et inter θεοὺς νοητοὺς, *Deos ſolo intellectu cognoſcendos*, quia ſunt naturae ſpiritualis, adeoque viſui non patent, et θεοὺς αἰσθητοὺς, *Deos ſenſibus percipiendos*, adſpectabiles quippe, qui natura praediti ſint corporea. Diſcrimen hoc Scholae Graecorum, Pythagoraeae, et Platonica, traxerunt, vt vere vir eruditus obſeruauit, ex Theologia Aegyptiorum.

Huius

z. *Ibid.* v. 38. 39.

a. Commentar. in *Cleomedis* Meteorol. Lib. I. p. 133. 134.

b. Stromatum Lib. V. p. 593.

Huius itaque obiectum fuit duplex, alterum intelligibile, ſpirituale, alterum ſenſibile et corporeum.

Aegyptiorum vetuſtiſſimi, Deos coluerunt νοητὰς, naturae ſpiritualis et aeternae.

§. XXII. Primum vtique Theologiae veteris et cultus Aegyptiorum, obiectum fuit νοητὸν, naturae ſpiritualis, adeoque ſenſibus non obnoxium, ſed ſola vi intellectus cognoſcendum. Agnouerunt nempe primi inter Aegyptios Sapientiae magiſtri, [c] eſſe Spiritum aliquem ingenitum, aeternum, omnibus rebus quae exiſtunt prius, qui omnia creauerit, omnia conſeruet, omnia contineat, omnia permeet atque viuificet, qui ſit Spiritus totius mundi, hominum vero cuſtos et benefactor. Res ipſa ſatis loquitur, neque aliter exiſtimare poſſumus, quam doctrinam Aegyptiorum de Spiritu aeterno, mundi creatore et rectore, eſſe antiquiſſimam, a Patriarchis acceptam, et ad ſeros poſteros, inter quos diu floruiſſe deprehenditur, ſollicite transmiſſam. Non parum id ex eo confirmatur, quod in Theologia Aegyptiorum et Phoenicum, qui fuerunt eorum coloni, veſtigia extent, nec pauca nec obſcura, * traditionum patriarchalium de creatione mundi, originibusque rerum, quae cum hiſtoria Moſaica ſic conſpirant, vt ex ea videantur eſſe deſumtae, quamuis ante Moſis aetatem Sapientibus Aegypti cognitas fuiſſe, dubitare non poſſim. Illarum in *Pantheo* noſtro paſſim, vbi res id ferebat, mentionem fecimus. Ex huiuſmodi traditionibus, nunc vnicam tantum, quae ad noſtrum argumentum inprimis ſpectat, adferam. Sciebant Patriarchae, diuinitus edocti, quod et MOSES literis conſignauit, *Gen.* I. 2. terram initio, a Deo recens productam, maſſam fuiſſe rudem, indigeſtam, tenebricoſam, et informem, quam veteres dixe-

c. Vide *Panthei* noſtri Lib. I. cap. IV. §. 1. 7.

* De hiſce Patriarcharum traditionibus non inutile erit conſulere magni Theologi, CAMP. VITRINGAE Obſeruat. Sac. Lib. I. cap. IV.

dixere Chaos, et aquis obtectam, *aquis* autem his, (quae continebant corpora omnia in mundo noſtro creanda) *Spiritum Dei incubuiſſe*, ad inſtar volucrium*, quae oua ſua fouent. Hinc profecto illa vetus Aegyptiorum traditio dimanauit, [d] quam ab ipſis accepit Thales Mileſius, qui poſtea inter ſuos docuit, [e] *aquam eſſe initium rerum: deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* Erat igitur doctrina Theologiae Aegyptiorum vetuſtiſſimae, mentem Diuinam, ſiue Spiritum Dei, ex aqua cuncta produxiſſe. Et certe Pharao rex Aegyptiorum, cum Ioſepho loquens, agnoſcit [f] רוח אלהים *Spiritum Dei*, tanquam ſibi non ignotum. Ac in Theologia Aegyptiorum, plurimam mentionem fieri conſueuiſſe *Spiritus Diuini*, a quo omnia eſſent, [ff] loco alio ſatis oſtendimus. De Spiritu illo docebant vetuſti Aegyptiorum Philoſophi, [g] quod materiam informem chaoticam, in formam oui diſpoſuiſſet, atque ex illo ouo cuncta creaſſet, Spiritus vero ille eſſet naturae maſculo-foemininae. Doctrinam hanc in vniuerſum deſumtam eſſe ex traditione antiquiſſima Patriarcharum, quam his verbis complexus eſt MOSES, *Geneſ.* I. 2. ורוח אלהים מרחפת על פני המים. *Et Spiritus Dei incubabat aquis*, mihi quidem videtur certum. Creator vniuerſi dicitur hic רוח אלהים, *Spiritus Dei*, deque eo commemoratur, quod *incubuerit aquis*. Illud vero *incubare aquis*, quod attribuitur Spiritui Creatori, ſi vim vocis ſpectes, actio proprie eſt volucrium ſequioris ſexus, quae ouis ſuis aut pullis incubant, eosque incubando excludunt, quod * veteres non minus, quam recentiores opportune monue-

d. Vide *Pantheon* Lib. I. I. § 7.

e. CICERO de Nat. Deor. Lib. I. c. 10.

f. *Geneſ.* XLI.

ff. Lib. I. cap. IV. § 7. 38.

g. Lib. I. cap. II. § 8.

* Ex Iudaeis RASCHI ad h. l. Ex Patribus AMBROSIUS, AVGVSTINVS, HIERONYMVS, BASILIVS M. DIODORVS Tarſenſis, aliique apud DRVSIVM in notis maioribus ad eundem locum.

nuerunt. Hinc videtur ortum traxiſſe ſententia, quae Scholis Orientalium familiaris fuit, Spiritum Diuinum, eſſe aut naturae foemininae, aut maſculo-foemininae. Ex Scholis illis Orientalium, id acceperunt haeretici veteris Eccleſiae, * qui Spiritum S. dicere ſoliti ſunt *matrem* aut etiam *ſororem Chriſti.* Accedit ad ea quae dixi, quod in lingua hebraica, vox רוח, quae *Spiritum* deſignat, generis cenſeatur foeminini. Poſtquam id Aegyptii et Orientales ex traditione accepiſſent, ſucceſſu temporis rem eandem explicare conati ſunt, [h] ratione quadam ex re ipſa, vt credebant, petita; ſed quam ipſi excogitauerant, ſimiliter fere, vti Aegyptii, [i] quorum ſermone, *Luna* vocabulo exprimitur generis maſculini, ⲠⲒ-ⲒⲞϨ, *Pi-ioh*, ex eo, vt credibile eſt, anſam arripuerunt, aſſerendi, lunam eſſe generis maſculo-foeminini, quamuis poſtea de exquirendis huius ſui effati rationibus phyſicis, ſollicite quoque eſſent. Eodem modo arbitror, et indolem vocis hebraicae רוח, et ea quae de Spiritu creatore, aquis, tanquam ouo incubante, ex traditionibus patriarchalibus hauſerant priſci Aegyptiorum Philoſophi, eos induxiſſe, vt in Scholis ſuis traderent, Spiritum illum naturae eſſe maſculo-foemininae. Talis adhuc erat Theologiae Aegyptiorum indoles, vt *Diis* ſuis *αἰσθητοῖς*, *ſenſibus obnoxiis*, praecificerent *Deum νοητὸν*, ſolo *intellectu cognoſcendum*, cum ad eos Graeci, addiſcendae ſapientiae cauſa, frequenter commearent. De Thalete paulo ante vidimus. Inter omnes vero Graecorum Philoſophos, qui Aegyptios adierunt, nemo in diligenter hauriendis et ſtudioſe excolendis placitis eorum Theologicis, tantum operae impendit, atque

h. Vide *Pantheon* Lib. II. cap. VII. §. 8.

i. Lib. I. c. III. §. 6.

* Vide inprimis FABRICII Codicem Apocr. N. Teſtamenti p. 361, 362, 363. et notas ibidem.

LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH

atque fecerunt Pythagoras et Plato. Pythagoras praeſertim tantum non omnia inſtitutioni Sacerdotum Aegyptiorum debet, in iis etiam, vt credo, quae ſibi ipſi adſcripſit. Et hi etiam primi inter Graecos, doctrinam haud dubie in Aegypto auditam, de *Diis* νοητοῖς, *intelligibilibus*, et αἰσθητοῖς, *ſenſibilibus*, curate et ſubtiliter, more Philoſophorum expoliuerunt. Hinc de Pythagora Poëta canit:

> —— [k] *isque, licet coeli regione remotos*
> *Mente Deos adiit: et quae natura negabat*
> *Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.*

k. OVIDIVS Metamorph. Lib. XV. 62.

En! Deos νοητοὺς, a Pythagora primum in Graeciam inuectos. Et de vtroque, ad rem eandem digitum intendens, DAMASCIVS Philoſophus Pythagoraeo-Platonicus, ita ſcribit: [l] *Ex antiquiſſimis Philoſophis, Pythagoram et Platonem*, Iſidorus *vt Deos coluit, et eorum animas alatas eſſe dixit, quas in locum ſupercoeleſtem, inque campum veritatis et pratum eleuatas, diuinis putauit ideis paſci.* Haec eſt Theologia, quam ex Aegypto retulerunt domum Pythagoras et Plato. Si tamen aliquando Aegyptii, quo video [m] viros grauiſſimos affirmare, neglecta plane mente aeterna, cultui Deorum adſpectabilium ſe totos dediderunt, id non niſi ſero accidere potuiſſe, ſatis liquere arbitror.

l. in *vita Iſidori*, apud PHOTIVM in Biblioth. Cod. CCXLII. p. 1034.

m. Vide *Pantheon* Lib. I. cap. II. §. 5.

Praeter illos Aegyptii coluerunt etiam θεοὺς αἰσθητοὺς, *Deos ſenſibus obnoxios, quos inter primores erant Sol*

§. XXIII. Ad Deos Aegyptiorum νοητοὺς, *intelligibiles*, de quibus diximus, acceſſerunt, inualeſcente iam doctrinae corruptione, et abominando idololatriae ſtudio, Dii αἰσθητοὶ, *ſenſibiles*, qui oculis vſurpari, ſenſibusque percipi poterant; elementa et corpora mundi, ex quibus vtilitatem ſingularem, in terram quam incolimus, redundare ſentiebant. Si Scriptores diuinitus inſpiratos in con-

n Deuteron. IV. 19. Iobi XXXI. 26. 27. 2. Reg. XVII. 16.

o. Vide ſupra §. XI.

p. Amos. V. 25. 26. vbi confer ... et Act. VII. 43.

q. Ierem. XLIV. 17.

r. Vide Pantheon, Lib. II. c. I. §. 2.

s. Loco citato.

ſilium adhibeamus, [n] docebunt illi nos, quod et hiſtoria populorum omnium confirmat, Solem, Lunam, et lucida coeli ſidera, prima fuiſſe cultus idololatrici in orbe obiecta. Idem feciſſe quoque Aegyptios, ex tabulis S. Codicis, argumento ſaltem indirecto, probari poteſt, et dudum iam probatum eſt. Nam cum in illis, ſaepius Iſraëlitis exprobretur, [o] quod idololatricas Aegyptiorum conſuetudines, tum in ipſa Aegypto, tum poſt exceſſum ex Aegypto, aemulati fuerint, ſuasque fecerint, inter has refertur etiam, [p] quod *portauerint tabernaculum Molochi*, *et Aſtrum Dei Kiun*, vel *Remphah*. Idolum illud, cuius cultum idololatricum, Deus Iſraëlitis, in deſerto Arabiae peregrinantibus exprobrat, erat *Sol*, ſiue *Rex coeli*, qui Ammonitarum lingua dicebatur *Moloch*, * ſermone vero Aegyptiorum *Renphah*, cui reſpondet מלכת השמים, *regina Coeli*, id eſt, *Luna*, ab Aegyptiis pariter, [q] nomine hoc olim culta. Conſentiunt hic cum Scriptoribus ſacris, etiam exotici, nam et ipſi teſtantur, [r] primum Aegyptiorum cultum oblatum fuiſſe Soli, Lunae, et Aſtris. Et *Soli* quidem ſigillatim, in ipſis idololatriae ſtabilitae primordiis, Aegyptios ritibus operoſis Sacra feciſſe, ex ipſa Ioſephi hiſtoria Moſaica, ſupra iam obſeruauimus §. IX. De *Luna* teſtimonium Scripturae S. quod vetuſtiſſima illa tempora attingat, vel verbis diſertis reſpiciat, adferre quidem non poſſumus; ſed res ipſa in dubium vocari neutiquam poteſt. Praeter ea enim, quae [s] loco alio iam obſeruauimus, et hoc animaduertendum, ** quod inter Feſta ſolennia, quae homines

* Id pluribus probauimus in noſtro *Remphah illuſtrato*.

** Poterit hic cum fructu conſuli auctor inprimis ingenioſus Libri notiſſimi, *Le Spectacle de la Nature*, To. IV. Part. II. p. 284. etc. et SPENCERVS de Legibus Hebr. Lib. III. Diſſert. IV. cap. I. Sect. I.

mines in honorem Deorum ſuorum olim inſtituerunt, *Neomeniae* celebratae in honorem Lunae renouatae, citra controuerſiam, ſint omnium, quae nouimus, antiquiſſima, ex quo conſequitur, Lunam, in cuius honorem Feſta haec celebrabantur, inter prima etiam cultus idololatrici obiecta, ab hominibus inuenta, numerandam omnino eſſe. Id non modo * ſimiliter, ſed ratione etiam plane ſingulari, de Aegyptiis dicendum eſt. Deprehendimus enim ex teſtimonio Scriptorum idoneorum, ** Aegyptios pleraſque ſuas ſolennitates ſacras, certe praecipuas, ſic vel ad Neomenias, vel ad Plenilunia accommodaſſe, vt ex eo coniicere liceat, primos idolorum cultores in Aegypto, praeter Neomenias et Plenilunia vix alios dies feſtos celebraſſe, poſtea vero, cum primis illis, ſucceſſu temporis alia ſuperaddere placuiſſet, haec tamen prioribus ſubordinaſſe atque attemperaſſe. Verum ex ipſa etiam hiſtoria, quantumuis fabuloſa, et graeca, Ionis nempe Argiuae, in vaccam conuerſae, et in Aegypto deinceps, ſub nomine Iſidis a populo adoratae, antiquitatem cultus Lunae apud Aegyptios probare hic poſſemus, niſi argumentum hoc alio loco, et ſatis prolixe, fuiſſemus perſecuti. Patebit ex eo, cultum hunc antiquitatis apud Aegyptios fuiſſe vltimae. cap. I. §. 2.

Adiectus mox eſt cultus reliquorum Planetarum.

§. XXIV. Vbi ſemel cultum Solis et Lunae admiſerunt Aegyptii, videntur mox adieciſſe cultum reliquorum etiam Planetarum; ſed aliquo tamen diſcrimine. De vetuſtis Zabiis docet MAIMONIDES,

* Videndus hic SPENCERVS de Legibus Hebraeorum, vbi ſupra, Sect. IV. et VII.

** Illius rei ſpecimina luculenta paſſim in *Pantheo* noſtro occurrunt, v. g. Lib. III. c. I. §. 5. cap. II. §. 7. c. III. §. 19. c. IV. §. 13. Lib. IV. cap. II. ſaepe.

Inde, vt videtur, orta eſt magna numeri ſeptenarii in toto Oriente veneratio et ſanctitas.

DES, quod ſtatuerint, [u] * *nullum eſſe Deum praeter Stellas —— Stellas eſſe diuinas, et Solem eſſe Deum magnum. Dicunt quoque, reliquos quinque Planetas eſſe Deos, ſed duo luminaria, eſſe maiores.* Eadem ſententia fuit veterum Aegyptiorum, [w] qui *Solem* et *Lunam* comparare ſolebant cum *rege* et *regina* (§.XXIII.) reliquos vero Planetas cum [x] *ῥαβδοφόροις, apparitoribus*, vel *ſatellitibus.* Indeque eſt, quod Pythagoraei, quorum ſapientia fere omnis, ex Aegyptiorum fontibus deriuata eſt, [y] Planetas quinque dicerent Proſerpinae, id eſt Lunae, canes, quaſi diceres comites et cuſtodes. Etſi autem tale inter ſeptem Planetas diſcrimen ponere ſolerent veteres, indiciis tamen plurimis conſtat, et argumento non vno, ad liquidum perduci poteſt, tum gentes alias, tum Aegyptios quoque, hos omnes in Deorum ordinem coëgiſſe, iisque honores ſupremos decreuiſſe. In Laconia PAVSANIAS teſtatur, ſe vidiſſe alicubi [z] *ſeptem columnas, antiquo ritu erectas, quas incolae dicebant, eſſe ſigna* VII. *Planetarum.* Notum vero eſt, Monumenta idololatriae omnium prima, in honorem Deorum conſtructa, fuiſſe lapides et columnas. PLATO etiam literis prodidit, [a] primos Graeciae incolas, nonniſi Solem, Lunam, Aſtra, coelumque cum terra, Deorum loco habuiſſe, eundemque morem fuiſſe Barbarorum longe plurimorum. [b] Scriptores etiam Arabes Graecis cultum ſeptem Planetarum exprobrare ſolent. Et hunc quidem ſeptem Planetarum cultum antiquiſſimum, cauſam eſſe reor, ob quam tum apud Graecos,

* Docet tamen contra Maimonidem celeberrimus apud Vltraiectinos Theologus, DAVID MOLLIVS, Zabios Stellis praefeciſſe vnum Deum creatorem, in Diſſertat. ſelectis, Diſſert. IX. p. 278. 279. Edit. primae.

u. In *More Nevochim*, Part. III. cap. XXIX. p. 421. Verſ. Buxtorff.

w. Vide ſupra §. XXIII. et *Pantheon* Lib. II. cap. I. §. 2.

x. SEXTVS EMPYRICVS adu. Mathem. Lib. V. p. 343. *Scholiaſtes* vetus *Apollonii* ad Argonaut. Lib. IV. 262.

y. CLEMENS *Alexandr.* Stromat. Lib. V. p. 571.

z. In *Laconicis* cap. XX. p. 262.

a. in *Cratylo* p. 63. Edit. graec. Baſil.

b. Apud HYDIVM de relig. vet. Perſarum cap. III. p. 88.

cos, quod [c] CLEMENS *Alexandrinus* obſeruat, tum apud gentes Orientales fere cunctas, numerus ſeptenarius, ſanctus et ſingulari in honore habitus fuerit. Ex iſto fonte arbitror fluxiſſe, quod in Theologia Orientali Chaldaeorum, Perſarum, et Arabum, tradebatur, ſeptem eſſe magnos angelos πρωτοκτίςες, *primo a Deo creatos*, quod Gnoſtici deinde, Theologiae illius aſſertores pertinaciſſimi, pariter docuerunt, et ab his, videntur id ipſum mutuo ſumſiſſe quidam ex primis Eccleſiae Chriſtianae Doctoribus. Sed argumento huic nunc inhaerere non licet. Non ignotae ſunt in myſteriis Mithrae, ita Perſae appellabant Solem, * *ſeptem portae*, per quas animae tranſire ferebantur. Id forte occaſionem dedit quibuſdam, vt ad hocce exemplum, [d] *ſeptem conclauia Molochi*, Ammonitarum idoli, etiam confingerent. [e] *Septimus dies*, a Perſis videtur feſti inſtar celebrari, et cum laetitia tranſigi conſueuiſſe. [f] *Septem* Eſtherae, virginis Iudaicae, ſed thoro regis Perſarum deſtinatae, *miniſtras* Scriptura commemorat. In eadem mentionem inuenias, [g] *ſeptem Eunuchorum*, qui coram rege Perſiae miniſtrabant, et diſtinctos ab his [h] *ſeptem Principes Perſarum et Medorum, videntes vultum regis, et primas ſedes in regno obtinentes.* Vocantur iidem etiam [i] *ſeptem conſiliarii regis.* Artaxerxes rex in Epiſtola quadam eos appellat [k] *ſeptem amicos* ſuos *conſiliarios.* Taceo nunc Scriptores exoticos, apud quos rei eiusdem veſtigia [l] non raro reperias. Quae potuit eſſe ſanctitatis iſtius, quam ſeptenario numero ineſſe exiſtimabant, ratio, niſi eam a cultu ſeptem Planetarum arceſſas? Idque clare inprimis loquuntur ſeptem

 Por-

c. Stromatum Lib. V. p. 600.

d. SELDENVS de Diis Syris, Synt. I. c. VI. p. 169. 170.

e. Liber *Eſtherae* cap. I. v. 10.

f. *Ibidem* cap. II. v.

g. *Ibid.* cap. I. 10.

h. *Ibid.* I. 14

i. *Eſdrae* VII. 14.

k. *Eſdrae* Liber III. c. VIII. 12.

l. HERODOTVS Lib. I. cap. 86. III. 71. V. 17. VII. 114. IVSTINVS I. 10.

* CELSVS apud ORIGENEM contra Celſum, Lib. VI. p. 290. Adde HYDIVM de Relig. vet. Perſarum, cap. III. p. 101. 102. 103. 105.

Portae in Myſteriis Mithrae celebratae. Per eas enim nihil aliud intelligi potuiſſe, quam ſeptem Planetarum orbes, quos animae in coelum tendentes tranſeunt, et res ipſa docet, et ex placitis cumprimis Theologiae Gnoſticae, tam luculenter perſpicitur, vt mihi quidem dubium hic ſuperſit nullum.

Ac praeſertim in Aegypto. §. XXV. Non minor in Aegypto ſeptenario ſanctitas, nec alia quoque ratio illi ſuberat. Conſtat certe, inter mortales omnes [m] Aegyptios fuiſſe primos, qui a ſeptem Planetis, totidem dies, eodem ordine continuo recurrentes, denominauerint. Inde etiam eſſe credo, quod veteres Aegyptiorum Legislatores, incolas illius regionis omnes, [n] *in ſeptem hominum genera*, diuiſos voluerint. Tale porro eſt, [o] quod *ſub tempus ſolſtitii hyberni, Sacerdotes vaccam circa Templum ſepties circumducere conſueuerint.* Neque etiam ratione myſtica caret, quod Aegyptii Nilum, Oſiridem ſuum terreſtrem, per *ſeptem alueos*, totidemque oſtia ſe in mare exonerare iuſſerint. Quis Poëtarum rem hanc verſibus celebrandam eſſe non duxit? De ea VIRGILIVS ita canit Georgic. Lib. IV. 292. loquens de Nilo:

m. Vide Pantheon, Lib. II. c. VII. §. 14.

n. HERODOTVS Lib. II. c. 164.

o. PLVTARCHVS de Iſide et Oſir. p. 372.

Et viridem Aegyptum nigra foecundat arena,
Et diuerſa ruens SEPTEM diſcurrit in ORA.

Et OVIDIVS [p] Metam. Lib. XV. 753.

Perque papyriferi SEPTEMFLVA FLVMINA NILI.

p. Adde Amorum Lib. II. El. XIII. 9.

Notum vero eſt, et literis a veteribus proditum, ex ſeptem illis Nili [q] alueis, quoſdam eſſe, non natura factos; ſed arte manibusque hominum effoſſos. Studio igitur et conſilio hominum in Aegypto debetur, quod fluuius genti illi ſacroſanctus, per ſeptem, non autem plures pauciores ue alueos, in mare decurrerit. Ratio molimini huic ſubeſt vtique arcana, quam in his Poëta nobis aperit:

q. Vide CELLARII Geograph. Vet. Africae p. 19.

Atque haec Niliacas demum eſt menſura per oras:
Qua rigat aeſtiuis grauidus torrentibus arua
Nilus, et erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia Pontum.

Qua de cauſa veteres etiam Nilum dixerunt [s] *ἀντίμιμον ȣ̓ρανȣ̃, aemulum et imitatorem coeli.* Sed miſſis obſeruationibus huius generis, inhaereamus nonnihil rei plane ſingulari, et memoratu inprimis dignae, quam auctor libri egregii *περὶ ἑρμηνείας,* qui DEMETRII PHALEREI nomen praefert, memoriae prodidit §. LXXI. * *Ἐν Αἰγύπτῳ δὲ καὶ τȣ̀ς θεȣ̀ς ὑμνȣ̃σι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχȣ̃ντες αὐτά· καὶ ἀντὶ αὐλȣ̃ καὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τȣ́των ὁ ἦχος ἀκȣ́εται ὑπ' εὐφωνίας. In Aegypto vero, Sacerdotes etiam per VII. vocales, quaſi hymnis deos celebrant, dum eas ordine continuo ſonant, et apud ipſos loco tibiae et cytharae, literarum harum ſonus auditur ob ſuauitatem vocis.* Hunc Sacerdotum Aegyptiorum ritum, vt bene animaduertit GALEVS, reſpicere etiam videtur NICOMACHVS *Geraſenus* Harmon. Manual. L. II. vbi ait: [t] *Ἁρμονίας ἀποτελεῖ δραςικὰς δυνάμεις καὶ τελεςικὰς τῶν θείων. Διὸ ὅτ' ἂν μάλιςα οἱ ** Θε-*

r. MANILIVS Aſtronomic. Lib. III. v 453. Sequor autem emendationes BENTLEII.

s PHILO Iudaeus de vita Moſis Lib. III. p. 682. HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 43[illegible]

t. MEIBOMII auctores antiquae Muſicae, Vol. I. p. 37.

* Multa egregia ad locum hunc obſeruauit THO. GALEVS, in Edit. Oxonienſi a ſe procurata p. 235. Extat quoque in hunc DEMETRII locum, doctiſſimum Schediaſma, IO. MATTH. GESNERI, viri de melioribus literis praeclare meriti, Gottingae 1746. Sed meas cogitationes iam digeſſeram, cum elegantem hanc Exercitationem perlegere concederetur, quod et tum viro celeberrimo ſignificari curaui.

** Pro Θερινοὶ, MEIBOMIVS legebat Τυῤῥηνοὶ, coniectura non valde probabili. B. LA CROZIVS ad notas *Galei* in Demetrium, haec in codice ſua adſcripſerat. *Lego οἱ Θεώριμοι, quae vox eſt Graeco Aegyptiaca.* Ingenioſe profecto. Nam in Scriptis Chriſtianorum Coptorum Eccleſiaſticis, ⲐⲈⲰⲢⲒⲘⲰⲤ, *Theorimu*

ϱινοὶ * τὸ τοιȣ͂τον σεϐάζονται, σιγμοῖς τε καὶ ἐναέϱθϱοις καὶ ἀσυμφώνοις ἤχοις, συμϐολικῶς ἐπικαλȣ͂νται. Quae ita redduntur a GALEO: *Harmonia perſicit poteſtates operatrices, et diuinorum effectiuas. Quare Theurgici, cum ſanctiſſime colunt Numen aliquod, inuocant illud ſymbolice quidem, ſibylis tantum vtentes et poppyſmis, ſoniſque qui articulationes et conſonas non habent.* Tangit rem eandem auctor incertus, quem EVSEBIVS vnum è Sapientibus appellat, in [u] verſibus his, quos viri eruditi ſaepe adduxerunt, et explicare anniſi ſunt.

Ἑπτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γϱάμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέϱα.

Septem me vocales, Deum magnum immortalemque laudant
Literae, me, totius huius vniuerſi indeſeſſum patrem.

Loca haec legenti et inter ſe comparanti, vix aliud in mentem illico venire poteſt, quam intelligi hic [w] *ſeptem diſcrimina vocum,* quae veteres, forte primum Aegyptii, et ab his edocti Graeci, per vocales ſeptem deſignarunt. Et ſic [x] IS. VOSSIVS locum DEMETRII explicuit. Quod vti non nego, ita tamen, in ſacris hymnis, quibus Deorum laudes cantabantur, id commode locum habuiſſe, non arbitror. Quid quaeſo ad laudes Numinis conferre poteſt, ſeptem diſcrimina vocum cantando recitare, et continuo repetere? Subeſt ſine dubio rei huic myſterium aliquod, ex Theologia Aegyptiorum peti-

u. Apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. XI. c. VI.

w. VIRGILIVS Aeneid. VI. 646.

x. *De Poëmatum cantu*, p. 91.

ponitur pro *Theologo.* Verum dubium eſt, an vox talis apud reliquos Aegyptios in vſu fuerit. Haec cogitanti non poteſt non arridere correctio GALEI, qui pro Θεϱινοὶ, legit Θεȣϱγοὶ, acute profecto.

Celeberr. GESNERVS, modo laudatus emendat τὸ θȣ͂ον, vt ego quidem puto, vere et egregie.

petitum, et quod ex illo ipſo fonte hauſtum, Pythagoras poſtea Graecos docuit. Is etenim [y] *curioſe perdiſcens naturam, mundum dixit melos canere, et per harmoniam conſiſtere, atque is etiam motum, rythmum, et cantum ſeptem Stellarum, primus inuexit.* Rem hanc praeter alios, pluribus explicat HERACLIDES *Ponticus* in *Allegoriis Homeri*, ex quibus haec adſcribemus latine conuerſa. [z] *Similiter* * *Epheſius Alexander deſcribens quomodo erraticae Stellae ordine ferantur, de ſingulorum ſonis haec verba ſubdit:*

y. ORIGENIS *Philoſophumena* p. 27.

z. in THO. GALEI Opuſculis Mythologicis, etc. p. 426.

Omnes harmoniam reddunt concentibus vnam,
Dum ſonitus edunt diſtantes limite certo
Atque lyram pulſant ſeptenis ordine chordis.

Quibus haec ſubiungo ex VARRONIS *Atacini Chorographia:*

[a] *Vidit et aetherio mundum torquerier axe*
Et ſeptem aeternis ſonitum dare vocibus orbes.

Ea igitur de cauſa ſingulis his Planetarum orbibus, ſuam cuique literam vocalem aſſignarunt, ita v. g. [b] vt A, propria ſit Lunae, E, Mercurio, H, Veneri, I, Soli, O, Marti, Υ Ioui, et Ω denique Saturno, etſi tamen alii vocales has aliis Sphaeris attribuant. Ab Aegyptiis, vti et Pythagoraeis, ac Platonicis Philoſophis, id acceperunt Gnoſtici, in quorum Gemmis Abraxeis, ſeptem Vocales toties expreſſae conſpiciuntur, per quas nihil aliud deſignare voluerunt, quam quod in Mithrae Myſteriis ſeptem Portae ſubinnuunt, (§. XXIV.) ſeptem nempe Planetarum orbes, et per hos reditum animarum, ad

[a] ...mentis veterum Poëtarum Aſtronomicis a SCALIGERO inter *Catalecta* editis, et in officina Sant-Andreana repetitis, p. 162.

b. THO. GALEVS in notis ad Graecos Rheto-

* De his ALEXANDRI verſibus, conſule ſis, THOMAM GALEVM in notis ad Scriptores hiſtoriae Poëticae p. 149. et FABRICIVM ad *Chalcidii* Timaeum a ſe editum, p. 307.

res ſelectos p. 235. Quibus adde PLVTARCHVM de EI in Delphis p. 386. et CLEMENTEM *Alexandr.* Stromat. Lib. VI. p. 684.

ad coelum ſupremum, quo nihil eſt in hominum huius gregis Theologia celebrius. Non latuit hoc IRENAEVM, qui proinde arcanum iſtud Gnoſticorum dogma explicat Lib. I. cap. XIV. §. 7. Edit. *Maſſueti.* Iam nunc facilius, verus Epigrammatis illius ſenſus, cuius partem attulimus, perſpici poterit. Sic autem auctor illius incertus:

Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα.
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρῴδη
Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

Septem vocales me Deum magnum corruptionisque expertem laudant
Literae, me, totius huius vniuerſi indefeſſum parentem.
Sum autem ego lyra vniuerſi incorruptibilis, quae lyricos
Verticis coeleſtis modos concinnaui.

Per *ſeptem vocales* in Epigrammate hoc, intelligi poſſunt, vocales ipſae, a Sacerdotibus Aegyptiis, loco hymnorum, cantando proferri ſolitae, aut etiam, idque praetulerim, innuuntur ſeptem Planetae, per totidem vocales deſignati, et concentus eorum coeleſtis. Suſpicor ceteroquin, Epigrammatis huius auctorem, alumnum extitiſſe Scholae Gnoſticorum. Nam in *Poemandro* HERMETIS, cuius paginae fere omnes diſciplinam Gnoſticorum aperte redolent, locum verſibus nunc expoſitis valde ſimilem deprehendo, in haec verba conceptum. c Ὁ γάρ τοι κατὰ φύσιν μουσικὸς θεὸς, καὶ τῶν ᾠδῶν ἁρμονίαν οὐ μόνον ἐργαζόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄχρι τῶν κατὰ μέρος ὀργάνων τῆς οἰκείας μελῳδίας τὸν ῥυθμὸν παραπέμπων ἀκάματός ἐστιν ὁ θεός. *Etenim Deus, qui natura ſua eſt muſicus, quique cantuum* coeleſtium *non modo ipſe perficit concentum; ſed et rythmum*

c HERMES *Triſmegiſtus* in Poemandro p. 16. Edit. Graec. Turnebi.

pro-

propriae ſuae melodiae, ad ſingularia organa (ſeptem Planetas) *transmittit, Deus eſt indefeſſus.* Ad Sacerdotes Aegyptios, vt iam redeam, neſcio, an non ad illorum morem, Deos per cantum ſeptem vocalium celebrandi reſpexerit LVCIANVS, vbi Philopſeuden fingit narrantem, [d] *ſe in Aegypto Memnonem audiuiſſe, non vulgari illo modo, quo et alii audiunt ſonum quendam informem; ſed Oraculum ab eo, ore aperto, ſeptem verſibus* (ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ) *editum.* Mentitur ſine dubio Philopſeudes ille, quod et nomen eius iam ſic ſatis innuit; ſed vt ſolent etiam mendacia, aliquid ex vero trahere, veroſimile mihi quidem videtur, LVCIANVM in his alluſiſſe ad morem Aegyptiorum, de quo hic diſputauimus. Ludit autem in voce ἔπους, quod et *verſum*, et *vocem*; ſed et *literam vocalem* ſignificare poteſt, ſicuti in verſibus VARRONIS *Atacini*, ſupra laudatis, *voces ſeptem*, ſunt *ſeptem vocales*.

d. in *Philopſeude* Opp. To. II. p. 496. Edit. Salmur.

Idem etiam ex antiquiſſimo, in Aegypto, et Phoenicia, cultu Cabirorum, confirmatur.

§. XXVI. Nihil vero ea quae dixi, tam valde confirmat, atque *Cabirorum* cultus, qui ab vltimis temporibus, apud Aegyptios et Phoenices obtinuit. Cultum hunc Cabirorum Phoenices conſtituiſſe Beryti, diſcimus ex [e] vetuſtis eorum Monumentis. Erant autem *Cabiri* numero *ſeptem*, patre *Sadyco*, quem *iuſtum* interpretantur, progeniti, quibus deinde acceſſit *octauus*, ab ea re dictus *Eſmunus*. Fabula haec referenda vtique eſt ad antiquiſſima Phoenicum tempora. Reperimus vero etiam veſtigia illius, in monumentis Aegyptiorum, quae antiquitatem gentis huius ſapiunt vltimam. Templum certe *Cabirorum* Memphiticum in Aegypto, quod nemini fas eſſet ingredi, ſolo Sacerdote excepto, HERODOTVS memorat Lib. III. cap. 37. Et illos Aegyptiorum *Cabiros*, numero ſimiliter fuiſſe *ſeptem*, vel ex eo

e. SANCHVNIATHON apud EVSEBIVM Praep. Euang. Lib. I. c. X. p. 36. 37. 38. 39. DAMASCIVS in *vita Iſidori* apud PHOTIVM in Bibl. p. 1074. Adde GVTBERLETHVM de Cabiris cap. IV. et *Pantheon* noſtrum, Lib. II. c. VII. §. 12.

eo colligere licet, quod Aegyptii,* non ſecus atque Phoenices, habuerint et coluerint, [f] quem etiam lingua ſua patria dixerunt *Eſmunum*, id eſt *octauum.* Forte igitur *Cabiri*, numero quippe VII, ſunt *ſeptem* illi *Dei*, quos [g] MANETHO ait explere XVI. primas Aegyptiorum Dynaſtias. Ceterum, cum [h] Phoenices origine ſint Aegyptii, et poſt exitum ex Aegypto, in Phoenicia demum conſederint, liquet omnino, eos auita haec Sacra ab Aegyptiis accepiſſe, hos vero Sacris illis operatos ante iam fuiſſe, quam Phoenices ex regione ſua excederent. Cultum porro *Cabirorum*, originis eſſe Aegyptiacae, ex eo quoque confirmari poteſt, quod Sacerdotes Aegyptii perhiberent, [i] *Cabiros* ſuos *eſſe Vulcani filios.* Nam [k] ex *Vulcano*, vel, vti eum Aegyptii appellabant, *Phtha*, Deos reliquos omnes, interque hos maiores praeſertim, prodiiſſe, dogma erat Theologiae Aegyptiorum canae atque genuinae. Quem igitur Phoenices, dialecto ſua, quam adſciuerant, Cananaea, nuncupabant *Sydicum* (צדיק) *iuſtum*, eum Aegyptii, ſermone auito dicebant [l] *Phthas*, ϕⲑⲁϣ, id eſt, *omnia decernentem et ordinantem.* Neque vlla ratione dubito, quin gens vtraque, illa per *Sydicum*, haec per *Phthan*, vnum idemque Numen deſignare voluerint, aeternam nempe rerum omnium cauſam. Quod ad ipſum *Cabirorum* nomen attinet, illud fateor eſſe non Aegyptiacae, verum Phoenicicae originis, et a Phoenicibus ad Graecos perueniſſe. HERODOTVS loquens de Cabiris Aegyptiorum, nomen graecum, quod et alias fecit, adhibuit, et videtur id ab interpretibus Sacrorum graecis, [m] quos Pſammetichus inſtituerat, accepiſſe. Nomen antiquiſſimum Aegyptiacum nos hodie latet; verum Phoenicicum nomen indicare videtur, proprium id fuiſſe Planetis. Sunt enim *Cabiri*, quemadmodum Philologorum pleriſque placet, כבירים

f. Vide *Pantheon* noſtrum Lib. II. c. VII. §. 11. 12. 13. 14.

g. apud SYNCELLVM in Chronographia p. 18.

h. Vide *Pantheon*, loc. cit. §. 12.

i. HERODOTVS Lib. III. c. 37. HESYCHIVS in voce Κάβειοι.

k. Vide *Pantheon*, Lib. I. cap. II. §. 10. 11. cap. III. §. 8.

l. *Pantheon*, Lib. I. cap. II. §. 13.

m. HERODOTVS Lib. II. c. 154.

Cabirim, quaſi dicas *Deos magnos*, vel; vti [n] viro, de literis his optime merito placet גבירים, *Gebirim*, *Dii fortes et potentes*. Samothraces, qui inter Graecos fere primi Cabirorum Sacra receperunt, eosdem appellabant [o] Θεὃς μεγάλȣς, et θεὃς δυνατὃς, *Deos magnos* et *potentes*. Veteres enim credebant, nutu et motu ſeptem Planetarum, Deorum magnorum et potentium, omnia in mundo fieri ac adminiſtrari. [p] Apud Arabes etiam, vni ex his Planetis ſigillatim, Stellae nimirum Veneris, nomen iſtud כבר, (Graeci ſcribunt Χαβὰρ,) vſque ad tempora Muhammedis permanſit. Nihil igitur probabilius dici, cogitariue poteſt, quam ſeptem illos Aegyptiorum et Phoenicum Cabiros, ad quos deinde acceſſit *octauus* quis, ſiue *Eſmunus*, fuiſſe Planetas VII, cultu eximio in toto Oriente celebratos. Verum quis erit *octauus* ille, vel *Eſmunus?* Phoenices; ſed recentiores, vt puto, quos ſequitur [pp] DAMASCIVS, doctrinam de *Eſmuno* corruperunt, dum Sydico, poſt ſeptem filios, alium *octauum*, nempe *Eſmunum* natum eſſe tradiderunt. XENOCRATES vero, ſi eſt Carthaginienſis, [q] vt quidam literis prodiderunt, adeoque ex Phoenicum ſtirpe oriundus, credi poterit genuinam maiorum ſuorum hac de re doctrinam, ſic expoſuiſſe, [r] *deos eſſe octo, quinque qui in Stellis vagis nominantur: vnum qui ex omnibus ſideribus, quae infixa coelo ſunt, ex diſperſis quaſi membris, ſimplex ſit putandus Deus: ſeptimum Solem adiungit: octauamque Lunam.* Quaeri omnino poſſet, aſſecutusne fuerit CICERO, ex quo haec deſcripſimus, veram Xenocratis ſententiam. CLEMENS certe *Alexandrinus*, Scriptor maximi pretii, ſententiam illius talem refert, [s] *ſeptem quidem Deos Planetas, octauum vero, qui ex his omnibus conſtat, mundum.* Haec

n. RELANDVS in Diſſert. de *Cabiris*, quae eſt in Miſcellan. Part. I. num. V. §. 8.

o. VARRO de Lingua Lat. Lib. IV. p. 17. TERTVLLIANVS de Spectac. cap. 3. SERVIVS in Virgilii Aen. I. 382. et II. 269. MACROBIVS Saturn. Lib. III. c. 4.

p. SELDENVS de Dii Syris Synt. II. c. 4. Add. RELANDVM de Relig. Moham. p. 155. etc.

pp. Apud PHOTIVM, vbi ſupra.

q. CLEMENS *Alexandrinus* Admonitione ad gentes, p. 44. et Codices quidam MSS. DIOGENIS LAERTII Lib. IV. c. 6.

r. Apud CICERONEM de Nat. Deor. Lib. I. c. 13.

s. In *Protreptico* p. 44.

Haec illius ſententia, ſiue Xenocrates origine fuerit Carthaginienſis, ſiue Chalcedonenſis, Graecus, propius omnino accedit ad ſententiam Aegyptiorum veterum, dummodo ſubſtituas mundo, ipſius, vel rerum naturae almum parentem. Optime hanc Aegyptiorum doctrinam, in imagine ſymbolica, de qua et nos [t] in *Pantheo* diximus, ita expreſſit MARTIANVS CAPELLA: [u] *Ibi* (in ſolari circulo) *quandam nauim, totius naturae curſibus diuerſa cupiditate moderantem, cunctaque flammarum congeſtione pleniſſimam, et beatis circumactam mercibus conſpicatur. Cui nautae ſeptem, germani tamen ſuique ſimiles, praeſidebant in prora: — In eadem vero rate fons quidam lucis aethereae, arcaniſque fluoribus manans, in totius mundi lumina fundebatur.* Septem germanos quis non agnoſcat totidem Planetas, per quos mundum gubernari credebant veteres? Fontem vero lucis aethereae, in totius mundi lumina fuſum, non eſſe alium, quam *Phthan*, ſiue *Vulcanum*, [w] alio loco docuimus. Haec eſt antiquiſſima Deorum Aegyptiorum ogdoas, [x] non ſemel HERODOTO, et aliis etiam celebrata, quae primis idololatriae in Aegypto ſtabilitae Seculis, diu ſola obtinuit, et Deos omnes, ab illa gente cultos, vti auguror, complexa eſt. Et illius doctrinae Aegyptiorum priſcae, de cura totius vniuerſi, non Soli tantum, ac Lunae; ſed et Planetis V. reliquis a ſupremo Deo concreditae, [y] paſſim apud veteres veſtigia occurrant ſatis luculenta. Inde etiam videtur eſſe, quod [z] *octonarius numerus, primus cubus et perfectus, Vulcano dicatus* legatur, quod de Vulcano Aegyptiorum intelligo, cum VII. Planetis octonarium conſtituente. Initio quidem cultum VII. Planetarum, cum cultu veri Dei, aliquamdiu in Aegypto coniunctum fuiſſe arbitror. At enim, vbi cognitio et cultus veri Dei plane defeciſſent, loco illius, Planetis VII. tanquam octa-

t. Lib. I. c. IV. §. I.

u. In *Satyrico* Lib. II. p. 43.

w. In *Pantheo* Lib. I. c. IV. §. I.

x. Vide infra §. XXVIII.

y. Vide inprimis HORAPOLLINEM Lib. I. c. 13. vbi adde notas IO. CORNEL. de PAVW.

z. MARTIANVS CAPELLA Lib. VII. p. 242.

octauus additus videtur *Phthas*, ſiue *Vulcanus*; illo quidem tempore, quo Numen eius conſecratum fuit, *octauus* et vltimus, ſed dignitate et ordine primus.

§. XXVII. Non praeter rem mihi perſuadeo, me tot tamque idoneis argumentis probaſſe, cultum idololatricum gentis Aegyptiacae primum, non alium fuiſſe, quam cultum ſeptem Planetarum, vt ea de re ambigendi ratio grauioris momenti ſupereſſe nequeat. Sed qualis ille cultus fuerit, quando coeperit, an vbique per totam Aegyptum apud omnes, aut quam diu obtinuerit, id non facile quiſquam dixerit. Videtur cultui huic Planetarum, et *exercituum Coeli*, quemadmodum Scriptura loquitur, vbi aliquamdiu ſubſtitiſſet, alius deinde ſurrogatus fuiſſe. Herodotvs, qui in Aegypto, in rationes Sacrorum omnium tam auide inquiſiuit, eorumque origines, diligentia ſcrupuloſa ſcrutatus eſt, ac nihil prope intactum reliquit, de Planetarum Templis, Sacerdotibus, et Sacris, nihil quicquam tamen vnquam adfert. Eſtque etiam praeter eum, * vix Scriptor alius, qui de cultu Planetarum apud Aegyptios vel tantillum nos doceat. Nam vbi forte rem hanc attingunt, ſunt adeo ieiuni, adeo in generalioribus tantum ſubſiſtunt, vt nobis parum profecto, aut nihil omnino proſint. Primus etiam ille Deorum Aegypti octonarius, de quo §. XXVI. diximus, a tantum non omnibus longe aliter explicatur, de quo mox videbimus. Oportet igitur, vt primaeuae Aegyptiorum Theologiae, vel priſco Planetarum cultui, mox ſucceſſerit cultus alius, ſicuti etiam apud Graecos, cultum Planetarum, de quo vide §. XXIV, poſtea pepulit Theologia recentior, aut

De cultu Planetarum apud Aegyptios antiquiſſimo, vix aliquid memoriae proditum reperitur.

* Vide tamen quae obſeruantur in *Pantheo* Lib. III. cap. VI. §. I.

aut quemadmodum * apud Perſas, Sabaiſmum, id eſt cultum Aſtrorum, excepit religio Magorum, ab illo cultu penitus aliena, et haec ipſa quoque, ſucceſſiue, vnam alteramue reformationem atque mutationem experta eſt. Aut dici etiam non incommode poterit, Sacerdotes Aegyptios, culturam doctrinae de V. Planetis, ex qua vtilitas quaepiam ſingularis in vulgum redundatura non videbatur, ſibi reſeruaſſe, et doctrinam illam cognitioni plebis ſubtractam, ad vſum ſcientiae genethliacae adhibuiſſe, quod SYNESIVS [a] alicubi ſubinnuit, et aliunde ſatis notum eſt.

a. in *Encomio Caluitii* p. 73. Edit. Petauii.

Cultui Planetarum et octonarii primi, in Aegypto, ſucceſſit cultus octonarii ſecundi. De eo quaedam obſeruantur.

§. XXVIII. Priori itaque Deorum Aegyptiorum octonario, qui Planetas VII, eorumque Creatorem ac rectorem complectitur, alium ſucceſſu temporis ſubſtituerunt Sacerdotes, cuius paſſim mentionem fieri videmus. Octonarii huius, qui primus meminerit, eſt HERODOTVS. Ait autem, *octo Deos primos dici ab Aegyptiis*. Lib. II. c. 145. quippe *qui primi extiterint*, cap. 156. et *priores diis duodecim*. c. 46. *ex octo* enim *diis factos eſſe duodecim*, id eſt, ** vti HERODOTI mentem capio, primo quidem Aegyptii non coluere niſi octo deos, his vero poſtea adiecere quatuor, vt ſic ex octo duodecim emerſerint. Idem c. 145. obſeruat, Aegyptios tres conſtituere Deorum ordines, quorum primus *Deos* complectatur *octo*: ſecundus *deos duodecim*, qui ex octo facti ſint: tertius vero reliquos deos comprehendat, qui ex duodecim ſint facti, vel qui ad illos acceſſerint. In ordine octo primorum Deorum, Scriptor ille locat *Panem*, c. 46. et 145, et praeter hunc *Latonam*, c. 156. quibus tuto adiungere licebit *Vulcanum*, quem meliores Scriptores agnoſcunt Deorum,

* THO. HYDIVS de religione vet. Perſarum cap. I. p. 3.
** Sic etiam verba Scriptoris illius explicat CVPERVS in *Harpocrate* pag. 69.

rum, in Aegypto celebratorum, patrem atque Principem, cuique idcirco in Dynaſtia Deorum MANETHONIS, locus conceditur primus, ſicuti et HERODOTVS de eo non aliter, atque de ſummo Aegyptiorum Deo loquitur. Vtinam vero reliquorum etiam, ex octo illis Diis, nomina ſcripto conſignaſſet. DIODORVS *Siculus*, non quidem, quantum meminiſſe poſſum, numeri octonarii conceptis verbis mentionem facit; ſed Deos tamen, quos; ex Graecorum ſcilicet mente, in terra regnaſſe, aut honores ſaltem diuinos, poſt mortem conſecutos eſſe, ait, hos recenſet, [b] *Solem*, *Saturnum*, *Rheam*, *Iouem Ammonem*, *Iunonem*, *Vulcanum*, *Veſtam*, *et vltimum Mercurium*, qui ſunt numero *octo*, adeoque vix cuiquam dubium eſſe poteſt, quin loqui voluerit de eodem Deorum Aegyptiorum octonario, quem HERODOTVS toties praedicat. Sed vide tamen ingenium Graecorum recentiorum, quos Scriptor ceteroquin excellens hic ſequitur, et ex eo diſce, quam caute illi in rebus Aegyptiorum antiquioribus adhibendi ſint. Nam DIODORVS primo à Diis coeleſtibus aeternis diſtinguit Deos octo, tanquam illi compoſuerint ſecundum in choro Deorum ordinem. Sed HERODOTVS illis omnibus, tot Seculis antiquior, et de omnibus a Sacerdotibus ipſis edoctus; [c] nullos in Aegypto Deos agnoſcit, qui homines fuerint, et cum his vna in Aegypto vixerint; octo vero Deos, Deorum omnium, quos Aegyptii venerati ſint, primos principesque extitiſſe, ſaepius inculcat, ad hos vero reliquos, ſucceſſu demum temporis, acceſſiſſe. Deinde vero iſte Deorum octo catalogus, quem DIODORVS nobis ſubminiſtrat, non mediocriter ab illo differt, quem ex HERODOTO contexere licet. In hoc poſteriori numerabantur conceptis verbis, quod modo intelleximus *Pan* et *Latona*, eos vero in priori fruſtra quaeras. Et de

b. DIODORVS Lib. p. 12. fin. 13.

c. Vide ſupra §. XVIII.

de *Latona* quidem HERODOTI, ſuſpicari quis poſſet, eſſe eandem, cum *Rhea* aut *Veſta* DIODORI. Quod etſi mihi prorſus videatur a veroſimilitudine remotum, tamen, quia diſputationem longiorem poſtulat, ſuo loco nunc relinquo. Sed *Panem*, cc tam bene cognitum habuit DIODORVS, vt in eo aberrare non potuerit. Eum vtique nouerat, inter primores Aegyptiorum Deos, ſuum ſemper habuiſſe locum, et hunc locum tamen ei, in catalogo Deorum octo, quem ipſe exhibet, denegari videmus. Neque etiam ad excuſandum DIODORVM *dicere licebit*, eum loqui de ordine Deorum ſecundo. Nam octonarius, vti ex HERODOTO *diſcimus*, quod etiam aliunde confirmare poſſumus, complectitur primum principemque Deorum ordinem, quem ſequitur is, qui ex duodecim compoſitus eſt. Et an non id nomina quoque illorum octo Deorum, quos DIODORVS commemorat, aperte et citra ambages loquuntur? An non in illis apparent *Vulcanus*, ſiue *Phthas*, et *Rhea*, quo nomine Graecos nonnunquam *Athor*, ſiue *Venerem* Aegyptiorum, deſignare, d alio loco obſeruaui, ſola duo rerum omnium Principia, ſecundum veteres Aegyptios, actiuum alterum, alterum paſſiuum? An non, ne iam de aliis plura adiiciam, his permixtum videmus *Solem*, Deorum Aegypti omnium, poſt duo illa Principia, citra controuerſiam primum et maximum? His vero, quos DIODORVS nominat, alios facere priores, qui iisdem fere nominibus fuerint inſignes, quod ſane auctor ille fide aliorum refert, figmentum eſt Graecorum recentiorum, nuſquam niſi in eorum cerebro natum, quod confuſionem, quam ipſi in Theologiam Aegyptiorum inuehere conati ſunt, abunde prodit. Praetermittere hic non poſſum catalogum Deorum octo, quem MANETHO nobis reliquit.

cc. Vide *Pantheon* Lib. II. c. VII. §. 5. 6. 10.

d. Lib. II. c. II. §. 9.

Eius

Eius enim [e] Dynaſtia I. complectitur Deos et Semideos, vti ipſe loquitur, qui ante familiam Chami regnarunt in Aegypto, eoque diluuio priores extitiſſe iudicari debent; ſed re ipſa ad Aſtronomiam ſpectat, cycloſque eorum complectitur, quod [f] antehac iam monuimus. Dii illi et Semidei MANETHONIS, ſunt numero XVI, iique veroſimiliter, ex mente Sacerdotis huius Aegyptii, exhibent nobis Deorum ordines, primum, ſecundum, et tertium. Sed totus animi pendeo, ancepſque haereo, quodnam de Scriptoris huius, aut diligentia, aut peritia, aut accuratione, aut bona denique fide, iudicium ferre debeam. Nam in catalogo iſto, octo hi primum locum occupant, 1. *Vulcanus.* 2. *Sol*, Vulcani filius. 3. *Agathoddemon.* 4. *Saturnus.* 5. *Oſiris.* 6. * *Iſis.* 7. *Typhon.* 8. *Horus.* Quando MANETHO, primos in hoc ordine poſuit *Vulcanum* et *Solem*, ſecutus eſt Aegyptios antiquiores omnes, eorumque Monumenta fide digna. Reliqua vero peſſimi ſane commatis cenſenda ſunt. Nam quod attinet ad *Agathodaemonem*, Aegyptiis *Cnuphi*, vel *Ichonuphi* dictum, [g] erat is *Vulcanus* ipſe. Cognomen iſtud *Vulcani*, Graecis ante Alexandri M. aeuum, vix ac ne vix quidem cognitum erat; ſed a Ptolemaeorum temporibus, cum illud notionibus Graecorum non parum congruere videretur, celebre inprimis euaſit. Sed cur hic *Agathodaemon* diſtinguitur a *Vulcano*? Illi porro MANETHO ſubiungit *Saturnum*, quem re ipſa Theologia Aegyptiorum ignorat; ſed Graeci tamen nomine hoc [h] nonnunquam *Vulcanum* ipſum, [i] nonnunquam vero *Anubim* deſignant. Qui hunc excipiunt *Oſiris* et *Iſis*, ſunt vtique ex vero, Diis Aegyptiorum primoribus adſcripti. Sed neſcio, an ſatis

e. Apud SYNCELLVM in Chorographia p. 19.
f. Vide ſupra §. XIX.
g. Vide *Pantheon*, Lib. I. c. IV. §. 7.
h. *Ibidem* Lib. II. cap. I. §. 9.
i. Lib. V. cap. I. §. 8.

(E) 2

* In Textu graeco SYNCELLI hic eſt lacuna; ſed quam recte prorſus et bene expleuit VIGNOLIVS, in Chronol. Sac. Tom. II. p. 656. Eumque hic ſecutus ſum.

ſatis accurate *Oſiris* hic diſtinguatur a *Sole*, etſi tamen id aliqua ratione excuſari queat. At quoniam a *Sole*, *Oſiridem* diſtinguit, venia vix dignus videbitur MANETHO, quod *Oſiridem* octo Diis primoribus annumerauerit. Nam eum non modo non in primo Deorum ordine; ſed ne in ſecundo quidem ponit HERODOTVS Lib. II. c. 145. verum ad tertium deturbat. Idemque de *Iſide* pariter dicendum videtur, cuius rei rationem [k] ſuo loco exponemus. His deinde additur *Typhon*, quo iure viderit Sacerdos ille Aegyptius. *Typhonem* inter Numina Aegypti locum quoque habuiſſe, nemo negat, at certum mihi eſt, eum ad ordinem tertium relegandum eſſe. Supereſt vltimus *Horus*, quem inter Deos MANETHO locat octauum, eundemque tamen *Semideorum primum* nuncupat, quae ſibi inuicem repugnant. Etenim octonarius ſeu primus Deorum ordo, complectitur Deos Aegyptiorum Principes. *Semidei*, ſi modo aliquos antiqua et genuina Aegyptiorum Theologia agnoſcit, vtique ad claſſem vltimam reiiciendi erunt. HERODOTVS *Horo* inter Deos locum aſſignat, aitque [l] eum *inter Deos regnaſſe vltimum*, ſicuti etiam MANETHONIS Ogdoadem claudit. Sed re ipſa ad octonarium Deorum Principum non pertinuiſſe videtur. Dixi paulo ante, MANETHONEM fide peſſima *Agathodaemonem* ſeiunxiſſe a *Vulcano*, tanquam duo eſſent, non vnus. Idem de *Sole* et *Oſiride* obſeruaui. Sed extant in illa Dynaſtia, exempla ſimilis, negligentiae dicam, an infidelitatis? multo luculentiora, quae ab vnoquoque inter legendum deprehendi illico poſſunt. In hac Deorum ſerie, octauus dicitur *Horus*, duodecimus vero appellatur *Apollo*. Norunt autem omnes, qui ad res Aegyptiacas animum vel mediocriter tantum appulerunt, Numen illud idem, quod Aegyptiis dicebatur *Horus*, Graecos ſemper nuncupare ac interpre-

k. Lib. II. c. I.

l. Lib. II. c. 144. Adde DIODORVM p. 22.

tari

....pollinem. *Apollo* igitur Aegyptiorum, ab eorundem *Horo*, non niſi eo differt, quod priori nomine Graeci, poſteriori vero Aegyptii, ſermone vernaculo vſi ſint. Decimus tertius in ordine illo nomen gerit *Ammonis*, a quo diſtinguitur vltimus, qui nuncupatur *Iupiter*. Eſtne vero opus monere, *Ammonem* et *Iouem*, non eſſe niſi vnum idemque Numen? Quem Aegyptii *Ammonem* vocant, Graeci interpretantur *Iouem* vel Δία, nomen ceteroquin ſuae Genti, ſuaeque linguae proprium. Quid igitur de omnibus his dicemus? Num exiſtimabimus, diſcordiam Sacerdotum inter ſe, tales genuiſſe errores, cum alii hos, alii alios in primo Deorum octonario recenſeri voluerint? Verum id mihi quidem non facile quis perſuaſerit. HERODOTVS certe, qui totam Aegyptum itineribus emenſus erat, qui Templa celebriora omnia, tum in ſuperiori, tum in inferiori Aegypto, perreptauerat, et vbique de rebus ſacris cum Sacerdotibus diligenter contulerat, ſatis ſubinnuit, de primo Deorum octonario, ſententiam Sacerdotum omnium fere fuiſſe vnanimem. Si fuit forte diſcrepantia aliqua, illam nonniſi leuem fuiſſe oportuit. Rationem igitur praecipuam magni illius diſſenſus, qui MANETHONEM inter et Sacerdotes HERODOTI deprehenditur, repetendam eſſe arbitror, ab [m] interpretibus rerum ſacrarum graecis, quos Pſammetichus vbique inſtituerat, vt antiquitates patrias, Graecis percontantibus poſſent perſpicue exponere. Hi in interpretandis et graece reddendis Deorum nominibus Aegyptiacis, non raro a ſe inuicem differebant, quod ex indiciis nec paucis nec obſcuris, attentus quiuis veterum lector obſeruare facile poterit. Diſſenſum vero hunc interpretum, MANETHO, qui Ptolemaeis origine graecis, velificari modis omnibus cupiebat, quique in eorum gratiam Theologiam gentis ſuae, ad Graecorum Theologiam, quantum

m. HERODOTVS Lib. II. c. 154.

fieri poterat, accommodabat, in rem ſuam vertit, multisque ſymbolicum illud Deorum regnum tenebris inuoluit, etſi tamen conſilium iſtud ipſi non in vniuerſum ex voto ceſſerit: paucos namque inuenit, qui veſtigia eius legere ſuſtinuerint.

Octo illos Aegyptiorum Deos, quidam ex eorum Phyſiologia interpretantur.

§. XXIX. Neque etiam deſunt, qui ſacrum huncce Deorum Aegyptiorum octonarium, ex doctrina ipſorum Phyſica interpretari et explicare ſategerint. Eos inter numerare licet auctorem Inſcriptionis, vti iactatur, antiquiſſimae, quam in columna ipſe Saturnus et Rhea inſculpi curarunt, in haec verba conceptam: [n] *Antiquiſſimus omnium Rex Oſiris, Diis immortalibus, SPIRITVI, et COELO, SOLI, et LVNAE, et TERRAE, et NOCTI, et DIEI, et Patri tum eorum quae exiſtunt, tum quae futura ſunt, AMORI.* In hac Inſcriptione octo nominantur Dii, et totidem in illa commemorari, conceptis verbis teſtatur THEO, qui eam conſeruauit. Is ipſe quoque eam in rem adfert verſus hoſce Orphicos.

n. Apud THEONEM *Smyrnaeum* de Muſica c. 47. Vide et *Pantheon* Lib. I. cap. I. §. 12.

Ναὶ μὴν ἀθανάτων γεννήτορας αἰὲν ἐόντων
Πῦρ καὶ ὕδωρ, γαῖαν τε καὶ οὐρανὸν, ἠδὲ σελήνην.
Ἠέλιόν τε Φάνητα μέγαν καὶ νύκτα μέλαιναν.

Certe per immortalium genitores ſemper exiſtentium Deorum
IGNEM, AQVAM, TERRAM, COELVM et LVNAM
SOLEMque, PHANETEM magnum, et NOCTEM nigram.

Quibus iungendi hi, quos EVSEBIVS conſeruauit Praeparat. Lib. III. c. IX.

Πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ
Καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ, καὶ Ἔρως πολυτερπής.

IGNIS

IGNIS et AQVA et TERRA, et AETHER,
NOXque et DIES
Et METIS, primus genitor, et AMOR valde delectans.

Hinc illud Pythagoraeorum, cuius ex TARRHAEO meminit ZENOBIVS [o] in Prouerbiis. Πάντα ὀκτώ. Ἔυανδρος ἔφη, ὀκτὼ τοὺς πάντων εἶναι κρατοῦντας θεοὺς, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, Οὐρανὸν, Σελήνην, Ἥλιον, * Μίθραν, Νύκτα. *Omnia octo. Euander tradit, Deos rerum omnium potentes, octo eſſe, IGNEM, AQVAM, TERRAM, COELVM, LVNAM, SOLEM, DIEM, NOCTEM.* Eruditi facile intelligunt, haec eſſe ** placita Scholae Pythagoraeae, cui etiam pleraque, Orphicorum nomen prae ſe ferentia, in acceptis ferenda ſunt. Verum Pythagoras ipſe haec, vt plurima alia, ex diſciplina Sacerdotum Aegyptiorum, hauſit. Et certe placita haec originem habuiſſe Aegyptiacam, et pro talibus inter Graecos etiam habita fuiſſe, docet Inſcriptio, quam ex THEONE paulo ante in medium attuli: et docent ea, quae de numero Deorum octonario in Aegypto diſputaui. Hoc nempe modo Sapientes Aegyptiorum, nomina octo ſuorum Deorum ſymbolica, *Vulcani*, *Veneris*, *Panis*, *Latonae*, et reliqua, ex placitis ſuis Phyſiologicis interpretabantur, vt *Vulcanus*, v. g. eſſet *Spiritus*, *Venus* ſignificaret *Noctem*, et ſic porro, in qua nominum horum diuinorum interpretatione ac explicatione non tamen omnes inter ſe ſemper conſpiraſſe exiſtimandi ſunt. Habuerunt Aegyptii Sectas ſuas, non minus atque Graeci, etſi forte eorum diſſidia, vulgo non ita eſ- ſent

o. Centur. V. Prouerb. 78.

* Ex iis, quae hic diſputauimus, ſatis liquet, pro voce Μίθραν, quae ab hoc loco plane aliena eſt, legi debere Ἡμέραν, *diem*. Et ſic verti.

** Videri eam in rem poteſt MEVRSII *Denarius Pythagoricus*, cap. X.

ſent nota, Scriptisque prodita. Videtur ad eundem octonarium, phyſice explicatum ſpectare, quod apud SENECAM legimus *Quaeſt. Natur.* Lib. III. c. 14. *Aegyptii quatuor elementa fecere: deinde ex ſingulis bina, marem et foeminam. Aërem marem iudicant, qua ventus eſt: foeminam, qua nebuloſus et iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem omnem aliam. Ignem vocant maſculum, qua ardet flamma: et foeminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa cauteſque: Foeminae nomen aſſignant, huic tractabili ad culturam.* En octo Aegyptiorum elementa! quae totidem diis primoribus, octonarium conſtituentibus reſpondent. An vero vetuſtiores in Aegypto Sapientes, id ipſum, quod volebat SENECA, de octo elementis docuerint, in dubium nec immerito vocari poſſe reor. Eandem tamen de quatuor Principiis maribus, totidemque foemininis, doctrinam Aegyptiorum, IAMBLICHVS etiam tangit *de Myſter.* Sect. VIII. c. 3. *Eſt et alius Principatus apud Aegyptios, qui reſpicit elementa tota, per quae generatio efficitur, virtuteſque eorum; nam quatuor ſunt maſcula, totidemque foeminina, hunc Soli tribuunt, et alius Principatus totius naturae, generationem producentis, quem Lunae aſſignant.* Vides ex vltimis his teſtimoniis, octonarium Aegyptiorum ſacrum, a quibuſdam eorum Theologis Phyſicis, diuiſum fuiſſe in Quaternarios duos, ſicuti in Theologia Aeonum Valentiniana pariter, ex duobus Quaternariis exſurgit horum hominum Ogdoas prima et perfectiſſima. An talem Aegyptiorum Quaternarium in mente habuit TERTVLLIANVS? vbi *ad Nationes* Lib. II. cap. 2. *Aegyptiorum plerique,* inquit, *quatuor deos credunt, Solem et Lunam, Coelum et Terram.* Aut etiam MACROBIVS? cuius haec ſunt verba, *Saturnal.* Lib. I. c. XIX. fin. *Aegyptii deos praeſtites homini naſcenti quatuor adeſſe*

memo-

memorant, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, ἀνάγκην, *et duo priores Solem et Lunam intelligi volunt.* Non tamen inficias eo, poſtrema haec mihi videri ſcholas Graecorum Alexandrinorum ſapere.

§. XXX. Octonarium Aegyptiorum ſacrum, de quo diximus, ſubſecutus poſtea eſt, ordo ſecundus [p] *Deorum duodecim, qui ex octo prioribus facti ſunt.* Nam ad octo primores primosque Aegyptiorum deos, aliquo tempore interiecto, additi ſunt quatuor alii, qui cum prioribus coniuncti, numerum duodenarium conſtituunt. Sunt hi ſine dubio duodecim illi Dii, quorum ſimulachra, in Templo Ammonis Thebaeo conſecrata, cultuque diuino honorata fuiſſe, [q] veteres perhibent. Vnum ex quatuor illis Diis, qui ad octo priores poſtea adiecti ſunt, *Herculem* ſcilicet, HERODOTVS aliquoties nominat, et ex eo, quinam ſint reliqui, non inepte concludere licet. *Hercules*, vel [r] Aegyptiace ϫⲱⲙ *robur*, aut plenius ϫⲱⲙ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ, *robur*, vel *virtus Deorum*, potuit [s] nomen eſſe vero Deo ab Aegyptiis tributum. Poſtea, ſi coniicere fas eſt, nomen ſymbolicum, aut cognomen euaſit Solis, in Thebaide. Nam cultum Herculis Aegyptiorum, in ipſorum regione, antiquitatis eſſe vltimae, atque anteceſſiſſe aduentum Iſraëlitarum in Aegyptum, tum ex Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS, tum [t] ex nomine Prouinciae *Goſen*, mihi quidem certum eſt. Cum vero poſt id temporis, eundem ad ſecundum ordinem Deorum Aegyptiorum redactum fuiſſe videamus, id aliter commode explicari non poſſe videtur, quam dicendo, *Herculem* illum, initio quidem, poteſtatem Solis in vniuerſum omnem ſymbolice deſignaſſe, cuius generis poſtea *Oſiridis* nomen fuit, labentibus vero annis, nomen illud idem ſymbolicum, ad certam

Ex octo primoribus Aegyptiorum Diis, ſucceſſu temporis, facti ſunt duodecim, de quibus coniectura noſtra proponitur.

p. HERODOTVS Lib. II cap. 43. 46. 145.

q. Vide *Pantheon* Lib. II. c. II. §. 4.

r. Lib. II. c. III. §. 4.

s. Supra §. VIII.

t. Ea de re pluribus diſſerui, in Diſſertatt. *de Terra Goſen.* Diſſert. VII. e VIII.

quandam, atque ſingularem tantum Solis poteſtatem, et ad terram noſtram relationem, ex conſilio Sacerdotum fuiſſe reſtrictam. Priora illa quae de Hercule, Solis in vniuerſum vim ac poteſtatem olim ſubinnuente, diximus, etſi iis [u] MACROBIVS non parum faueat, ex nexu rerum coniicimus tantum; poſtremum vero, quod loco vltimo aſſeuerauimus, certo ſcimus. Et [w] ſuo etiam loco, argumentis idoneis oſtendimus, Herculis Aegyptii Numen, ad initium temporis et annorum Aſtronomicum, ac ad aequinoctium vernum ſic relatum fuiſſe, vt eius cenſeretur ſymbolum. Quandoquidem igitur Aegyptiorum Hercules, vnus eſt ex quatuor illis diis aduentitiis, qui ad priores octo poſthaec acceſſerunt, ex doctrina autem Sacerdotum Aegyptiorum, ſymbolum cenſeri debet Solis, aequinoctium vernum efficientis, iure id mihi poſtulare videor, vt concedatur, reliquorum trium eſſe eandem rationem. Sunt nempe quatuor dii, quos ad priores adiicere placuit Sacerdotibus Aegyptiis, totidem Symbola quatuor temporum, mutationum, et viciſſitudinum, quas motu annuo Sol in aequinoctiis, et ſolſtitiis efficit, et ex quibus innumerabilia in terram noſtram commoda et beneficia redundant. Quatuor illa Symbola, in Theologia Aegyptiaca nominari *Ammonem*, (ac certo quodam reſpectu *Herculem*,) *Horum*, *Serapim*, coeleſtem nempe, et *Harpocratem*, [x] ſuis locis, fide dignis veterum teſtimoniis adſtruximus. Num haec ipſa nomina, in principio iſtius inſtitutionis, adhibita iam fuerint, et ab omnibus Sacerdotum Collegiis, per Aegyptum totam recepta, non abs ratione ambigi poteſt. Sed ea de re diſputare iam nolim. Sufficit vero videri ſimillimum, Symbola quatuor temporum, de quibus loquimur, eo tempore a Sacerdotibus conſecrata fuiſſe, quo ad Deos octo primos, quatuor alios adiunxerunt.

u. Lib. I. Saturn. cap. XX.

w. Lib. II. cap. III.

x. Lib. II. cap. II. III. IV. V. VI.

xerunt. Ad quatuor haec viciſſitudinum Solis in anno Symbola, videmus attemperata etiam fuiſſe maiora et ſolenniora, quae in honorem Deorum ſuorum Aegyptii concelebrarunt, Feſta. Id y ſpeciminibus quibuſdam olim editis, probare et illuſtrare annisus ſum, eandemque rem in *Pantheo* paſſim attingo. Facile etiam probari poteſt, eadem haec Feſta, fuiſſe omnium gentium cultiorum, antiquiſſima, ſanctiſſima, et omnium religioſiſſime celebrata. Sed ad alia pergendum mihi eſt.

y. *Miſcellan. Berolin.* To. VI. p. 139. etc. To. VII. p. 373. etc. et p. 406. etc.

§. XXXI. Supereſt ordo Deorum Aegyptiorum vltimus, de quo HERODOTVS Lib. II. c. 145. ſequentia literis conſignauit. *Apud Aegyptios Pan vetuſtiſſimus eſt, etiam ex octo Diis, qui primi dicuntur: Hercules vero ex iis, qui ſecundi, numero duodecim: Bacchus vero ex iis, qui tertii dicuntur, qui ſunt ex illis duodecim facti.* Qui hic vocatur *Bacchus*, Διόνυσος, ſtylo z HERODOTI, aliorumque Graecorum, is eſt Aegyptiorum *Oſiris*, eumque Scriptor peruetuſtus ait eſſe in ordine Deorum tertio, adeoque vltimo, eorum nempe, qui ex duodecim facti ſunt, vel quos duodecim diis ſuperaddere, eorumque choro adiicere, Sacerdotibus viſum eſt. Quando hiſtoriae pater affirmat, Oſiridem eſſe in vltimo Deorum Aegyptiorum ordine, id non de dignitate et honore, quo apud Aegyptios fuit, intelligi poteſt. Docet potius ille ipſe verbis diſertis, a ſolos Oſirin et Iſin, ab Aegyptiis omnibus, ſummo aequalique honore coli atque celebrari. Et ſane res haec ſic iam ſatis nota eſt, omnibus antiquitatum Aegyptiacarum ſtudioſis. Oſiris erat Deorum viſu et ſenſu percipiendorum omnium Princeps, et quidam veluti rex, vt qui reliquorum virtutes, poteſtatem, et efficaciam in ſe vno complecteretur. Commodum igitur ſenſum, id quod HERODOTVS de Oſiride affirmat, non patitur, niſi id de

De ordine Deorum Aegyptiorum vltimo.

z. Lib. II. c. 144.

a. Lib. II. c. 42.

de tempore intelligas, quo placuit Sacerdotibus, nouum aliquod Symbolum *Solis*, ſub nomine *Oſiridis* conſecrare. Et ita res omnino ſe habet. Eam nobis declarat fabula Sacerdotalis, quam [b] alio loco attulimus, et paucis explicuimus. Subinnuitur nempe fabula illa ſacra, conſtitutio anni Aegyptiorum vagi, cui, cum antea non plures, quam 360. dies complecteretur; Sacerdotes quinque alias addiderunt, dictas idcirco ἐπαγομένας. Et quia ſecundum fabulam illam aenigmaticam, vna cum horum dierum inſtitutione, nati ſunt *Oſiris*, *Arueris*, *Typhon*, *Iſis*, et *Nephthys*, non abſurde inde colligimus, quod et ante nos, [c] doctiſſimum quendam in Anglia Theologum obſeruaſſe deprehendimus, illo demum tempore, quo annum ſic ordinarunt Sacerdotes, eoſdem quoque noua Numina ſymbolica confinxiſſe, eaque populo, religioſa iam dehinc veneratione celebranda, propoſuiſſe. Sic videmus fabulae huic, cum teſtimonio HERODOTI egregie prorſus conuenire, eaque ſe mutuo illuſtrare. Antea ⲪⲢⲎ, *Sol* magnum erat gentis Aegyptiacae Numen, cuius etiam in hiſtoria Ioſephi Patriarchae, Scriptura Diuina mentionem facit. §. IX. Poſtquam vero anni forma, ad Solis motum magis accommodata, et ſic temporum ratio ex conſilio Sacerdotum ordinata eſſet, in memoriam, vt credere par eſt, tanti euentus, ſepoſito paulatim ſimplici et proprio *Solis* nomine, coeleſti huic lumini, nouum nomen ſymbolicum *Oſiridis* tribui placuit, quod [d] *effectorem*, vel *Patrem temporis* deſignat.

Eodem tempore *Luna*, [e] dicta prius, vt arbitror, ⲠⲒ-ⲒⲞϨ, et ſub hoc nomine culta initio, accepit aliud, *Iſidis* nempe, quod celeberrimum deinde euaſit. Diis hiſce additi tum alii quoque, quorum

b. Lib. II. c. I. §. 9. 16.

c. SCHVCKFORD *hiſtoire du monde* To. II. p. 278.

d. *Pantheon* Lib. II. c. I. §. 14.

e. *Ibid.* Lib. III. cap. I. §. 2. 3.

illa

illa fabula mentionem iniicit. Factum hoc eſt, [f] regnante Heliopoli *Aſetho*, anno poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, 320. [g] *ſub eadem* illo Aſetho *Taurus Memphiticus, in Deorum numerum relatus, dictus fuit Apis.* Qua de re aliquid dicemus Lib. IV. cap. II. §. 15. Ex omnibus his ſatis tuto colligi poſſe auguror, eodem hoc tempore, Religionem atque Theologiam Aegyptiorum, ſaluo tamen diſſenſu qualicunque, qui inter varia Sacerdotum Collegia, in nonnullis remanſit, ordinatam conſtitutamque fuiſſe, et vltimum quaſi complementum adeptam eſſe, ac in eo etiam fere ſtatu, vſque ad Perſarum, et Ptolemaeorum Graecorum tempora perſeueraſſe. Illam nobis vtcunque deſcripſit HERODOTVS, et in eadem quoque fideliter pro viribus depingenda, et explicanda, verſabitur noſtrum *Pantheon.*

f. *Pantheon* Lib. II. c. I. §. 16.

g. EVSEBIVS apud SYNCELLVM p. 123. et in graecis Scaligerianis p. 23.

§. XXXII. Ea de quibus hucuſque diſſeruimus, obiectum conſtituunt cultus idololatrici Aegyptiorum verum, proprium et primarium, ad quod cultus huius populi omnis per ſe, et vltimo, referebatur. Vnicum excipio taurum Memphiticum, quem *Apim* nuncupabant Aegyptii, de quo §. XXXI. Nam in eo, non animal hoc ipſum Niligenae reuerebantur, ſed illum, cuius erat imago ſymbolica, Nilum nempe fluuium, quod Lib. IV. cap. II. *Panthei* pluribus perſequimur. *Aegyptii*, inquit [h] PORPHYRIVS, *non alios ponunt Deos, praeter vulgo dictos Planetas et Zodiaci ſigna.* —— *Videbat quippe Chaeremon*, Sacerdos Aegyptius, *qui Solem vniuerſi architectum dicerent, ab illis non ea tantum, quae ad Oſiridem Iſidemque pertinent, ſed etiam quicquid ſacrarum fabularum erat, partim in Stellas, et earum conſpectus deuolui, partim ad Lunae modo creſcentis, modo ſeneſcentis varietatem, partim in Solis curſum, vel in diurnum, aut nocturnum hemiſphae-*

Obiecta cultus Aegyptiorum ſenſibilia, erant Sol, Luna, et Nilus, ad quorum Numina referebantur reliqua.

h. in *Epiſtola ad Anebonem*, praemiſſa IAMBLICHO de Myſteriis p. VII.

miſphaerium, vel in Nilum fluuium referri. Vno verbo viſibiles Aegyptiorum Dii, quos tota Gens, iuxta Sacerdotum praeſcripta, aut cultu ſolenni, aut priuata etiam religione venerabantur, erant *Sol*, et *Luna*, tum in ſe ſpectati, tum etiam in diuerſis effectibus, quos in mundo procurant, *Aſtra* porro *Coeli*, quorum tamen cultus, religioni Sacerdotum maxima ex parte, videtur reſeruatus fuiſſe, ac denique *Nilus* fluuius, cui Aegyptiorum gens, Patriae ſuae fertilitatem, et quae ex illa ad ſe perueniebant bona et commoda, in acceptis ferebant. Ad hos, quos dixi, Deos, reliquos omnes, religione patria ab Aegyptiis conſecratos et cultos, referendos eſſe, *Pantheon* noſtrum planum faciet et perſpicuum.

Praeter obiectum illud cultus Aegyptiorum primarium, eſt quoque aliud; ſed improprium, ſecundarium et relatiuum.

§. XXXIII. Praeter illud vero cultus Aegyptiorum, de quo modo loquebamur, Obiectum verum, proprium et primarium, aliud quoque religione ipſorum conſecratum fuiſſe, deprehendimus, quod vocare poſſis improprium et ſecundarium, quoniam cultus ipſi oblatus, non ad illud proprie; ſed ad aliud, cuius erat tantum Symbolum, aut imago, referebatur. Dicendum id eſt de animalibus, quae religio Aegyptiorum volebat eſſe ſacroſancta et penitus inuiolabilia. Haec ab illa gente honore et cultu diuino afficiebantur, etſi cultum hunc Graeci, Romani, Perſae, et haud dubie aliae quoque gentes politae, magnopere admirarentur, ſed et indignarentur, ac riſu contemtuque extremo proſequerentur. Praeter animalia ſacra, habuerunt Aegyptii alia quoque ſigna memorialia, et imagines Numinis diuini ſymbolicas, quas non, vt natura ſua, diuinas, cultu proprio et primario; ſed vt tenues diuinitatis vmbras ac memoracula, cultu tantum ſecundario, et, vt loqui ſolent, relatiuo, proſequi voluerunt. Non aliter ea de re illi ſenſerunt, atque inter Graecos, meliores eorum Philoſophi,

quo-

quorum ſententiam Scriptor quidam egregius in his expreſſit: [i] *Deorum naturae, nec ſtatuis per ſe, nec imaginibus eſt opus, ſed cum infirma ſit oppido mortalium conditio, tantumque a diuina, quantum a coelo terra, recedat, ſigna eiusmodi excogitauit ſibi, quibus et nomina et nuncupationes tribueret deorum. Si quibus igitur tam firma eſt memoria, vt erecto ſtatim animo, coelum vſque ipſum poſſint pertingere, Deumque recta adire, nihil illis fortaſſe opus ſit ſtatuis. Verum rariſſimi inter homines ſunt huiusmodi, et non facile in numeroſa plebe quenquam inuenias, qui diuinae ſemper meminerit naturae, nec eiusmodi egeat ſubſidio. Ita pueris, qui elementa addiſcunt prima, tenues quaſdam magiſtelli notas ſolent praeſcribere, ad quas manu deducant eos, donec paulatim memoriae beneficio, arti inſueſcant. Videntur certe et legislatores mihi non aliter, quam puerorum gregi, has generi mortalium inueniſſe imagines: honoris diuini quaſi ſigna quaedam vel notas, queis ad memoriam eius tanquam manuductione quadam et via homines deducerent.* Ideo Chriſtianis olim, Gentilibus vanitatem et impietatem cultus ſimulachrorum exprobrantibus reſpondere conſueuerant ſimulachrorum aſſertores: [k] *non ignoraſſe antiquos, nihil habere Numinis ſigna, neque vllum omnino ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atque imperitum vulgus, —— ſalutariter ea conſilioque formaſſe, vt velut quadam ſpecie obiecta his Numinum, abiicerent aſperitatem metu, arbitratique praeſentibus ſe ſub diis agere, facta impia deponerent, et ad humana officia morum mutatione tranſirent.* Et quae plura ibi ſequuntur. Eodem modo hodieque Sapientes Indorum rationes ſubducere ſolent, [l] *prudentes imaginibus opus non habere, neque eas adorare; at rudes et ſimplices iiſdem admoneri poſſe, vt de Deo cogitent.* Ob eandem quoque rationem primaeuos in

i. MAXIMVS TYRIVS, Diſſert. XXXVIII. p.452. Edit. Oxon. 1677.

k. ARNOBIVS aduerſus Gentes Lib. VI. p. 208.

l. Relationes Miſſionariorum Danicorum in India, Con-

tinuat. LXX. p. 1752. in Aegypto Sapientes, poſtquam cogitationibus et figmentis propriae mentis, ſe totos permiſerunt, excogitaſſe ſigna quaedam diuinitatis memorialia, et delineationes ſymbolicas, non eſt quod dubitare queam. Sed cuiusnam generis fuerint illa ſigna, paulo diſtinctius nunc diſpiciamus.

Eo ſpectant obeliſci, imagines Solis apud Aegyptios antiquiſſimae.

§. XXXIV. Prima Aegyptiorum Templa, ſicuti fere gentium omnium antiquiſſima, ſimulachris plane nullis inſtructa fuiſſe, [m] Scriptores non de triuio memoriae prodiderunt. Pro ſtatuis, ſignis, et imaginibus, principio Aegyptiis erant, niſi admodum fallor, obeliſci, in quibus poſtea res geſtas regum ſuorum, aut quae ad cultum Deorum ſpectarent, inſculpi curarunt. Verum primus, vt dixi, hicce videtur fuiſſe eorum vſus, vt radios ſolares, tanquam in imagine aliqua imitarentur, ac ſplendidi iſtius luminis coeleſtis, eſſent quaedam ſigna memorialia. Non ignorant eruditi, in cultu idolorum antiquiſſimo, columnas lapideas, et lapides omnis generis apud gentes plurimas, primum tenuiſſe locum. Tales ſunt *columnae*, abuſu idololatrico pollutae, * quarum in antiquiſſimis S. Scripturae tabulis mentionem fieri videmus. Si veteres nonnullos audimus, [n] *Aſſyrii primi erexerunt columnam Marti, eumque inter Deos coluerunt.* In Laconia, quod ſupra iam monuimus, §. XXIV, PAVSANIAS vidit *ſeptem columnas antiquo ritu erectas, quas incolae dicerent* VII, *Planetarum eſſe ſigna.* Pharis, vrbe Achaiae, [o] *lapides erecti erant, fere triginta, figura quadrangulari, quas incolae venerabantur, ſingulos certis deorum nominibus appellantes. Et ſane* Grae-

m. LVCIANVS de Dea Syria p. 877.

n. Auctor *Chronici Alexandrini*, p. 89. Adde HYDII Relig. vet. Perſ. p. 64.

o. PAVSANIAS in *Achaicis*, cap. XXII. p. 579.

* *Leuitici* c. XXVI. 1. *Deuteron.* XVI. 22. Vide ibi Commentatores, et EDVARD. POCOCKIVM in *Hoſeae* III. 4. nec non SELDENVM de Diis Syris Prolegom. cap. 3. p. 49.

Graecis olim omnibus patrium fuit, *rudes lapides pro Diis, perinde ac ſimulacbra ipſa colere.* Apud Arabes, quorum religio cum Aegyptiaca affinitatem habet non leuem, Dyſares, maximum Numen, p *lapis erat niger*, *quadratus*, *informis*, *quatuor pedes altus*, *duos latus*, quem ſe vidiſſe teſtatur MAXIMVS TYRIVS Diſſert. XXXVIII. p. 459. Conſimiliter Deus Amazonum, cui omnes Sacra faciebant, nihil erat, niſi q *lapis niger*. Veneris vero Paphiae ſimulachrum vetuſtiſſimum, r *albae Pyramidi diſſimile non erat*. Et eadem ſpecie in hodiernum vſque diem, apud Indos s ſimulachrum fingitur *Mahadeu*, id eſt *Dei magni*. Eandem t Pyramidis figuram vel Obeliſci, videtur habuiſſe *Elagabalus*, quo nomine *Sol* in Syria ab Emeſenis colebatur. Et huic quidem vſui primi etiam, quos Aegyptii erexerunt, Obeliſci, videntur deſtinati fuiſſe. u *Primus* certe *omnium*, Obeliſcorum erectionem *inſtituit Mitres*, *qui in Solis vrbe regnabat*, *ſomnio iuſſus*. —— *Poſtea et alii regum in dicta vrbe*. *Solis vrbs*, graece *Heliopolis*, nomen ex re ipſa ſumſit, quod prima in Aegypto, cultus ſolennis, decreti Solis Numini, viderit initia, §. IX. Et eadem illa primos quoque vidit erectos in Aegypto Obeliſcos, neque etiam dubito, quin vtriusque iſtius rei primordia, in idem fere tempus inciderint. Fauet ſententiae noſtrae, ipſa etiam Obeliſcorum forma, quae talis eſt, vt imaginem radii ſolaris referat. Hinc veteres Graeci Romanique, Pyramides, quas Aegyptii ad imitationem Obeliſcorum poſtea conſtruxerunt, hunc in modum deſcribere ſoleant, quod ſint w *regum Aegyptiorum ſepulchra*, *ingenti mole conſtructa*, *et in cacumen educta*, *in modum flammae ſurgentis*, *vnde et nomen acceperunt*. Graeculi nempe nomen πυϱάμιδος ſolent ἀπὸ τȣ̃ πυϱὸς deriuare, non aliter ac ſi

p. SVIDAS Θεὺς Ἄρης.

q. APOLLONIVS *Rhodius* Argonaut. Lib. II. 1176.

r. MAXIMVS TYRIVS p. 459.

s. PET. DEL LA VALLE Itinerar. Part. IV. p. 83. fin. 90. 301. etc. ex verſione Gallica.

t. HERODIANVS Lib. V p. 114. Ed. Steph.

u. PLINIVS Hiſt. Natural. Lib. XXXVI. c. 8

w. *Scholiaſtes Horati* in Carmin. Lib. III. Od ult. p. 211. AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXII. p. 25[illegible]

ſi a Graecis nomen hoc Aegyptii mutuati eſſent. Et in genere [x] PORPHYRIVS obſeruat, *pyramidas atque obeliſcos ignis naturae, conum vero,* (qui ad ſpeciem Obeliſci accedit,) *Soli tributum*, et dedicatum ab antiquis fuiſſe. Propius ad rem noſtram ſpectat, quod TERTVLLIANVS, ex Scriptore rerum Aegyptiacarum * HERMATELE, nos docet: [y] *Obeliſci enormitas, vt Hermateles adfirmat, Soli proſtituta: Scriptura eius, vnde eius et cenſus, de Aegypto ſuperſtitio eſt.* Quod ex eo illuſtratur, quod veteres literis prodiderunt, [z] Obeliſcum *Deo Soli ſpeciali munere dedicatum* fuiſſe. Verum omnium optime et clariſſime rem hanc exponit PLINIVS, vbi de Obeliſcorum origine et vſu differit. [a] *Trabes,* inquit ille, *ex Syenite lapide, fecere reges quodam certamine, obeliſcos vocantes, Solis Numini ſacratos. Radiorum eius argumentum in effigie eſt, et ita ſignificatur nomine Aegyptio.* Redit hic in memoriam elegans obſeruatio, Beati mihique amiciſſimi LA CROZII, quam cum aliquando de Pyramidibus, ac ſigillatim illo PLINII loco, quem deſcripſi, confabularemur, mecum communicauit, et quam lectori, rerum harum ſtudioſo non inuidebo. Cum enim PLINIVS nos docuerit, obeliſcos eſſe *effigies radiorum Solis*, ac praeterea *id* ipſum *ſignificari nomine Aegyptio*, ex eo vir ſummus concludebat, Obeliſci nomen antiquiſſimum apud Aegyptios fuiſſe *Pyramis.* Etenim ΠΙ-ΡΗ, *Pi-re*, vel *Pi-ra*, Aegyptiis dici *Solem*, tritum vulgatumque eſt. Deinde ⲘⲞⲨⲈ, *Mu-e, ſplendorem* et *radium* deſignat, *ἀπαύγασμα.* Hebr. I. 3. Erit itaque ΠΙ-ΡΗ-ⲘⲞⲨⲈ, *Pi-ra-mu-e,*

Auctor *Etymologici*, in voce πυραμίς.

x. Apud EVSEBIVM Praepar. Lib. III. c. VII.

y. *de Spectaculis* cap 8. p. 93. Edit. Rigalt.

z. AMMIANVS Lib. XVII. p. 100.

a. Hiſt. Natur. Lib. XXXVI. c. 8.

* PLINIVS Scriptorem iſtum vocat DEMOTELEM Lib. XXXVI. c. 13.

mu-e, *radius Solis*, quod nos docere PLINIVM vidimus. Graeci id efferre conſueuerunt πυραμίς, cum proprie et verius ſcribendum fuiſſet πιραμύς. Sed Graeci, quod modo vidimus, vocem hanc ἀπὸ τȣ̃ πυρὸς ab *igne* deriuantes, non poterant non ſcribere πυραμίς. Aegyptii igitur Obeliſcis primo *Pyramidum* nomen indiderunt, quod in effigie quadam *radios Solis* imitarentur: deinde illud idem ad ſtructuras molis amplioris, quas proprie *Pyramidas* vocant, etiam transtulerunt, quod et hae aliquam radiorum Solis ſpeciem ſeruarent, quamuis earum alius eſſet vſus.

Obeliſcis ſucceſſiſſe videntur animalia viua, ſymbolicae Deorum imagines.

§. XXXV. Cultui lapidum inanimium, quem forte pepulerunt conſtructae in aliis Aegypti partibus Pyramides, Regum futurae ſepulchra, ſucceſſiſſe arbitror cultum animalium viuorum, quibus, niſi me opinio fallit, Aegyptiorum Sapientes, virtutes poteſtatemque Numinis diuini, melius et luculentius adumbrari poſſe crediderunt, quam lapidibus, vita omni priuatis. Illis profecto, qui cultum illum, in tota antiquitate adeo famoſum, primi inſtituerunt, id conſilii fuit, vt animalia religione conſecrata, eſſent quaedam [b] μιμήματα τȣ̃ θεȣ̃, [c] *Deorum imagines viuae*, vel [d] *figurae et allegoriae virtutum quarundam, quibus adiutricibus regatur humanum genus*, ſiue, vt loquitur [e] quidam rerum harum non imperitus, *diuinae potentiae effigies quaedam, ſicut Solis imagines in ſtillis aquae conſpiciuntur*. Et profecto, res ipſa id ſatis declarat. An non *LEO* ſymbolum et imago allegorica apud Aegyptios cenſebatur *Vulcani* et *Solis*? *Vacca Iſidis* et *Veneris*? *accipiter* tum *Oſiridis*, tum *Hori*? *felicis* Dianae, ſiue *Bubaſteos*? Erant igitur animalia ſacra omnia, ex mente et ſententia Aegyptiorum, ſymbola et imagines quaedam viuae Numinis diuini, et adumbrationes tenues virtutis illius, illius poteſtatis et operationis, quam in eo mor-

b. PORPHYRIVS de A[illegible] ſtin. Lib. IV p. 372. etc.
c. HYGINVS Poët. Aſtron. Lib. II. c. 28.
d. Pſeudo-CLEMENS Recognit. Lib. V. c. 21.
e. PLVTARCHVS *de Iſide* p. 380. fin.

tales reuerentur. Eam ob cauſam LVCIANVS, ingenioſiſſimus Scriptor, cultum ab Aegyptiis offerri ſolitum animalibus, f refert ad αἰνίγματα. In Templis igitur Aegyptiorum plerisque, vſum eundem hominibus praeſtabant animalia viua, quem in Templis Graecorum, ſimulachra, ſigna, et imagines Deorum inanimatae. Hinc illae Cottae Academici, g apud CICERONEM voces. *Firmiores videas apud* Aegyptios *opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quam apud nos de ſanctiſſimis Templis et ſimulachris Deorum.* Eandem ob rationem vota et preces Aegyptiorum, animalia venerantium, referebantur, non tam ad animalia ipſa, quae habebant tantum pro imaginibus diuinitatis, verum h ad Numina illa ipſa, quorum cenſebantur ſymbola. Conſentiunt cum iis quae dixi, deſcriptiones Templorum Aegyptiorum, quae apud Scriptores optimos reperiuntur. Illa enim erant i *pulcherrima et magnitudine ampliſſima, ex marmore praeſtantiſſimo conſtructa, et ornata, auroque et picturis diſtincta. Si vero intus in adyto quaereres Deum, ſimia in oculos incurrebat, vel Ibis, vel hircus, vel felis.* STRABO etiam praeſtantiora, quae tempore ipſius in Aegypto ſupererant Templa, quorumque ipſe pleraque oculis vſurpauerat, diligenter enumerat, et quodnam in vnoquoque animal eo modo cultum fuerit, obſeruat, Lib. XVII. *Geographiae.*

f. In *Deorum Concilio*, Opp. To II. p. 956. Edit. Salmur.

g. *De natura Deorum*, Lib. I. c. 29.

h. HERODOTVS Lib. II. c. 65.

i. LVCIANVS *de imagin.* Opp. To. II. p. 12. CLEMENS *Alex.* in *Paedagogo* Lib. III. p. 216. STRABO Lib. XVII. p. 554.

Cultus animalium in Aegypto, fuit multo vetuſtiſſimus, et exitum Iſraëlitarum ex Aegypto anteceſſit.

§. XXXVI. Sed ſunt tamen viri doctiſſimi, qui omnia haec, quae veteres de cultis in Aegypto, ſimulachrorum loco, animalibus viuis narrant, ad tempora non antiquiſſima, verum recentiora pertinere, arbitrantur. Verum enim vero, eorum ſententiae, ſi quid iudico, ipſius S. Scripturae auctoritas obeſt. Illa enim teſte ſcimus, tempore iam Ioſephi Patriarchae, animalia Aegyptiis fuiſſe ſacroſancta, illisque iniuriam facere, aut carnibus eorum veſci, piaculum fuiſſe haud leue. §. X. XI. Nouimus, Graecorum

etiam,

etiam, aliarumque gentium religione, certa animalia pariter diis quibuſdam dicata et conſecrata fuiſſe k. Graeci Veneri columbam, Mineruae draconem, coruum Apollini, canem Dianae, ſacrum et proprium eſſe voluerunt. Apud Perſas equi ſolebant ſacrari Soli. Illis igitur animalia haec picta aut ſculpta ſymbola erant quaedam Deorum, quibus nempe erant conſecrata. Neque tamen idcirco dici poteſt, aut vnquam aliquis dixit, Graecos animalia Deorum loco habuiſſe. Iis potius Aegyptii, cum ſuo animalium cultu, ludibrio et deridiculo fuere. Quod Graecos et gentes alias in Aegyptiorum religione tantopere offendit, quodque concoquere non potuerunt, hoc eſt, quod animalia viua pro ſtatuis aut ſignis collocarent in Templorum Sacrariis, iisque honores decernerent eoſdem, quos reliqui imaginibus ſanctis et ſimulachris, quin imo Diis ipſis habebant. Hoc diſcrimen illud ingens inter Aegyptios, aliôsque populos conſtituit, quo effectum eſt, vt hi illos vehementer contemnerent, illi vero hos abominarentur. Hoc in hiſtoria Ioſephi Moſaica iam obſeruari, monuimus §. X. Eadem hiſtoria Moſaica, cultus viuorum animalium in Aegypto, veſtigia alia, non inficianda, tum ſaepe alias, tum vero omnium clariſſime, in vitulo aureo nobis offert. Ab his quae dixi, diuerſum non ſentit DIODORVS *Siculus*, Scriptor magni pretii, multisque aliis anteponendus. Is autem teſtatur, ſe a Sacerdotibus accepiſſe, l *conſecratas ab ipſo religionis ſuae initio beſtias adhuc ſemper in honore haberi, illisque extinctis, luctum, quo olim Oſiridem proſecuti ſunt, renouari.* Credebant igitur Sacerdotes, in ipſis religionis ſuae initiis, cultum animalium quoque viuorum fuiſſe inſtitutum. Equidem qui aliam hic tuentur ſententiam, in iſthoc Decalogi praecepto praeſidium non mediocre quaerunt. m *Ne facias tibi ſculptile, aut vllam imaginem*

k. PLVTARCHVS de Iſide p. 379. itemque p. 380.

l. Lib. I. p. 19.

m. *Exodi* XX. 4. 5.

nem eorum, quae ſunt in coelis ſupra, aut quae in terra infra, aut quae in aquis infra terram: non adorabis ea aut coles. Videmus Deum in his, non quidem cultum animalium; ſed cultum tantum imaginum, lege prohibere. Haec, neque enim inficior, inſignem prae ſe ferunt ſpeciem; verum recte et ab omni parte excuſſa, aduerſus nos non militare deprehendentur. Non igitur exiſtimare poſſum, ex praecepto illo Dei, legitime concludi poſſe, Aegyptios animalia viua non coluiſſe. Nam 1. תמונה *imago* dici poteſt repraeſentatio aut ſimilitudo rei alius qualiscunque, etiam ſymbolica. Atque ſic imaginibus hiſce in Decalogo prohibitis, annumerare vtique licet animalia viua, ab Aegyptiis culta, quippe quae ex eorum ſententia eſſent, *μιμήματα τȣ̃ θεȣ̃*, *Numinis diuini effigies et imagines viuae.* §. XXXV. Et profecto Deum in Lege ſua, non modo vſu imaginum pictarum aut ſculptarum, verum et animalium viuorum, ac hircorum ſigillatim, tanquam ſymbolicarum Diuinitatis repraeſentationum, cultu interdixiſſe Iſraëlitis, Leuit. XVII. 7, [n] doctiſſimi interpretes iam dudum obſeruarunt. 2. In Aegypto ipſa cultus animalium pictorum et ſculptorum multo erat frequentior et communior cultu animalium viuorum. Animalia viua, quae pro ſimulachris et ſtatuis colerentur, omnibusque honoribus diuinis gauderent, in Templis tantum conſpiciebantur, rite conſecratis, Diisque dedicatis, idque tantum in certis quibuſdam. *Apis* Taurus, qui proprie ſic diceretur, non colebatur niſi in vna vrbe Memphi. *Mendes* hircus viuus, adorabatur tantum in Templo Thmuitano, *ouis* vel *aries* viuens, diuinis honoribus mactabatur tantum in Templis, Thebaeo, et Saitico. Verum effigies horum animalium cernebantur in plerisque aliis Templis per totam Aegyptum, et cernuntur hodieque in eorum ruderibus.

n. Vide *Pantheon*, Lib. II. c. VII. §. 4.

Et

Et priuatus quiſque, animalium eorum, quae ipſi prae aliis ſancta eſſent et venerabilia, ſigna et ſculpturas in vſum domeſticum confici curabat, prout ipſi liberet, qualia in cadaueribus medicatis, quae vulgo Mumias appellant, frequentia etiamnum deprehenduntur. Veroſimile eſt, Legislatorem in praecepto de imaginibus, ad priuatum hunc earum vſum inprimis reſpexiſſe, quippe qui fere ſolus in Iſraëlitis metui tum poſſet. Idem de vitulo aureo dicendum.

§. XXXVII. Cultu animalium haud ita multo recentiores fuiſſe videntur ſtatuae imaginesque ſacrae, tum animalium, tum quae formam humanam prae ſe ferrent. Diximus de ſimulachris animalium Aegyptiacis, ipſa iam Decalogo prohibitis. Eiuſdem antiquitatis fuiſſe ſimulachra et imagines ſacras in ſpeciem corporis, aut oris humani confictas, ex ipſa Lege Moſaica edocemur, in qua illae commemorantur. ° *Quandoquidem autem, quo die Iehoua vos allocutus eſt in Chorebo, e medio igne, nullam imaginem vidiſtis: cauete vobis vehementer, ne corrumpamini, faciatisque vobis ſculptile ſimulachrum, imaginem vllius figurae, aut formam maſculi vel foeminae, formam vllius animalis, quod ſit in terris, formam vllius volucris, quae volat in Coelo, formam vllius reptilis, quod ſit in terra, formam denique vllius piſcis, qui ſit in aqua ſub terra.* Lectori cuiuis manifeſtum illico eſt, tangi in his verbis idololatriam Aegyptiorum, cuius tam diu in eorum regione teſtes, et magna etiam ex parte ipſi rei fuerant. Eosdem igitur in mente habebat etiam gentium Apoſtolus, vbi verba illa MOSIS fere repetit, atque origines idololatriae ſic fere enarrat: P *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, et volucrium, et quadrupedum et reptilium.* Simulachra Aegyptiorum vetuſtiſſima,

Ad animalium cultum acceſſerunt proceſſu temporis imagines etiam et ſimulachra, tum animalium, tum forma quoque humana praedita.

o. *Deuteron.* IV. 15. 16.

p. *Roman.* I. 23.

e ligno fabricata, commemorat [q] PAVSANIAS, ſatiſque ſignificat, ſimilia illis fuiſſe, quae in Graecia vltimam antiquitatem prae ſe ferrent. Tale etiam videtur fuiſſe [r] ſignum Vulcani, vtique perantiquum, quod in eius Templo Memphi vidit, multoque cachinno contemſit Cambyſes. Videbatur enim ſimulachrum eſſe hominis pygmaei. Et huic prorſus ſimilia erant [s] ſimulachra Deorum Cabirorum, (de quorum ſumma vetuſtate aliquid tetigi §. XXVI.) in eodem Vulcani Templo collocata, quibus pariter Cambyſes illuſit, quaeque igne cremari iuſſit. Simulachris ligneis, qualia erant, de quibus nunc diximus, ſucceſſerunt mox aurea, atque argentea, aut ex alia materia pretioſa conflata. Verum haecce omnia, quotquot inuenire potuit, [t] ſecum in Perſiam aſportauit Cambyſes, eiusque exemplum alii quoque ex eius ſucceſſoribus, Ochus praeſertim, aemulati ſunt. Sed illa fere omnia poſthaec, Ptolemaeus Euergetes, rex Aegypti, direpto toto Oriente, [u] ex Perſia in Aegyptum reduxit.

q. In *Atticis* p. 102. et in *Corinth.* p. 152.

r. HERODOTVS Lib. III. c. 37.

s. *Idem*, vbi ſupra.

t. DIODORVS Lib. I. p. 43.

u. *Monumentum Adulitanum* in FABRICII Biblioth. Graeca Vol. II. p. 605. fin. HIERONYMVS in Danielem, Opp. To. III. col. 1123. Edit. Martian.

CAPVT

* *

CAPVT III.

De methodo ac modo, quo in excolenda et tradenda doctrina Sacrorum vſi fuerunt Sapientes Aegyptiorum.

Illi quibus doctrina rerum diuinarum, cura religionis, cultusque diuini incumbebat, nomine Sacerdotum deſignabantur. §. XXXVIII. Sacerdotum in Aegypto plures erant ordines, quos inter praecipue hic obſeruandi ἱερογραμματεῖς, qui et Sapientum nomine veniunt. §. XXXIX. Qui primo dicti ſunt Sapientes, poſtea ἱερογραμματεῖς, et Arpedonaptae nuncupati. §. XL. De literis Scriptisque ſacris, curae ἱερογραμματέων concreditis. §. XLI. In ſcientiis ſacris, quae libris literisque ſacerdotalibus tradebantur, primum locum habuit Aſtronomia. §. XLII. Deinde ſequitur Geometria, Arithmetica, et doctrina practica. §. XLIII. Neque minus doctrina rerum naturalium, vel phyſica, á Sacerdotibus ſtudio impenſo coli ſolita. §. XLIV. Philoſophia Aegyptiorum phyſica ſpectabat ad religionem, haec quippe in illa erat fundata. §. XLV. Pſeudo-Sanchuniathonis ſententia de natura et indole Theologiae vetuſtiſſimae excutitur. §. XLVI. Indoles Theologiae antiquiſſimae oſtenditur. §. XLVII. Origo methodi res diuinas tradendi aenigmatice. Ea vtebantur olim, qui Sapientiae nomine celebres erant. §. XLVIII. Eandem propriam ſibi reddiderunt temporibus antiquis Sacerdotes. §. XLIX. Inprimis vero Sacerdotes Aegyptii. §. L. Ab iis methodum eandem accepit Schola Pythagoraea. §. LI. Apud Pythagoraeos, Philoſophiae illius alumni primo inſtituebantur per ſimilia, rerumque imagines. Eae autem deſumi ſolebant 1) ex doctrina de numeris. §. LII. Et 2) ex figuris geometricis. Vtrumque ab Aegyptiis tractum. §. LIII. Succedebat tum apud Pythagoraeos inſtitutio per ſymbola, vel ſententias aenigmaticas, quibus inuoluebant doctrinam phyſicam. §. LIV. Vti et doctrinam practicam. Vtrumque vero hoc ab Aegyptiis deſumtum. §. LV. Methodus haec Aegyptiorum tradendi ſcientias ſacras aenigmatica,

matica, effecit, vt doctrina eorum a non initiatis intelligi non poſſet. §. LVI. Ex illa methodo ſymbolica, ortum traxit dialectus ſacerdotalis, cuius indoles explicatur. §. LVII. LVIII. Et haec plene intelligi non poterat, niſi ab initiatis. Cauſa huius obſcuritatis in ſermone ſacerdotali obſeruandae, prima fuit inopia linguae antiquae. §. LIX. Poſtea eadem in docendo obſcuritas placuit, 1. quia ſapientiae reconditae ſpeciem prae ſe ferebat. 2. quia docenti ſecuritatem praeſtabat. §. LX. Eandem ob cauſam Sacerdotes Aegyptii ſcientiarum ſuarum arcana, cum paucis tantum communicabant, idque nonniſi praeuia initiatione valde moleſta et diuturna. §. LXI. Ex eo tandem factum eſt, vt doctrina Sacerdotum arcana in Aegypto plane amitteretur. Quaeritur hic, ecquid detrimenti religioni Aegyptiorum attulerit dominatio Perſarum. §. LXII. Perſis propoſitum nunquam fuit, vt religionem Aegyptiorum aut mutarent, aut corrumperent. §. LXIII. Cauſa vera imminutae religionis huius gentis, et deperditae doctrinae Sacerdotum arcanae indicatur. §. LXIV.

§. XXXVIII.

Qui religionem Aegyptiorum ordinarunt, et …ctrinam …e illa con…ituerunt, …ocantur Sacerdotes.

Qui deprauatam in Aegypto religionem excogitarunt, qui omnia ad illam ſpectantia ſucceſſiue conſtituerunt et ordinarunt, atque doctrinam de his excoluerunt, limitibus certis circumſcripſerunt, aliisque tradiderunt, dici ſolent *Sacerdotes*, eoque nomine intelliguntur homines, quibus cura religionis, cultusque Deorum, praeſertim publici, et rerum ſacrarum omnium, publica auctoritate demandata eſt. Nulla, quantum nouimus, gens paulo cultior vnquam fuit, quae non habuerit ſuos Sacerdotes, rerumque diuinarum procuratores; verum primi forte Aegyptii, Sacerdotum huiusmodi diuerſos ordines, et integra Collegia inſtituerunt. Prima certe Sacerdotum religionis corruptae mentio, quae apud MOSEM occurrit, eſt Sacerdotum Aegypti. *Geneſ.* XLI. 46. 50. XLVII. 22. ex quo poſtremo loco id etiam colligimus, numerum illorum Sacerdotum

dotum iam tum fuiſſe permagnum, illosque agros poſſediſſe plurimos, ex quibus, tum ad propriam ſuſtentationem, tum ad procurandas res ſacras, reditus capere poſſent. In Textu hebraico, capite vtroque hic citato, hominum iſtud genus appellatur כהנים, quod nomen Deus Sacerdotibus etiam ſibi conſecratis tribui voluit. Interpretes Copti, *Geneſ.* XLI. 46. 50. vocem adhibent Aegyptiacam Ⲡ-ϨⲰⲚⲦ, *P-hont*, quae proprie *Sacerdotem ſummum*, vel Collegii Sacerdotum Praeſidem deſignat. At *Geneſ.* XLVII. 22. in verſione Coptica, legitur alia vox, in verſione tum Veteris, tum Noui Teſtamenti, frequentiſſime occurrens, ⲞⲨⲎⲂ, *U-eb*, qua Sacerdos quiſque, etiam gregarius deſignatur. Significatur autem voce illa, *ſacratus* Deo, eaque ſatis reſpondet vocibus, graecae ἱερεὺς, et latinae *Sacerdos.*

§. XXXIX. Non tamen omnium Sacerdotum in Aegypto, eadem erat, aut dignitas, aut auctoritas. Equidem toti Sacerdotum ordini, a primis inde temporibus, reges Aegypti duplicem curam iniunxerunt, [a] *cultum Deorum*, et *accuratum ſapientiae ſtudium;* ſed duplicem hanc curam plures inter ſe partiebantur, ſingulisque certa ſua penſa ac munia erant aſſignata. Quidam igitur cultum Deorum, omnesque illius ritus ordinabant et peragebant, iique *Prophetarum* nomine deſignari ſolent. Alii his miniſtrabant, et functionibus vacabant minoris dignitatis ac momenti, quos Graeci nomine τῶν νεωκόρων, ſiue *aedituorum* complectuntur. Alii denique in diligenter colendis ac ſtudioſe expoliendis ſcientiis Aegyptiorum ſacris, totam ſuam vitam impendebant. Hi ſunt, quos Graeci dicere ſolent ἱερογραμματεῖς, quaſi dicas *Scribas Sacrorum*, vel potius, *literarum ſanctiorum*, in ſacris eorum libris expoſitarum, quibusque

Eorum plures erant ordines, quos inter praecipue hic obſeruandi ἱερογραμματεῖς, *qui et Sapientum et Philoſophorum nomine veniunt.*

a. IOSEPHVS Lib. II. *contra Appion.* §. 13. DIODORVS Lib. I. p. 66.

buſque tota ipſorum religio nitebatur et Theologia, *Profeſſores*, ac *Magiſtri*. Et hi quidem in Sacerdotum Collegio [b] ordinem tantum conſtituebant ſecundum, Prophetis dignitate et honore inferiores; at praecipua tamen erat illorum, in rebus quae ad religionem ſpectabant, auctoritas. Nam fundamentum illius erant ſcientiae ſacrae, a Scribis Sacrorum excultae, et non facile cum aliis, ne cum ipſis quidem Prophetis, niſi ſub certis quibuſdam conditionibus, valde oneroſis, communicatae. Antiquiſſimum, quod honoris ergo, ipſis ab aliis tributum fuit nomen, videtur fuiſſe illud *Sapientum*, quo MOSES ipſe eos deſignauit, *Geneſ.* XLI. 8. et quo ipſos a Scriptoribus quoque exoticis, Graecis et Romanis, frequenter admodum ornari videmus. Ab Aegyptiis nomen iſtud traxiſſe, ſibique vindicaſſe videntur, qui olim a Graecis *Sapientes* dicebantur, quos ſeptem fuiſſe numero, vulgo aiunt. Is certe, qui [c] omnium primus nomine hoc condecorari meruit, Thales Mileſius, Aegyptios adiit, et ab iis principia ſcientiarum, quas deinde profeſſus eſt, domum reportauit. *Sapiens*, dialecto Aegyptiorum dicitur ⲤⲀⲂⲈ, *Sabe*, cuius pluralis ⲚⲒ-ⲤⲀⲂⲈⲨ, legitur *Geneſ.* XLI. 8. vbi ſermo eſt de Sacerdotibus Aegyptiorum. Vero adeo diſſimile non eſt, hoc ipſum nomen eſſe *Sabiorum*, vetuſtiſſimorum in Oriente, ac ſigillatim Arabia, Philoſophorum, qui cultum Aſtrorum inuexiſſe perhibentur, et quorum plurima apud Scriptores Muhammedanos mentio occurrit. Eruditi propemodum omnes, nomen iſtud *Sabiorum* [d] ex lingua Arabica, quidam etiam ratione non improbabili, deductum eſſe volunt. Verum [e] BIDAVIVS ipſe Arabs, ſubdubitat, ſitne nomen iſtud pro Arabico habendum. Arabes ceteroquin, non ſecus atque Aegyptios, temporibus antiquiſſimis, ſuos

b. Illi qui ordinem ſecundum Sacerdotum conſtituebant, a SYNESIO de *Prouidentia* p. 95. appellantur *Comaſtae* de quibus SELDENVS *de Diis Syris* p. 69. 70. Sunt autem illi ἱερογραμματεῖς.

c. DIOGENES LAERTIVS Lib. I. §. 22.

d. SPENCERVS de Legibus Hebr. Lib. II. cap. I. Sect. I.

e. POCOCKIVS *Specimin. hiſt. Arab.* p. 138.

ſuos habuiſſe *Sapientes*, vel ipſa [f] Scriptura teſte, diſcimus. Videmus etiam [g] in illa, *Sapientiam Orientalium*, [h] id eſt *Arabum*, cum illa Aegyptiorum coniungi. Eodem modo PLINIVS Lib. XXV. c. 3. coniunctim memorat *Arabiae Aegyptique Magos*, id eſt *Sapientes*, quos adiiſſe Democritum perhibet. Certum quoque eſt, ab vltimis inde temporibus, Aegyptios cum Arabibus frequentia coluiſſe commercia, et [i] hos, per vnum alterumque Seculum, Aegyptum totam poſſediſſe, quo tempore Aegyptiorum *Sabii*, vel *Sapientes*, potuerunt migrare in Arabiam, vbi poſthaec diſcipuli eorum multiplicati ſunt. Eos videtur in animo habuiſſe SERVIVS, vbi [k] *Sabaeos colonos Aegyptiorum* vocat. Id de Sabaeorum in Arabia felici gente recte dici non poteſt, cum ex Arabum potius hiſtoria conſtet, [l] eos a *Saba*, Iectanis Pronepote originem et nomen traxiſſe. Sed vere omnino dici id potuit de *Sabiis*, Arabum Sapientibus et Philoſophis, SERVIO parum cognitis, quos ille cum *Sabaeis* confundere facile potuit. In multis etiam *Sabiorum* placita et inſtituta, cum inſtitutis Sacerdotum Aegyptiorum conueniunt, ex quibus nunc illud tantum commemorabo, [m] *magni ab illis fieri Pyramides, quas priorum Sectae ſuae auctorum ſepulchra credi volunt.* Et ſi [n] MARSHAMO viro doctiſſimo aſſentimur, *Maimonides Zabiorum nomine, Aegyptios, maxime Mendeſios*, in Aegypto inferiori, *intelligere videtur.*

f. *Ierem.* XLIX. 7.
g. I. Reg. IV. 30.
h. GROTIVS ad Matth. II.
i. POCOCKIVS, vbi ſupra, p. 34. 35.
i. MARSHAMVS in Canone Chron. ad Secul. VIII.
k. in *Virgilii* Georgic. Lib I. v. 57.
l. POCOCKIVS Specim. p. 40.
m. ABVLFEDA apud POCOCKIVM, lib. cit. p. 144.
n. In *Canone Chronico* p. 162. Edit. Franek. Adde p. 203.

Sapientes poſtea dicti ἱερογραμματεῖς, et Arpedonaptae.

§. XL. Nomini *Sabiorum*, vel *Sapientum*, in Aegypto ſucceſſit nomen ἱερογραμματέων, iiſdem tributum, ſicut in Graecia, qui primitus dicti erant *Sapientes*, * poſtea nomen adſciuerunt *Philoſophorum*.

* Teſtantur veteres, primum inter Graecos, qui repudiato nomine *Sapientis*, dici voluit *Philoſophus*, fuiſſe Pythagoram. Vide MENAGII notas ad Laërtium Lib. I. §. 12. Et hoc Pythagoras, vt pleraque alia, videtur deſumſiſſe

rum. Sunt autem ἱερογραμματεῖς, quemadmodum Graeci eos appellare conſueuerunt, quod iam monui §. XXXIX. *ſanctiorum literarum ſiue ſcientiarum cuſtodes et Profeſſores.* Antiquum nomen Aegyptiacum, graecae ἱερογραμματέως reſpondens, videtur fuiſſe ⲤⲀϨ, *Sach*, quomodo in verſione librorum Scripturae Coptica, ſemper redditur γραμματεὺς, *Scriba*, et *Scripturae peritus.* Aliud nomen ex Aegyptiorum ſermone petitum, quo idem illud hominum genus deſignari in Aegypto ſolebat, DEMOCRITVS celeberrimus Graeciae veteris Philoſophus, nobis, niſi me fallit opinio, conſeruauit, idque ſonat *Arpedonaptes.* Verba DEMOCRITI haec ſunt: * Καὶ γραμμέων συνθέσιος μετὰ ἀποδέξιος ὀυδείς πω με παρήλλαξεν ὀυδ' οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἀρπεδονάπται. *Et in componendis cum demonſtratione lineis, nemo me adhuc ſuperauit, nec qui Aegyptiorum quidem vocantur Arpedonaptae.* Lingua Aegyptiorum [o] ⲚⲈⲂⲎⲦ, *nabat*, et cum articulo generis indefinito, ⲞⲨ-ⲚⲈⲂⲎⲦ, *u-nabat*, deſignatur νοήμων, *ſapiens*, *intellectu pollens.* Erit itaque ⲈⲢ-ⲠⲈⲦ-ⲞⲨⲚⲈⲂⲎⲦ, *Arpedunabat*, proprie ὁ πράττων τὰ τῶν νοημόνων, vel, quod idem eſt, νοημονικὸς, quaſi dicas eum, *qui eſt ex ordine νοημόνων.* Vix inter ſe differunt νοήμονες, et νοημονικοὶ, niſi quod poſtrema vox eum ſubindicet, qui vi muneris ſui, ſtudiis τῶν νοημόνων incumbit. Mentionem horum hominum fieri video, apud LVCIANVM,

o. *Theſaurus Epiſtolicus La-Crozianus* To. I. p. 180.

ab Aegyptiis. Ἱερογραμματεῖς Aegyptiorum dicebantur etiam *Arpedonaptae*, id eſt νοημονικοί. Νοημονικὸς vero deſignat etiam *ſapientiae ſtudioſum*, vel *Philoſophum.*

* CLEMENS *Alexandrinus* Stromat. Lib. I. p. 304. EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. X. c. IV. p. 472. Sed perperam ibi legitur Ἀρσεπεδόνακται. Lectio CLEMENTIS eſt genuina.

CIANVM, in *Philopſeude*, vbi Tychiades interlocutor ita infit. p Παγκράτην, ἔφη, λέγεις, ὁ Ἀριγνωτος, ἐμὸν διδάσκαλον, ἱερὸν ἄνδρα, ἐξυρημένον, ἐν ὀθονίοις, νοήμονα. *Pancratem dicis, inquit Arignotus, praeceptorem meum, virum ſacrum, raſum, lineis veſtibus indutum, intellectu pollentem*, vel etiam, *ſacrarum ſcientiarum peritum.* En! Sacerdotem Aegyptium, ex eorum numero, de quibus q Poëta canit

p. Operum T. I. p. 496. Edit. Salmur.

q. MARTIALIS Lib. XII. Epig. XXIX.

Linigeri fugiunt, calui, ſiſtrataque turba.

Eum vero LVCIANVS paulo ante ita deſcripſerat: Ἔτυχεν ἡμῖν συμπλέων μεμφίτης ἀνὴρ, τῶν ἱερῶν γραμματέων, θαυμάσιος τὴν σοφίαν, καὶ τὴν παιδείαν πᾶσαν εἰδὼς τὴν αἰγύπτιον. Ἐλέγετο δὲ τρία καὶ εἴκοσιν ἔτη ἐν τοῖς ἀδύτοις ὑπογείοις ᾠκηκέναι, μαγεύειν παιδευόμενος ὑπὸ τῆς Ἴσιδος. *Nauigationis autem fuit ſocius, vir Memphiticus, quidam ex ſacris illis Scribis, ſapientia mirabili, et qui vniuerſam Aegyptiorum doctrinam callebat. Dicebatur autem tres et viginti annos, in adytis ſubterraneis manſiſſe, Magiam interea edoctus ab Iſide.* Erant igitur νοήμονες, ex ordine illorum Sacerdotum, qui communius ἱερογραμματεῖς a Graecis dicebantur. Et quemadmodum ἱερογραμματεῖς, nomen hoc traxerunt ἀπὸ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, a *Sacris Codicibus, literis, et ſcientiis*, diligenti et ſollicitae eorum curae creditis, ita pari ratione, inter Sacerdotes iidem dicebantur νοήμονες, quia νοήματα ἱερὰ, *Scientias ſacras*, et *inuenta* Mercurio attributa, induſtrie addiſcebant, perficiebant, aliisque viciſſim tradebant. Mentionem illorum νοημάτων facit AELIANVS Var. hiſt. Lib. XII. c. 4. Φασὶν Αἰγύπτιοι Σέσωστριν παρ' Ἑρμοῦ τὰ νοήματα ἐκμουσωθῆναι. *Aegyptii dicunt, Seſoſtrin a Mercurio in ſcientiis ſacris inſtitutum fuiſſe.* Sic ἐγχαράττειν

r. in vita *Iſidori* apud PHOTIVM in Biblioth. Cod. CCXLII. col. 1033.

De literis, Scriptisque ſacris, curae ἱερογραμματέων concreditis.

s. *Matheſ.* Lib. III. c. 8. pag. 68.

t. Vide *Panthei* Lib. V. cap. V. §. 14. 18. 19.

u *Ibidem* §. 18. 19.

w. Vide eum Lib. VI. Stromat. p. 633. 634.

τοῖς ψυχαῖς τὰ νοήματα, *imprimere animis, quae ſcitu ſunt digniſſima*, eſt apud PHILONEM *de vita contemplatiua* p. 901. Et Πλάτωνος νοήματα, [r] DAMASCIO dicuntur *Platonis* in ſcientia Philoſophica *inuenta*, aut *placita* ipſi propria.

§. XLI. Dicti igitur ſunt ἱερογραμματεῖς, qui eſſent, vt loquitur IVLIVS FIRMICVS, [s] *Sacrarum literarum periti*, id eſt, qui literas hieroglyphicas, a Sacerdotibus olim in conſignandis ſcientiarum ſuarum inuentis adhibitas, bene callerent, atque ſcientias literis his ſacris memoriae mandatas, velut in ſuccum et ſanguinem conuertiſſent. Initio [t] ſcientiae illae, literis hieroglyphicis, inſculpebantur in Stelis, vel columnis, *Thoto*, vel *Mercurio* conſecratis, quae hanc ob cauſam dici etiam ſolent *columnae Mercurii*. Poſtea autem, cum ſcientiae ſacerdotales multis modis auctae atque amplificatae eſſent, literarum vero hieroglyphicarum notitia paucis tantum eſſet reſeruata, opus omnino erat, vt quae variis Sacerdotum Ordinibus, ad munus ſuum rite obeundum, ac ad peragendum cultum diuinum a maioribus inſtitutum, ſcitu erant neceſſaria, ſic deſcriberentur, vt vſibus eorum inſeruire poſſent. Eum igitur in finem, Scribae Sacrorum, [u] literas excogitarunt ſacerdotales, ab hieroglyphicis plane diuerſas, ſed ſolis tantum Sacerdotibus notas, vſuque receptas, earumque beneficio, in libros, *Mercurio* attributos, retulerunt, quae ex ſcientiis ſuis ſacris, etiam a reliquis Sacerdotibus cognoſci aequum iudicabant. Aetate [w] CLEMENTIS *Alexandrini*, librorum horum Mercurialium numerabantur quadraginta duo. Eorum *primus*, complectebatur *hymnos Deorum*, qui nempe quotidie, aut etiam certis quibuſdam diebus feſtis, in honorem Deorum canebantur. Partem eorum, ſi bene coniicio, faciebant *Sacri Oſiridis Hymni*, PLVTARCHO memorati, *de Iſide*.

LIBRARY

Iſide, p. 372. *Secundus* librorum Hermeticorum Sacerdotalium, praeſcribebat *rationes vitae regiae*. Olim enim [x] reges a Sacerdotibus ſollicite inſtituebantur, ſacrisque eorum diſciplinis, certo ſaltem modo, initiabantur. Libri *tertius*, *quartus*, *quintus* et *ſextus*, continebant τὰ ἀςρολογέμενα, ſiue *Praecepta Aſtrologica*, et quidem *de ordine inerrantium*, *de coitu atque illuminatione Solis atque Lunae*, *deque eorum ortu*. Excipiebant libros hos, *decem* alii, agentes *de literis*, quae ſic vocantur *hieroglyphicis*, doctrinam porro continentes *de Coſmographia*, et *Geographia*, *de ordine Solis atque Lunae*, *deque Planetis quinque*, ac denique *chorographiam Aegypti*, et *Nili delineationem* complectentes. Accedebant ad hoſce *decem alii libri* Mercuriales, proprie ſic dicti *Sacerdotales*, *de legibus*, *de Diis*, *et vniuerſa Sacerdotum diſciplina*, quorum cuſtodia et cura Prophetae ſigillatim demandata erat. Agmen claudebant *libri ſex* reliqui, Paſtophoris ediſcendi, pertinentes ad Scientiam Medicam, ideoque doctrinam, *de conſtructione corporis*, *de morbis*, *de organis*, *ſiue inſtrumentis actiuis corporis humani*, *de medicamentis*, *de oculis*, et poſtremo *de mulieribus*, comprehendentes. Librorum horum, quidam ſpeciatim ad Prophetas pertinebant, alii ad Scribas Sacrorum, alii ad Paſtophoros ac aedituos: et illi quidem libri, qui alicui Sacerdotum ordini erant proprii et neceſſarii, ab illis non tantum manu aſſidua terebantur; ſed etiam [y] memoriae ita infigebantur, vt eos memoriter recitare poſſent. Fluxit hoc ſine dubio ex antiquiori Sacerdotum Aegyptiorum diſciplina, quo tempore ea, quae in columnis ſacris Adytorum, literis hieroglyphicis picta aut inſculpta erant, nondum libris; ſed tantum memoriae eorum, quorum haec ſcire intererat, mandabantur. Seruatur id ipſum in hodiernum vſque diem, ab Indorum Brach-

[x] PLVTARCHVS de Iſide p. 353. 354. CLEMENS *Alexandr.* Stromat. Lib. V. p. 566.

[y] CLEMENS *Alexandr.* vbi ſupra p. 634.

Brachmanibus, veterum Aegyptiorum diſcipulis: illi enim librum legis ſuae, diuinitus, vt ſuos credere iubent, acceptum, et a maioribus, per traditionem oralem ad ſe transmiſſum, quem *Wedam* appellant, non chartae, aut Monumentis quomodocunque conſignatis. Sed * memoriae Sacerdotum vnice credunt. De aliis libris, nomen Hermetis Triſmegiſti prae ſe ferentibus, quippe qui ad noſtrum hoc argumentum non ſpectent, pluribus hic non agimus.

Inter Scientias Sacras, libris ſacerdotalibus comprehenſas, locum primum habet Aſtronomia.

§. XLII. Ex argumentis librorum Hermeticorum Sacerdotalium, quos CLEMENTEM *Alexandr.* recenſuiſſe vidimus, colligi iam poteſt, qualianam fuerint Νοήματα, *Scientiae* a Sacerdotibus, ac ſigillatim *Scribis Sacrorum* inuentae, perpolitae, et ſumma induſtria cultae. Solent veteres eas omnes ad duas claſſes redigere, Aſtronomiam ſcilicet et Philoſophiam. Ita STRABO Lib. XVII. loquens de priſcis Heliopolitanorum Sacerdotibus p. 554. *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitarunt. Hanc enim perhibent olim Sacerdotum habitationem fuiſſe, hominum Philoſophiae et Aſtronomiae deditorum.* Et p. 561. de Sacerdotibus Thebaeis haec habet: *Hi Sacerdotes maxime Aſtronomiam et Philoſophiam excolunt.* Et in Aſtronomia quidem inuenienda, colenda, et polienda, tantum Sacerdotes Aegyptiorum poſuiſſe ſtudii et induſtriae, vt [z] Aegyptus patria quaedam Aſtronomiae appellari non immerito poſſit, veterum teſtimoniis fere conſtat. Ab Aegyptiis enim ſcientiam hanc accepiſſe Babylonios, [a] DIODORVS *Siculus*, ac inſuper alii teſtantur, ab vtrisque vero Graecos eandem mutuatos

z. MARTIANVS CAPELLA Lib. VIII. p. 274.

a. Lib. I. p. 24.

* Mira plane ſunt, quae hac de re leguntur in Relationibus Miſſionariorum Danicorum in India Orientali, Continuat. XLVI. p. 1252. 1253. quae omnino ſapiunt antiquiſſimam Aegyptiorum diſciplinam.

tos eſſe, nemo diffitetur. Cum vero Sacerdotes hi Aegyptiorum, ad Scientiam Aſtronomicam, Studium Geometriae accuratum adiungerent, et diſciplinae vtrique ſolerter et cum fructu excolendae, horas non tantum impenderent diurnas, verum [b] nocturnas etiam, vel ſic ſatis intelligitur, quantos in harum ſcientiarum ſtudiis progreſſus fecerint, tametſi de iis recentiores noſtros Scriptores nonniſi tenuiter et exiliter ſentire ſciam. Quodſi Aegyptiorum Sapientes impetrare a ſe potuiſſent, vt inuenta ſua Aſtronomica, Graecorum exemplo, cum aliis communicarent, literisque proderent, in propatulo omnibus perſpectumque foret, quantum ipſis debeant Aſtronomiae ſtudia. Superſunt tamen quaedam Aegyptiorum in iſto ſtudio ſpecimina et inuenta, ex quibus, tanquam ex vngue leonem, cetera diiudicare licet. Referre eo vtique poſſumus Pyramidum, ante tria annorum millia, et aliquot inſuper Secula, conſtructarum, poſitionem admiratione dignam. Etenim [c] *Pyramidis cuiusque latera, a Borea in Auſtrum directa, —— lineam meridianam prorſus eſſe immotam euincunt. — Eaque ſic diſponi aliter non potuerunt, quam per Obſeruationes Aſtronomicas, ab iis erroribus immunes, quas acus magnetica inducit.* Beatus VIGNOLIVS vir in Diſciplina Aſtronomica non perfunctorie verſatus, vbi HAMELII verba, quae et hic deſcripſi, attuliſſet, [d] aliam praeterea obſeruationem addit, Pyramides nempe vſum hunc etiam Sacerdotibus praeſtitiſſe, vt certis quibusdam diebus, *Sol aut incepturus, aut deſiturus, faciem Pyramidis borealem illuſtraret, atque dies quibus id contingebat, a Sacerdotibus pro Aequinoctialibus, quoad vſum, habitos, et arcanis ipſorum Calendariis aſſignatos fuiſſe.* Eodem ſpectat forma anni Aegyptiorum Caniculo-Solaris, a Sacerdotibus eorum inuenti, circa Annum P. I. 3389, ante

b. CHAEREMON, apud PORPHYRIVM *de Abſtinentia* Lib. IV. p. 369. 370. Edit. Lugdun.

c. DV HAMEL Hiſt. Acad. Scient. p. 420. Edit. Lipſ.

d. in Diſſertat. *de Annis Aegyptiacis.* Miſcellan. Berolin. To. IV. p. 10.

Chriſtum natum 1325; verum vſque ad tempora Auguſti Imperatoris, ſecretis ipſorum vſibus reſeruati, quem Iulius Caeſar, ex Sacerdotum inſtitutione in Aegypto acceptum, Romam inuexit, *Iulianum* ideo poſtea appellatum, quemque eſſe omnium perfectiſſimum, [e] VIGNOLIVS liquido demonſtrauit. Neque etiam tacitus praetermittere hic poſſum, videri celeberrimam illam COPERNICI Hypotheſin, terram circa Solem moueri, Sacerdotibus Aegyptiorum olim iam ignotam non fuiſſe. Sciunt omnes, [f] idem docuiſſe PHILOLAVM, alioſque ſcholae Pythagoraeae alumnos. Pythagoram vero placitum hoc Aſtronomicum, ab Aegyptiis accepiſſe, et in ſchola ſua, inter dogmata eſoterica et arcana tradidiſſe, ex eo non parum veroſimile mihi fit, quod idem etiam, ad Indorum Brachmanas, Aegyptiorum priſcorum diſcipulos dimanaſſe intelligam. Nam et [g] apud hos ea de re in vtramque partem hodieque diſputari ſolet, quibuſdam moueri terram, aliis vero Solem contendentibus. Quando autem Sacerdotes, Scientiae Aſtronomicae tam diligentem nauabant operam, id ea de cauſa faciebant, quod eam ſacram eſſe, et ad religionem inprimis pertinere arbitrarentur, quod etiam ex argumentis librorum Hermeticorum, de quibus §. XLI. dictum, ſatis liquere poteſt. Et certe in rationibus Aſtronomicis, magnam Theologiae Aegyptiacae partem fundatam fuiſſe, ex *Panthei* noſtri Lib. II. et III. perſpici abunde poterit.

e. in Diſſertatione modo laudata.

f. ARISTOTELES de Coelo, Lib. II. c. 13. DIOGENES LAERTIVS Lib. VIII. §. 85. vbi vide notas eruditorum. Adde WEIDLERI Hiſtor. Aſtron. p. 91. 92.

g. Relationes Miſſionariorum Danicor. continuat. LXVII. p. 1154.

In libris Sacerdotalibus tradebatur etiam Geometria, Arithmetica, et Doctrina practica.

§. XLIII. Cum Aſtronomia Sacerdotum Aegyptiorum, veteres coniungere ſolent eorundem Philoſophiam. §. XLII. Et ſane Sacerdotes hos nomine *Philoſophorum* ſolere inſigniri, oppido tritum atque vulgatum eſt. Solent autem veteres, vbi de Philoſophia Aegyptiorum loquuntur, eo nomine cumprimis deſignare Arithmeticam et Geometriam, ac praeterea Philoſophiam quam vocamus practicam,

et omnium maxime naturalem; ſiue phyſicam. Isocrates igitur fructum ſtudii illius, quod Aegyptiorum Sacerdotes in colenda Philoſophia ponerent, duplicem hunc agnoſcit, [h] *vt poſſent bonas leges ferre, et naturam rerum inueſtigare.* Et *Geometriam* quidem, atque *Arithmeticam a Mercurio Aegyptiorum*, id eſt a Sacerdotibus eorum, eſſe inuentas, [i] Scriptores plurimi memoriae prodiderunt. Ipſa autem regionis Aegypti indoles, adeoque neceſſitas, compulit Aegyptios, vt animum ad haſce diſciplinas ſtudioſe appellerent. [k] *Nam quia Nilus quotannis egreſſus, varie agros transformat, multas omnis generis controuerſias inter vicinos de limitibus excitat, quas exacte dirimere non facile eſt, niſi Geometrae peritia veritatem oſtendat. Arithmetica autem cum ad ceteras vitae rationes, tum ad Geometriae ſpeculationes, ipſis vſum ſingularem praebet.* Et rem hanc in Aegypto eodem modo hodieque ſe habere, quod citra rationem quidam in dubium vocant, teſtatur Aegyptius gente, [l] Iosephvs Abvdacnvs. In Aegypto eaſdem has diſciplinas, ex inſtitutione Sacerdotum, non ſine labore ac moleſtia, didicerunt, et deinceps inter Graecos tradiderunt, primo [m] *Thales*, et poſt hunc [n] *Pythagoras*. Ipſi vero Aegyptiorum Sacerdotes, diſciplinas haſce, tanquam Diis ſacras, et ad cultum Numinis perneceſſarias, [o] aſſidua manu, ac fere ſine intermiſſione tractabant, arcana vero iſtarum ſcientiarum tanto in pretio habebant, vt ad earum notitiam ac perceptionem plenam, [p] neminem, niſi circumciſione ſacerdotali initiatum admitterent, quod etiam Pythagoram coactum feciſſe, certo ſcimus, ſupraque obſeruauimus, §. VII. Et ante eum Thaletem pariter legem eandem ſubiiſſe, mihi plus quam probabile videtur. Philoſophiae

h. In *Buſiride* p. 534. Edit. Baſil.

i. Plato in *Phaedro* p. 213. Diogenes Laertius in Prooemio, §. 11. Diodorvs p. 73. Stobaevs in Eclog. Phyſ. p. 2.

k. Diodorvs loc. cit. Vide et Herodotvm Lib. II. c. 109. ac alios.

l. in *hiſtoria Iacobitarum* cap. XXII. p. 63. Edit. *Henr. a Seelen.*

m. Diogenes Laertius Lib. I. §. 24. Iamblichvs in *Nicomachi* Arithmeticam, p. 10. 11 Proclvs in *Euclidem* p. 19.

n. Scriptores vitae Pythagorae. etc.

o. Isocrates in *Buſiride* p. 534. Chaeremon, apud Porphyrivm de Abſtin. p. 369.

p. Origenes Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. II.

porro illius, cui operam nauabant Sacerdotes, partem faciebat *Philoſophia practica*, quae de actionibus pie, iuſte, honeſteque inſtituendis praecipit, et ad religionem vtique ſpectat. Nam inter *libros Hermeticos*, ſacerdotibus ediſcendos, memorantur etiam *libri de Legibus*, et *de ratione vitae regiae*. §. XLI. Ab his, vt credi poteſt, diuerſa non ſunt τὰ τȣ̃ Ἑρμȣ̃ νόμιμα, de quibus AELIANVS Var. hiſt. Lib. XIV. c. 34. *Aegyptii iura* (τὰ νόμιμα) *a Mercurio ſe edoctos iactitant. —— Iudices autem apud Aegyptios primo tempore fuerant Sacerdotes.* Illi nempe ius omne, diuinum et humanum, docebant pariter atque dicebant. Hinc de iiſdem DIOGENES LAERTIVS obſeruat, in *Prooemio* §. 11. *De iuſtitia quoque leges conſtituerunt, quas ad Mercurium referunt.* Legum harum nonnullas adfert [q] DIODORVS *Siculus*. Earum indoles atque ingenium optime perſpici poteſt ex precatione, quam in funeribus nobilium, aliquis ex eorum numero, qui corpora defunctorum condire ſolebant, nomine et vice mortui, ad Deos recitare iubebatur; [r] *Ego Deos a genitoribus mihi demonſtratos, quamdiu in hoc Seculo vixi, cultu aſſiduo religioſe proſecutus ſum: parentes qui corpus meum genuerunt, ſemper honoraui; reliquorum hominum occidi neminem: depoſitum cuiuſquam neque defraudaui, neque malum aliud nefandum commiſi. Si vero, dum viuebam, deliqui aliquid, quod non oportebat, edendo vel bibendo, non per me peccaui; ſed per ventrem iam in arca ſepoſitum.* Quae quidem, vt vere obſeruauit vir magnus, [s] *non prorſus diſſona ſunt ab iſtis, quae in ſecunda Decalogi tabula praecepit Moſes: aut ab iſtis, quae a Magiſtris Talmudicis Noachidarum Praecepta vocantur.*

q. Lib. I. p. 63. 64. etc. p. 68. 69. etc.

r. PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. IV. p. 379. etc.

s. MARSHAMVS Canone Chron. p. 156.

Neque minus Doctrina Phyſica,

§. XLIV. Supereſt Philoſophia Aegyptiorum naturalis, ſiue phyſica, pars ſapientiae ipſorum, ſi non primaria; illa tamen, cui prae ceteris ſtudio

exquiſito incubuerunt, quaeque multorum ore celebrata eſt. Et profecto temporibus antiquiſſimis, illi inprimis Sapientum nomine et honore digni habebantur, qui res naturales, corpora coeleſtia et terreſtria inueſtigabant, eorumque arcana eruere aliisque promere conabantur. Talis erat ſapientia Salomonis, omnium gentium et aetatum linguis decantata. Scriptura, vbi eam praedicat, docet etiam, qua in re illa potiſſimum verſata fuerit. [t] *Protulit* autem *tria millia ſententiarum*, quibus continebantur Praecepta moralia, *eiusque canticorum*, in laudem Dei, *fuerunt quinque millia. Egit et de arboribus, a cedro, quae naſcitur in Libano, ad hyſſopum, quae prodit e muro; de quadrupedibus, de auibus, de reptilibus, deque priſcibus.* Haec fuit ſapientia Salomonis, notumque eſt, eiuſdem plane generis fuiſſe etiam eorum ſapientiam, qui primo *Sapientum* nomine in Graecia cohoneſtati ſunt, ad quos ſapientia haec ab Aegyptiis dimanauit. Talem certe fuiſſe ſapientiam Aegyptiorum, ac Orientalium ceterorum, Scriptura ſatis teſtatur eodem loco: [u] *Donauit Deus Salomonem ſapientia et peritia maxima, animique amplitudine, quae arenam in littore maris aequabat. Sapientia Salomonis ſuperauit ſapientiam omnium Orientalium, et omnem ſapientiam Aegypti.* An non luculenter ſatis ſignificat Scriptor ſacer, Salomonis ſapientiam idem habuiſſe obiectum, quod obiectum erat ſapientiae Orientalium et Aegyptiorum, in eoque tantum diſtuliſſe, quod Salomonis de rebus his ſcientia, vberior eſſet, diſtincta magis atque certa. Nouimus vero etiam aliunde, in rebus iisdem verſatam quoque fuiſſe ſapientiam Aegyptiorum. Nam eos in naturam plantarum, arborum, ac herbarum, ſollicita induſtria inquiſiuiſſe, ex hieroglyphicis eorum ſatis liquet, quae cum a plantis ſaepiuſcule ſint deſumtae, hae vero rem aliam, propter rela-

vel naturalis, impenſo ſtudio a Sacerdotibus excoli ſolita.

t. 1. Reg. IV. 32. 33. ex verſione CLERICI.

u. Loc. cit. v. 29. 30.

relationem, aut affinitatem aliqualem, quam cum eis habent, ſymbolice deſignent, patet earum vires ac proprietates, auctoribus hieroglyphicorum non potuiſſe eſſe incognitas. Clarius id intelligitur ex huiusmodi hieroglyphicorum, a plantis petitorum, explicationibus, quales nobis, ex ipſorum doctrina, HORAPOLLO in *hieroglyphicis*, PLVTARCHVS in libro *de Iſide et Oſiride*, aliique paſſim ſubminiſtrarunt, vt iam taceam, quae de varii generis plantis, ex eorundem doctrina, tradunt THEOPHRASTVS, DIOSCORIDES, PLINIVS, et nonnunquam alii obiter, vti et quae de herbarum nominibus myſticis et ſymbolicis, ipſis nempe a Sacerdotibus impoſitis, veteres memorant, et nos infra quaedam tangemus.

§. LVIII. Non minus diligenter vero Sacerdotes Aegyptiorum naturam ſcrutatos fuiſſe animalium, quadrupedum, auium, reptilium et piſcium, teſtantur conſimiliter eorum hieroglyphica, quorum pleraque oculis noſtris obiiciunt animalia; quaeque ad illorum explicationem, ex traditione Sacerdotali, proferunt PLVTARCHVS, AELIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, EVSEBIVS, HORAPOLLO, et alii innumeri. Videmus etiam inter libros Aegyptiorum ſacerdotales, qui Hermetici nuncupantur, complectentes quippe diſciplinam et ſcientias Sacerdotum, commemorari [w] βίβλϐς ἱερὰς περὶ ζώων, *libros ſacros de animalibus*. Ad harum autem ſcientiarum ſtudia, Sacerdotes in Aegypto, a primis inde temporibus, animum ſuum conuertiſſe, colligi ex eo poteſt, quod [x] Moſes iam in ſapientia Aegyptiorum inſtitutus fuiſſe perhibeatur, et quod non [y] huius tantum, verum et [z] Ioſephi Patriarchae aetate, cultus animalium diuinus, apud Aegyptios iam inualuerit. Nam cum ille eſſet ſymbolicus, in natura animalium, ſtudioſe inueſtigata, fundatus tantum eſſe potuit. De aliis partibus Philoſophiae

w. [Hel]iodorus Aethiopic. Lib. III. p. 142.

x. *Actor.* VII. 22.

y. Supra, §. XI.

z. *Ibid.* §. X.

Aegyptiorum naturalis, plura hic adferre animus non eſt, etſi Sacerdotibus in vniuerſum, propoſitum eſſet, [a] τὴν φύσιν τῶν ὄντων ζητῆσαι, *naturam rerum omnium, quae exiſtunt, indagare.* Huc etiam ſpectat, quod [b] *Mercurius ille Triſmegiſtus*, ad quem Sacerdotes in Aegypto, tanquam ad verum auctorem, omnia ſua excogitata et inuenta referebant, dici conſueuerit, *magiſter omnium phyſicorum.*

a. ISOCRATES in *Buſiride* p. 534.
b. TERTVLLIANVS aduerſus Valentin. cap. 15.

Philoſophia Aegyptiorum naturalis ſpectabat ad religionem, haecque in illa erat fundata.

§. XLV. Ex iis quae nunc de Philoſophia Sacerdotum Aegyptiorum naturali obſeruauimus, liquet omnino, eam ſpectaſſe ad religionem, et partem feciſſe Theologiae ipſorum. Aut vt verius dicam, Philoſophia naturalis, coniuncta cum ſcientia Aſtronomica, praecipuum fuit fundamentum Theologiae et religionis totius Aegyptiorum. Nam Dii, quos popularibus ſuis colendos propoſuerunt Aegyptiorum Sacerdotes, ſi a mente aeterna, rerum omnium prima cauſa, diſceſſeris, erant elementa, et maiora ac illuſtriora Mundi corpora, a quibus laetiſſima ſperabant beneficia, et quae pro diuerſis, quas ad terram noſtram habent, relationibus, diuerſis etiam nominibus inſigniebant, diuerſisque honoribus afficiebant, in quorum igitur naturam, vires, vti et relationes ad terram, omni mentis niſu et contentione inquirere, occupationem iudicabant, et nobiliſſimam, et longe vtiliſſimam, ac Sacerdotibus inprimis conuenientiſſimam. [c] Alibi iam adductis Scriptorum optimorum teſtimoniis, oſtendi, pleroſque in ea fuiſſe ſententia, Aegyptios nihil aliud coluiſſe, quam corpora, et cauſas rerum naturales ac materiales, *Solem, Lunam, Nilum, terram, aërem, ventos, calores, et humores*, hiſque ſolis rerum cunctarum exiſtentiam, ortum, et interitum attribuiſſe. Si igitur verum fateri volumus, rerum harum, et vno verbo totius naturae cognitio, ſollicite quaeſita et inueſtigata, baſin fere totius Aegyptiorum Theo-

c. Lib. I. *Panthei* cap. II. §. 4. 5.

logiae conſtituit, eademque Sacerdotes in ordinando cultu diuino vnice direxit. Hoc Feſta eorum cuncta, quorum notitiam habemus certam, inuicte docent, idque in *Tabula Bembina*, vti eam paſſim explicuimus, egregie depingitur. Non excludo Mentem aeternam diuinam, de qua [d] ſuo loco prolixe egi; etſi tamen [e] monere debuerim, poſt plene conſtitutam religionem et idololatriam Aegyptiorum, quod Seculo IV. poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto contigiſſe reor, in ſolennibus Aegyptiorum Sacris, cultuque Deorum publico populari, Mentis illius aeternae, raram admodum et parcam, ac, vt videtur, tenuem tantum et obſcuram, mentionem fieri conſueuiſſe, vnde fieri potuit, [f] vt permulti ſibi perſuaderent, ex Theologia Aegyptiorum eam re ipſa excludi. Verum vt ad cognitionem naturae rerum, tanquam baſin Theologiae Aegyptiorum, redeam, poteſt ex iis quae dixi, ſatis intelligi, quam vere OLYMPIODORVS, inclytus e Secta Peripateticorum Philoſophus, dixerit: [g] Τὰ φυσικὰ δεῖ πρῶτον μανθάνειν, καὶ οὕτως θεολογεῖν. *Philoſophiae naturali operam nauare oportet, atque ſic demum ad cognitionem rerum diuinarum accedere.* Nam vt vere pronuntiauit auctor excellens: [h] *Vetus Phyſiologia, non modo Graecorum; ſed etiam Barbarorum, nihil aliud fuit, quam doctrina quaedam naturalis, fabulis inuoluta, adeoque latens et obſcura Theologia, cuius aenigmatibus et allegoriis, arcana fere myſteria ita tegebantur, vt cum ea quae dicebantur facilius, quam quae ſilebantur, imperita multitudo caperet, tum vero de iis, quae ſilebantur, maius aliquid, quam quae dicebantur, ſuſpicione coniiceret, quod tam ex Orphei carminibus, quam ex Aegyptiorum, Phrygumque fabulis, clare intelligitur.* Sic etiam de fabulis Graecorum Theologicis iudicat Scriptor, ingentis ſane pretii, [i] *fabulas Graecorum opera naturae per allegoriam*

d. Supra §. XXII. et in *Pantheo* Libro I. cap. II. et praecipue IV.

e. Lib. I. cap. II. § 14. et cap. III. § 9.

f. Lib. I. c. II. §. 4. 5.

g Comment. in Ariſtotelis Meteorolog. Lib. I. fol. 2. b.

h. PLVTARCHVS in libro *de Feſto Daedalis apud Plataeenſes*, apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. *III. c. I.*

i. DIONYSIVS *Halicarnaſſeus* Antiq. Rom. Lib. I. p. 92.

riam indicare. De Aegyptiis vero ſigillatim obſeruat PROCLVS: [k] Καὶ οἱ αἰγύπτιοι διὰ μύθων (ita lege) ᾐνίσσοντο τὰ ἀπόῤῥητα τῆς φύσεως. *Etiam Aegyptii per fabulas ſolebant ſubinnuere arcana naturae.* Solet ceteroquin laborioſus hicce Philoſophus, dogmata Aegyptiorum Theologica, fabulasque eorum ſacras, vbi modo poteſt, etiam obtorto collo, ad notiones Metaphyſicas Philoſophiae Pythagoraeo-Platonicae inflectere; verum hic ipſa veritatis vi victus, fatetur tametſi inuitus, cognitionem rerum naturae, baſin eſſe Theologiae Aegyptiorum, et ex hac fabulas ipſorum debere explicari.

k. In Platonis Timaeum Lib. I p. 40.

§. XLVI. Longe equidem aliter iudicat Pſeudo-SANCHVNIATHON, vel PHILO BYBLIVS iactatus eius interpres, vbi ſic ſcribit: [l] *Sed enim qui nouiſſime rerum ſacrarum diſputationem attigere, cum eorum, quae ab initio facta erant, veritatem reieciſſent, allegoriis quibuſdam et fabulis excogitatis, et cum rebus quae naturaliter in mundo fiunt, affinitate quadam conficta, Myſteria excogitarunt.* Sed auctoris huius, a veteribus ſane neglecti et contemti, ac * ſi vnum PORPHYRIVM excipias, vix ab vno alteroue veteris Eccleſiae Chriſtianae Doctore ad teſtimonium vocati, multiplices fraudes, et inſulſa mendacia, tam docte et ingenioſe detexit [m] HENRICVS DODWELLVS, vt fabulae hae, quas nobis offert, et quae vix confutatione egent, morari neminem poſſint, aut debeant. Voluit nempe auctor ille ſuppoſitus hiſtoriae Phoenicicae, quiſquis eſt, lectoribus ſuis perſuadere, gentium deos re ipſa fuiſſe

Pſeudo-Sanchuniathonis ſententia de indole Theologiae veterum excutitur.

l. Apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. I. c. IX.

m. A *Diſcourſe concerning Sanchoniathon's Phoenician hiſtory.* London, 1691.

* Creditur ante PORPHYRIVM, laudaſſe hiſtoriam SANCHVNIATHONIS etiam ATHENAEVS. Sed haec eſt tantum coniectura virorum eruditorum, quae aliquam veroſimilitudinis ſpeciem habet; ſed dubiis expoſita eſt, et certo demonſtrari nequit. Licet eam reiicere.

fuiſſe homines, de ciuibus ſuis multis modis bene meritos, ideoque deorum et nominibus et cultu honoratos, eorum etiam geſta et praeclara merita primis temporibus, monumentis publicis, lapidibus videlicet et columnis, ſtylo ſimplici et perſpicuo inſcripta fuiſſe, ſed recentiores Theologos (τὰς νεωτάτας τῶν ἱερολόγων) geſta illa, allegoriis et fabulis aenigmaticis inuoluiſſe, et ſic tenebris plurimis inuoluta, ad res naturales transtuliſſe, vnde tandem Theologia enata ſit phyſica, cui et myſteria ſuperſtruere placuerit. Vt auctor hiſtoriae illius Phoenicicae recens, figmentis ſuis colorem aliquem induceret, auctoritatemque acquireret, conſultum duxit, eam Scriptori antiquiſſimo; ſed a ſe confictо, attribuere, SANCHVNIATHONI ſcilicet. Perhibetur autem Scriptor ille ſuppoſitus, [n] opus ſuum dedicaſſe Abibalo, quem Annales Tyriorum patrem faciunt illius Hirami, qui aequalis fuit Salomonis, Iſraëlitarum regis, vnde ſequeretur, Scriptorem illum fictitium, Dauidi coaeuum fuiſſe, et fortê etiam initia regni Salomonis attigiſſe. Id ſaltem lectores ſuos credere voluit PHILO BYBLIVS. Ex eo autem colligere recte licet, quosnam in animo habuerit ille, qui ipſi dicuntur νεώτατοι τῶν ἱερολόγων, *Theologorum nouiſſimi*, qui nempe Theologiam priſcam corruperint. Non potuit certe reſpicere, niſi ad ORPHEVM, eiusque diſcipulum MVSAEVM, primos inter Graecos Theologos, Aegyptiorum diſciplina imbutos, auctores adhaec Theologiae allegoricae, et Myſteriorum, poſthaec in tanto pretio habitorum, aut forte etiam ad antiquiorem his INACHVM, qui [o] a nonnullis, et valde veroſimiliter, Myſteria ex Aegypto in Graeciam vexiſſe perhibetur. Ab his igitur Pſeudo-SANCHVNIATHON PHILONIS, initia Theologiae Phyſicae et Allegoricae deriuat, callide profecto

[n] EVSEBIVS vbi ſupra. DODWELLVS in libro cit. §. 2. p. 2. 3.

[o] EPIPHANIVS Lib. I. adv. haereſes p. 11.

cto et aſtute! Nam Theologos illos Poëtas, vſos fuiſſe methodo Theologiam tradendi allegorica et fabuloſa, nemo neque ignorabat, neque negabat. Et viciſſim, qualis fuiſſet ante horum aetatem, Graecorum, et gentium in vniuerſum, Theologia, aetate PHILONIS, docere ex gentilibus nemo poterat. De Theologis Orpheo, et Inacho antiquioribus, dici omnino iure poteſt, quod de heroibus fabuloſi illius aeui HORATIVS cecinit, *Carmin.* Lib. IV. Od. IX.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacbrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Vt tamen de temporibus his, longa atraque nocte circumfuſis, aliquid certi dicere poſſe videretur SANCHVNIATHON, Monumenta tantam aetatem mentientia confinxit, *Taauti columnas* in Phoenicia, *libros Ammoneorum*, et alia huius furfuris, fraudis non modo vehementer ſuſpectas; ſed et a DODWELLO, argumentis omni exceptione potioribus, conuicta, ex quibus res protulit, ad tempus vſque PHILONIS BYBLII, omnibus inaudita, quibus tamen p nonnulla admiſcuit, ex melioribus et certioribus Phoenicum Monumentis, quae in manibus omnium tum verſabantur, deſumta, vt ſaltem aliquam figmentis ſuis veri ſpeciem circumponeret.

p. Exemplum vid. in *Panth.* Lib. I cap. [illegible] §. 8.

In eodem argumento pergitur. Indoles idololatriae antiquiſſimae oſtenditur.

§. XLVII. Qualis autem fuerit ante Orphei et Inachi tempora, Theologiae primorum mortalium indoles, qui derelicto vno vero Deo, Deos fictos ſibi excogitarunt, et excogitatos coluerunt, certo ſcire non poſſemus, niſi nobis ſcripta Dei reuelatio, et lingua vetus Aegyptiaca ſuccurreret, et aliquam in denſis his tenebris facem praeferret. Libenter et vltro largior, primam Theologiae falſae, quae inter

ter gentes varias obtinuit, ſpeciem, non fuiſſe allegoricam et fabuloſam; verum et id concedi mihi velim, eam nec fuiſſe hiſtoricam, quae nempe in praedicandis bene factis, virtutibus et meritis, primorum inter gentes heroum, ea propter in Deorum ordinem translatorum, vnice verſata fuerit, nam ſi a ſola Graecorum gente receſſeris, rei huius in Monumentis bonis ac genuinis, canae Antiquitatis, veſtigia plane nulla reperire poſſum. Prima hominum ad idololatriam iam inclinatorum Theologia, ſupremos honores retulit ad corpora huius Vniuerſi ſplendidiora, ex quibus in res humanas maxima redundaret vtilitas, coeleſtia cumprimis, Solem, Lunam, Aſtra, aliaque his ſimilia, aut eorum etiam illuſtriores quoſdam et viſibiles effectus. Haec vero cultus tum publici, tum priuati obiecta, gens vnaquaeque vocabulo deſignabat proprio et obuio, Solem appellando Solem, Lunam vocando Lunam, ſine vllis impropriis, ſymbolicis, longeque petitis denominationibus. Illam Theologiam, ſimplicem adhuc, et fictionibus ſtudioſe conquiſitis liberam, ſequitur IOBVS, fictitio Sanchuniathone, ſi vel eſſet genuinus Scriptor, Seculis multis antiquior, etſi in libro poëtico Cap. XXXI. 26. 27. *An lucem Solis adſpexi, quod ſplenderet, et Lunam, quod clara ingrederetur? Et num clam ſeductum eſt cor meum? vt manus mea,* ad colendum haec lucida Aſtra, *os meum oſcularetur.* Eſtque ſatis tritum, Scripturam, vbi idololatriam primorum horum temporum verbis caſtigat, de eo queri, [q] quod gentes *adorent Solem, Lunam, Aſtra et exercitus Coeli.* Aegypti incolae [r] *Solem* colebant, ſub nomine genti illi proprio, omnibusque obuio, ϕρη, [s] *Lunam* ſub nomine יוֹח, *Ioh,* quo Aegyptii ſemper in communi vitae vſu *Lunam* deſignarunt. Idem de ceteris primorum

q. *Deuteron.* IV. 19.

r. Supra §. IX.

s. *Pantheon* Lib. III. cap. I. §. 2.

rum idololatrarum Diis pariter dicendum venit. Poſtquam vero Sacra gentium idololatrica ſucceſſiue ordinata et rite conſtituta fuiſſent, poſtquam Templa ſumtuoſa condere, hisque Sacerdotes praeficere placuit, poſtquam integra Sacerdotum Collegia eſſent inſtituta, et hi doctrinam ſuam de rebus diuinis digerere, nouis augmentis locupletare, et in ordinem certum redigere coepiſſent, vt ſibi et placitis ſuis, tanto maiorem, et auctoritatem, et ſapientiae ſpeciem conciliarent, methodum tradendi Sacra inuexerunt allegoricam, ſymbolicam, et fabulis aenigmaticis mire inuolutam, ad quod apud Aegyptios, vſus ſcripturae hieroglyphicae, potuit non parum conferre. Ab eo tempore rara in Sacris gentium *Solis* ac *Lunae*, mentio occurrit; ſed audiuntur iam nomina ſymbolica, et aenigmatica, ab aliqua Solis Lunaeque qualitate, aut ad terram noſtram relatione, deſumta, *Gad*, *Meni*, *Molochi*, *Baalis*, *Aſtartes*, *Atergatis*, *Rempkah*, *Oſiris*, *Ammonis*, *Hori*, *Iſis*, *Bubaſtis*, et ſimilia. Mutationem hanc Theologiae gentium primitiuae ſimplicis, in artificioſam, allegoricam, et aenigmaticam, niſi me opinio decipit, fabula illa antiquiſſima et celeberrima, de Ione Inachi filia, in vaccam mutata, dein in Aegyptum delata, ibique ſub nomine Iſidis culta, velut in imagine quadam depingit. Verum quando argumentum iſtud [t] alio loco perſecutus ſum, de eo plura hic non addo.

[t] *Pantheon* loc. cit.

§. XLVIII. Vbi vero ſemel Sacerdotes, vt ſibi ſpeciem ſapientiae non vulgaris compararent, ſtylum illum, de quo dixi, allegoricum, aenigmaticum, et fabulis obſcuris inuolutum, in Theologiam inuexiſſent, alii etiam, qui ad ſapientiae laudem adſpirabant, idem dictionis genus aemulari, illique pretium ingens ſtatuere coeperunt. Sapientum igitur nomen illi primum adepti ſunt, qui profunda Naturae

Idem argumentum continuatur. Origo methodi docendi aenigmaticae.

arca-

arcana rimabantur, §. XLIV. et qui inſuper ſuas, tum de his, tum aliis etiam rebus, ſententias, aenigmatibus ingenioſis, et dictione aenigmatica inuoluere norant. Vere omnino obſeruatum eſt, [u] *illos inter Graecos, qui ſapientiae famam adepti ſunt, res non ſermone perſpicuo propoſuiſſe, ſed aenigmatibus inuoluiſſe.* Et obſeruari meretur, auctorem a me hic laudatum, id ipſum etiam ad mythologiam Graecorum applicare. Illis praeſertim hoc familiare admodum erat, quos vulgo ſeptem Graeciae Sapientes vocare conſueuimus, quemadmodum ex PLVTARCHI *Conuiuio ſeptem Sapientum* perſpicitur. In eo enim Sapientes hi, ſicuti et, qui cum ipſis conuiuio interſunt, aenigmatibus proponendis inter ſe certant. Illic p. 146. Thales, vnus e VII. Sapientibus, haec de Amaſide refert. *Miſerat Amaſis Aegypti rex* ad Biantem Prienaeum *victimam, iubens, vt exemtam ex ea, carnem tum optimam, tum peſſimam, ſibi mitteret. At noſter praeclare, linguam exſectam ad regem perferri curauit: quae res ei gloriam magnam, admirationemque peperit.* P. 152. de eodem Amaſi Aegyptio, refertur ex eius literis, quod ei cum rege Aethiopum certamen de ſapientiae praeſtantia, per aenigmata interceſſerit. Per Aethiopes forte hic, vt alias ſaepius, Arabes intelligendi veniunt, quorum ſapientia [w] Scripturae indicta non eſt, et quorum in proponendis ſoluendisque aenigmatibus ſtudium, [x] ex hiſtoria Salomonis notum eſt. Ad Conuiuium VII. Sapientum vt redeamus, legitur porro in eo p. 149. de Eumeti, vel Cleobulina, Cleobuli filia: *Sapientem, inquit, et famoſam non noſti Eumetidem? Tum Niloxenus: Nimirum, inquit, eam ob aenigmatum peritiam ac ſapientiam laudas. Nam et in Aegyptum, quaedam ab ea propoſitae quaeſtiones peruenerunt.* Denique p. 153. obſeruatur: *Enim vero priſcis quoque Graecis, in*

more

u. PAVSANIAS in *Arcadicis*, ſiue Lib. VIII. p. 613.

w. *Ierem.* XLIX. 7.

x. 1. *Regum* X. 1.

more poſitum fuit, huiusmodi inter ſe quaeſtiones obſcuras aenigmaticas proponere. Quod deinde Leſchae et Heſiodi exemplis confirmatur. Celebre cumprimis eſt aenigma CLEOBVLI, vnius ex VII. Graeciae Sapientibus, cuius meminere y plures, quodque ita habet:

y. DIOGENES LAERTIVS Lib. I. §. 91. STOBAEVS in Eclogis Phyſicis Lib. I. c. XI. SVIDAS in voce Κλεοβουλίνη.

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάςῳ
z Κοῦραι ἑξήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.
Ἡ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν· ἡ δ᾽ αὖτε μέλαιναι.
Ἀθάνατοι δέ τ᾽ ἐοῦσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

z. Ita ex STOBAEO emendat CASAVBONVS, aliter. Vide notas MENAGII ad Laërtium.

Quae ex verſione HVGONIS GROTII id latine ſonant:

Eſt vnus genitor, cui bis ſex ordine nati
Et ſexaginta natae, ſed diſpare forma;
Candida namque harum pars altera, et altera nigra eſt:
Cunctae immortales, morientes attamen omnes.

Significatur autem aenigmate hoc annus, conſtans duodecim menſibus, quorum vnusquisque dies triginta candidos, totidemque noctes nigras habet. Eſt igitur aenigma iſtud phyſicum, fabulis Aegyptiorum, quibus in Theologia ſua, corporum coeleſtium phaenomena et effectus ſubinnuere ſolebant, non valde diſſimile. Et credi poteſt, Cleobulum, a quem ſapientiae Aegyptiorum participem factum eſſe, conſtat, id ab Aegyptiis mutuo ſumſiſſe. Verum tamen ſapientia illa aenigmatica, multo antiquior cenſenda eſt, quod et PAVSANIAS innuit, et in PLVTARCHI *Conuiuio ſeptem Sapientum* diſertis verbis monetur. De Salomone namque rege Iſraëlitarum legimus, quod b *Regina Sabaeorum, eius fama permota, ad eum veniſſet, vt ſapientiam eius aenigmatibus exploraret.* Ex Annalibus quoque

a. SVIDAS in Κλεόβουλος. Adde DIOGENEM LAERTIVM Lib. I. §. 89.

b. 1. Reg. X. 1. etc.

que

que Phoenicum, MENANDER Scriptor antiquus memoriae haec prodidit: c *Hirami temporibus clarebat Abdemonis filius natu minor, qui difficultatem problematum, quae ſibi explicari iuſſit Solomon, Hieroſolymorum rex, ſemper ingenii ſubtilitate ſuperabat.* Et DIVS annales eoſdem ſecutus, ea de re in haec verba ſcripſit, d *Solomonem —— ad Hiramum aenigmata miſiſſe, pariter rogantem, ab ipſo vt alia acciperet: quique propoſita ſoluere nequiret, is ab interprete pecuniā mulctaretur. Hiramum vero, cum conditionem accepiſſet, et aenigmata explicare non potuiſſet, magnam pecuniae vim pro mulcta pependiſſe, poſtea per Abdemonem quendam hominem Tyrium, ſoluiſſe ea, quae propoſita erant, rurſumque alia propoſuiſſe, quibus ſoluendis cum haeſiſſet Solomon, Hiramo ab eo multum pecuniae perſolutum.* Similia his de Amaſide, rege Aegyptiorum, commemorare PLVTARCHVM, paulo ante monuimus. Et certe Salomonis aetate extitiſſe, notasque paſſim fuiſſe, ſententias Sapientum, ſtylo aenigmatico conſcriptas, ipſe ſatis indicat *Prouerb.* cap. I. v. 5. *Audiet ſapiens, adiicietque doctrinam, et intelligens conſiliis abundabit, vt intelligere queat parabolas, easque interpretetur, et verba Sapientum, atque eorum aenigmata.*

c. Apud IOSEPHVM Antiq Lib. VIII. cap. V. §. 3.

d. Apud eundem loc. cit.

§. XLIX. Quae de Sapientibus temporum antiquiſſimorum, eorumque ſermone aenigmatico, in genere obſeruauimus, ea vtique in Sacerdotibus etiam, et multo quidem magis, omnium vero maxime in Sacerdotibus Aegyptiorum, locum habent. Recte id verbis his obſeruauit CLEMENS ALEXANDRINVS: e *Omnes igitur, vt ſemel dicam, qui de rebus diuinis tractarunt, tam Barbari quam Graeci, rerum quidem principia occultauerunt, veritatem autem, per aenigmata, ſymbola, allegorias, metaphorasque, ſimilesque tropos tradiderunt, cuiusmodi ſunt etiam*

f *Methodum hanc aenigmaticam et allegoricam, in docendo propriam ſibi reddiderunt vetuſti gentium Sacerdotes.*

e. Stromatum Lib. V. p. 566. Sic

etiam apud Graecos Oracula. Inprimis vetuſtiſſimis Theologiae apud varias gentes conditoribus, magnopere ſemper placuit, vt rerum diuinarum cognitio, aliis non traderetur, niſi fabulis tecta et obuoluta, quia ſicuti vetus quidam et peringenioſus Philoſophus obſeruat, [f] fabulae inter obſcura Theologorum aenigmata, et perſpicuam Philoſophorum dogmaticorum orationem, medium quoddam tenent, cum his quidem ſint obſcuriores, illis vero clariores et intellectu faciliores. Aegyptiorum de rebus diuinis fabulas, in *Pantheo* noſtro perſaepe adferimus, et pro ingenii modulo explicamus. Graecorum, et tractae ab iis Romanorum de Diis ſuis fabulae, etiam pueris notae ſunt. Sed et aliorum Barbarorum, qui nempe literarum et ſapientiae ſtudium aliquo modo coluerunt, Theologia, ſuos ſemper habuit λόγους ἱερούς, *fabulas ſacras et allegoricas*, [g] diuerſas quidem a fabulis Graecorum, neque minus Aegyptiorum; ſed quibus tamen res propemodum eaedem ſignificantur, et hac quidem in re illis non valde diſſimiles. Tales quaſdam Phrygum et Paphlagonum fabulas ſacras adfert PLVTARCHVS *de Iſide* p. 378. Λόγον ἱερὸν Pelaſgorum, qui ſunt vetuſtiſſimi Graeciae incolae, commemorat HERODOTVS Lib. II. c. 51. Idem etiam Aegyptiorum λόγους ἱερούς [h] paſſim tangit. Eoſdem [i] AELIANVS appellat λόγους προφητικούς, et [k] PROCLVS ἱερατικούς. Et Syrorum quoque aliquem λόγον ἱερὸν [l] AELIANVS refert. Sunt autem illi λόγοι ἱεροὶ nihil aliud, quam quod CLEMENS *Alexandrinus*, de Aegyptiis loquens, appellat [m] ἱερατικὰς ἱστορίας Αἰγυπτίων, *hiſtorias* (vel fabulas) *ſacerdotales Aegyptiorum*, a Sacerdotibus nimirum confictas, et ad Sacrorum vſum translatas. Ideoque CHAEREMON Sacerdos Aegyptius, eoſdem appellauit

 τοὺς

et PROCLVS in Timaeum Platonis Lib. III. p. 216.

f. MAXIMVS TYRIVS Diſſert. XXIX. p. 350.

g. PHVRNVTVS de Natura Deorum cap. XVII. init.

h. Lib. I[illegible] c. 48. 62.

i. de Animal. Lib. XI. c. X. p. 649.

k. Lib. I. in Timaeum Platonis p. 59.

l. de Anim. XII. 30.

m. Lib. V. Stromat. p. 566. D.

[n] τοὺς ἱερατικοὺς μύθους, *fabulas ſacerdotales*. Erant et ab antiquo inde tempore, in plerisque, certe maioribus et celebrioribus, Templis, quidam ἐξηγηταὶ, *interpretes*, [o] qui peregrinis Templa adeuntibus, et in rationes Sacrorum inquirentibus, de fabulis ſacris tantum, quantum cognoſci volebant Sacerdotes, et quantum forte illi ipſi interpretes ſciebant, referebant atque explicabant. Templorum in Graecia ἐξηγητὰς paſſim commemorat, qui cum illis conuerſatus eſt, PAVSANIAS, in *Deſcriptione Graeciae*. In Aegypto ἐξηγητὰς huius generis, vel vt [p] HERODOTVS eos vocat, ἑρμηνέας, inſtituit Pſammetichus, qui a pueritia lingua graeca imbuti eſſent, et peregrinis omnia interpretarentur. Hos conſuluit Herodotus in Aegypto, et ex eorum relatione, vt opinor, pleraque accepit, quae de rebus Aegyptiorum ſacris memoriae prodidit. Habebant etiam [q] Aſſyrii et Arabes ſuos ἐξηγητὰς τῶν μύθων, *interpretes fabularum*, et ita [r] alii quoque. Has vero fabulas Sacerdotum Theologicas et ſacras, non continuiſſe res veterum heroum praeclare geſtas, verum ipſius naturae arcana, PHVRNVTVS, cum toto libro de *Natura Deorum* vbique aſſerit, tum capite praeſertim vltimo, multis adſtruit. Idemque ex Scriptoribus vetuſtis aliis, ſupra obſeruauimus, §. XLV.

n. In Epiſtola PORPHYRII ad Anebonem P. VII. ſin.

o. HARPOCRATION περὶ λέξεων, in voce Ἐξηγητής.

p. Lib. II. 54.

q. LVCIANVS in *Macrobiis* To. II. p. 632.

r. PLVTARCHVS de Iſide p. 355.

De Aegyptiis maxime id ipſum adductis teſtimoniis plurimis confirmatur.

§. L. Talis igitur erat, omni procul dubio, Sacerdotum quoque Aegyptiorum, in tradendis Sacris, ratio et methodus. Et ab his quidem methodus talis tradendi Theologiam, aenigmatica, ſymbolica, et fabuloſa, ad alios dimanaſſe videtur. De Graecis certum eſt. Nam qui apud hos doctrinam de rebus diuinis, eum ad modum traderent, Principes fuere Orpheus et Pythagoras, quos ſapientiam Aegyptiorum in Graeciam intuliſſe, apud

omnes

omnes conſtat. Et ea de re plura mox dicemus. Multa de hac Aegyptiorum Sacerdotum methodo et Theologia, PLVTARCHVS in libro *de Iſide et Oſiride* paſſim obſeruat, ex quo haec tantum nunc deſcribemus, quae leguntur p. 354. *Qui autem e militibus creabatur rex, ſtatim ſe Sacerdotibus dabat, fiebatque particeps Philoſophiae, occultantis pleraque fabulis, ac ſermonibus, obſcura veritatis indicia et argumenta habentibus, quod ſane ipſi declarant, ante Templa Sphyngas plerumque collocantes: quo innuunt, doctrinam ſuam rerum ſacrarum, conſtare ſapientia aenigmatica, et ſub inuolucris latente.* Similia de ſphyngibus obſeruat etiam CLEMENS *Alexandrinus* Stromat. Lib. V. p. 561. *Ideo Aegyptii ante Templa ponunt ſphyngas, quia doctrina de Deo aenigmatica eſt et ſubobſcura.* Poſtremum hoc veritati omnino conſentaneum eſt, an vero id ipſum ex veterum Aegyptiorum ſententia ſignificauerint ſphynges ante Templa collocatae, id aliis curatius explorandum et diiudicandum relinquo. IAMBLICHVS porro, vbi de ſymbolica docendi ratione, Pythagorae et Pythagoraeis vſitata, loquitur, iſthaec addit: [s] *Hic enim docendi modus, apud Graecos fere omnes, vt antiquiſſimus, excolebatur: inprimis vero Aegyptii multiplici eum honore ſtudioque complexi ſunt.* Apud LVCIANVM in Dialogis, vbi interlocutorum alter veſaniam religionis Aegyptiorum deridiculo habuiſſet, alter reſpondet: [t] *Turpia profecto ſunt, quae dicis de Aegyptiis. Attamen pleraque illorum ſunt aenigmata, non omnino a profanis deridenda.* Et ne in congerendis huius modi teſtimoniis, modum tranſiliam, vnum hocce tantum ORIGENIS addo, quia fabulas ſacras, vel hiſtorias de Diis, ſigillatim tangit. Ita autem ille: [u] *Videtur mihi ita facere Celſus, ac ſi aliquis peregrinatus in Aegypto, vbi Sapientes Aegyptiorum, eru-*

s. *De vita Pythagor.* cap. XXII. p. 86. Edit. Kuſteri.

t. in *Deorum Concilio*, Opp. To. II. p. 956.

u. Lib. I. aduerſus Celſum pag. 11.

diti doctrina domeſtica, multa philoſophantur de his, quae apud illos ſacra exiſtimantur, plebeii vero homines, fabulas quaſdam audientes, quorum rationem non intelligunt, vehementer ſibi placent earum cognitione, putet ſe pernoſſe omnem Aegyptiorum ſapientiam, ex vulgaribus colloquiis, cum nemine Sacerdotum conuerſatus, nec a quoquam eorum doctus de Myſteriis Aegyptiorum. Fabulae igitur illae ſacrae, a Sacerdotibus in vulgus ſparſae, de Oſiride, Iſide, Horo, Typhone, aliaeque conſimiles, longe aliud quid ſignificabant, quam vulgus iis auditis, ſibi imaginabatur, celabant myſteria, nimirum naturae, et non niſi ex doctrina Sacerdotum arcana explicari poterant.

Idem ex docendi methodo Pythagoraeorum, quam hi acceperunt ab Aegyptiis, corroboratur et illuſtratur.

§. LI. Verum cuius indolis fuerit illa Aegyptiorum diſciplina ſymbolica et myſtica, non melius poterit intelligi, quam ex rationibus diſciplinae in Scholis Pythagoraeorum obſeruari ſolitae. In eo enim Pythagoram imitatum eſſe Aegyptios, et w, veteres diſerte teſtantur, et res ipſa clare loquitur. De Pythagoraeis haec memoriae prodidit PROCLVS, quae breuitatis amore, in latinum conuerſa adſcribo. x *In more poſitum fuit Pythagoraeis, vt, antequam rerum ſcientias perſpicue tradant, quaeſtionum propoſitarum dilucidationes, per ſimilitudines et imagines praemittant, atque tum his poſtea ſubiungant rerum earundem per obſcura ſymbola, demonſtrationem arcanam, et ſic demum, vbi intellectus, ad res has cognoſcendas, excitatus, oculusque Mentis perpurgatus eſt, totam de rebus, quae explicandae ſunt, doctrinam, ordine et perſpicue proponant.* Primus igitur gradus inſtitutionis in Scholis Pythagoraeorum hic erat, vt res, quae doceri debebant, exponerentur per ſimilia, ceu quaſdam rerum tradendarum imagines, quibus parabolae ac fabulae videntur annumerandae, etſi PROCLVS loc. cit.

w IAMBLICHVS de vita Pythag. c. XXIII. init. PLVTARCHVS de Iſide p. 354.

x, Lib. I, in Platonis Timaeum p. 10.

cit. has ad ordinem ſymbolorum et aenigmatum referre maluerit. Succedebat huic inſtitutionis gradui alius, vt res de quibus edocendi erant diſciplinae huius alumni, ipſis per ſymbola, id eſt, ſententias oppido obſcuras et aenigmaticas proponerentur et inculcarentur. Operae pretium eſſe iudico, vt haec, quae de inſtitutione Pythagoraeorum dixi, exemplis nonnullis illuſtrem, vt hac ratione, et inſtitutionis illius indoles, et eius cum diſciplina Aegyptiorum ſumma concordia tanto melius pateat.

Pythagoraeorum diſcipuli inſtituebantur primo per ſimilia, deſumta I. ex numeris.

§. LII. In Scholis itaque Pythagoraeorum, locum primo habebat inſtitutio per ſimilia et imagines, quae Orphicis etiam quodammodo propria erat. Obſeruat PROCLVS, y *eorum qui per demonſtrationem* (δι᾽ ἐνδείξεως) *de rebus diuinis diſſerunt, quoſdam loqui ſymbolice et fabuloſe, alios per ſimilitudines*, alios denique *aperte cogitationes ſuas et ſententias enuntiare. Rationem* porro *docendi per ſymbola* ait *eſſe Orphicorum, et eorum quoque, qui ſcientiam rerum diuinarum ſub cortice fabularum proponunt.* Deinde ſic pergit: *Etiam Pythagoraei Mathemata excogitarunt, ad rerum diuinarum commemorationem, et per haec, quaſi per imagines et ſimilitudines, ad illas tranſire annitebantur. Etenim numeros et figuras Diis attribuerunt, quemadmodum dicunt, qui res eorum narrare ſtudent.* Paria habet idem auctor in Commentario ad Euclidem Lib. I. p. 6. 7. Similitudines igitur imaginesque Theologicae Pythagoraeorum, deſumtae erant ex Arithmetica et Geometria, *numeris* videlicet et *figuris*, per quas intelligendae veniunt figurae geometricae, quales ſunt *triangulus*, *cubus* etc. Luculentius id ipſum explicat PORPHYRIVS *de vita Pythagorae.* Et de numeris quidem Pythagoraeorum ita diſputat: z *Mathematicis ſcientiis et ſpeculationibus illis,* quae

y. In Theologiam Platonis Lib. I. c. IV.

z. p. 202. Edit. Cantabrig. vel 45. Edit. Kuſteri.

quae inter corpora et incorporea media ſunt, et quaſi in vtrorumque confinio —— veluti praeexercitationibus paulatim vtebatur, ad contemplationem eorum, quae vere exiſtunt: — Doctrinam numerorum autem —— hanc ob cauſam ſtudioſe excoluerunt: Cum enim primas formas, primaque principia oratione perſpicue explicare nequirent, quod et intellectu et prolatu difficillima ſint; ad numeros, manifeſtioris doctrinae cauſa, confugerunt: Geometras atque Grammaticos imitati. Vt enim hi literas earumque poteſtatem tradituri, ad notas illas confugiunt, easque veluti prima docendi elementa eſſe dicunt; ſed nihilo minus poſtea docent, notas illas non eſſe elementa; ſed illarum ope vera elementa cognoſci. Nempe Philoſophi hi [a] *numerum* vocabant *patrem Deorumque et hominum.* Extat eam in rem hic eorum verſus

a. ROCLVS ...l. I. in Timaeum Platonis, p. 6.

b Κέκλυθι κύδιμ' ἀριθμέ, πάτερ μακάρων, πάτερ ἀνδρῶν

Audi me o glorioſe numere, pater Deorum beatorum, paterque hominum.

b. Apud SIMPLICIVM in Ariſtotelis Auſcultat. Phyſic. Lib. III. fol. 104. b.

Singulos vero numeros totidem Deorum nominibus inſigniebant, ita vt [c] *vnitatem appellarent Apollinem, binarium Dianam, ſeptenarium Mineruam,* * *numerum quendam* δικαιοσύνην, *id eſt iuſtitiam, alium vero* σωφροσύνην, *id eſt temperantiam.* Et ſic de aliis. Sicuti vero Pythagoras, quod [d] multi teſtantur, doctrinam de numeris ex Aegyptiorum inſtitutione hauſit, ita etiam nullus dubito, quin doctrinae huius ad res diuinas translationem et applicationem ab iiſdem acceperit. Fateor quidem huius Aegyptiorum

c. ...LVTARCHVS de Iſi... p. 354.

d. Supra §. XLIII.

* PORPHYRIVS de Abſtinent. Lib. II. p. 188. Plura de his omnibus vide ſis, in MEVRSII *Denario Pythagorico.*

rum Theologiae arithmeticae vix ac ne vix quidem mentionem occurrere, ex quo colligo, parciorem fuiſſe eius in inſtitutione Sacerdotum, et ſcientiis ipſorum vſum; ſed ſuperſunt tamen quaedam illius veſtigia, non valde obſcura. Quando enim Pythagoraei docebant, [e] Monadem, numerum primum, rerumque omnium principium, eſſe maſculo-foemineum, an non doctrinam Aegyptiorum aperte ſuam fecere? Numerus binarius [f] in Theologia Pythagorica dicebatur *Iſis* et Diana, vbi *Iſidis* nomen, originem ſuam Aegyptiacam aperte prodit. In eadem Theologia, [g] numerus quinarius appellari ſolebat *Nemeſis*, quam fuiſſe Deam Aegyptiorum, [h] alibi docuimus, et *Bubaſtia*, cuius [i] ipſum adeo nomen Aegyptiacum eſſe, norunt eruditi. Iſta nunc ſufficiant. Plura dabit rerum huiusmodi auidis MEVRSII *Denarius Pythagoricus*.

§. LIII. Aliae ſimilitudines a Pythagoraeis, in tradenda ſcientia rerum diuinarum adhibitae, ex figuris Geometricis deſumtae erant, quae tamen cum numeris Pythagoraeorum tantam habent affinitatem, vt ad eandem referri queant, et a PORPHYRIO etiam re ipſa referantur. Et iſte quidem auctor docebit nos, quemnam figurae hae Pythagoraeis in doctrina ipſorum Theologica, vſum praeſtiterint. Sic autem is: [k] *Et Geometrae, cum* * *formas incorporeas verbis proponere non valeant, ad figurarum deſcriptiones confugiunt: dicentes, hoc* Δ *eſſe triangulum; non quod hoc ipſum, quod ſub aſpectum cadit, triangulum eſſe velint, ſed iſtud omne, quod huiusmodi figuram obtinet, quodque huius ope, conceptum atque cognitionem trianguli animo repraeſentat.*

Et II. ex figuris Geometricis.

e. Vide *Pantheon* noſtrum Lib. I. cap. III. §. 6.

f. IAMBLICHVS in Nicomachi Arithmeticam p. 14.

g. NICOMACHVS in Theologia Arithmetica, apud PHOTIV[M] Biblioth[eca] col. 464.

h. Lib. I. c. V. §. 4.

i. Vide Lib. III. cap. II[I]

k. in vi[ta] *Pythagora[e]* p. 203. Ed[it.] Cantabr. v[el] 46. Edit. Küſteri.

* ita vertit HOLSTENIVS, cum in graeco legatur σωματοειδῆ, id eſt *figuras corporeas*. Sed ſine dubio corrigere voluit ἀσώματα εἴδη.

tat. Idem ergo et Pythagorael in primis rationibus, ſiue affectionibus formisque fecere. Cum enim incorporeas formas ac prima principia verbis tradere non poſſent, ad demonſtrationem per numeros confugerunt: atque ita vnitatis quidem et identitatis atque aequalitatis rationem, cauſamque amicae conſpirationis atque mutuae affectionis et conſeruationis vniuerſi, ſecundum idem ac eodem modo ſe habentis, vnum appellarunt. Vnum enim illud, quod in particularibus conſpicitur, tale exiſtit; partibus vnitum et conſpirans, ob primae cauſae participationem. Diuerſitatis autem atque inaequalitatis omnisque diuidui, et in continua mutatione verſantis, et modo hoc, modo illo modo ſeſe habentis, biformem rationem, binarium vocabant. Nam et binarii in rebus particularibus talis natura eſt. Sed rem eandem, cur nempe Pythagoraei in tradenda doctrina ſua Theologica, vti voluerint figuris ex Geometria mutuo ſumtis, tanquam ſimilibus quibuſdam, operae pretium eſt illuſtrare, verbis vetuſti cuiuſdam Philoſophi, quae ita ſe habent: [1] *Nunc praeſtanda eſt ratio formae iſtius triangularis, in qua ſunt limites ſeptem, et ſex interualla, duplicis et triplicis quantitatis. Nullam dico eſſe aptiorem figuram, quam eſt haec, in qua ſingularitas* (Monas) *cacumini ſuperimpoſita, ſummitatem atque arcem obtinere conſideratur, vt per eam, velut emiſſaculum quoddam, tanquam e ſinu fontis perennis, prouidae intelligentiae, quaſi quidam largus amnis efflueret: ipſaque ſingularitas* (Monas) *Mens, ſiue intelligentia, vel ipſe Deus Opifex intelligatur eſſe. Cum enim* (Monas) *ſit origo numerorum, omnibusque ex ſe ſubſtantiam ſubminiſtret, rationesque eorum tam ſimplices, quam multiplicatas, ipſa contineat, ceteris numeris, incrementis, imminutionibusque mutatis, atque ex propria natura recedentibus, ſola inconcuſſo iure eſt.*

1. CHALCIDIVS in Timaeum Pla-[...]nis cap. [...]XIX. p. 292. [...]it. Fabri-[...]i.

eſt, atque in ſtatu ſuo perſeuerat; ſemper eadem, ſemper immutabilis, et ſingularitas (Monas) *ſemper, quemadmodum diuina omnia, quae nulla temporis progreſſione mutantur, ſuntque ſemper impatibili felicitate.* Haec vero, quae indolem doctrinae Pythagoraeorum Theologicae, per figuras Geometricas, non parum illuſtrant, tam bene cum [m] placitis Aegyptiorum de *Phtha*, vel *Vulcano* ipſorum conueniunt, vt vix opus ſit monere, Pythagoraeos hanc ſuam doctrinam videri ab Aegyptiis mutuatos eſſe. Spectat eo, quod ſupra iam monuimus, §. XXXIV, prima in Aegypto diuinitatis ſymbola, obeliſcos fuiſſe et pyramides, moles quae figura ſua triangulum repraeſentant. An non diceres, Sacerdotes Aegyptiorum, huiusmodi moles erigendo, eadem plane in animo habuiſſe, quae de Triangulo diſputabant Pythagoraei? niſi ex teſtimonio PLINII, quod loco cit. adduximus; quodque ipſa vetus Aegyptiorum lingua mirifice confirmat, conſtaret, moles illas ſtupendas, non primum rerum omnium Principium, verum potius Solem, adumbraſſe. Fuerintne vero Sacerdotes quidam, in arcana ſua doctrina, etiam de Pyramidibus ac Obeliſcis, more Pythagoraeorum ratiocinati, nunc quidem incertum, at minime improbabile eſt. Et in vniuerſum Pythagoraeos, hanc tradendi dogmata ſacra rationem et methodum, ex Aegyptiorum diſciplina accepiſſe, liquere poteſt ex his PLVTARCHI; [n] *Apparet, etiam Pythagoraeos Typhoni vim genii adſignaſſe. Natum enim eum aiunt eſſe menſura* (vel *numero*) *pari, quinquageſima ſexta nimirum. Rurſum triangulam figuram Plutonis, Bacchi et Martis eſſe aiunt: quadratam Rheae, Veneris, Cereris, Veſtae, et Iunonis: duodecim angulorum figuram Iouis: quinquaginta ſexangulam Typhonis, vt Eudoxus tradit.* Nam haec ab Aegyptiis ad Pythagoraeos dimanaſſe, ipſum nomen

Typho-

m. Vide *Panthei* Lib. I. cap. II. §. 8. et II. cap. III. §. 6.

n. *de Iſide et Oſir.* p. 363. init. Vide et p. 367. fin. 370.

Typhonis, Daemonis, vel Genii Aegyptii, ſatis prodit. Idem etiam ex eo colligi poſſe arbitror, quod PLVTARCHVS haec ad illuſtrandas res Aegyptiorum attulerit, quodque ea depromſerit ex EVDOXO, Sacerdotum Aegyptiorum alumno, et qui de eorum rebus plura egregia memoriae prodiderat. Cum vero haec Aegyptiorum, per numeros et figuras geometricas, inſtitutio, nonniſi apud initiandos adhiberetur, mirum non eſt, de ea apud veteres pauciſſima memoriae mandata reperiri.

uccedebat apud Pythaeos, inio per ola, quis inuoluevant doctrinam phyſicam. Id autem ab Aegyptiis tractum erat.

§. LIV. Inſtitutioni per ſimilitudines et imagines, ſuccedebat in Diſciplina Pythagoraeorum, inſtitutio per ſymbola, ſic autem vocantur ſententiae breues; ſed obſcurae aenigmaticae, continentes aut doctrinam de rebus naturalibus, aut praeceptum aliquod vitae inſtituendae practicum. Symbolis Pythagoricis nihil notius eſt apud Scriptores hiſtoriae Philoſophicae veteres. Illorum quaedam referebantur ad doctrinam de rebus naturalibus, de quibus haec obſeruat PORPHYRIVS: o Ἔλεγε δέ τινα καὶ μυστικῷ τρόπῳ συμβολικῶς. —— οἷον, ὅτι τὴν θάλατταν μὲν ἐκάλει * Κρόνου δάκρυον. Τὰς δὲ ἄρκτους Ῥέας χεῖρας. Τὴν δὲ Πλειάδα Μουσῶν λύραν. P Τοὺς δὲ πλανήτας Κύνας τῆς Περσεφόνης. Τὸν δ' ἐκ χαλκοῦ κρουομένου γινόμενον ἦχον ** ἔλεγε φωνὴν εἶναι τινὸς τῶν δαιμόνων ἐναπειλημμένην τῷ χαλκῷ. *Quaedam etiam arcano et myſtico modo, per ſymbola et aenigmata proferebat. ——— Verbi gratia, cum mare lachrymam Saturni appellaret: vrſas vero polares,*

o. In *vita Pythagorae*, p. 199. Edit. abrig. 41. Edit. teri. Sic et CLEMENS *Alexandr.* p. 571.

* In Editionibus vulgatis legitur εἶναι δάκρυον, et ſic HOLSTENIVS vertit, *cum mare lachrymam appellaret.* Sed legendum, vti correxi, et latine reddidi, Κρόνου δάκρυον, ex PLVTARCHO p. 364. et CLEMENTE *Alexand.* p. 571.

** Vocem hanc, quae ex Textu graeco excidiſſe videtur, hic reſtitui.

res, Rheae manus; Pleiadem Muſarum lyram; Planetas canes Proſerpinae: ſonum autem, qui aeris percuſſu redditur, dicebat daemonis cuiuſdam vocem eſſe, in ipſo aere incluſam. Quaedam horum Symbolorum etiam [q] CLEMENS ALEXANDRINVS inter Pythagoraeorum aenigmata memorat. Idem [r] alio loco *Aegyptiorum* quoque *Aenigmata* tangit, et eorum haec exempla adfert. *Ex Aegyptiis nonnulli Solem in nauigio, alii ſuper crocodilum pingunt. Significant autem, quod Sol per aërem dulcem et humidum ingrediens, gignit tempus, quod ex alia quadam ſacerdotali hiſtoria intelligitur.* Et quam non ſymbolis Pythagoraeorum, haec Aegyptiorum ſimilia ſunt, quando [s] *ſalem marinum* dicebant *ſpumam Typhonis*, [t] *vitem* vero *ſanguinem eiuſdem terrae mixtum?* Conſimiliter in hiſtoriis ſacerdotalibus perhibebatur, [u] *lepidotum, phagrum*, et *oxyrinchum*, piſces Niloticos, guſtaſſe de genitalibus Oſiridis, in fluuium proiectis, vel ſecundum alios, [w] *oxyrinchum ex vulneribus Oſiridis ortum eſſe.* Huius generis etiam ſunt, nomina herbarum ſymbolica apud Aegyptios: quod *Artemiſiam* appellarent *cor Bubaſtis: Bulbum Scylliticum, Typhonis oculum: crocum, ſanguinem Herculis*, et quae ſunt huius generis plura, de quibus nonnulla etiam dicentur §. LVIII. Ad haec Aegyptiorum ſymbola, ſi ita velis, referri pariter poſſunt eorundem fabulae de multiplici variaque Solis forma, fabulae plures de Ammone, de Hercule, de Harpocrate, de Typhone, et quae non aliae? quarum pleraſque, aut certe praecipuas, ſuis locis tangimus. Vere igitur, quod monuimus §. L, de Aegyptiis IAMBLICHVS obſeruat, *eos inprimis hunc dicendi per ſymbola characterem, maximo in pretio habuiſſe, et multiplici ſtudio excoluiſſe, atque illos imitatum Pythagoram, in eo quoque plurimum diligentiae poſuiſſe:*

vt

q. loc. cit.

r. Stromat. Lib. V. p. 566.

s. PLVT[illegible]CHVS de [illegible] de p. 363.

t. *Idem* p. 353.

u. *Idem* p. 358.

w. AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 46.

ut qui x *viam docendi per ſymbola ingredi coeperit eodem modo, quo in Aegypto doctus erat.*

x. *Idem in vita Pythagorae* cap. V. p. 16.

Pythagoraei, imitati Aegyptios, per ſymbola etiam tradebant doctrinam practicam.

§. LV. Praeter haec Pythagoraeorum ſymbola, quae poſſumus appellare phyſica, alia a veteribus ſaepe commemorantur, quorum vſus erat in tradenda doctrina practica. Audiamus de his PORPHYRIVM ita differentem: y *Erat et aliud quoddam ſymbolorum genus huiusmodi: Stateram non eſſe tranſiliendam: hoc eſt auaritiam fugiendam. Ignem gladio non fodiendum: id eſt tumidum et iracundum aſperis verbis non commouendum. — Cor non comedendum: hoc eſt, non oportere ſemetipſum moerore conficere. — Deorum imagines in annulis non ferendas: id eſt ſapientiam ſermonemque de Diis non temere paſſim in promtu habendum, nec in vulgus efferendum. Libamina Diis facienda iuxta auriculam poculorum. Eo enim indicabat, Deos Muſica honorandos ac celebrandos eſſe: ea enim aures penetrat.* Notum eſt, ſententias has morales aenigmaticas, inprimis *Symbolorum Pythagoricorum* nomine intelligi, easque z permultorum ſermonibus, olim cum maxime, celebratas fuiſſe. Easdem ex vetuſtis Scriptoribus diligenter collectas, nomine *Pythagorae Symbolorum*, vulgauit, et Commentario erudito illuſtrauit LILIVS GYRALDVS, qui typis ſaepe repetitus manibus doctorum teritur. Pythagoram vero ſymbola haec, ſtitis tantopere commendata, moribus et inſtitutionibus Sacerdotum in Aegypto debere, quin imo pleraque ab ipſis traxiſſe, mutuoque ſumſiſſe, et veteres obſeruant, et res ipſa loquitur. Oſtendamus id vno alteroue exemplo. Erat inter celebrata illa Pythagorae ſymbola, et hoc, *cor non eſſe edendum*, quod, vti fere omnes obſeruant, nihil aliud, niſi hoc ſignificat, *non oportere ſe ipſum moerore conficere.* Dubitare non poſſum, quin hoc Pythagoras ex Aegyptiorum

y. In *vita Pythagorae* p. [illegible] Edit. Fabr. et Edit. Kuſteri.

z. Vide praeter PORPHYRIVM iam allatum, IAMBLICHVM in *vita Pythagorae*, cap. XXIII. p. 183. DIOGENEM LAERTIVM Lib. VIII. §. 17. 18. 19. PLVTARCHVM *de liberor. inſtitut.* p. 12. et *de Iſide* p. 354. aliosque.

ptiorum ſermone deſumſerit. Nam in illo ⲞⲨⲰⲘ ⲚϨⲎⲦ, *cor comedere* dicitur de iis, qui poenitentia alicuius rei ducuntur, vel quibus rei alicuius memoria aut cogitatio, ſenſum moleſtum, curam vel moerorem adfert, vt *Exodi* XIII. 19. Pſ. CX. 4. Rom. XI. 29. Videtur locutio haec metaphorica, initio Sacerdotibus, et linguae eorum ſacrae ſymbolicae, de qua §. LVI, fuiſſe propria, vnde eadem non modo Pythagoraeis; ſed * Myſtis quoque tribuitur. Ex locutione illa myſtica, initio Sacerdotibus et initiatis tantum perſpecta, ab aliis vero minus recte intellecta, crediderim deriuandum eſſe, [a] quod in Oriente perſuaſio inualuerit, Magos poſſe cor hominis viuentis conſumere. Verum poſthaec locutio illa ſucceſſu temporis, in communem ſermonem ſe etiam inſinuauit, vnde in Coptica Bibliorum verſione, etiamnum toties legitur. Quinimo videmus, eadem loquendi forma vſum quoque eſſe HOMERVM Iliad. Z. v. 201. de Bellerophonte:

> Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο
> Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

id eſt ex verſione [b] CICERONIS:

> *Qui miſer in campis moerens errabat Aleis*
> *Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.*

Vnde eorum forte ſententia confirmari poſſet, [c] qui Poëtam hunc gente Aegyptium fuiſſe, contendunt. Sed, vt verum tamen fateor, locutio haec, rei quam

a. les V... ges de ... TRO ... LA VAL... To. III. p. 594. 595. etc. Verſ. gallic.

b. Tuſc... lan. Lib. I... c. 26.

c. HELIODORVS Lib. III Aethiop. p. 149. Edit. Bourdelot.

* CLEMENS *Alexandr.* Lib. V. Stromat. p. 560. extr. Et videntur ſane Sacerdotes, aut in vniuerſum, aut ſaltem in caſtimoniis ab edendo quorumcunque animalium corde abſtinuiſſe. AELIANVS igitur, quando obſeruat, accipitrem cor non comedere, *de Animal.* Lib. II. c. 42. addit, eſſe hoc τελεστικὸν καὶ μυστικὸν, *ex diſciplina initiatorum et Myſtarum deſumtum.*

quam exprimit, adeo conformis eſt, vt nunc in pleriſque linguis cultioribus reperiatur. Eſt et aliud Pythagoraeorum ſymbolum, praecipiens, vt *fabis abſtineatur*, cuius ſententiae ſymbolicae, veteres [d] rationes admodum diuerſas reddere ſolent. Id autem bene omnino et vere GYRALDVS monuit, videri ſymbolum hoc ab Aegyptiis eſſe tractum. Etſi enim [e] faba Aegyptia optima eſſet, et in magno pretio haberetur, nouimus tamen ex teſtimonio Scriptorum praeſtantiſſimorum [f] *Aegyptios fabis ſerendis operam non valde dediſſe, et conſitas plerumque non ediſſe, Sacerdotes vero fabam ne intueri quidem ſuſtinuiſſe, exiſtimantes eam eſſe immundam.* [g] *Quidam* eorum etiam, *ſe patrum potius capita, quam fabas eſituros eſſe dicebant.* Ex Aegypto mos hic vna cum Myſteriis in Graeciam perueniſſe videtur, quod [h] ex Myſteriis Orphicis Eleuſiniisque colligere quodammodo licet.

§. LVI. Symbolica haec docendi res diuinas methodus, ab Aegyptiis ideo primo inuenta, et a Pythagoraeis poſtea adoptata fuit, vt audita non ita facile intelligi ac plene perſpici poſſent. Dicebantur talia initiatis tantum ac exercitatis: Reliqui nullum ex iis fructum percipiebant. De Pythagoraeis non male vetus quidam Anonymus ita iudicat: [i] *Nihil adeo proprium eſt Philoſophiae Pythagoraeorum, quam ſymbolicum doctrinae genus, vbi tanquam in ſacra initiatione, vox ſilentio permixta eſt. —— Nam ſtatim quodlibet dictum exercitatis lucem et characterem ſui in promtu oſtendit. Quemadmodum enim Apollo Delphicus, non dicit, nec abſcondit; ſed innuit, iuxta Heraclitum: ſic e Pythagoricis ſymbolis, et quod dici videtur, abſconditur, et quod abſconditur, intelligi videtur.* Eodem modo comparatum erat cum inſtitutione Aegyptiorum ſymbolica, quae aliquam ſapientiae, et profundae doctrinae ſpeciem, illo

CLEMENS *Alexand.* p. 302.

d. Conſuli hic poteſt, GYRALDVS in Symbola Pythagorae.

e. VINDETVS *de ſtatu vita functorum* Sect. V.

f. HERODOTVS Lib. II. 37. PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. VIII. p. 729.

g. SEXTVS *Empiricus* p. 184. Edit. Fabric.

h. PAVSANIAS in Atticis p. 90.

Methodus haec docendi ſymbolica et aenigmatica Aegyptiorum, effecit, vt doctrina eorum non intelligi poſſet, niſi ab initiatis.

i. Apud STOBAEVM Serm. V. p. 69.

illo inprimis tempore, prae ſe ferebat, vere tamen, aut perfecte, neminem erudiebat, niſi exercitatum, aut initiatum. Reliqui ſonum verborum, ſed minus intellectorum et perſpectorum, audiebant quidem, et nonnunquam forte, ſe in ſtudio ſapientiae Aegyptiorum, profectus feciſſe non poenitendos, augurabantur: re ipſa vero, aut plane nihil percipiebant, aut nihil ſaltem, cum certitudinis ſenſu, aſſequebantur. Qui multum temporis, ſtudii, et laboris impendebant, vt verum doctrinae illius ſymbolicae ac aenigmaticae ſenſum diuinando attingere poſſent, intra coniecturarum limites ſe tamen continere ac ſubſiſtere cogebantur. Quo quis plus aliis ingenio et doctrina valebat, tanto maiorem explicationibus ſuis et coniecturis, *ſpeciem probabilitatis* conciliare poterat; verum *ad plenam in rebus his certitudinem*, peruenire *vix ac ne vix quidem* cuiquam integrum erat. Hinc ille in interpretatione fabularum Aegyptiacarum, etiam inter doctiſſimos quosque, tantus, tamque multiplex et mirificus diſſenſus obſeruatur, quem ex PLVTARCHI libro *de Iſide et Oſiride* colligere quiuis facile poteſt. Et profecto, ſi ſingulas illas Aegyptiorum fabulas ſacras aenigmaticas, ſeorſim conſideres, quantamcunque etiam diligentiam et vim attentionis adhibeas, fieri vix poſſe videtur, vt in genuinum earum verumque ſenſum penetres, ac *veluti intromittaris*. Verum nunc tamen, in illa literarum luce, qua fruimur, in illa antiquitatis omnis cognitione vberrima, quam huic mundi aetati reſeruauit Deus, aſſequi id ſaltem aliquo modo poterit, qui *priſcas Sacerdotum Aegyptiorum* fabulas ſollicite eruet, easque ab additamentis Graecorum recentiorum ſecernet, qui ad harmoniam et nexum fabularum inter ſe diligenter attendet, qui ex nexu illo omnes diiudicabit, et, vbi id facere licebit, cum aliis etiam Orientalium, Brach-

manum cumprimis Indorum, fabuloſis et ſymbolicis traditionibus curate conferet, nam has, vt plurimum, ex Aegyptiorum fontibus olim dimanaſſe, multis indiciis liquet; etſi tamen, vt fieri ſolet, tractu temporis, modo non vno interpolatae, ac incruſtatae fuerint.

Ex magna ſymbolorum copia, in Aegyptiorum doctrina, enata eſt dialectus Sacerdotum ſymbolica.

§. LVII. Obſeruatione dignum puto, Sacerdotes Aegyptiorum, in tradenda doctrina ſacra, non modo ſymbola quaedam adhibuiſſe, qualia etiam in Scholis Pythagoraeorum recepta erant; verum doctrinam Aegyptiorum, tanta horum ſymbolorum abundaſſe copia, vt illa peculiarem aliquam *dialectum* pepererint, *ſacram*, vel *ſacerdotalem*, qua nempe *Sacerdotes*, ac ſpeciatim *Scribae Sacrorum*, in Sacris, in aliorum inſtitutione, in libris denique ſuis, ac Monumentis religioſis, vtebantur, et quam praeter ipſos, nemo recte et per omnia intelligebat. Dialectus illa ſimilis aliqua ratione erat ſcripturae hieroglyphicae; ſi quis ergo ea, quae veteres de hieroglyphicis Aegyptiorum obſeruant, rite expendat, ex iis colligere poterit, cuiusnam generis fuerit illa Sacerdotum dialectus ſymbolica. Mentionem illius, quod acute perſpexit [k] vir elegantiſſimi ingenii, facit MANETHO, Sacerdotum in Aegypto, regnante Ptolemaeo Philadelpho, Princeps, is enim in aliquo libro aſſeuerauit, [l] ſe ſua deſumſiſſe, ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν, ἱερᾷ διαλέκτῳ, καὶ * ἱερογραφικοῖς γράμμασιν κεχαραγμένων, ὑπὸ Θὼθ, τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ: *ex columnis in Seriadica terra poſitis, et lingua ſacra, ac hieroglyphicis literis, a Thoth, Mercurio primo conſignatis.* Sacerdotibus hic tribuuntur et literae ipſis propriae, hieroglyphicae ſcilicet, et dialectus ſacra, ipſis nempe tan-

k. Mr. WARBVRTON *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens.* To. I. p. 74. etc.

l. Apud GEORGIVM SYNCELLVM Chronogr. p. 40.

* In *Panthei* Libro V. cap. V. §. 18. oſtendi, legendum hic eſſe ἱερογλυφικοῖς. Et ſic latine verti.

tantum vſu trita. Nec minus opportune vir idem egregius, prouocat ad eiuſdem MANETHONIS *Aegyptiaca*, in quibus hoc legebatur: [m] Ἐκαλεῖτο δὲ σύμπαν αὐτῶν ἔθνος ΥΚΣΩΣ, τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες. Τὸ γὰρ ῾ΥΚ, καθ᾽ ἱερὰν γλῶσσαν, βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ ΣΩΣ ποιμήν ἐστι, καὶ ποιμένες, κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον, καὶ οὕτω συντιθέμενον γίνεται ΥΚΣΩΣ. —— Ἐν δ᾽ ἄλλῳ ἀντιγράφῳ, οὐ βασιλεῖς σημαίνεσθαι διὰ τῆς τοῦ ΥΚ προσηγορίας, ἀλλὰ τοὐναντίον αἰχμαλώτους δηλοῦσθαι ποιμένας. Τὸ γὰρ ΥΚ πάλιν Αἰγυπτιαστὶ καὶ τὸ ΑΚ δασυνόμενον, αἰχμαλώτους ῥητῶς μηνύει. *Vocabatur autem gens eorum vniuerſa* HYCSOS, *id eſt* Reges Paſtores, HYC *enim in ſacra lingua* Regem *ſonat*, SOS *vero* Paſtorem, *ſiue* Paſtores, *ſecundum dialectum communem*, *vnde vox compoſita* HYCSOS. —— *In alio autem exemplari*, *nomine illo* HYCSOS, *non* reges *ſignificari comperi*; *ſed e diuerſo*, captiuos paſtores *indicari*. HYC *enim iterum lingua Aegyptiaca*, *et* HAC *cum adſpiratione*, captiuos *proprie nominatimque ſignificat*. Hic igitur linguam ſacram, vel ſacerdotalem Aegyptiorum, commemorari videmus. Et ex voce, quae ex illa ipſa lingua profertur, aliquod de illa iudicium ferre licebit. Vox illa eſt ΥΚΣΩΣ, ex duabus, ΥΚ et ΣΩΣ, compoſita. Vocum harum altera ΣΩΣ non habet, quod quenquam merito poſſit morari. Teſtatur MANETHO, in dialecto communi voce hac deſignari *Paſtorem*. Et ita res omnino ſe habet. In dialecto Sahidica, ſiue Aegypti ſuperioris, ϢⲰⲤ, *Schos*, vel *Sos*, dicitur *Paſtor*. Extat Oxonii in Bibliotheca Bodleiana, Euangelium Iohannis, ea dialecto expreſſum, in cuius cap. X. vox illa aliquoties occurrit. Inueni eandem in Monumentis aliis Copticis huius dialecti. Vox

m. Apud IOSEPHVM Lib.I. cont. Apion. §.14. p. 445.

vero altera ϒK maiorem difficultatem parit. Secundum MANETHONEM, aliud ſignificat in dialecto communi, aliud in dialecto ſacra. In dialecto communi ϒK adſpiratum, id eſt HYC vel HAC, *vinctum* ſignificat, vbi recte, vt opinor, monuit n LVD. PICQVIVS, Doctor quondam Sorbonicus, impenſe doctus, deſignari hic vocem ϧΗΚ, id eſt HAC vel CHAC; verum minus recte addit, voce illa ſignificari *vinctum*, etſi MANETHO id affirmauerit, cuius neſcio vtrum inſcitiam, an vero malam fidem reprehendere hic debeam. ϧΗΚ et ϧωκ Aegyptiorum ſermone non dicitur *captiuus*, aut *vinctus inſtar captiui*. Proprie vox illa ſignificat, *cingere*, aut ſe ipſum, aut alium, *Leuit.* VIII. 7. 8. 13. *Lucae* XII. 35. Dicitur etiam de animalibus, quae cinguntur, aut inſternuntur. *Geneſ.* XXII. 3. *Numer.* XX. 21. Eadem voce etiam ſignificatur *ſe armare*, vel *armis ſe cingere. Numer.* XXXI. 3. 5. Nam, vt PAVSANIAS monet: o Τὸ ἐνδῦναι τὰ ὅπλα ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι. *Arma induere, veteres cingere dicebant.* Et *armatura* ipſa hinc dicitur Πιϧωκ. *Epheſ.* VI. 13. Et perſuaſus omnino ſum, Sacerdotes Aegyptiorum, in ſuis Annalibus, voce hac deſignaſſe *Moſen*, quem *Paſtorem* fuiſſe, p teſtatur Scriptura; ſed qui in exitu ex Aegypto, fuit *Paſtor praecinctus*, aut etiam *armatus*, quemadmodum et CLEMENS *Alexandrinus* ipſi tribuit q ἡγεμονίαν ποιμενικὴν, *Principatum Paſtoralem.* Verum in dialecto ſacra Sacerdotum, ϧΗΚ, vel ϧωκ ſignificabat *regem.* Quid ita? Quia vt opinor, reges inaugurandi, aut armis induebantur, aut initiandi primum, veſtibus religioſis a Sacerdotibus amiciebantur, atque cingebantur. *Cinctus* ille apud Aegyptios, ſicut apud gentes alias *diadematis geſtatio*, ſymbolum erat

n. In Epiſtola quadam. Vide *l'Hiſtoire de la vie de Mr. La Croze, par feu Mr.* IORDAN, p. 293.

o. In Boeoticis, ſiue Lib. IX. cap. XVII. p. 743.

p. *Exodi* III. 1.

q. Stromat. Lib. I. p. 345.

erat inaugurationis regiae, vel regiae poteſtatis in aliquem collatio ſolemnis. Hinc Sacerdotibus, in lingua ipſorum ſacra ſymbolica, *cingere* ſignificabat *inaugurare in regem*, et *cinctus* dicebatur, *rex* legitime et rite inauguratus. Poſſunt ea quae dixi ex *Scholiaſte* veteri *in Germanici Aratea* confirmari, cuius idcirco verba operae pretium erit adſcribere. De Templo autem Apidis Memphitico haec obſeruat: r *Vbi mos fuit, Solio regio decorari reges, qui regnabant. Ibi enim Sacris initiabantur primum, vt dicitur, reges, ſatis religioſe TVNICATI.* Hic ϩΗΚ, vt videtur, latine redditur *tunicatus.*

r. Pag. 120. Edit. Sant-Andreanae.

§. LVIII. Poſſumus rem eandem exemplis aliis illuſtrare. Scribit nempe idem ille MANETHO, de Salati, rege Paſtorum Arabicorum, qui Aegyptum inuaſerunt: s Εὑρὼν δὲ ἐν νόμῳ τῷ * Σεθροΐτῃ πόλιν ἐπικαιροτάτην κειμένην πρὸς ἀνατολὴν τȣ̃ Βȣβαςίτȣ ποταμȣ̃, καλȣμένην δ' ἀπό τινος ἀρχαίας θεολογίας Αὔαριν, ταύτην ἔκτισέν τε καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν. *Cum nactus eſſet in Sethroite Nomo, ciuitatem opportuniſſimam, ad Orientem fluuii Bubaſtitae ſitam, quae vero in antiqua Theologia Auaris appellabatur, et ipſam aedificauit, et muris firmiſſimis communiuit.* Dixerat idem alio loco: t Ἔςι δ' ἡ πόλις Αὔαρις, κατὰ τὴν θεολογίαν ἄνωθεν Τυφώνιος. *Eſt vero vrbs Auaris, ſecundum Theologiam primaeuam, Typhonia.* u Vir ſummus vrbem illam, de qua loquitur Sacerdos Aegyptius, exiſtimat fuiſſe *Peluſium*, coniectura non improbabili; mihi tamen vero videtur ſimile, w deſignari vrbem, olim loco illo exſtructam, vbi poſtea lacus Sirbonis emerſit. Hinc iam ratio facilis reddi poteſt, cur vrbs illa dicta fuerit *Typhonia*. Nam malo huic Genio

De eadem dialecto ſacerdotali, alia quaedam obſeruantur.

s. Apud IOSEPHVM loc. cit. p. 445.

t. Apud IOSEPHVM Lib. I. contra Appion. §. 26. p. 460.

u. MARSHAMVS in Canone Chron.

w. Vide *Panthei* Lib. V. cap. II. §. 23.

(I) 3

* Ita corrigit, et recte, MARSHAMVS, in Chronico Canone p. 108. et BERNARDVS in notis ad Ioſephum.

Genio Lacum Serbonidem Aegyptii aſſignarunt ſedem, eumque hac de cauſa nuncuparunt [x] *exhalationes Typhonis*. Commodiſſime quoque ex eodem explicare licet, cur Sacerdotes vrbem illam dixerint *Auarin*. Vox enim haec, Aegyptiace ⲁⲩⲣⲏϫ, (*Aures*) *finem* alicuius rei, aut *extremitatem* ſonat. Sic ⲁⲩⲣⲏϫⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ⲭⲏⲙⲓ, *extremos fines Aegypti*, habes *Geneſ.* XLVII. 21. Vide et Pſalm. II. 8. Rom. X. 18. Sacerdotes igitur vrbem illam, cuius nomen proprium ignoramus, lingua ſua ſacra, dixerunt *finalem*, vel *terminalem*, quia in ipſis Aegypti finibus vltimis, qui Syriam ſpectant, ſita erat. Eandem ob rationem * Mons *Caſſius*, penes quem vrbs illa condita erat, a Syris dicta fuiſſe creditur, קצי videlicet, *Caſſi*, id eſt *terminalis*, *quia Aegyptum Syriamque diſterminabat*. Non alia de cauſa, AESCHYLVS Poëta, de vrbe *Canobo*, quippe quae ab altero latere, vrbs eſſet Aegypti vltima, verſus Libyam, in *Prometheo vincto* canit v. 845.

Ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός.

Vrbs eſt Canobus, terrae extrema.

Ceterum, quoniam ex MANETHONE monui eandem vrbem a Sacerdotibus, *Typhoniam* quoque nuncupari conſueuiſſe, occaſione hac monebo, in lingua eorum ſymbolica, vel Theologica, praeſertim vero in ipſorum Phyſiologia, nomina longe plurima a Diis fuiſſe deſumta. Ita ſupra iam vidimus §. LIV, Sacerdotes *mare*, et *ſalem marinum*, dixiſſe *ſpumam Typhonis*, et *vitem* illius ipſius *ſanguinem terrae permixtum*. Nulla erat herba vel planta, quae non haberet tale in lingua Sacerdotum nomen. Itaque * *hederam*

x. *Ibid.* §. 10. et 23.

CHAR- Geo- graph. Sac. I. Lib. cap. 32.

* PLVTARCHVS de Iſid. et Oſir. p. 365. vbi pro Χενόσιρις, videtur legendum Σχενόσιρις. Nam ϣϣⲏⲛ, *Schen*, Aegyptiis dicitur *planta*. Vnde *Schen-Oſiri*, eſt *planta Oſiridis*.

ram vocabant *Schen-Oſiri*, id eſt *plantam Oſiridis*. Et memoriae proditum legimus, Prophetas Aegyptiorum, [z] *verbenacam* dixiſſe *lachrymam Iunonis*, vel, quod idem eſt, *Veneris*, *lilii* aliquod genus, [a] *ſanguinem Martis*, vel, quod eodem redit, *Herculis*. Artemiſiam, [b] *cor Bubaſteos*, bulbum Scylliticum, [c] *oculum Typhonis*, crocum, [d] *ſanguinem Herculis*, Marrubium [e] *Hori genituram*, et quae ſunt plura eiuſdem generis, quae facile deprehendet, quiſquis auctores indicatos euoluere dignatus fuerit. Plura de illa lingua Sacerdotum myſtica, poſſent adferri; ſed quae attulimus, ſatis declarant, qualisnam illa fuerit.

z. *Notha Dioſcoridis* p. 466. APVLEIVS de herbis c. 3.
a. *Notha Dioſc.* p. 45[illegible]
b. APV[illegible]IVS, c. 10.
c. *Idem* c. 42
d. *Notha Dioſcor.* p. 441.
e. *Eadem* p. 458.

Obſcuritis huius Sacerdotibus cum affectatione vſurpata prima [illegible]ſa, priſtina linguae patriae inopia fuit.

§. LIX. Talis igitur erat ſacra illa dialectus Sacerdotum Aegyptiorum, vt qui illam audirent, aut legerent, voces quidem, vtpote ex communi ſermonis vſu deſumtas, intelligerent, res vero vocibus illis deſignatas, ſed ad ſenſum arcanum applicatis, non ita facile perciperent, niſi eſſent vehementer exercitati, aut Sacris initiati. Sed quaenam potuit eſſe cauſa, quae homines ſapientiae ſingularis ſtudio et laude illuſtres, impelleret, vt ſapientiam ſuam alios tam ſollicite celarent? Vbi rem hanc intenta cogitatione mecum expendo, et ad vltimas rerum huiusmodi origines animum aduerto, credere cogor, primam ac praecipuam rei huius cauſam fuiſſe, primarum in Mundo linguarum, ac ſigillatim Aegyptiacae, inopiam et ſterilitatem. Scientiae, inprimis quae pro obiecto habent res ſpirituales; aliasque paulo abſtruſiores, et a vulgari hominum cognitione magis remotas, nonniſi pedetentim, et per varios gradus excultae fuerunt. Ideoque ſucceſſu tantum temporis diuturni, voces et termini excogitari coeperunt, ad res mente conceptas rite deſignandas, veritatesque inuentas, commode et diſtincte explicandas. Primi ſapientiae magiſtri, conceptus ſuos de

rebus altioris indaginis, et ſub intellectum vulgi per ſe non cadentibus, vix aliter, certe non melius, quam per ſimilitudines, locutionesque tropicas, allegoricas, et ſymbolicas, exprimere nouerant. Ipſa lingua ſancta populi Dei, qua etiam Prophetae diuinitus inſpirati ſunt vſi, [f] *caret vocibus, res ſpirituales primario ac proprie ſignificantibus, ideo eae exprimuntur vocibus a rebus corporeis mutuo deſumtis.* Quando Hebraei *Spiritum* deſignare volunt, etiam diuinum, vocem ſolent adhibere רוח, quae proprie *ventum* ſignificat. Similiter נשמה, qua etiam Hebraei *animam rationalem* intellectam volunt, proprie *halitum oris* deſignat. Idem quoque ſignificat נפש. Conſimili modo Graeci *Spiritum* dicunt πνεῦμα, nempe a πνέειν, a *ſpirando* et *flando*, quod vento proprium eſt, vnde vox illa primario *ventum*, et deinde *Spiritum rationalem* innuit. Apud Latinos eandem ſignificationis vim habere *Spiritum*, vel ex iis quae dicta ſunt, ſatis liquet. *Animus* Latinorum deſumtus haud dubie eſt, a Graecorum ἄνεμος, id eſt *ventus*. Et ab ea ſignificatione non recedit vox *animae*, qua et vtitur LVCRETIVS Lib. VI. 129.

Nec mirum cum plena animae veſicula parua
Saepe ita dat pariter ſonitum diſploſa repente.

Et HORATIVS Lib. IV. Od. XII.

Iam veris comites, quae mare temperant
Impellunt animae lintea Thraciae.

Animae Thraciae ſunt venti, [g] quorum patriam veteres finxere Thraciam. Quibus vocabulis Aegyptii veteres vſi ſint, ad ſignificandum ψυχὴν, *Animam*, et Πνεῦμα, *Spiritum*, certo ſciri nequit. Nam Aegyptii Scripturae S. interpretes, quoties in graeco voces hae occurrunt, eas ſemper retinent, neque alia Aegyptiaca aequipollenti reddunt. Crediderim tamen, veteres Aegyptios vſos fuiſſe voce ⲚⲒϤ *niph*

f. REV. WYTTENBACHIVS *Tentamine Theologiae dogmaticae, methodo ſcientifica pertracta.* [illegible] 512.

g. VALERIVS FLACCVS Argon. Lib. I. v. 611. *Scholiaſtes Apollonii* ad Lib. I. Argon. v. 826.

niphi, quippe quod *flandi* ac *ſpirandi* ſignificationem habeat, *Iohan.* III. 8. VI. 18. *Apocal.* VII. 1. Et niſi memoria me decipit, in Gemma aliqua Gnoſtico-Abraxea, legi vocem ⲛⲓϥⲓ adhibitam de *Spiritu Sancto*, vti quidem opinabar. Sed eam nunc quaerere non vacat. Scribit quidem HORAPOLLO: [h] Ἔϛι γὰρ τὸ βαῒ παρ᾽ Αἰγυπτίοις ψυχή. *Nam Aegyptiis Bai dicitur Anima.* Verum arbitror, vocem hanc eſſe tantum ſymbolicam, et ex dialecto Sacerdotum petitam. Nam paulo ante dixerat: *Etiam pro anima* (ἀντὶ ψυχῆς) *ponitur accipiter.* Id eſt, *Accipitrem voluerunt eſſe ſymbolum animae.* Eſt vero ⲂⲀⲒ, βαΐ, *bai*, ſpecies aliqua *accipitrum*, *vpupa* videlicet, *Deuter.* XIV. 7. Ac idem quoque in Dictionario aliquo perbreui, Coptico-Graeco, Bibliothecae Regiae Pariſienſis, inueni. Et apparet, quoſdam *Vpupam* generi *Accipitrum* annumerare. Aegyptiis igitur *accipiter* ſymbolum erat *animae*: ideoque Sacerdotes *animam* ſignificaturi, *vpupam*, vel *accipitrem* dicebant. Ceterum, quod ab hoc loco non alienum eſt, *accipitrem* Aegyptiis quoque ſymbolice deſignaſſe *ventum*, [i] alibi iam monuimus. Ad interpretes Aegyptios vt redeam, ſolent illi tamen νοῦν, *mentem rationalem*, modo reddere ϨⲎⲦ, *cor*, 1 *Cor.* II. 16. XIV. 14. 15. quod nempe exiſtimarent, cor eſſe ſedem mentis, modo etiam ⲠⲒⲔⲀϮ, quod proprie *intellectum* ſonat. *Rom.* XII. 2. 1 *Corinth.* XIV. 19. Sterilitas igitur linguae, et inopia vocum commodarum, Sacerdotes Aegyptios, vti populos omnes, nondum ſcientia inſigniter politos, coëgit, vt ad declarandam mentem ſuam, locutionibus continuo vterentur tropicis, allegoricis, metaphoricis et ſymbolicis, ac res naturales ſaepe ſub inuolucris aenigmatum et fabularum mirificarum proponerent,

h. *Hierogl.* Lib. I. c. VII.

i. *Panthei* Lib. II. cap. IV. §. 5.

Poſtea character dicendi ſymbolicus placere coepit, π quia ſapientiae recon-[…]e ſpeciem audientibus offert. ε. quia do[…]ti ſecuri[…]em prae[…]at.

§. LX. Poſtea vero, vbi ſtylus ille ſymbolicus et allegoricus, vſu diuturno inualuiſſet, et ſingulae illius voces, ſignificationem adeptae eſſent determinatam et certam, id quod ſola neceſſitas, inopiae filia, primo inuexerat, coepit etiam auribus placere, gratumque orationi ornamentum adferre viſum eſt. Is certe hodie eſt, fuitque ſemper Orientalium omnium genius, vt orationem tropis miris, figuriſque plane peregrinis, ornarent, aut potius inquinarent. Ruſſi quondam ſolebant [k] ſupremam in Republica poteſtatem appellare *Solem*, Eccleſiam, et quicquid ad Sacra pertinet, *Lunam*, fungentes muneribus praecipuis, in Republica et Eccleſia, *Stellas*, homines plebeios *terram* etc. Et talis in vniuerſum, quod eruditos non latet, eſſe ſolet Oratio populorum, qui Solem orientem ſpectant. Quoniam vero talis Oratio, tropis, ſymbolis, et dictionibus aenigmaticis, tanquam teſſellis quibuſdam et emblematibus diſtincta, ſapientiae non mediocris exiſtimationem poſt ſe olim trahebat, illi inprimis, qui ad laudem ſapientiae adſpirabant, et nomen etiam Sapientum affectabant, hoc dictionis allegoricae et aenigmaticae genus tam crebro vſurpabant, tamque diligenter excolebant, vt *parabolae*, et *aenigmata Sapientum*, in prouerbium ſatis notum abierint, et antiquis illis temporibus nemo Sapientis nomine dignus videretur, niſi qui ſententias tum phyſicas, tum practicas, ſermone aenigmatico inuoluere didiciſſet, §. XLVIII. Nam, quod Scriptor quidam perelegans opportune monuit, vere de Sapientibus priſci illius aeui dici poterat. [l] *Ea eſt humanae Mentis arrogans imprudentia, vt, quae expoſita ſunt, minoris faciat, quae abſtruſa, vehementer admiretur. Res enim occultas viſuique non expoſitas, coniectando perſequitur, et rationis inueſtigare beneficio laborat, quas priuſquam inue-*

k […]TRI ab […]EN Rei[…] […]n Ruß[…] […]and v. 411.

l I. Maximus Tyrius Diſſert. XXIX. p. 349.

inuenit, quaerit, et, vbi inuenit, tanquam opus ſuum amat. Cum igitur ineruditi etiam, Sapientum aenigmata doctasque fabulas admirarentur, magnumque illis pretium ſtatuerent, hi iisdem vti tanto libentius perrexere, iisque doctrinam ſuam tanto copioſius exornauere, quod ſibi, vbi etiam a vero aberrarent, ſecuritatem praeſtarent non leuem. Multo magis certe ille, id quod docet, aliorum examini, ac cenſurae etiam atque reprehenſioni exponit, qui ſententiam ſuam ſine ambagibus et obſcuris vocum inuolucris diſtincte proponit, quam qui poſt aenigmatum ambiguorum, fabularumque plures ſenſus admittentium propugnacula, tutus latet. Obſeruat hoc auctor paulo ante laudatus, qui poſtquam aenigmatum PHERECYDIS *Syrii* et HERACLITI mentionem inieciſſet, iſta ſubiicit. [m] *Omnia plena ſunt aenigmatum, tam apud Poëtas, quam Philoſophos* vetuſtiores. *Quorum ego in tradenda veritate reuerentiam et verecundiam, pluris facio, quam recentiorum (παῤῥησίαν) audaculam libertatem. Eorum enim, quae natura humana, ob ſuam imbecillitatem diſtincte intueri nequit, modeſtior interpres eſt fabula. Quod ſi plus illis prioribus, poſteriores audaculi viderunt, gratulor illis hoc ſcientiae augmentum: ſin cum nihilo plus ſcierint, aenigmata tamen illorum, in manifeſtius et perſpicuum magis dicendi genus conuerterint, vereor, ne quis reprehendere eos poſſit, quod occultas ſacrasque euulgauerint ſcientias.* Opponit auctor hic veterum dicendi genus aenigmaticum et fabuloſum, tanquam verecundum, et ſublimitati rerum Theologicarum conueniens, *τῇ παῤῥησίᾳ, audaciori libertati* recentiorum, qui de rebus tam arduis diſputantes, ſine vlla circuitione, ſcapham vocare ſcapham auſi ſunt. Et ita Orientalium omnium, ac ſigillatim Aegyptiorum, Sapientes, quoque iudicaſſe, dubio carere debet. Eaque de cauſa

m. *Idem ibidem* p. 348. & 349.

cauſa methodo illi docendi ſymbolicae ac aenigmaticae ſemper inhaeſerunt.

Eandem ob cauſam Sacerdotes Aegyptii neminem ſci- ...rum ...m ar- ...arum fa- ...ant par- ...em, niſi ...enia ini- ...ione mo- ...ac diu- ...

§. LXI. Norunt vero omnes, in Aegypto, ſicuti in Oriente toto, Sapientes et Sacerdotes fuiſſe eoſdem. Qui rerum diuinarum curam agebant, illi iidem omnis quoque ſapientiae et ſcientiae antiſtites erant et magiſtri, iique ſcientias reliquas, praeſertim vero ſcientiam Phyſicam, Aſtronomicam, et practicam, eo tantum ſumma induſtria expoliebant, vt ornandae et perficiendae doctrinae de rebus diuinis ſubſeruire poſſent. Et hoc nouum illis ſuggerebat argumentum, vt in illa ſua doctrina de rebus diuinis, locutionibus allegoricis et aenigmaticis, omnes Sacris ſuis non initiatos, a clara et diſtincta rerum ſacrarum cognitione in perpetuum arcerent. Ex quo enim theoretica cognitio rerum diuinarum, apud Aegyptios, in aliquam ſingularis ſcientiae aut diſciplinae formam redacta eſt, et veritates Theologicae, a Sapientibus inuentae et certo ordine digeſtae, paulo operoſius doceri, ac diſcipulis tradi coeperunt, viſum eſt Sacerdotibus, verum diſciplinae huius nucleum, certis tantum atque ſelectis diſcipulis reſeruare, reliquum vero vulgus, fabulis allegoricis, ſymbolis obſcuris, et, vt paucis dicam, doctrina pure aenigmatica, audita quidem; ſed vt plurimum non intellecta, paſcere, et re ipſa ludificare, quod [n] inſignis diſciplinae huiuſcemodi fautor et admirator; non potuit non fateri. Ideoque Aegyptii omnium primi, in religionem myſteria inuexere, a quibus eadem, per Inachum, Orpheum, et Eumolpum, acceperunt Graeci, et non minus aliae quoque gentes, apud quas Myſteria in vſu fuerunt. Ad haec Myſteria, in quibus diſciplinae ſacerdotales, per idoneum temporis interuallum, ſucceſſiue tradebantur, et arcana Theologiae ſymbolicae aperte explicabantur, praeter

n. SYNESIVS in *Encomio Caluitii*, pag. 70.

ter Aegyptiorum reges, ° nemo admittebatur, niſi Sacerdos, et ex ipſo Sacerdotum ordine, nonniſi pauci ſelecti, qui praerogatiua hac aliis iudicabantur digniores, peregrinis vero, vix ac ne vix quidem vnquam, certe non ante ſuperatas incredibiles moleſtias ac difficultates, patebat aditus, idque ſemper praeuia circumciſione. §. VII. Eaque ita neceſſaria habebatur, p vt ne inſtitutionum quidem in ſcientia Geometrica, quiſquam particeps euadere poſſet, niſi prius duram illius legem ſubiiſſet. Si itaque Orpheum et Eumolpum eximas, vix durante et florente Aegyptiorum imperio, ex peregrinis quiſquam initiationis Aegyptiacae particeps factus eſt, praeter Thaletem, de quo §. XLIII. et Pythagoram, ſi modo ille in Aegypto fuit, antequam Perſae eam in ditionem redegiſſent. Quod ſi autem Pythagoras, vt quidam volunt, in Aegypto fuit, regnante adhuc Amaſi, id omnium optime docebit, quae peregrinis deuorandae eſſent moleſtiae, quot quantaeque ſuperandae difficultates, antequam interiori plenaque Sacerdotum inſtitutione frui poſſent. Nam Pythagoras, cum iter in Aegyptum ſuſcepturus erat, q *Polycratem Sami Tyrannum rogauit, vt Amaſi Aegyptiorum regi, amico ſuo et hoſpiti ſcriberet, vt ad doctrinam Sacerdotum admitteretur, et vbi ad Amaſin peruenit, literas ab ipſo ad Sacerdotes accepit. Verum Heliopolitae, ad quos primo acceſſit, eum ablegarunt, Memphim, tanquam ad Seniores. Memphi eodem praetextu dimiſſus, venit ad Dioſpolitas, vel Thebaeos. Hi cum metu regis cauſam nullam obtendere poſſent, exiſtimarunt, ipſum laboris et aerumnarum magnitudine, a propoſito receſſurum, ideoque dura admodum, et a Graecorum religione prorſus aliena iniunxere. At ille, cum promtiſſime ea exſequeretur, vſque adeo admirationi ipſis fuit, vt et ſacrificare, et ſtudiis ipſorum intereſſe ei liceret :* quod

o. CLEMENS *Alexandrinus* Lib. V. Stromat. p. 566. Auctor *quaeſtionum et reſponſionum ad Orthodoxos*, in Operibus Iuſtini M. p. 406.

p. ORIGENES Comment. ... *man.* ...

q. PORPHYRIUS de vita Pythag. p. 183. Edit. Cantab. vel 11. Edit Küſteri.

quod nulli vnquam extero homini contigiſſe repe

Poſtquam vero Aegyptus iugum Perſarum ſubiiſſet, illaque regio bellis inteſtinis continuis cum Perſarum regibus implicata fuiſſet, auctoritas Sacerdotum, quod quiuis facile intelligit, decrementa ſenſit non mediocria. Et cum temporibus iiſdem Graeci Aegyptios aduerſus Perſas frequenter et claſſibus, et copiis terreſtribus adiuuarent, credibile vtique eſt, Philoſophis eorum liberiorem multo et faciliorem etiam, ad Sacerdotes Aegyptios, eorumque diſciplinas arcanas aditum patuiſſe, quod Plato, Eudoxus, aliique experti ſunt. Sed ſi vel antiquioribus illis auſpicatisque imperii Aegyptiorum temporibus, peregrini promiſcue ac libere admiſſi fuiſſent, talia tamen ab initiandis exigebantur, et in tempus adeo longum inſtitutio eorum protrahebatur, vt vel hoc cupidiſſimum quemque abſterrere poſſet. De Pythagora paulo ante ex PORPHYRIO intelleximus, Sacerdotes ſibi perſuaſiſſe, ipſum laboris exantlandi, et aerumnarum ſuperandarum magnitudine territum, a propoſito receſſurum eſſe, ideoque dura admodum, et a religione Graecorum aliena ei iniunxiſſe. Inter dura haec, et a Graecorum religione aliena, circumciſio potiſſimum, quod §. VII. monui, intelligenda vtique venit. Sed ad illam procul dubio, alia inſuper acceſſerunt, homini ingenuo, et liberaliter educato, vix ac ne vix quidem perferenda, qualia in veterum initiationibus pleriſque, et praeſertim * in Magorum Myſteriis Mithriacis vſu veniſſe noui-

* Ea de re haec reperiuntur in NONNI *Collectione hiſtoriarum* ad Gregorii Nazianzeni inuectiuas, Lib. I. hiſt. 5. (in Opp. Gregorii Tom. II. col. 501.) *Nullus Mithrae Sacris initiari poteſt, niſi prius per quoſdam ſuppliciorum gradus tranſierit. Sunt autem tormentorum gradus* LXXX. *partim remiſſiores, partim intentiores.* Eorum quaedam exempla adfert idem hiſt. 45. (col. 511.) *Verbi gratia primum ei multis diebus, aqua per magnum ſpa-*

nouimus. Inprimis vero inſtitutio initiandorum in Aegypto, tractum temporis abſumebat, qui videtur omnem fidem excedere. Pythagoras certe cum Sacerdotibus [r] perdiu conuerſatus eſſe, ab omnibus perhibetur. Si vero [s] IAMBLICHO auſcultamus, totos XXII. annos in Adytis Aegyptiorum conſumſit, omni illo tempore in ſacris ſcientiis Sacerdotum eruditus. Pancrates vero LVCIANI, Sacrorum Scriba Memphiticus, [t] annos non paucio- res viginti et tribus, in ſubterraneis Adytis vixerat, vt ſcientias Aegyptiorum arcanas recte ediſcere poſſet, niſi dicere malis, LVCIANVM id ex hiſtoria Pythagorae deſumſiſſe. Aut talia ille in vetuſtioribus Graecorum Monumentis, de initiatione Sacrorum Scribarum in Aegypto legerat. Nam illius aeuo, haec iam dudum in deſuetudinem abierant. Sed et ad finem iam vergente Perſarum imperio, Plato et Eudoxus, ſapientiae Aegyptiorum cognoſcendae auidi, cum eorum Sacerdotibus, [u] annos tredecim exegerunt, et ſic vt credere par eſt, Myſteriis ipſorum, aut vterque, aut alter eorum ſaltem, Eudoxus nimirum, initiationis iuribus donatus fuit. Tam charo pretio redimenda erat ſcientiarum ſacerdotalium in Aegypto, et Theologiae gentis huius

r. PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. VIII. p. 729. CYRILLVS aduerſus Iulian. Lib[illegible] p. 15.

s. In vita P[illegible]thagorae cap. I[illegible] p. 15.

t. LVCIA[illegible] in Philopſeude O[illegible] To. I[illegible] p. 49[illegible]

u. STR[illegible] Lib. X[illegible] p. 554.

tium, natando traiiciendum eſt. Deinde cogitur ipſum in ignem conïicere. Poſtea in ſolitudine verſa[illegible] tenetur, et a cibo capiendo abſtinere, et praeterea ali[illegible] huiusmodi exercitiis vacare, donec tandem octoginta de quibus diximus, ſupplicia pertulerit. Et tum d[illegible] mum, ſi ſuperuixerit, Mithrae myſteriis plene initiatu[illegible] Verba verſionis huius latinae, quae in Editionibus Bil[illegible] lianis Gregorii Naz. reperitur, ex vnica Editione grae[illegible] ca Nonni, quae prodiit Etonae in Anglia A. 1610. non nunquam correxi. Vide eam p. 130. et 143. Ceterum in Graecorum Myſteriis, purificationes, quae initiationem praecedebant, etiam aqua et igne perficiebantur, v[illegible] in Myſteriis Mithrae.

huius aenigmaticae, paulo diſtinctior cognitio, vt igitur colligere non abs ratione poſſit, paucos ab omni aeuo peregrinos fuiſſe, qui aenigmata Theologiae Aegyptiorum, ſibi omni ex parte plene perſpecta eſſe, vere gloriari potuerint.

Ex eo tandem factum ..., vt do...rina arca... Sacerdo...um in Aegy... amitte...ur. Quae...ur, ecquid ...rimenti religioni Aegyptiorum ...ulerint ...e.

§. LXII. Et hanc quoque cauſam fuiſſe reor, quod religio Aegyptiorum, poſtquam eorum regionem Graeci ſibi ſubieciſſent, plurimas innouationes mutationesque perpeſſa fuerit, quodque labentibus annis, ſuperſtitiones Graecorum plurimae, ad priſcas Aegyptias acceſſerint, ac tandem ſcientiae, quondam Scribis Sacrorum propriae, arcanaque doctrinae ſacerdotalis omnia, vergente ad finem regno Ptolemaeorum, penitus interciderint. Equidem ſi fidem adhibemus SYNCELLO, et auctoribus quos ille ſecutus eſt, ſacra Aegyptiorum doctrina, dum ſumma rerum illic potirentur Perſae, inſignem corruptelam paſſa iam eſt, quandoquidem hi Templis, et Sacerdotum Collegiis in Aegypto, Magum quendam, Philoſophiae et Theologiae Perſarum Myſtagogum, praefecerunt. Etenim [w] *Democritus Abderita, ab Oſthane Medo, quem reges Perſiae in Aegyptum miſerant, vt Templis in illa regione praeeſſet, Sacris in Templo Memphitico initiatus eſt, praeſentibus Sacerdotibus aliis et Philoſophis, quos inter fuit Maria, mulier Hebraea, ſapientiae laude celebrata, et Pammenes.* Verum quis non videt, haec * a graeculis Chemicis aeui recentioris eſſe conficta? Nam in eorum Scriptis plurima ſane mentio et *Oſthanis*, et *Democriti*, et *Mariae*, et *Pammenis* occurrit. Erat vtique *Oſthanis* permagnum ac celeberrimum in Oriente nomen. Perſae Muham-

w. SYNCELLVS in *Chronographia* p. 240. EVSEBIVS in graecis *Scaligeri*. Id quoque traditur in Epiſtola Pſeudo-SYNESII, apud FABRICIVM Bibliðth. Graec. Vol. VIII. p. 233.

* His annumerari quoque debet Pſeudo-SYNESIVS, quod Epiſtola modo citata in nota w. ſatis declarat.

hammedani credunt, [x] eum fuiſſe magiſtrum Zoroaſtris, quod tamen rationes temporum non permittunt, librosque ſeruant nomen eius praeferentes; ſed in quibus ars Chemica traditur, ex quo colligi poteſt, quae ſit illorum librorum antiquitas et auctoritas. Fuit tamen [y] Graecis quoque notus, qui et [z] libros eius laudant; ſed, vt credo, non magis genuinos, quam quos hodie Perſae pro talibus venditant. Cum fama eius quoque inter Chriſtianos veteres percrebuiſſet, illique intellexiſſent, quanta eſſet ipſius apud Ethnicos exiſtimatio, quidam eorum, vt nomine tam illuſtri, dogmatibus religionis ſuae, inſignem antiquitatis ſpeciem conciliarent, ſcriptis nonnullis a ſe compoſitis, nomen eius praefixerunt, ad quae deinde non raro [a] alii prouocarunt. Horum omnium exempla aemulati ac imitati ſunt Scriptores graeci Chemici, qui ad fabulas, quas inuenere confictas ab aliis, nouas plurimas ex ingenio ſuo ſuperaddidere, eoque effecere, vt Oſthanes, Magorum Perſicorum Princeps, non modo ſummus artis Chemicae Magiſter, ſed et * pius, ac de Trinitate, aliisque fidei noſtrae articulis recte ſentiens Chriſtianus nobis ſiſteretur. His igitur illa etiam, quam ex SYNCELLO attulimus, fabula, omnino et vnice debetur, ſed quam ex genuinis hiſtoriae Monu-

x. HYDIVS in Praefat. Libri de r[eli]g. vet. Perſarum, Pag. VI.

y. DIOGENES LAERTIVS in Prooem. Hiſt. Phi[l]. §. 2. SVI[DAS] in 'Αστρο[νο]μία, et 'Οσ[τά]νης.

z. PLI[NIVS] Lib. XX[X] c. 19. X[XX] I. 2. APVLEIVS d[e] herbis ... pe.

a. TAT[IA]NVS Ora[t.] Graecos p. 155. TER[TVLLIANVS] de Anima c. 57. CYPR[I]ANVS de idolor. vanitate p. MINVTIV[S] FELIX c. EVSEBIVS Praepar. E[v.] Lib I. c. vlt

* In Collectione veterum Chymicorum Graecorum Pariſina, Opuſculum aliquod occurrit, tributum OSTHANI, quod deſinit in Doxologia maxime orthodoxa, ad SS. Trinitatem directa. Vide FABRICII Biblioth. Graec. Vol. XII. p. 763. In Codice quodam Barocciano, Bibliothecae Bodleianae Oxonienſis, habetur libellus 'Αστάνη περὶ Θεοτόκου. *Aſthanis Oraculum de Maria Deipara.* Ita legitur in MAGNI CRVSII Diſſertat. Epiſtol. *de Scriptis quibuſdam hactenus ineditis* p. 25. Sed legendum illic haud dubie 'Οστάνη, *Oſthanis.*

Monumentis, facile conuellere poſſumus.. Democritum innotuiſſe Oſthani, non negauerim, [b] hunc enim comitatum fuiſſe Xerxem, cum Graeciam inuaderet, nouimus; Xerxem vero, dum Abderam, patriam Democriti praeteriret, [c] pater illius hoſpitio et conuiuio excepit. Et ibi quidem [d] Xerxes Magos quoſdam et Chaldaeos reliquit, a quibus Democritus in ſcientiis Theologicis atque Aſtrologicis inſtitueretur. Eo tamen non contentus Democritus, vbi ad maturam aetatem perueniſſet, [e] Magos ipſe in Perſia adiit, ibique diſciplina eorum vſus eſt. Sed et ſeorſim ad Aegyptios iter inſtituit, ibique [f] annos quinque Sacerdotum conſuetudine vſus eſt, et, quod veroſimile mihi ſit, initiationis priuilegia percepit. Ipſe certe teſtatus eſt, [g] ſcientiam Geometricam Arpedonaptarum, ſiue ἱερογραμματέων, ad cuius cognitionem, nonniſi praeuia initiatione olim patebat aditus, ſibi cognitam bene et perſpectam fuiſſe. Quae cum a Scriptoribus optimis, fideque digniſſimis, memoriae mandata ſint, fabulam illam Chemicorum penitus euertunt. Et profecto, [i] in alio quodam eorundem Chemicorum ſcripto, perhibitum reperitur, Democritum Oſthanis iam defuncti manes ab inferis exciuiſſe, et ſuper arte magna conſuluiſſe. Verum operae pretium non eſt, in his diutius haerere.

§. LXIII. Quae etſi ita ſe habeant, quaeri tamen non abs ratione poteſt, num non dominatio Perſarum in Aegypto, religioni huius populi auitae, detrimentum aliquod inſigne et vim inimicam intulerit. Exiſtimo, id omnino affirmaturos eſſe, qui ad ingenii humani indolem, qui ad ea, quae euenire ſolent in mundo, qui denique ad ea, quae in Aegypto, regnantibus Ptolemaeis, re ipſa contigiſſe ſcimus,

Perſis propoſitum nunquam fuit, vt religionem Aegyptiorum mu-

b. PLINIVS Lib. XXX. cap. I.

c. DIOGENES LAERTIVS Lib. IX. c. 34. VALERIVS MAXIMVS Lib. VIII. c. 7.

de PETRI ...YLII Dictionar. artic. *Democrite.*

...AERTIVS l. cit.

...AELIANVS Var. hiſt. Lib. ... c. 20. SVI- in Αἰγ-... ...τος.

...ODORVS ... 88.

g. Vide ſupra §. XL.

h. Supra §. LXI.

i. Apud FABRICIVM Bibl. Graec. ...o. XII. p. 768

ſcimus, ſollicite attendunt. Solent enim victores, populis a ſe deuictis, ſuaeque poteſtati ſubiectis, leges etiam in iis quae ad religionem ſpectant, praeſcribere nouas. Plena exemplorum huius generis eſt hiſtoria Eccleſiaſtica, tum veteris, tum noui Teſtamenti. Et poſtquam Ptolemaei graeci, ſummae rerum in Aegypto praefuerunt, certum eſt, religionem Aegyptiorum, plures nec mediocres ſubiiſſe mutationes, et faciem aliquo modo graecanicam induiſſe. Verum enim vero, tale quid Aegyptios etiam a Perſis, dum horum dominatione oppreſſi erant, in religione perpeſſos fuiſſe, ex bonis et genuinis hiſtoriae documentis non modo non intellexi; ſed etiam contrarium probari poſſe confido. Non videntur Perſarum Magi aliis in religione a ſe diſſentientibus moleſti fuiſſe, aut contra eos regibus ſuis conſilia violenta ſuggeſſiſſe, hoc vno tantum excepto, quod gentium bello ſuperatarum Templa et ſimulachra ſacra igni conſumenda tradere conſueuerint. Nullo argumento colligere potui, Perſas Graecos, in Aſia imperio ſuo parentes, in rebus, quae ad cultum Deorum ſpectant, aliqua moleſtia affeciſſe, etſi [k] Templa eorum, in expeditione Xerxis, odium furoremque Magorum experiri debuerint. Idem plane Aegyptiis vſu quoque veniſſe arbitror. Norunt enim omnes, [l] Cambyſen, Perſarum regem, occupata Aegypto, in ſplendidiſſima regionis huius Templa, ferro igneque crudeliter ſaeuiiſſe, eorumque ornamenta praecipua in Perſiam auexiſſe, Diis quoque Aegyptiis non vno modo illuſiſſe, ac Sacerdotes inſuper iniuriis, aliisque malis plurimis affeciſſe. Verum nullam tamen facinora haec Cambyſis, breui poſt fato functi, religioni Aegyptiorum intulere mutationem. Conſtat potius, ſucceſſorem eius, Darium Hyſtaſpidem,

k. PRIDEAVX *Hiſtoire des Iuifs*, To. I p. 436. etc.

l. HERODOTVS Lib. [III] cap. 27. 29. 37. DIODORVS Lib. I. p. 46. STRABO Lib. XVII. p. 553. 554.

ſpidem, [m] *deteſtatum Cambyſis in Templa Aegyptiorum impietatem*, —— *cum Sacerdotibus Aegyptiorum familiaritatem iniiſſe*, *ac Theologiae ipſorum, rerumque in ſacris voluminibus annotatarum participem factum eſſe.* Eundem ferunt, [n] cum aliquando Memphi inaudiuiſſet, Apidem, praecipuum gentis illius Numen, non ſine ingenti luctu quaeri, promulgari voluiſſe, ſe centum talenta auri ei daturum, qui nouum Apidem adduxiſſet. Tantus ſuperſtitionis Aegyptiacae fautor is videri voluit. Credibile tamen eſt, regem hunc ipſum, aut conſtitutos ab eo Praefectos Aegypti, incolis grauia admodum tributa imperaſſe, quo factum eſt, [o] vt ab eo tandem deſciſcerent; ſed magno ſuo malo. Xerxes enim Darii et filius, et in regno ſucceſſor, [p] breui poſt, priſtinum eos iugum, idque non mediocriter aggrauatum, denuo ſubire coëgit. Quoniam vero illi, onus ceruicibus ſuis impoſitum, intolerabile eſſe exiſtimabant, ad ingenium ſuum mox redierunt, [q] ab Artaxerxe Longimano, Xerxis filio defecerunt, ſeque in libertatem vindicare iterum anniſi ſunt. Quamuis vero Athenienſes, penes quos maris tum fere imperium erat, Aegyptios claſſibus et copiis non parum iuuiſſent, eoque bellum hoc aliquamdiu protraxiſſent, [r] vicit tamen cauſa Artaxerxis, qui poſt rebellionem ſeptem circiter annorum, Aegypto rurſus tota potitus eſt. Superuacaneum hic non erit, obſeruaſſe, HERODOTVM, qui regnante hoc Artaxerxe in Aegyptum venit, qui celebriora huius regionis Templa, oculis ſubiecit, et cum illorum Sacerdotibus colloquia inſtituit frequentia, ac origines Sacrorum omnium mira diligentia inueſtigauit, ſacrilegia Cambyſis et crudelia eius in Sacrorum miniſtros facinora, prolixe quidem enarrare, at nuſpiam ne vel leuiſſimae quidem

m. DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 85.

n. POLYAENVS Stratagem. Lib. VII. p. 490. Edit. Casauboni ... ev.

o. HERODOT. Lib. VII.

p. *Idem* Lib. ... cap. 7.

q. PRIDEAVX *Histoire des Juifs*, To. II. p. 6. 7. etc.

r. *Idem ibidem* p. 95. 96. etc.

dem ſuſpicioni locum facere, Perſarum tyrannidem, ritibus religionis patriae, nedum doctrinae Sacerdotum Theologicae, vim aliquam intuliſſe. Neque tamen crediderim, eum id omiſſurum fuiſſe, ſi aliqua talis rei veſtigia deprehendiſſet. Videntur bellis his inteſtinis, Aegyptiorum vires eum in modum attritae fuiſſe, vt, cum lacertos mouere nequirent, in poteſtate Artaxerxis manerent, dum is viueret, et Dario quoque Notho obedirent, vſque ad annum regni eius vndecimum, [s] quo tandem ſucceſſu auſpicato, iugum Perſarum de nouo excuſſerunt, et poſthaec per annos fere ſexaginta et quatuor, libertatem armis recuperatam, aduerſus inimicorum molimina aſſeruerunt, vſque ad annum Ochi, Perſarum regis, nonum, qui ipſis oppido luctuoſus extitit. [t] Illo enim anno, Ochus Aegyptum vniuerſam armis ſubegit, et dehinc gentem miſeram peſſimis exemplis mulctauit, idque ſibi datum negotii credidiſſe videtur, vt immanem Cambyſis ſaeuitiam, et ferocitatem, non imitaretur modo, verum et longe poſt ſe relinqueret. Tametſi vero tempore iſthoc, Templa Aegyptiorum ſplendidiora, magnis quoque calamitatibus expoſita eſſent, multaque Aegyptii ſupra modum indigna pati cogerentur, diu tamen tempus adeo triſte non durauit. Excepit illud, poſt annos non ita multos, lene Darii Codomanni, et vix elapſis ab eo quatuor annis, Alexandri M. imperium. Vero itaque ſimillimum eſt, neque iſthoc tempore, religionem Aegyptiorum vim qualemcunque paſſam fuiſſe a Perſis, ex qua vel doctrina Sacerdotum Theologica, vel cultus Deorum, opera eorum olim conſtitutus, detrimentum notabile ſenſiſſet, aut ſi vel tale quid re ipſa contigiſſet, an non certum eſt, breui poſt illud reparari omnino potuiſſe?

s. *Idem ibidem* p. 280. etc.

t. *Idem ibidem* p. 395.

 §. LXIV.

Cauſa im- ...inutae re- ...ionis Ae- ...ptiorum, deperditae ...rinae ...erdotum ...canae in- ...catur.

§. LXIV. Non tamen diffiteor, dominationem Perſarum in Aegypto, et bella inteſtina fere continua, quae illa produxit, caſu effeciſſe, vt ſcientiae Sacerdotum arcanae paulatim interierint, eoque res eorum Theologica vehementer imminuta fuerit, clauis autem vera doctrinae ipſorum ſacrae iam dudum perierit. Neminem enim ad ſcientiarum arcanarum perceptionem admiſſum fuiſſe, niſi praeuia initiatione diuturna et valde moleſta, monuimus §. LXI. Temporibus vero illis incertis ac perdifficilibus, quibus per inteſtina diſſidia et bella valde cruenta, tota Aegyptus continuo premebatur, et tantum non opprimebatur, quibus praeſertim in Templa illius regionis, eorumque miniſtros, peſſimis modis ſaeuiebatur, paucos admodum fuiſſe, qui moleſtias immenſas initiationis ſubire et perferre voluerint, operoſe multisque adſtruere opus non eſt, cum res per ſe id ſatis doceat. Nouimus equidem, illo eodem temporis interuallo, e Graecia permultos, eosque inter Democritum Abderiten, Oenopidem Chium, Euripidem, Platonem, Eudoxum, aliosque ſcientiarum cauſa in Aegyptum profectos, ibidemque Sacerdotum inſtitutione vſos fuiſſe, Graeci enim Aegyptios omni tum ope adiuuabant, iisque iugum Perſicum penitus excutere conantibus, naues copiasque auxiliatrices continuo ſubmittebant, eoque beneficio gentis illius amicitiam et fauorem maiorem in modum demerebantur. At enim, vt cuncti hi inſtitutione qualicunque, et conſuetudine Sacerdotum vſi fuerint, dubitari tamen non immerito poteſt, voluerintne omnes initiationis Aegyptiacae labores et moleſtias tolerare, et hoc modo, ad fruitionem priuilegiorum illius, viam ſibi ſternere. Suſpicor ſane, ex his, quos nominaui, Democritum et Eudoxum, alicuius

ſaltem

ſaltem initiationis participes factos fuiſſe; ſed tota tamen haec res nonniſi coniecturis nititur. Illud extra dubitationis aleam poſitum eſt, ex Graecis non oſtendi poſſe quenquam, qui ad rite ſubeundam illam initiationem, aeque praeparatus, omnibusque illius beneficiis ac fructibus tam copioſe donatus fuerit, atque Pythagoras, alumnus genuinus totius diſciplinae ſacerdotalis Aegyptiacae, quod tum ipſius, tum ſcholae quoque eius hiſtoria, argumentis plurimis demonſtrat. Id de Graecis reliquis, qui poſt eum in Aegyptum iter ſuſceperunt, dici profecto nulla ratione poteſt. In dubium ergo vocari poſſe non reor, durante Perſarum in Aegypto imperio, numerum rite initiatorum, et cum eo cognitionem ſcientiarum arcanarum ſacerdotalium, paulatim, ſed magnopere defeciſſe. Veri nominis *ἱερογραμματεῖς*, et Arpedonaptae, de quibus §. XL, pauci omnino ſupererant, cum Ptolemaei regno Aegypti potirentur, quod vel ex iis, u quae circa cultum Serapidis, in Aegyptum illo tempore introducendum, geſta ſunt, cuiuis liquere poteſt. Et niſi res ita ſe haberet, Manethoni, qui in gratiam Ptolemaeorum, multa in religione Aegyptiorum innouauit, §. XX. XXVIII. molimina haec ita feliciter ſuccedere non potuiſſent. Eandem quoque cauſam fuiſſe arbitror, quod a Ptolemaeorum tempore, Graeci de ſuſcipienda Aegyptiorum initiatione ſolliciti amplius plane non fuerint, etiamſi reges ſibi ſuisque ſtudiis oppido haberent fauentes. Nullum certe ex Graecorum Philoſophis alicuius nominis inuenire potui, qui regnantibus Ptolemaeis beneficium initiationis aut quaeſiuerit, aut impetrauerit, quod mihi quidem argumento videtur eſſe, ritum huncce myſticum, tempore

u. Vi[...] *theon*[...] II. cap[...] §. 4. 5.

illo * iam deſinere coepiſſe, aut ex illo, fructum inſignem, vt antea, iam non expectari potuiſſe. Tempore vero Auguſti Imperatoris, qui extincta familia Ptolemaeorum, deuictisque vltimis Aegypti regibus, regionem illam in formam Prouinciae Romanae redegit, ordo eorum, qui vere ἱερογραμματεῖς dici poterant, quibusque ſolis arcana ſcientiarum ſacerdotalium omnia perſpecta erant, in vniuerſum iam defecerat. Teſtatur hoc Scriptor inprimis eruditus, et iudicio perpolitus, STRABO Lib. XVII. p. 554, vbi de Sacerdotibus Heliopolitanis, quorum ordo ſapientiae fama, tantopere olim celebratus erat, iſta obſeruat. *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitarunt. Hanc enim perhibent olim Sacerdotum habitationem fuiſſe, hominum Philoſophiae et Aſtronomiae deditorum: nunc is ordo et ſtudium etiam defecit, nec quiſquam nobis, qui ſtudium tale profiteretur, oſtendebatur. Sed homines tantum, qui ſacrificia curarent*, atque ritus eos peregrinis commonſtrarent. Comitatus quidem eſt Aelium Gallum ducem, ex Alexandria nauigantem in Aegyptum, quidam nomine** Chaeremon, qui ſibi eiusmodi ſcientiam arrogabat;*

* Equidem et illo tempore, et poſtea, tum in ipſa Graecia, tum Romae quoque, cultores Iſidis, ſacris et myſteriis huius Deae initiari ſolebant, quod conſtat ex APVLEII Metam. Lib. XI. vbi ritus initiationis huius deſcribuntur. Sed illa nec temporis multum abſumebat, nec moleſtiis inſignibus onerata erat. Per illam quoque aditus quidem patebat ad myſticum quendam Iſidis cultum; non vero ad ſcientias arcanas. Erat ergo infimus tantum initiationis gradus. Supremus et vltimus gradus iam dudum exoleuerat.

** Eundem hunc eſſe exiſtimo, quem EVSEBIVS vocat ἱερογραμματέα. EVSEBIVS Praeparat. Eu. Lib. V. c. X. Nam eorum ſcientias volebat profiteri. Ex eodem iſ-

rogabat; ſed ob inſcitiam et arrogantiam, vt plurimum deridebatur. Oſtendebantur ergo ibi Sacerdotum, aedes ac domicilia, in quibus Eudoxus et Plato egerant. Erant illa aetate, vti etiam poſtea plures in Aegypto, qui veterum ἱερογραμματέων et nomen et ſcientiam ſibi tribuerent; ſed qui a cordatis rerumque harum peritis, falſi argui facile poterant. Ex eorum numero erat etiam Acamatius, Sacerdos, vt videtur, Heliopolita, de quo Anonymus [w] apud SVIDAM obſeruat ἤξίυ καλεῖσθαι φιλόσοφος, *arrogabat ſibi nomen Philoſophi*, id eſt videri volebat eſſe [x] ex ordine veterum Arpedonaptarum. Et iterum ἠβέλετο δὲ τις εἶναι τῶν ἱεροσκόπων. *Volebat etiam eſſe ex ordine eorum, qui Sacra inſpiciunt.* Quod opinor munus fuiſſe, quibuſdam ex Scribis Sacrorum quondam proprium. Tales STRABO etiam, dum Aegyptum peragraret, reperire tantum potuit. De Thebaeis quidem Aegypti ſuperioris, Sacerdotibus, idem ſcribit p. 561. quod inter reliquos *maxime Aſtronomiam et Philoſophiam exercuerint;* ſed quam frigide eos non laudat? Non deerant ſane illo tempore, qui diſciplinas Philoſophicas et Aſtronomicas pro virili excolerent. [y] A Sacerdotibus Aegyptiis Iulius Caeſar illam anni formam didicit et mutuatus eſt, quam poſtea Romae inuexit, et qua melior perfectiorque a nemine excogitari potuit. Et inter eos quidem, qui diſciplinis hiſce ſtudio laudabili incumberent, excelluiſſe videntur Sacerdotes Thebaei, ab Alexandria, a ſtrepitu Aulae et negotiorum, ac a commercio cum Graecis, omnium maxime remoti. Sed cum tamen opulentiſſima quondam Thebarum vrbs,

(K) 5 ante

w. in 'Aκαμάτιος.

x. Vide ſupra §. X

y. Vide *la Chronologie* de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 701. 702.

ſigne Fragmentum de Sacerdotibus Aegyptiis adfert PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. IV. p. 360. etc.

z ante illud tempus, ſaepe iam vim hoſtilem experta, et tota fere diruta fuiſſet, cum Templa Deorum plus ſemel vaſtata, opibusque et donariis ſpoliata vidiſſet, cumque calamitates hae Collegia illic Sacerdotum vehementer concuſſiſſent, atque disieciſſent, fieri non potuit, vt exules in ſolum patrium reuerſi, gloriam maiorum ſuorum attingerent, et ſucceſſionem ſcientiarum arcanarum conſeruarent, quae in tota reliqua Aegypto extincta iam erat. Itaque ſcientiae, etiam priſtinae, excolebantur quidem etiamnum ab Aegyptiis; ſed quae initiationis priſcae, et myſteriorum, magiſtri, ſibi reſeruauerant, alta obliuione ſepulta iacebant. Cultus Deorum, ritibus patriis ac auitis etiam tum peragebatur quidem: Sacerdotes ſemper, vti antea, ſacrificia more Maiorum procurabant, ac omnia eo ſpectantia, ex libris illis ſacerdotalibus addiſcebant, qui vſui eorum patebant, §. XLI; verum clauis genuina totius Theologiae veterum Aegyptiorum, intermortua iam erat. Solae ſupererant Theologiae illius fabulae aenigmaticae, quarum genuinum ſenſum equidem diuinando aſſequi, et interpretari conabantur plurimi, verum ſucceſſu plerumque minus felice, vnde in illo explicando, tot et tanta apud Sacerdotes reperiebantur ſententiarum diuortia, quae in PLVTARCHI libro *de Iſide et Oſiride*, et in IAMBLICHI Commentario *de Myſteriis Aegyptiorum*, legi poſſunt. Hanc ſine dubio rem tangere voluit auctor *Dialogi Aſclepii*, qui HERMETI TRISMEGISTO adſcribitur, quem vero ego a Scriptore Chriſtiano; ſed antiquitatis Aegyptiacae non mediocriter perito, Seculo III. adulto, confictum eſſe ſuſpicor. Ita autem ille: a *O Aegypte, Aegypte, religionum tuarum ſolae ſupererunt fabulae, et aeque incredibiles poſteris ſuis, ſolaque ſupererunt*

z. BOCHARTVS in *Phaleg.* Lib. IV. Cap. XXVII. PRIDEAVX Hiſtoire des Iuifs. To. IV. p. 169. 170.

a. In Operibus APVLEII p. 90. Edit. *Elmenhorſtii.*

erunt verba lapidibus inciſa, tua facta narrantibus. Subinnuit auctor hicce, quiſquis eſt, arcana religionis Aegyptiacae, manere quidem inciſa lapidibus et Stelis; ſed ſupereſſe neminem, qui illa norit interpretari, vt proinde ex cana priſcorum Aegyptiorum Theologia, nihil ſuperſit, quam ſolae illius fabulae. Non me quidem fugit, extitiſſe illo etiam tempore, et deinceps, qui ſibi ſcientiam ſcripturae hieroglyphicae arrogarent, et re ipſa quoque cana illa vltimae vetuſtatis monumenta, [b] Obeliſcos, videlicet primi in Aegypto aeui, aliis interpretarentur. Verum ex STRABONE iam intelleximus, eius tempore fuiſſe plures, qui ſibi veterum Aegyptiorum ſapientiam et ſcientias ſacras attribuerent, quarum tamen re ipſa plane eſſent expertes. Licebitne nobis idem quoque de recentibus antiquorum Obeliſcorum interpretibus cogitare? Aut, quoniam res in Obeliſcis his inſcriptae et inſculptae, ex earum numero non videntur fuiſſe, quarum ſcientiam ſibi ſolis reſeruauerant initiationis Magiſtri, abſurdum non erit dicere, earum notitiam, traditione perpetua, inter Sacerdotes omnes, fuiſſe conſeruatam, et forte etiam libris illis ſacerdotalibus comprehenſam, quos plures non legere modo; verum et memoriter ediſcere tenebantur. §. XLI. At vero aenigmatum Theologicorum interpretationem arcanam, regnantibus Ptolemaeis intercidiſſe, et vna cum priſca initiationis diſciplina, obliuioni perpetuae mandatam fuiſſe, arbitror. Omnia Vetuſtatis Monumenta, quae nunc ſuperſunt, iacturam hanc reſarcire nobis non poſſunt. Verum Theologiae Aegyptiacae ingenium, genuinam fabularum illius interpretationem, nemo iam, niſi diuinando et coniectando aſſequi valet. Labori huic ſane perdifficili, et ego ante permultos annos, manum

b. DIOD[ORVS] Lib. p. 55. STRABO Lib. XVII. p. TACITVS Annal. II. c. 60. AMMIANVS MARCELLINVS L. XVII.

manum admoui, regulis illis, quas §. LVI. commendaui, perpetuo inhaerens, et vetuſtam Aegyptiorum linguam, quantum id quidem fieri potuit, ſemper in conſilium adhibens. Vtrum vero labor ille meus, quem Beneuolo Lectori nunc offero, feliciter et ex voto ſemper ceſſerit, dicere non auſim. Ne inficias quidem eo, me ipſum, in argumento non vno, adhucdum ancipitem haerere. Sed ea forte inſecutura dies maiori luce perfundet. Tu vero cordate et beneuole Lector

— ſi quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

INDEX

IN

PANTHEON AEGYPTIORVM.

INDEX.

RERVM ET VERBORVM.

Numeri minores *indicant paginas:* Maiores *Panthei partes, I. II. et III.* Pr. *deſignat Prolegomena.*

A

Abrahamus apud Orientales omnes ſemper magno in honore fuit. Pr. 12.

- - ab eo Aegyptii ritum circumciſionis mutuati ſunt. Pr. 12-15.

Accipiter Aegyptiis ſymbolum erat Solis. I. 158. 206. et ſigillatim Philis in Aethiopiae confiniis. I. 158. Ibi vocabatur rex meridiei. Ibid.

Adytum Templi Saitici. I. 67. 68.

- - in eo celebris erat inſcriptio in honorem Mineruae. I. 65-69.

Aegyptii ſidera coeli alicui ex Diis maioribus attribuebant. II. 37. 38. homines mortales honoribus Diuinis non coluerunt. Pr. 26-43. II. 38. victimas humanas nunquam inſtituerunt. II. 72. 73. 75. Vide et *Sacrificia.* Cum peregrinis religionis ergo, cibum non capiebant. Pr. 20.

Aegyptiorum ſapientiam Scriptura praedicat. Pr. 3. Traditiones ſacrae, vel fabulae Theologicae, per totum Pantheon vbique adferuntur et explicantur. Eorum Sphaera alias habebat conſtellationum imagines et nomina, atque Graeca. II. 47. Eorum circumciſio, vide *Circumciſio.* Cultus. Vide *Cultus.* Feſta. Vide *Feſta.* Literae. Vide *Literae.*

Aegyptiorum Dei. Vide *Dei.*

Aegyptiorum Philoſophi in plures Sectas erant diuiſi. Pr. 71. coluerunt mentem

aeter-

aeternam, rerum omnium cauſam primam. Pr. 46-49. I. 38. 39. 40. 41. 81. 82. 83. Sed illius cultus paulatim a populo negligi coepit. Pr. 106. I. 52. Eorum Atheiſmus I. 29-38. Eſt tantum apparens, et recte explicari debet. Ibid. 38. 39. etc.

Aegyptiorum religio, et fabulae ſacerdotales omnes, rationes habebant myſticas, ex doctrina eorum Phyſica, et Aſtronomica explicandas. II. 206. Idque per totum Pantheon, vbique oſtenditur.

Aegyptiorum Theologiae breuis ſumma. I. 81. 82. Eorum Theologia de animarum origine et immortalitate. I. 30-34. de creatione Mundi. I. 42. 43. Omnis eorum Theologia nititur rationibus Phyſicis et Aſtronomicis. Pr. 105. Eſt clauis Theologiae et Religionis omnium gentium. Pr. 4. Theologia, quam Sacerdotes ſibi reſeruabant, erat arcana. I. 8. 18-20. 46. 94. II. 20. 26. 50. III. 28. 31. ſed quae tradebatur populo, ſymbolis, aenigmatibus, allegoriis et fabulis mirifice obſcurata, quod per totum *Pantheon* docetur. Ideoque recte et plene intelligi non poterat, niſi ab initiatis. Pr. 128-130. Vide et *Religio*, et *Sacerdotes*.

Aenigmata Sapientum veteris aeui. Pr. 112-138. Sacerdotum et Theologorum in Aegypto. Ibid. 114-118.

- - Pythagoraeorum, quae ipſi mutuati ſunt ab Aegyptiis. 116.

Aeſculapius Aegyptiorum, ſiue Memphiticus. III. 191-193. Eo nomine a Graecis intelligitur Deus, quem Aegyptii Smin et Smun dicebant. III. 193. 194. Nonnunquam vero idem habetur cum Thot, ſeu Mercurio Aegyptiorum. III. 196. Etiam cum ipſorum Vulcano et Pane. Ibid. 196. 197. Vti et cum Serapi. III. 197-199.

Aeſculapii Aegyptii ſimulachrum. III. 196.

Aethiopes communionem Sacrorum habebant cum Aegyptiis. I. 164. 165.

Agathodaemon Aegyptiorum, lingua ipſorum dicebatur Cneph, vel Cnuphis, vel Ichonuphis. Vide *Cnuphis*. Erat re ipſa idem cum Vulcano. I. 93. Eodem nomine inſignis etiam erat alueus aliquis Nili. I. 98. III. 148. Fuit forte illud Canobitarum Numen, cuius ſimulachrum hydriae formam habebat. III. 147. 148.

Alexander M. inter Deos Aegyptios referri cupiuit. Pr. 42. 43. Eius Epiſtola ad Matrem, de cultis in Aegypto hominibus bene meritis. Ib. 30-34.

Ambo Dea, eadem cum Tithrambone. Vide *Tithrambo*.

Ammon Libycus. I. 163. 164.

Ammon Aegyptiorum. Vide *Amun*.

Amun, ſiue Ammon Aegyptiorum

rum

rum Numen ex maioribus. I. 160. 161. Graeci interpretantur Iouem. Ibid. vide et *Iupiter*. Interpretationis huius ratio. 167. Sedem habebat Thebis, quae ex eo dicebantur Amun-No, graece Διόσπολις, *vrbs Iouis*. 161. 162. Ibi Templum habebat ſplendidum. 162. Simulachrum eius ſpeciem habebat arietis. I. 163. Et erat quoque aries viuus. 163. 168. Non eſt Spiritus Opifex. 165. 166. Neque etiam Chamus, Noachi filius. 176. 177. Verum erat Sol, in certa ad noſtram terram relatione ſpectatus. 166. Non tamen Sol occidens. 166. 180. Sed in arietis ſigno aequinoctium vernum faciens. 167 - 176. 180. Nominis Amun interpretationes a Graecis ſuppeditatae. 178. 179. Videtur ſignificare lucidum, vel lucem poſt tenebras reducentem. 179 - 184.

Animalium cultus in Aegypto, tempore Ioſephi Patriarchae iam praeualuerat. Pr. 19 - 21. Et multo magis tempore Moſis. 21 - 23. Animalia in Aegypto colebantur viua, tanquam ſymbola et imagines Deorum. 83 - 87. et animalium quoque ſigna atque ſimulachra. 86. 87. Cultus huius origines. II. 260 - 262.

Anſer Iſidi ſacrificari ſolitus. III. 9.

Antaeus Aegyptiorum, idem cum eorum hirco Mendete, et idem quoque ſignificat. 302 - 304.

Anubis, magnum Aegyptiorum Numen. III. 3. 5. 6. 7. adulterinus Oſiridis ex Nephthy filius. III. 11. cuius rei ratio explicatur. III. 27. 28. indiuulſus Oſiridis et Iſidis comes. III. 12. 14. cuius rei ratio promitur. 29. Sacratus ei erat canis, tanquam viua illius imago. III. 4. 5. illius rei ratio. 11 - 14. ratio vera. 35. 36. Anubis in Pompis Iſiacis omnibus circumferebatur. 13. 14. Erat quoque antiquitus inter Graecos cultus. 7 - 10. Non eſt nomen Aegyptiacum Planetae Mercurii. II. 137. 138. III. 23 - 25. Graeci eum nonnunquam interpretantur Saturnum. III. 14. 15. 20. ſed plerumque Mercurium. 15. 16. illius rei ratio. 33 - 35. Aegyptiis dicebatur Deus aëreus. 16 - 25. cuius rei ratio exponitur. 26. habebatur Typhonis victor. III. 67. Erat in Theologia Aegyptiorum ſymbolum Horizontis, vel ortus et occaſus, tum Solis tum Lunae. 25 - 37. Variae nominis illius originationes adferuntur. 18. Anubis ſignificat Aegyptiis aureum. 19 - 21. eiusque denominationis ratio profertur. 35.

Anubidea, Templa vel Sacella, Anubidi dicata. III. 4. 6.

Aphophis, vel Apophis, vel Apopis cognomen Typhonis, ſignificans gigantem. III. 98. 99 - 102.

Aphroditopolis, vrbs Praefectu-

 rae

rae Proſopiticae, Aegyptiis dicebatur Atarbechis. I. 4 5.

Apis, Aegyptiorum Numen maximum, et vbique terrarum celeberrimum. II. 178. 180. a peregrinis in Aegypto ſtudioſe viſebatur. II. 178. 179. erat Soli et Lunae conſecratus. 181. 182. 217. 218 263. 264. credebatur concipi Lunae contactu: II. 182. 183. ineſſe in ipſo debebant certae notae et inſignia. 183-185 Eius inauguratio et deportatio Memphim. 186. fanum eius Memphiticum, in quo degebat. 186. 187. Eius cum vacca ſacra conſuetudo 87. Stabulum eius et praeſepe 187. 188. Eius Oracula et reſponſa. 188-192. Eius natalis et θεοφάνια, quae tamen nonnihil a ſe differebant. 192-194. 223-226. Ingruebant in initia incrementa Niliaci, et finem anni ciuilis. 220-226. vita eius terminum habebat certum et conſtitutum 25 annorum. 194-199. Quem ſi ſuperaſſet, mergebatur puteo ſacro. 199-201. ſi autem eum non attigiſſet, publice et ſolenniter in fano ſepeliebatur prope Memphim. 201-204. ſequebatur illius luctus publicus, et noui inueſtigatio. 204-206. Eius cultus diuinus. 192. Effigies in Tabula Bembina. 184. 185. 222. 223. etc. 265. 266. Apis in memoriam Ioſephi Patriarchae conſecratus non eſt. 207-214. Plusquam quatuor ſeculis poſt mortem Ioſephi in Deorum numero locum inuenit 208. 209-214. Erat ſymbolum Nili, illiusque fertilitatis. 215-220. Sepultura eius admittit interpretationem allegoricam. 244. 245. Apis Aegyptiace ſignificat Deum menſurae Nili. 229. 230.

Arabum circumciſio Pr. 15. mos immolandi victimas humanas. II. 75. 76.

Argiui, Aegyptiorum coloni. II. 4. 5. Eorum nomina antiquiſſima ex ſermone Aegyptiaco commode licet interpretari. 5. Eorum Io, nihil aliud eſt niſi Luna. 6.

Aries ſymbolum et imago Ammonis. I. 163. et Neithae, vel Mineruae. I. 75.

Arpedonaptae Aegyptiorum. Vide *Sacerdotes.*

Arſaphes cognomen Oſiridis, quid ſignificet. I. 289.

Artes ſecundum nonnullos Aegyptiace dicebatur Stella Martis. II. 132. 133.

Aſinus ſymbolum Typhonis et hominum Typhoniorum II. 74. Typhoni charus. III. 45. 69. Vide et *Typhon.*

Aſo Aethiopiſſa, Typhonis adiutrix, eadem cum Thueri, eſt ventus meridionalis. III. 125-127. — eius effigies in Tabula Bembina. III. 127-130.

Aſpis, Aegyptiis ſacra, in Deorum capitibus ſaepe conſpicitur. I. 118. 119. Aſpidis quaedam ſpecies mortifera, Iſidis iratae ſymbolum. 119. 120.

Aſtra

Aſtra Coeli primum locum tenuerunt inter Deos Aegyptiorum materiales. I. 123. 124. Pr. 50. 51. etc.
Aſtronomia ab Aegyptiis ſumma induſtria et cum ſucceſſu exculta. Pr. 98-100.
Atarbechis, eadem quae Aphroditopolis. I. 4. 5.
Atheiſmus Philoſophorum Aegyptiorum: Vide *Aegyptii*.
Athor, Aegyptiorum Numen antiquiſſimum et maximum. I. 3. 4. A Graecis exponitur Venus. 5. Non tamen ſignificat Stellam Veneris. 10. dicitur etiam Venus coeleſtis et Iuno. 54. cur exponatur Venus. Ibid. Vide *Venus*. Aegyptiorum ſermone ſignificat Noctem vel tenebras. 10. 11. Probatur id veterum teſtimoniis. 21-23. Plura vide in *Nox*.
Athor Aegyptiis etiam ſignificat menſem tertium. 3. 4. 25. et bouem, quatenus bos foemina ſymbolum eſt Veneris Aegyptiae. 3. 4. 27. 28.
Athothes rex Thebaeorum in Aegypto. III. 159. 182. 186. 187.
Athyri, cognomen Iſidis, explicatur. II. 121. 122.

B.

Babys, vel Bebon, cognomen Typhonis. III. 102. etc. Eo nomine Sacerdotes intellexerunt ventum ſubterraneum, in cauernis latitantem. III. 103. etc.
Bacchus Graecorum, aliquo ſenſu idem cum Oſiride. I. 128-130. Id tamen non nimis eſt extendendum. 128-135.
Baucalis, vel Baucalium, ſpecies hydriae in Aegypto. Vide *Hydria*.
Bebon. Vide *Babys*.
Bembina Tabula, quae et Iſiaca Tabula, vel Menſa, explicatur et illuſtratur. I. 79. 80. 119. 121. 173. 174. 195. 196. 198. 201. 219. 257. 268. 282. II. 32. 33. 35. 39. 161. 173. 184. 185. 222-228. 240. 245. 265. 266. III. 14. 127-130. 163. 164.
Beſa, Deus Abydi in Aegypto localiter cultus. III. 200. 201.
Bonus, proprietas et nomen ſupremi atque infiniti Entis, ex omnium conſenſu. I. 93.
Bonitatem Menti aeternae attribuebant Aegyptii I. 103.
Boues antiquitus a gentibus plurimis ac Aegyptiis ſigillatim culti. II. 260-262. cultus huius origo. Ibid. Boues veteribus erant ſymbola et inſignia fluuiorum. I. 215-217. Apud Aegyptios erant ſymbola Nili. 216. 217. Tales autem tres ipſorum religione erant conſecrati, Apis, Mnevis, et Onuphis. Videantur hi articuli ſeorſim.
Brachmanes Indorum, diſcipuli Aegyptiorum, et religionis ipſorum aemuli. Pr. 20. 98. 100 I. 285. etc. III, 101.
Brimo, cognomen Dearum quarundam Graecarum. I. 106. 109. reſpondet prorſus Tithramboni Aegyptiorum. 106. 109. 110.

Bubaſis cognomen videtur eſſe Iſidis, idque explicatur. II. 124. 125.

Bubaſtis, maximum Aegyptiis Numen. II. 56. 57. Eius Sacra ab Aegyptiis omnibus celebrabantur. 57. ſed imperantibus Romanis iacebant neglecta. 58. 59. Olim erant abominanda. 69-77. Graeci eam interpretantur Dianam. 56-61. eius conuenientia cum Diana. 61-63. et diſconuenientia. 59-61. Eandem interpretantur Εἰληθυίαν, Lucinam. 68-72. Bubaſtis credebatur virgo intacta. 61. 62. Erant tamen in eius tutela puerperae et infantes recens nati. 63. Erat certo ſenſu eadem cum Iſide, ſymbolum quippe aliquod Lunae 64. 75. Praeſertim quatenus illa continuis viciſſitudinibus obnoxia eſt. I. 120. 121. Recte tamen poterat dici Iſidis filia. II. 65. 78-81. Nam eſt proprie ſymbolum Nouilunii. 66. 78-81. Illi conſecrata erat Vrbs Bubaſtus. 57. Vox Bubaſtis Aegyptiis felem non ſignificat. 81. 82. Quamuis felis Deae illius eſſet ſymbolum et ſimulachrum. 59. 60. interpretatio nominis huius Hieronymiana excutitur et illuſtratur. 82. 83.

Buto, vel Butus, Aegyptiorum Dea. II. 85. Eſt ex octo Diis primoribus. 89. 91. Graeci eam interpretantur Latonam. 85. 86. vrbs illi ſacra erat Butus. 86. 87. Erat ibi ſplendidum Deae Templum et celebre Oraculum. 88. Ibi etiam culti Horus et Harpocrates. I. 241. 242. II. 88-90. Et Bubaſtis, ſeu Diana. II. 88. 89. De Butone fabulae ſacerdotales Aegyptiorum. 89-91. Ea credebatur Hori et Bubaſteos nutrix et conſeruatrix. 90. 91. Buto in Theologia Aegyptiorum videtur deſignaſſe Noctem. 93-100. Sed id tamen dubiis premitur. 99. 100. Eius ſymbolum et ſimulachrum erat mus araneus. 99. 100. Ipſa erat ſymbolum Lunae. 100-110. Ac ſpeciatim quidem Plenilunii. 110-114. Vocem Buto, Aegyptii videntur pronuntiaſſe Mutho. 114. 115. Illius originatio euoluitur. 115. 116.

C.

Cabiri in Aegypto et Phoenicia culti, ſunt ſeptem Planetae. Pr. 59-61. Octauus iis additus, eſt Spiritus mundi vniuerſalis, ſiue Phthas. 61. 62.

Camephis, Deus Aegyptiorum. I. 96. 97. proprie ſignificat cuſtodem Aegypti. 96. 97. erat cognomen Vulcani Aegyptiorum, vel Epitheton, quod Diis etiam aliis tribui poterat. 97. Ex vno Camephi, Graeci recentiores inepte tres exſculpſerunt. 96. 97. 98.

Caniculae Sidus. Vide *Sothis.* In eius ortu ex ſignis quibusdam de prouentu totius anni iudi-

indicabant. II. 43 - 46. ab eius ortu quidam numerabant incrementa Nili 45. 51.
Canobus vel Canopus, vrbs inferioris Aegypti. III. 132 - 134. In illa vrbe Templum ſplendidum Serapidis. 135. 136. 149. inque illo ſchola florebat inclyta. 136. 137. 150. Prope Canobum, in Heraclio Templum erat Herculis peruetuſtum et celebre. 135. Nullum vero illic fuit Templum Neptuni. 137. 138. Canobitarum Deus per excellentiam dicebatur, eratque, Serapis. 135. 136. Illius ſimulachrum effictum erat in ſpeciem hydriae. 147. in cuius rei rationem inquiritur. 151 - 153. Is a Ruffino dicitur Canobus. Et cur? 151.
Canobus, Nauclerus Menelai Spartani. III. 131 - 133. Eum Scriptores Graeci Ethnici Diis Aegyptiorum non accenſent. 131. 132. Sed tantum Chriſtiani. 141. 142. etc. In vrbe Canobo nec Templum habuit, nec cultum. 132 - 134. Incertum eſt, an vnquam in Aegyptum venerit. 139. Ab eo vrbs Canobus nomen non habuit, vt fabulantur Graeci. 139 - 141.
Canobus, vox haec Aegyptiace ſonat ſolum aureum. 139 - 141.
Caucalium, hydriae ſpecies in Aegypto. Vide *Hydria*.
Chaeremonis, Sacerdotis Aegyptii Theologia. I. 34. 35.
Chamus veri Dei cognitionem ſemper retinuit. Pr. 8. 9.
Non eſt Aegyptiorum Ammon. I. 176. 177.
Chemmis vrbs Thebaidos, Graecis dicta Panopolis. I. 290. 293. 294. Vide *Smin* et *Smun*.
Chon, aut etiam Chom, Graeci nonnunquam efferunt nomen Herculis Aegyptiacum. I. 188. 189.
Circumciſionis ritum primus adhibuit Abrahamus. Pr. 13. Eodem ritu vſi ſunt quoque Aegyptii. 12. Et apud eos cumprimis Sacerdotes. 14. Eratque apud eos ritus religioſus. 14. 15. Eum mutuati ſunt ab Abrahamo. 13. Circumciſio apud Aegyptios debuit ſemper praecedere initiationem ad Myſteria. 14. 141.
Clarii Apollinis Oraculum illuſtratur. I. 250 - 254.
Cneph, Numen Aegyptiorum perantiquum. I. 84. 85. 86. Rectius dicitur Cnuphis, vel Ichonuphis. Vide hos articulos. Idque ſignificat ἀγαθὸν, bonum; vel potius Ἀγαθοδαίμονα, bonum Spiritum, vel bonum Deum. 86. 89. 90. Perhibebatur ingenitus, aeternus, et immortalis. 85. Opifex mundi. 87. Omnium cauſa. 92. Cum Vulcano Aegyptiorum idem eſt. 93. 94. Etſi Graeci recentiores duos hos perperam diuiſerint. 94. 95. III. 185. 186. Et doctrinam de eo in vniuerſum Graeci recentiores corruperunt. 93. Pr. 67. Cneph, vel Cnuphis nonnunquam dicebatur *Ich-*

thon, id eſt *Spiritus Vniuerſi*. 91. Colebatur praecipue in vrbe Elephantine. 87. Symbolum eius erat Serpens. 85. 86. 89. Eodem Cnuphis nomine, Aegyptii nonnunquam etiam inſigniunt Nilum fluuium. 98. Et tauros quosdam Sacros, fertilitatis Niliacae ſymbola. 98. 99.

Cnuphis. Ita, rectius vocatur Deus, quem Graeci alias contractius vocare ſolent Cneph. I. 87-90. Vide *Cneph*. In Gemmis Gnoſticorum Abraxeis, deſignat nomen hoc Sanctiſſimum noſtrum Seruatorem. 87. 89.

Coecorum regio Aegyptus. I. 111. 112. Nam fuit ſemper, eſtque hodie magna in regione illa coecorum multitudo. 111. 112.

Cognomina Deorum, quae. II. 119. Differunt ab Epithetis iisdem tribui ſolitis. 118. 144. Deorum in Aegypto. I. 96. 98. II. 119. 120. 125. Iſidis 120. etc. Typhonis. III. 98. etc.

Columnae olim pro Diis cultae. Pr. 80. 81.

Columnae Sethi, a Stelis Mercurialibus in Aegypto non differunt. III. 178. 179.

Columnis veteres inſcribebant ſcientias, et alia memorabilia. Vide *Stelae*.

Crocodilus, animal impurum et odioſum. III. 67. 68. Typhonis ſymbolum et imago. Ibid. In quibusdam Aegypti partibus colebatur. 70.

Crux anſata, in Aegyptiorum Monumentis, phallum deſignat. I. 282. 283. 287. Eadem quoque Stellam Veneris ſignificat 131.

Cubitus Niliacus, Nilometrium portatile. II. 240. Vide Nilometrium.

Cudworthi ſententia de Theologia Aegyptiorum excutitur. I. 34-40.

Cultus religioſi priſci in Aegypto obiectum non fuerunt homines, poſt mortem diuinis honoribus donati. Pr. 25. 43. Sed partim Dii intelligibiles, naturae Spiritualis. 45. 49. Vide et *Spiritus*. Partim Dii ſenſibiles, ſiue corporales. 45. 49. 50. etc. Praeter iſtud obiectum cultus proprium et primarium, aliud habebant Aegyptii ſecundarium et relatiuum. 77-80. Tale erant Obeliſci, radiorum Solis imagines. 80-83. animalia viua, habita pro Deorum imaginibus et adumbrationis. 83-87. ac tandem imagines animalium, et Deorum ſimulachra. 87. 88.

Cultus Deorum in Aegypto popularis. II. 141. erat myſticus et ſymbolicus. 214. 215. Eius obiectum erant Dii materiales ſenſibiles. I. 2. 35. 36. 37. 52. 70. 71. 122. 123. II. 141. 142. III. 78. In cultu Aegyptiorum populari locus Lunae vel Iſidi attributus erat primus. II. 3. 9. 10.

D.

Delubra, vel Thalami Apidis. II. 186. 187.

Deorum Aegyptiorum nomina, nonniſi per coniecturam explicari poſſunt. II 49. 50. Adde Pr. 129. 155. Ex Theologia gentis huius arcana ſunt explicanda. II. 50. antiquiſſima erant ſimplicia, ſignificationis propriae, et ex communi ſermonis vſu deſumta. II. 270. Illis diu poſtea ſubſtituta ſunt mere ſymbolica et aenigmatica. II. 31. 270.

Dii Aegyptiorum a populo adorati, erant materiales. Vide *Cultus*. Primarii erant octo. Pr. 61. 62. 64 - 73. Ad priores octo acceſſerunt quatuor, vt eſſent duodecim. 73. 74. Hos ſequebatur ordo Deorum vltimus. 75 - 77.

Dſom, vel Som, nomen Herculis Aegyptium. Vide *Hercules*.

E.

Ἐιλήθυια. Vide *Lucina*.

Epicharmi Doctrinae de animae origine et immortalitate. I. 33.

Epitheta Diis tributa differunt ab eorundem cognominibus II. 118.

Ertoſi, Aegyptiace Stella Martis II. 133 - 135.

Eſmunus antiquum Aegyptiorum et Phoenicum Numen. I. 295. 296. etc. Dictum etiam Ichmiri vel Iſchemun. 295. 298. Aegyptiis ſonabat Smin et Smun. I. 298. Idque et Phoenicibus et Aegyptiis octauum ſignificabat. 300. Quae ſit illius nominis ratio. 300 - 302. Pr. 60 - 63. Graeci Eſmunum interpretantur Aeſculapium. I. 296. 297. III. 193. Refertur nonnunquam ad Vulcanum, nonnunquam vero ad Mercurium Aegyptiorum. III. 93. 194.

Eumenuthis. Vide *Menuthis*.

Euripidis doctrina de animarum origine et immortalitate. I. 30.

F.

Fabulae Sacerdotum Aegyptiorum, ſymbolicae, aenigmaticae, per totum Pantheon, in ſingulis fere paginis adferuntur, ſaepe etiam explicantur.

Fabularum interpretes per totum fere Orientem, nec minus per Graeciam, in Templis fere omnibus erant conſtituti. Pr. 116.

Fabulae Theologiae Graecanicae. I. 70. 71. 142. 169. 197. 237. 279. Ad Theologiam Aegyptiorum raro et caute accommodandae ſunt. I. 59 - 63.

Felis Lunae Symbolum II. 66 - 68. 70. 71. ideoque Iſidi et Bubaſti ſacra. Ibid. 59. 60. 66 - 68. 70. 71.

Feſta Aegyptiorum ad viciſſitudines Solis attemperatae. Pr. 75. I. 24. Et ad viciſſitudines Lunae. Pr. 51. I. 24. II. 42. 43.

Flagrum Solis, in Aegyptiorum ſignis ac Monumentis. I. 292. intentatur non Lunae; ſed Typhoni. I. 291. 292.

G.

Graeci aliarum gentium Numina, ad Numina ſua patria contorquent. I. 3. 129. 139. 140. 141. 142. Solent fabulas ſacras Aegyptiorum, eorumque Dogmata Theologica vehementer interpolare atque corrumpere. I. 43. 46. 51. 69. 87. 94. 139. 169. 191. 288. II. 26. 38. 202. III. 21. 48. 60. Aut ſolent Theologiam ſuam cum Aegyptiaca commiſcere et confundere. I. 49. 139. 142. II. 38. III. 42. 43. 49. 52. Aegyptiis nonnunquam Deos obtrudunt, ex ſua Theologia, quos ipſi ignorant. I. 140. 141. Diis Aegyptiorum, ſuorum Deorum nomina imponunt et accommodant. I. 5. 22. 58. 59. 140. 141. vbi interpretantur nomina Deorum Aegyptiorum errores committunt varios. I. 274. 275. II. 81. 82. III. 18.

Graecorum Fabulae Theologicae. Vide *Fabulae*. Ab Aegyptiacis plerumque vehementer differunt. I. 62. 70. 130. 185. 237. II. 61. 228.

H.

Harpocratis Numen in Aegypto perantiquum. I. 242. 244. ſed Graecis, ante Alexandri M. tempus, vt videtur, ignotum. 241. 244. 245. poſt Alexandri et Ptolemaeorum regnum, non Aegyptiis modò; verum et Graecis ac Romanis magna in veneratione fuit. I. 242. 243. Ideoque plurima eius ſigna, quae extant, ingenio Graecorum debentur. 243. Eius cultus primo in Aegypto tantum ſuperiori obtinuiſſe videtur. 244. nominis huius Aegyptiaci ſcriptio et originatio examinatur. Significat re ipſa claudicantem pede. 245-247. Fingebatur etiam claudicans. 265-271. referebatur ad Solem. 248. Erat certo ſenſu idem cum Horo. I. 211-213. 248. 257-259. Et cum Oſiride 257-259. Symbolum erat Solis renouati, vel de nouo exorti, non quidem quotidie, ſed ſemel quotannis, in Solſtitio hyberno. 249. 261. 262. Ideoque fingebatur tenellus infans. I. 254-259. Et loto inſidens. I. 259. Et digitum habens labiis adhaerentem, quod Graeci minus recte interpretantur. 263. 264. Et pedibus valde debilis ac claudicans. 265-271. Quia circa Solſtitium hybernum Solis motus perhibetur eſſe tardior. 268-270.

Hecate tenebricoſa Aegyptiorum. I. 22. ita nonnunquam a Graecis appellatur, Tithrambo. I. 108. 109. etc. Eſt Iſis irata, vel Luna hominibus mala immittens. 110. 111. Deſignat Lunam, quatenu-

nus continuis viciſſitudinibus obnoxia eſt. 114.
Heliopoli vel One colebatur Sol. I. 137-139. ibidem olim Bubaſtis vel Lucina in ſymbolo felis adorabatur. II. 71. 72. Heliopoli colebatur etiam Taurus Mneuis. II. 262-270.
Heliopolitanum Templum a Cambyſe deſtructum, poſtea reſtitutum non eſt. II. 268.
Hercules, vt loquuntur Graeci, Aegyptiis erat canum ſummumque Numen. I. 184. Aegyptiorum ſermone dicebatur Dſom, vel Som, vel Chom, vel Sem. 186. 187. Id vero ſignificat virtutem, robur, ac potentiam, aut plenius virtutem Deorum. 188-190. Eſt ab Hercule Graecorum plane diuerſus. 185. 189. Et Hercule Graecorum multo antiquior ab ipſis Graecis agnoſcitur. 185. 186. Eius Statua in Templo Thebaeo, circa Solſtitium vernum a Sacerdotibus adducebatur ad Simulachrum Ammonis. 184. 185. De eo fabulae Aegyptiorum. 184. 185. 192 197. 199. Secundum eos in Sole poſitus, cum Aſtro hoc rotabatur. 192. Non eſt Spiritus Opifex, vel Creator. 190. 191. Erat certo ſenſu idem cum Oſiride. 192. Et cum Horo. 213-215. Erat Symbolum temporis. 191. 193. 194. Aut potius Solis, qui tempus efficit. 191. 192. etc. Speciatim vero Solis verni, 185. 195. 196. fruges ad maturitatem debitam perducentis. 200. 201.
Hercules Aegyptius, Canobi in Aegypto inferiori cultus, Graecis quoque celebratus erat. Vide *Canobus.*
Hercules Tyriorum, Symbolum erat temporis. 193. 194. Etiam Graecorum in Theologia antiquiori. 194. 195.
Hermes Aegyptiorum, lingua ipſorum dicebatur Thoth. Vide *Thoth.* Dicebatur ter maximus. III. 160.
Hermetes Aegyptiorum fuerunt tres, vel duo. Vide *Thoth.*
Hermetici libri. Pr. 96-98. I. 43. 44. 96. III. 165. 166. 190. 192. 196.
Hermunthites Taurus ſacer. Vide *Oniphis* et *Pacis.*
Hippopotamus, animal impurum, Aegyptiisque odioſum. III. 68. Symbolum et imago Typhonis. 68. 69. colebatur Papremi, in Aegypto inferiori. 71.
Hircus, viua imago Mendetis, ſiue Panis Aegyptii. Vide *Mendes.* Animal libidinoſiſſimum, ideoque Mendetis ſymbolum. 281. 282.
Homines mortui, ob benefactorum merita, poſt mortem diuinis honoribus donabantur a Graecis. Pr. 26-28. Non itidem apud Perſas. 29. Neque apud Aegyptios. 29-43. Quod antiquiores ipſorum Sacerdotes, teſtantur. 37-42.
Horus, Aegyptiorum Deus, ſermone

mone ipſorum dicebatur Or. I. 202. 203. A Graecis exponitur Apollo. 202. Eius rei ratio. 221. Oſiridis et Iſidis filius. 219. 220. Eius rei ratio. Ibid. Fabulae Aegyptiorum de eo. 203-205. Eius cum Typhone certamen et victoria. 208 220. Eius regnum. 218. Horus iunior et ſenior. 213. 216. 245. Certa ratione idem erat cum Harpocrate. 211-213. et cum Hercule Aegyptiorum. 213-215. Videtur Aegyptiis ſignificaſſe aërem ſymbolice. 206-210. ſed re ipſa erat ſymbolum Solis. 205. 211. 215. 216. Et quidem circa Solſtitium aeſtiuum lucis et caloris vim atque potentiam maximam manifeſtans. 216-219. Eo forte reſpexit, qui eum interpretatus eſt Priapum. 209. 210. Nominis Hori variae originationes. 221-223.

umana Sacrificia an et qua ratione in Aegypto admiſſa. Vide *Sacrificia*.

ydriae Aegyptiacae, ex terra quadam poroſa confectae, aquam Nili turbidam reddebant puram et limpidam. III. 144-147. a Graecis vocantur Baucalia et Caucalia. 145-147. hydriae talis formam habebat ſimulachrum Dei Canobitae, ſiue Serapidis illic culti. 147. cuius rei ratio exponitur. 151. 152.

ymni Aegyptiorum Sacri. Pr. 96. II. 168. 172.

I.

Iao Gnoſticorum, in Oraculo Apollinis Clarii, quis. I. 250-254.

Iaro, vel Iaor. Vide *Ieor*.

Ibis, auis ſacra Thot, ſiue Mercurio Aegyptiorum. III. 163. 154. Eius figuram refert prima inter literas Aegyptias. 162-164. Eſt Θ Graecorum. 163. 164.

Ichmin, vel Iſchemun. Vide *Eſmunus*.

Ichonuphis. Ita plenius et perfectius appellatur Deus Aegyptiorum, quem communius Cneph et Cnuphin vocant Scriptores. I. 90. Idque proprie Spiritum, vel Deum, bonum ſignificat. 90-92.

Ieor, vel Iaro, in Scriptura vocatur Nilus, idque Aegyptiis fluuium ſignificat. II. 142. 143.

Imagines et Simulachra Deorum, quo loco et quo in honore fuerint apud Philoſophos Gentium. Pr. 79. Quales in Aegypto Deorum imagines. Vide *Simulachra*.

Inachus Argiuorum rex, gente Aegyptius. II. 5. Myſteria ex Aegypto in Graeciam vexit. Ibid. Eius filia Io. 5. 6. Inachus iunior et antiquior. 5. nomen et regis et fluuii. 5. 6.

Initiatio Aegyptiaca requirebat praeuiam circumciſionem. Pr. 14. 141. et praeparationem valde diuturnam et moleſtiſſimam. 140-143. Sed regnantibus Ptolemaeis fere

deſiit, aut certe priſtinum rigorem penitus amiſit. 152.
Inſcriptio Saitica. Vide *Sais.*
Io Argiua eſt Luna. II. 4-6.
Ioh Lunam Aegyptiis ſignificat, et ſub iſto nomine Luna primitus ab ipſis culta fuit. II. 4-6. Et ab Argiuis. 4-6.
Iram ſupremo Numini Aegyptii nonniſi tecte et magna circumſpectione tribuebant. I. 103. 104. Idque etiam in Coptica interpretatione Scripturae S. animaduerti poteſt. 105. 106.
Iſis maximum Aegyptiorum Numen, in cultu populari, Diis omnibus anteponebatur. II. 3. 8. 9. Eam Graeci interpretari ſolent Cererem. 7. 18. 19. Quod aliqua ratione verum eſt. 19. 20. Iſidis lachrymae in fabulis Aegyptiorum. II. Eadem Typhonem Siſtro abigit. I. 292. Iſis Aegyptiorum Theologis ſymbolum fuit Lunae. II. 7. 8. nempe generaliter et in vniuerſum ſpectatae. II. 78. 79. 117. Ideoque ipſi adſcribebant incrementa Nili. II 10. 11. 13. Et in eius poteſtate volebant eſſe ventos 16. 17. Aegyptiis etiam ſymbolice deſignabat terram. 18. 19. 20. Sigillatim vero terram a Nilo foecundatam. 20. 21. Quia nempe Luna cauſa eſt omnis fertilitatis terreſtris, ſecundum Aegyptios. 20. 21. Nonnunquam ſignificabat Statum et Naturam rerum ſublunarium. 21. 22. Etiam naturam rerum vniuerſam. 23-26. recentiores volebant, eam plurium Deorum proprietates comprehendere. 24. Certo ſenſu, a Neitha, vel Minerua Aegyptiorum non differt. I. 65. 70. 76. 78. II. 23. 40.
Iſidis nomen ſucceſſit nomini antiquiori Ioh, quo Aegyptii Lunam deſignabant. II. 6. 7. Iſis Aegyptiace matrem non deſignat. I. 136. II. 120. Variae huius nominis interpretationes expenduntur. II. 26-31. Re ipſa ſignificat Deam, terrae Aegypti, per Nili incrementa, vbertatem conciliantem. 31-33.
Iſis irata eſt Tithrambo. I. 110. 111.
Iuno Orientalium. I. 5. 6. Aegyptiorum diuerſa a Iunone Graecorum. I. 6. 142. deſignat plerumque eorundem Athor, vel Venerem. I. 6. 25. Nonnunquam vero ipſorum Ilithyiam vel Bubaſtin. II. 70. 71.
Iupiter Aegyptiorum, lingua ipſorum dicebatur Amun. Vide *Amun.* Colebatur inprimis Thebis, in Aegypto ſuperiori. Ibid. Graeci per Iouem antiquitus vim poteſtatemque Solis intellexerunt. I. 167.

K.

Κῦρος, quando adhibetur de Baccho, non filium ſignificat; ſed puerum aetate et forma. I. 135.

Latona

L.

Latona Aegyptiorum, ſermone ipſorum dicebatur Buto, vel Butus. Vide *Buto*.

Latonae in Theologia Graecorum interpretatio phyſica. II. 92-96.

Latopolis, vrbs in Aegypto, Latonae ſacra. II. 86. 87. Plures huius nominis vrbes erant in Aegypto inferiori. II. 87. Ab illis differt vrbs latorum in Thebaide. Ibid.

Lapides olim Deorum loco culti. Pr. 80. 81.

Leo Symbolum vel Simulachrum Vulcani Aegyptiorum. Vide *Simulachrum*. Idem Soli ſacer. I. 219. In Leonis ſigno, Nili exundatio eſt copioſiſſima. 218. 219.

Liber Bacchi cognomen, non ſignificat filium. I. 135. 136.

Libera, cognomen Proſerpinae, non deſignat filiam. I. 135. 136.

Libyes, aliquam Sacrorum communionem cum Aegyptiis habebant. I. 164. 165.

Lingua ſacra ſacerdotalis in Aegypto. I. 147. II. 175. 245. III. 68. 69. 109. Pr. 127. 130-135. 137. Non poterat recte intelligi niſi ab initiatis. Pr. 130. Non intellecta, errores non paucos peperit. II. 245. Pr. 127.

Literarum Aegyptiacarum inuentor Thoth, vel Hermes. III. 161-164. tam hieroglyphicarum, quam ſacerdotalium. 184. 185. 187. 188. Literarum Aegyptiacarum, (puta vulgarium) prima, formam habet Ibidis auis. III. 161. 162. Illa non eſt A, ſed Θ. 162. 163.

Literae Aegyptiorum hieroglyphicae. III. 184. 185. 187. Sacerdotales. 184. 185. 187. 188. Vulgares vel epiſtolographicae. 188. Erant numero XXV. II. 196.

Lucina, vel Ἐιλήθυια Aegyptiorum, erat Bubaſtis. II. 68-72. 77. 78. Sacra eius in Aegypto olim abominanda. II. 69. 77. Eam Graeci modo Dianam, modo Iunonem interpretantur. 70. 71. Eſt re ipſa Luna, ac ſpeciatim noua. II. 78-81.

Lucinae vrbs in Aegypto ſuperiori. II. 68. 69. Eadem Heliopoli habebat Sacellum. 71. 72.

Luna apud Aegyptios fingebatur ſexus eſſe maſculo-foeminini. I. 64. Apud eoſdem tamen vox deſignans Lunam, generis erat maſculini. 64. 65. Inter Deos Aegyptiorum viſibiles et materiales, cum Sole principatum tenet. Pr. 50. 51. I. 124. Ideoque ipſis dicta regina coeli. Pr. 50. I. 124. Ab Aegyptiis culta primo fuit ſub nomine Ioh. II. 4-6. Cui nomini poſt aliquot ſecula ſucceſſit Iſidis nomen. Vide *Iſis*.

Lunae corpus ſecundum Aegyptios eſt opacum, terrae noſtrae ſimile. II. 20. Ei veteres vim maximam ad generationem, conſeruationem, et incrementum rerum omnium,

tribuebant. II. 8. 9. 10. Et ſigillatim Aegyptii. Ibid.

Luna ſecundum Aegyptios ad creationem mundi concurrit. II. 41. Eadem credebatur incrementa Nili procurare. II. 11-13. praeſertim in Nouilunio. 12. 218. Et habere poteſtatem ventorum. II. 16. 17. Pro diuerſa ad terram noſtram relatione, variisque effectibus, varia quoque accipiebat nomina. II. 55. 56. Secundum veteres, ac ſigillatim Aegyptios, Luna paſcebatur aqua paluſtri, et ſic paſta omnia nutrit et fouet. II. 104. 105. Luna noua generationi et frugibus ſecundum eosdem mire fauebat. 79. 80. Et credebatur mater roris. 106-108. maxime tempore Plenilunii. II. 112. 113. Eo maiorem virtutem ferebatur exerere, quo propius ad Plenilunium perueniſſet. III. 112. Credebatur quoque hominibus inſaniam aliaque mala immittere, praeſertim in certis viciſſitudinibus. I. 113-116.

M.

Manethonis dexteritas, ſcientia, aut bona fides ſaepius valde laborat. Pr. 67-70. I. 180. II. 73. 74.

Mare auerſabantur Aegyptii. III. 81. 82. 83.

Martis Stella apud Aegyptios attributa Herculi. II. 132. Ab Aegyptiis dicebatur Artes, vel Ertoſi. II. 132-135.

Memphitarum Deus Phthas, ſiue Vulcanus. Vide *Phthas*. Eorundem Taurus Sacer, Apis. Vide *Apis*.

Mendes ſummum et antiquiſſimum Aegyptiorum Numen. I. 272. 273. 280. Erat ex numero octo Deorum primorum. 280. Simulachrum ipſius erat hircus viuus. I. 272. 273. 275 - 279. Ea de cauſa Graeci opinati ſunt; ſed perperam, hircum Aegyptiis dici Mendes. 272. 273 - 275. Propter eandem rationem Graeci Mendetem interpretantur Panem. 272. 273. 279. Duorum horum Deorum inter ſe conuenientia. 279. Et diſconuenientia. Ibid. Sedes hirci Mendeſii erat Praefectura Mendeſia, illiusque vrbs primaria Thmuis. 273 276. Sed colebatur tamen etiam per totam Aegyptum. 280. 282. cultus ille in lege Moſis iam damnatur. 279. Hirco Mendeſio Sacerdotes omnes initiabantur. 282. Hircus ille ſacer ſymbolum erat foecunditatis mundum conſeruantis. 281. Quae ineſt toti rerum naturae. 285. 286. Ac ſpeciatim Soli. 287-289. Nomen Mendes ſignificat prolificum et foecundum. 283-285.

Mens aeterna, rerum omnium prima cauſa, in Theologia Aegyptiorum. Vide *Aegyptii*.

Menſa Iſiaca, vel Bembina. Vide *Bembina*.

Menuthis, vel Eumenuthis Vxor Canobi, Numen Aegyptiorum. III. 153. 154.

Mercurius Aegyptiorum Thoth. Vide *Thoth*.

Mercurius eorundem alius, Anubis. Vide *Anubis*.

Methuer, Iſidis in Aegypto cognomen, explicatur. II. 123. 124.

Minerua Aegyptiorum, lingua ipſorum dicebatur Neith. I. 54. 55. Cum Minerua Graecorum pauca quaedam communia habet; ſed quae vltra ius fasque non ſunt extendenda. 56-63. Nam in permultis differt a Graecorum Minerua. 62. 70. 71. Ab Aegyptiis fingebatur ſexu vtroque praedita. 63 64. Eius ſimulachra fingebantur habitu mulieris ſedentis. 73. 79. 80. Feſtum in eius honorem quotannis celebrari ſolitum. 80. In illius tutela non erat oleae. 60-62. Habebatur pro Mente aeterna, vel Opifice, cauſa rerum omnium prima. I. 65. 66. 72. 73. 74 II. 40. Eoque ſenſu cum Vulcano Aegyptiorum eadem. I. 52. 53. 63. 64. 69. 74. Inſcriptio de ea, Saitica exploratur. 65-69. Fructus illius Sol. 69. Per eam Aegyptii deſignabant Sapientiam Mentis aeternae. 70-73. Ideoque Sapientibus et Scientiis ac artibus praeerat. 71. Etiam rebus ad bellum ſpectantibus. 71. 72. Sacer illi erat ſcarabaeus. 63. 72. 79. Ouis praeterea vel aries. 74. Etiam Zodiacus ipſi erat conſecratus, ac ſpeciatim ſignum arietis. 74. 75. 80. Et circulus aequinoctialis. 75. Vide et *Neitha*.

Mneuis Taurus ſacer Heliopolitanus. II. 262. etc. antiquior Apide Memphitico. II. 262. 267. verum poſt conſecratum Apim, eius cultus negligi coepit, et ſenſim defiit. 262. 263. 268. Singulari ratione Soli ſacer erat. 263. 264. Et primitus imago Solis habitus. 264. Notae Mneuidi propriae. 265. 266. Mneuis ſignificat bouem Heliopoli, aut Soli conſecratum. 268-270. in Tabula Bembina depictus non cernitur. 265. 266.

Moſes Aegyptiis dictus Oſarſiph, vel Oſirſaph. Pr. 22.

Mus araneus Latonae ſacer. II. 99. vera huius rei ratio. 202.

Muth cognomen Iſidis apud Aegyptios. II. 114. 120. Eſt forte Buto, vel Latona Aegyptiorum. 114. 115. 121. Secundum Plutarchum ſignificat Matrem, quod explicatur. 120. 121.

Myſteria ex Aegypto tranſierunt in Graeciam. Pr. 29. II. 5. Aegyptiaca tamen diuerſa erant a Graecis. Pr. 28. 29. In Myſteriis Graecorum tradebatur, Deos omnes fuiſſe homines Pr. 26-28. Sed non in Aegyptiacis. 29. 30. etc.

N.

Neitha, magnum Aegyptiorum et antiquiſſimum Numen. I. 53. 56. Sedem habebat Templumque praecipuum Sai, in Aegypto inferiori. Vide *Sais*. Ipſa tamen non dicebatur Sais. 53. 54. Graeci eam non interpretantur Venerem. 55. 56. Sed Mineruam. Vide *Minerua*. Ab ea olim multi in Aegypto, et viri et foeminae, nomina ſunt mutuati. 56-58. Nominis illius etiam in Graecia reperiuntur veſtigia. 58. Dea haec ſaepe ſub nomine Iſidis comprehenditur et intelligenda venit. 65. 70. Vide et *Iſis*. Nominis Neith variae adferuntur etymologiae. 75. 78. Nobis nomen iſtud videtur ſignificare decernentem, et ordinantem. Vide et *Minerua*.

Nemeſis Aegyptiorum Numen. I. 107. Eorum lingua patria dicebatur Tithrambo. Ibid.

Neomeniae in Aegypto ab antiquo celebratae. II. 43. Pr. 51.

Nephthys, Typhonis et ſoror et vxor. III. 46. 112. 113. Oſiridi fratri, inſcio, adulteris cognita. III. 113. 118. 119. Non erat Venus, neque aliqua maris Dea. 114. 115. Sed ſymbolum Arabiae Aegyptiacae, ſiue partis illius Aegypti ſterilis et infelicis, quam mare rubrum alluit. 116-119. Eoque opponitur Iſidi, terrae Aegypti, quam Nilus rigat. 117.

Nephthyos nomen Aegyptiacum tentatur. III. 120. 121.

Niloa Feſtum in honorem Nili, circa ſolſtitium aeſtiuum celebrari ſolitum. II. 173. 222. 226.

Nilometrium, ſiue menſura Nili adſcendentis, olim in pluribus Aegypti vrbibus extructum erat. II. 236-239. a veteribus accurate deſcribitur. Ibid. Et a recentioribus. 222. 239. Nilometrium Memphiticum olim paucis viſum cognitumque. II. 247. Extructum erat in Inſula. 2[illegible] 248.

Nilometrium portatile, prioris imago, in Pompis Sacris circumferri ſolebat. II. 173. 227. 228. 240. Serapidi ratione ſingulari ſacrum dicatumque erat. 241. Etiam Serapidi antiquiori, priſco Aegyptiorum Deo 243-253. Memphi reponebatur in aede Serapidis priſci. II. 228. 244. 245. 246. Alexandriae in Templo Serapidis Pontici. 227. In Tabula Bembina depictum cernitur. 173. 222. 226. 227.

Nilopolis, vrbs in Aegypto, Nilo ſacra. II. 170. Et Apidi II. 168. 219.

Nilus, fluuius Aegypti. II. 153. 155. cuius nominis interpretatio tentatur. 156-159. antiquiſſimo tempore appellabatur Ieor, vel Iaro, id eſt fluuius. 142. 143. Ab Aethiopibus vocabatur Siris, quod nomen tentatur. 144. 145. 150-153. Nomen Siris, cum hebraico Schichor non eſt idem. 146. 147. Neque cum

Oſiride Aegyptio. 148. 149. In Sacris nonnullis Nilus dicebatur Phruron, cuius denominationis ratio redditur. 159 - 161. Nilus quando nomen hoc acceperit. 153. 154.

Nilus ab Aegyptiis inter Deos principes colebatur. II. 140. 141. 168 - 174. Iupiter Aegyptius. 168. 169. Feſtum annuum in honorem eius inſtitutum. Vide *Niloa*. Habebatur defluxus Oſiridis. I. 127. 128. II 217. 218. Ideoque in Sacris nonnunquam Oſiridis nomine inuocabatur. Ibid.

Nili origines in Aethiopia, ne nunc quidem ſatis ſunt certae et perſpectae. 161 - 163. incrementa et decrementa mirabilia. 163. 164. Incrementi Nilotici vera cauſa. II. 14. etc. 164. cognita erat priſcis in Aegypto ſacerdotibus. II. 13 - 17. 164. Eius dulcedo, ſalubritas, miraque foecunditas. 164 - 167. Aqua illius, per ſe feculenta arte quadam adhibita pura et limpida redditur. 165. Illius imagines. 174 - 176. Nilo nati illi ex diis Aegyptiorum dicebantur, qui genti huic erant proprii, quibusque parentes non aſſignabantur. II. 169.

Nomina Deorum Aegyptiorum ex Theologia ipſorum arcana, ideoque ex ſola tantum coniectura explicari poſſunt. II. 49. 50.

Nox, a plurimis gentibus culta, tanquam potens ſummumque Numen. I. 11. a Phoenicibus. 11. 12. ab Arabibus. 24. a Graecis antiquioribus. 13. 14. Praeſertim vero ab Orphicis. 15 - 17. cumprimis vero ab Aegyptiis, qui et Templa illi dedicarunt celebria. 17. 18. 26. Per Noctem vel Tenebras in Aegyptiorum Theologia non deſignatur Mens diuina aeterna, incomprehenſibilis. 29. Sed Principium rerum omnium paſſiuum, Tenebrae, vel Chaos primigenium. 19. 20. 21. 23. 29. Recentiores per eandem intelligebant nonnunquam Lunam, Noctis Praeſidem. I. 24. nonnunquam vero hemiſphaerium terrae noſtrae inferius. 24. 25. 26. nonnunquam etiam noctem naturalem. 26.

Nox, Numen Aegyptiorum, lingua ipſorum propria, dicebatur Athor. Vide *Athor*.

O.

Obeliſci primitus in Aegypto, tanquam Solis ſymbola culti. Pr. 80, 83.

Octonarius Deorum in Aegypto, complectitur primum eorum principemque ordinem. Pr. 66. Plura vide in *Dii*. Primus octonarius comprehendit VII. Planetas, eorumque Creatorem. 62 - 64. Huic poſtea alius ſubſtitutus. 64. Sed qui non ab omnibus eodem modo

receñſetur et explicatur. 65-73.

Oleae perfectae et fructi ferae in tota Aegypto non proueniunt, niſi in Praefectura Heracleotica, et circa Abydum. I. 61. 62.

On vrbs Aegypti antiquiſſima, Solem ſignificat, vel vrbem Soli dicatam. Graeci eam appellant Heliopolin. Pr. 18. I. 137. Illic tempore iam Ioſephi Patriarchae Sol religioſe colebatur. Pr. 18. I. 137. 138. Plura vide in *Heliopolis*.

Onuphis Taurus ſacer Hermunthi cultus. I. 99. 100. II. 270. 271. etc. Aegyptiace nomen hoc deſignat bonum Spiritum vel Deum I. 99. II. 275. Quia erat illius ſymbolum. I. 98. 99. Traditiones de eo veterum quales. II. 270-272. Tauri huius notae et inſignia. 271. Nonnunquam eodem nomine videtur inſignitus fuiſſe Mneuis Taurus ſacer Heliopolitanus. I. 100. II. 273. Sed re ipſa tamen duo hi Tauri erant diuerſi. II. 273. 274.

Qr. Sic Aegyptiorum ſermone efferebatur, qui Graecis Horus audit. I. 20. 203.

Oraculum Apollinis Clarii explicatur. I. 250-254.

Orpheus Sacris in Aegypto imbutus. I. 17. 29. Tota eius Sapientia ab Aegyptiis hauſta. I. 17. 29. 42.

Orphica Philoſophia et Theologia. I. 15. 16. 17. 29. 95 190. 191. 193. 194. 196. antiquiſſima ab Aegyptiaca non differt. I. 44. Eius de creatione vniuerſi compendium. I. 41. 42. 95. 19 adulteratum. 190. Orphicae doctrinae a Philoſophis recentioribus corruptae. I 95. Orphicorum Sacra. I 129.

Orphicum ouum. Vide *Ouum*.

Orygis ſacrificium, Hercul. gratum. I. 198.

Oſiris ſummum Aegyptiorum Numen, ipſis erat Symbolum ſacrum Solis, ſolemque deſignabat. I. 125. 126. 136. 137. 139. Eodem nomine nonnunquam Nilus etiam inſigniebatur; ſed cum reſpectu ad Solem, illius quippe defluxus. I. 126. 127. Oſiris tamen et Siris, ſiue Nilus, non ſunt idem nomen. I. 127. 144. 145. II. 148-150. Graeci Oſiridem plerumque interpretabantur Bacchum: quatenus nempe Bacchus in antiquiſſima Theologia a Sole non differebat. 129. 130. Sed vitis inuentio Oſiridi Aegyptio tribui neutiquam poteſt. 130-134. Oſiridis Parentes et Genealogia. 139. 140. Oſiridis nomen et cultus aliquot Seculis poſt exitum Iraëlitarum ex Aegypto, denuum inualu:

137. 139. 143. 144. 156. Nomen id in ipſa Aegypto diuerſimode pronuntiabatur. 145. Non vero ſignificat filium. 13[illegible] Aliae nominis huius originationes excutiuntur. 146 - 151. Nobis nomen hoc ſignificat temporis cauſam, vel effectorem. 151. 152 - 156.

Oſthanes Magus, Xerxis Perſarum regis aequalis, in Oriente et inter Graecos valde celebris. Pr. 144. 145. Libros eius; ſed ſpurios, Chriſtiani olim vendidarunt. 145. Religionem Aegyptiacam non corrupit. 144 - 146.

Ouis, vel Aries, Symbolum Ammonis et Neithae. Vide *Simulachrum.*

Ouum Philoſophorum. I. 42. Orphicum. Ibid. Aegyptiacum. I. 43. 46.

P.

Paamyles, quale nomen. III. 201. 202. re ipſa nomen fuit Feſti in Oſiridis honorem inſtituti. 202 - 204. Feſtum nempe Oſiridis inuenti. 204. 205. Idque erat Phallicum. Ibid. Vocis Paamyles, ex lingua Aegyptiaca, interpretatio. 205. 206.

Pacis, vel Bacis, vel Pabacis, Taurus Hermunthitarum Sacer. II. 275. 276. Idem dicitur et Onuphis. Vide *Onuphis.*

Palmytes, quale nomen. III. 206. ſecundum quosdam idem eſt cum Paamyle. Ibid. Poteſt et ſignificare Numen frugiferum, vel frugibus praefectum. 207.

Pan Aegyptiorum. Vide *Mendes.* In eius honorem condita vrbs Panopolis. 280. 290. Quae Aegyptiorum ſermone dicebatur Chemmis. 290. 291. 293. 294 cuius vocis origo et vis oſtenditur. 295. 298. Cultum Pan ille habebat per totam Aegyptum. 281. Videtur tamen Pan Panopolitanus aliquo modo diuerſus eſſe a Mendeſio. 280. Etiam nomine. 293. Eius ſimulachrum. 291 - 293.

Papremitarum Numen videtur fuiſſe Typhon. III. 71.

Paſtores Aegyptiis erant abominationi; ſed peregrini tantum. Pr. 21.

Pateneit, Archi - Propheta Mineruae Saiticae. I. 58. Idque nomen Aegyptiacum per ſe ſignificat. Ibid.

Perſarum imperium religioni Aegyptiorum detrimentum nullum attulit. Pr. 147-149.

Πῆχυς, cubitus, vlna, dicitur Nilometrium portatile. II. 240. Vide *Nilometrium.*

Philiſtaei, Aegyptiorum poſteri et coloni. Pr. 19. aliquando tenuerunt oram Peluſiacam. Ibid. ſub Abrahami natiuitatem in Phoenicia

nicia ſedes fixerunt. Ibid. A circumciſione ſemper alieni. Pr. 19.
Phruron, Nili cognomen. II. 159. 160. Explicatur. 160. 161.
Phthas, Numinum omnium Aegyptiorum Pater atque Princeps, rerumque omnium Principium primum actiuum, I. 44. 46. 52. Graeci eum interpretantur Vulcanum. 44. 45. Illius interpretationis ratio. 49. 50. Erat Sacerdotum et Philoſophorum Praeſes Numenque tutelare; a quo ſe credebant impelli et inſpirari. III. 170-173. Idem cum Cnepho vel Cnuphi, I. 43. Nomen Phthas Aegyptiacum ſignificat ordinantem et decernentem. 50, 51. Plura vide in *Vulcanus*,
Placentae ſacrae, in Aegypto olim vice ſacrificiorum Diis oblatae. II. 74. 75.
Planetae olim a gentibus pleriſque Deorum loco culti II. 126. 127. Pr. 51 - 54. et ſigillatim ab Aegyptiis. II. 126-128. Pr. 51-64. Planetae in Theologia Aegyptiorum aliis maioribus Diis attributi. II. 128. Planetarum cantus et harmonia. Pr. 56-58. Planetarum nomina Aegyptiaca fere omnia interciderunt. II. 128. Planetarum quiuis apud Aegyptios tria habuit nomina. II. 132. 138. Martis Planeta Aegyptiis dicebatur Artes vel Ertoſi, quod nomen explicatur. 132-135. Planeta Veneris, cuinam ex maioribus Aegyptiorum Diis attributus. 130. 131.
Potiphera proprie ſignificat ſummum Sacerdotem Solis. Pr. 18. I. 139.
Priapus Aegyptiorum, ſecundum quosdam Horus. I. 209. 210. Verius Mendes. I. 210. 288. 291.
Principium primum actiuum rerum omnium, in Theologia Aegyptiorum, dicitur Phthas, vel Vulcanus. Vide *Vulcanus*. Illud fingebatur vtroque ſexu praeditum. I. 44. Eratque tantum vnicum. Ibid.
Principium paſſiuum in eadem Theologia dicebatur Athor, ſiue Nox. Vide *Nox*.
Prophetae Aegyptiorum. Vide *Sacerdotes*.
Pygmaei. Fabulae de his origo, II. 175. 176.
Pyramis vox Aegyptiaca, quid ſignificet. Pr. 82. nomen hoc antiquitus et primo Obeliſcis tributum. Pr. 82. 83.
Pythagoras doctrinam de Diis intelligibilibus, naturae Spiritualis, hauſit ab Aegyptiis. Pr. 49. vti et ſcientiam omnem. Pr. 49. ac praecipue Theologicam. 49 52.
Pythagoraeorum methodus in tradendis diſciplinis. Pr. 118. Numeri et figurae in Theologia. 119 - 124. Symbola. 124-128. doctrina de Animarum immortalitate. I. 33. Et de terrae noſtrae cum Luna ſimilitudine II. 20. de motu terrae circa Solem. Pr. 100.

Q.

Quaternarius Deorum in Aegypto. Pr. 72.

R.

Racotis oppidum anti[illegible]gypti inferioris, poſtea euaſit ſuburbium Alexandriae. I. 231. Ideoque Aegyptii Alexandriam, ſermone ſuo patrio, vocant Racotim. 232. Olim Deos tutelares habuit Serapim et Iſidem. I. 232.

Religio et Theologia primorum Aegyptiorum poſt diluuium, per aliquot Secula pura manſit. Pr. 7. 8. 9. Talis erat tempore adhuc Abrahami. 9-12. et diu etiamnum poſt. 12-18. Verum tempore Ioſephi Patriarchae vehementer iam erat corrupta, et poſtea indies corruptio illa latius ſerpſit. 12-18. tota eorum Religio vetuſta conſtituta eſt, et complementum vltimum accepit Seculo IV. poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto. Pr. 77. Vide plura in *Aegyptii* et *Sacerdotes*.

Remphah, nomen Solis ſymbolicum in Aegypto. Pr. 50.

Rhea in Theologia Aegyptiorum priſca ignoratur. I. 141. Graeci tamen hoc nomine deſignare ſolent Venerem Aegyptiorum 141. 203.

Ros ineffabile beneficium Naturae. II. 109. 109. Inprimis in Aegypto et regionibus Orientis ibid. Roris quaenam cauſa et origo. II. 106. Iuxta communiorem veterum ſententiam eſt filia Lunae. II. 106-108. praecipue circa Pleni lunium. 112. 113.

S.

Sabii, antiquiſſimi Orientis Philoſophi, vnde dicti. Pr. 92. 93. Sacerdotes, qui ſic appellentur. Pr. 90. 91.

Sacerdotum Collegia primi inſtituiſſe videntur Aegyptii. Pr. 90.

Sacerdotum Aegyptiorum Sapientia olim vehementer celebrata. Pr. 4. Eorum numerus, tempore Ioſephi Patriarchae iam ingens. 18. 19. Erant ab oneribus ciuilibus immunes. 19. Eorum praecipua munera. 91. Quidam ipſorum erant Prophetae. 91. 97. Alii ἱερογραμματεῖς, ſcribae ſacrorum. 91. 92. Vnde ſic dicti. 93. 94. 96. Illique proprie Sapientum nomine veniunt. 92. Aegyptiace dicebantur Arpedonaptae. 94. 95. Eorum erat literas et ſcientias ſacras ex colere ac docere, et Scripta Sacra cuſtodire. 96. Vide *Scientiae Sacrae*. Alii Aeditui. 14. 91. Ac Paſtophori. Pr. 97. I. 165. Collegia Sacerdotum, in diverſis Aegypti partibus, circa nonnulla inter ſe diſſentiebant. Pr. 77. II. 200.

Sacerdotes Aegyptii in plures Sectas diuerſas erant diuiſi. Pr. 71. A Graecis paſſim appellantur Θεραπευταί. I. 102.

id not. Diis nomina impoſuerunt ſymbolica. II. 6. ſibi nomina mutuabantur a Deo, cuius miniſterio erant conſecrati. I. 58. 101. Abſtinebant a ſale quocunque in caſtimoniis. III 81. 82. A Sale vero marino ſemper. 82. Deorum ſuorum, inprimis Vulcani, viſionem, impulſionem et reuelationes iactitabant. III. 171-173. Ipſis, etſi tamen non niſi paucis, perſpecta erat vera cauſa incrementi annui Niliaci II. 13-15. Plerumque tamen credulitati plebis vehementer illudebant. II. 183. 184. 185. 199. 205. 206. 252. 253. Solebant dogmata ſacra ſymbolorum et aenigmatum inuolucris tegere, ut nonniſi ab initiatis intelligi poſſent. Pr. 128-135. Quae fuerit obſcuritatis huius affectatae vera cauſa. Pr. 135-140. Nemini dogmatum ſuorum arcanorum verum ſenſum aperire, niſi praeuia initiatione valde diuturna et longe moleſtiſſima. 140-144. Quo factum eſt, vt Religio ipſorum ſub imperio Graecorum multas ſubierit mutationes, ac tandem omnis eorum doctrina arcana in vniuerſum intereiderit. 144. etc.

Sacerdotalis lingua, vel dialectus. Vide *Lingua.*

Sacrificia humana, an et quando in Aegypto obtinuerint. II. 72-77.

Sais urbs Aegypti inferioris ſacra Neithae, vel Mineruae. I. 53. 54. Non vero eſt ipſius Deae nomen. 54. urbs haec nomen non accepit ab olearum prouentu et cultura, quae ibi nullae ſunt. 60-62. Inſcriptio Saitica in honorem Neithae excutitur. I. 65-68. 83. 139. Sacerdotes Saitici ſapientiae fama olim celebres. 53.

Sal foſſilis Sacerdotibus Aegyptiorum gratus erat, et in ſacrificiis adhibebatur. III 82. Sal vero marinus iiſdem inuiſus erat. ibid.

Sapientes dicti olim Sacerdotes Aegyptiorum. Pr. 92. 93. Eo nomine cumprimis deſignabantur, qui exquiſita cura naturam ſcrutabantur. 103. Et qui illam ſcientiam aenigmatibus ingenioſis nouerant inuoluere. 112. etc.

Saraceni victimas humanas offerebant. II. 76.

Sari, ſpecies iunci, papyro ſimilis, in Aegypto. II. 151-153. Abeo Aegyptii mare rubrum, vel ſinum Arabicum dixere mare Sari. ibid. Et eadem de cauſa Nilus probabiliter dictus eſt Siris. ibid.

Saturnus in Theologia Aegyptiorum, ab aliis Diis diſtinctus non datur. I. 140. Graeci tamen eo nomine nonnunquam deſignant Vulcanum Aegyptiorum. 140. 141. 203. Nonnunquam Serapim. I. 141. II. 73. Nonnunquam

nunquam etiam Anubidi. III. 14. 15. 20.

Scientiae Sacrae, apud Aegyptios, quae et quales. Pr. 98. etc. Excolebantur et ſollicite cuſtodiebantur a Scribis Sacrorum. Vide *Sacerdotes*. Scientiarum inventa, et memorabilia quaevis, inſcribebantur olim Stelis vel columnis. Vide *Stelae*.

Scientia Phyſica ab Aegyptiis ſtudioſiſſime culta. Pr. 103-105. Erat baſis totius eorum Theologiae. 105-107. Vti et totius Theologiae gentilis. 106. 107. Idem dicendum de ſcientia Aſtronomica. 106. Sententia huic contraria Pſeudo-Sanchuniatonis conuellitur. 107-111.

Scribae Sacrorum, ἱερογραμματεῖς, in Aegypto. Vide *Sacerdotes*.

Septenarius numerus omnibus in Oriente gentibus ſanctus. Pr. 53. Sigillatim vero Perſis. 53. 54. omnium maxime vero Aegyptiis. 54-59.

Septem vocalium cantu Sacerdotes Aegyptii celebrabant Deos. Pr. 55. 56. Cuius rei cauſa aperitur. Ibid. 56-59.

Serapidis Aegyptiorum Dei plurima apud Graecos occurrit mentio. I. 226. Eſt antiquum gentis illius Numen, non aduentitium. 227. 231. 232. 233. Graecis tamen ante Alexandri M. aetatem vix cognitus. 228-230. Cuius rei ratio exponitur. 247. Videntur Graeci primum eius notitiam accepiſſe per Alexandrum M. 233. Priſcus Aegyptiorum Serapis duplex erat, coeleſtis et Niliacus. 227. duplicis huius Numinis origo. II. 257. 258. Antiquitus colebatur Racoti, vbi deinceps aedificata eſt Alexandria. I. 231. 232. et in Sinopio prope Memphin. I. 233. 234. II. 233. in Templo peruetuſto. II. 230. Quod ſitum erat trans Nilum, vel potius in Inſula Nilotica. II. 233. 234. 247. 248.

Serapis Coeleſtis veterum Aegyptiorum, Sol erat infertus, in hemiſphaerio infero haerens. I. 235-238. Niliacus referebatur ad Nilum, eiusque incrementis praeeſſe credebatur. 234-236. In capite eius modius, quid ſignificauerit. II. 234. 235.

Serapidi Nilometria ſingulari ratione ſacra erant et dicata. II. 236-239. inprimis vero portatilia. 240. etc.

Serapis Canobita. Vide *Canobus*.

Serapis Graecus recentior a Ptolemaeis in Aegyptum inuectus. I. 226-228. A Ptolemaeorum temporibus Templa et cultum ſortitus erat vbique. 226. Cultus eius tranſiit ad Graecos omnes, et per hos ad Romanos. 226. Nomen tamen hoc mutuatus eſt a Numine Aegyptio.

gyptiorum vetuſto. I. 231. Incertum, ſit ne e Sinope Pontica Alexandriam aduectus. 233.
Serapis nonnunquam dicitur Saturnus. II. 73. Nominis Serapis etymologiae exeutiuntur. II. 253-255. Nobis videtur nomine hoc innui columna, in qua gradus Nili adſcendentis numerabantur. 255-258.
Serbonis lacus in confiniis Aegypti et Syriae, Typhonis ſepulchrum. III. 64. Ibi enim credebatur fulmine interemtus, merſusque. 65. 66. Hinc lacus ille dictus Typhonis exhalationes. 64. Quomodo lacus ille formatus fuerit. 104. 105. emittit exhalationes igneas. 106. Videtur protuliſſe bitumen. 106. 107. Nominis iſtius originatio tentatur. 107.
Seriadica terra. III. 174. 178.
Seth, Typhonis cognomen. III. 107-109. Nominis illius interpretatio. 108. 109. Ab eo dicta Praefectura Sethroitica. 64. 65. 83.
Sethi Columnae. Vide *Columnae.*
Sethroitica Praefectura. Vide *Seth.*
Sexus Diis nonnunquam tribuebatur vterque, maſculofoemininus, praeſertim apud Orientales. I. 47. 63.
Sidera in coelo notabiliora ab Aegyptiis conſecrabantur alicui ex maioribus Diis. II. 37. 38. 39. Iis, in Theologia Aegyptiorum priſca genuina, nomina non indebantur a vetuſtis heroibus, ſicuti apud Graecos. II. 38. 39. Alias figuras aliaque nomina habebant in Sphaera Aegyptiaca, atque in Graecanica. II. 47. 48. Secundum Aegyptios aliosque veteres paſcebantur humore maris, fluuiorum, fontium, et lacuum. II. 103.
Simulachra Deorum, apud Aegyptias, erant animalia, et plerumque viua. Pr. 88. I. 27. Apud Gentes alias, qualia. Pr. 80. 81. Vide et *imagines.*
Simulachrum Athor, vel Veneris erat vacca. Vide *Vacca.* Ammonis ouis ſiue aries. I. 163. Cnephi, vel Agathodaemonis ſerpens. I. 86. 87. 89. Neithae aries vel ouis. I. 75. Et vultur. I. 72. Scarabaeus itidem. 79. Phtha, ſiue Vulcani Leo. I. 82. Et vultur. I. 63. Solis accipiter. I. 158. 205. 206. Vti et Hori. 206. Iſidis et Bubaſtis felis. II. 66-68. 71. 72. Butonis vel Latonae mus araneus. II. 99. 100. 102. Typhonis crocodilus, hippopotamus, aſinus. III. 67-69.
Sinope patria Serapidis Alexandrini. I. 228. 232. 233. 235.
Sinopium locus prope Memphim, vbi Serapis ab antiquo colebatur. I. 233. 234. 238. II. 256-258.
Siphoas, rex Thebaeus, in

 Cata-

Catalogo Eratoſthenis, quis. III 180. 181. 188. 189.

Siris in Aethiopia dicebatur Nilus, II. 144 145. Non eſt Hebraeorum Sichor, vel Sior. 146 - 148. Neque Aegyptiorum Oſiris. 148 - 150. Nominis illius verior originatio tentatur. 150 - 153.

Siſtrorum clangore abigi credebatur Typhon, I. 292. III. 72.

Siſtrum pertinet ad inſignia Iſidis, I. 259. in not. In Siſtris fingi ſculpique ſolebat felis, II. 67. Nonnunquam etiam Nephthyos vultus, III. 114.

Smin. Vide *Smun*.

Smun et Smin, vrbs Aegypti ſuperioris, quam Graeci Chemmin efferunt, et Panopolin interpretantur. I. 295. 298. 299. Duae huius nominis vrbes in Aegypto, Panopolis altera, altera Hermopolis. 298. 299. Vtraque ſic denominata a Numine Smun, vel Eſmuno. Vide *Eſmunus*.

Smy, cognomen Typhonis. III. 110. 111. illius interpretatio tentatur. 111.

Socharis Aegyptiorum Numen, et quale. III. 207 208.

Sol ab Iſraëlitis in deſerto cultus. Pr. 50. in Aegyptiorum Theologia Vulcani filius. I. 48. 69. fructus itidem Minervae. 69. Deorum materialium Princeps. I. 123. 124. 125. Rex Coeli. Pr. 50. I. 124. Symbolicum nomen eius apud Aegyptios erat Rex Coeli, vel Remphah. Pr. 50. Et Oſiris. I. 125. Quatenus annorum cauſa eſt, & tempora efficit. 151 - 154. Sol apud Aegyptios, pro variis effectibus, variaque ad terram noſtram relatione, varia accipiebat nomina. 157 - 160. Myſtice fingebatur, in Zodiaco mutari, ibique continuo aliam aliamque formam induere. I. 157 - 160. 249. Ex quatuor viciſſitudinibus, quas Sol in anno efficit, quatuor Deos finxerunt Aegyptii. Pr. 74.

Sol in Solſtitio hyberno tarde mouetur, ac veluti claudicat. I. 175. 176. Sed velociter in Aequinoctio verno. Ibid. Secundum Aegyptios ex humore accenditur et alitur. II. 103 - 105.

Sol tempore Ioſephi ab Aegyptiis colebatur One, vel Heliopoli. Pr. 18. I. 137. 138 139. Sub nomine Phre. Ibid. Huius Sacerdos erat Potiphera. Pr. 18.

Som, Sem, et Chom Aegyptii vocarunt ſuum Herculem. Vide *Hercules*.

Sothis Aegyptiis dicitur Sidus caniculae. II. 36. 37. 46. Vel potius caniculae ortus, vel dies, qua oritur. 51. Non eſt proprie nomen Iſidis. 36. 37. Rerum Sothis Iſidi cenſebatur ſacrata. 37. cuius rei rationes exponuntur. 37 - 46. Sothis erat Aegyptiis principium annorum. 39. 40 51. 52. Vnde periodus Sothiaca. 34. Ex eorundem ſententia So-

this

tilis ſiue ortus caniculae erat natalis totius mundi. II. 39. 40. 52.
Sothis ſermone Aegyptiorum canem non deſignat. II. 46. Noſtra nominis illius originatio. II. 50-54.
Spiritus aeternus, in Theologia Aegyptiorum, rerum omnium prima cauſa. Vide *Aegyptii*. Doctrina de eo, olim a Philoſophis et Sacerdotibus illius gentis, diligenter excolebatur. Pr. 46-49. I. 68. Erat ex primitiuis traditionibus Patriarchalibus hauſta. Pr. 46-48.
Spiritus aeternus ab Aegyptiis perhibebatur naturae eſſe maſculo-foemininae. Pr. 48. I. 44. 46. 47. Cum qua doctrina conſentit doctrina Orphica, 41. 42. et traditiones Orientalium. I. 47. 285-287. Pr. 48. Ab Aegyptiis dicebatur omnia permeare et viuificare, I. 82. 83. tanquam Anima Mundi, 86. et qui ſit cauſa omnium euentuum in Mundo, 83, 84.
Stellae. Vide *Sidera*.
Stelis ſiue columnis Veteres ſcientiarum inuenta, et res memorabiles inſcribere ſolebant, III. 172-174. praecipue vero Aegyptii. 175-177. Qui Stelas has referebant ad ſuum Thoth, vel Mercurium, III. 177. 178.
Stoicorum de immortalitate animarum doctrina, I. 33. 34. Eorum Theologia cum Aegyptiaca aliquam habet conuenientiam. 38. 39. ſed melior tamen veritatique propinqua magis Aegyptiaca, 51.
Suchus ſpecies crocodili in Aegypto mitioris. III 70. 71.
Symbola Pythagoreorum ab Aegyptiis erant deſumta. Pr. 124-128.
Syringes Aegyptiorum. III. 175. 178. 181. Syringica terra. III. 178.

T.

Tabula Iſiaca vel Bembina, Vide *Bembina*.
Tauri Aegyptiorum Sacri. Vide *Boues*.
Tenebrae in Theologia Aegyptiorum, quid ſignificauerint. Vide *Nox*.
Thalamus Apidis, II. 186. 187. 188. 190.
Theologiae Gentilis vniuerſae ac ſigillatim Aegyptiacae initia et origines, Pr. 109-114.
Theologia Aegyptiorum. Vide *Aegyptii*. Aſſyriorum, I. 7. 24. Orientalium, I. 5. 6. 7. 8. 20. 23. 24. Illius indoles. I. 24. fictionibus allegoricis ac ſymbolicis abundat. I. 81. Orphica. I. 15. 16. 29. Vide *Orpheus* et *Orphici* Phoenicum. I. 11. 12. 24. 86. 197. 198. Tyriorum. I. 193. 194. Chaeremonis Sacerdotis Aegyptii, Vide *Chaeremon*. Phrygum. I. 271. Paphlagonum. Ibid. Graecorum antiquior. I. 13. 15. 167.

15. 167. II. 100. III. 33. Indorum Brachmanum. I. 285. 286. III. 101. Pr. 98. Vide *Brachmanes.*

Thermuthis Dea Aegyptiorum. I. 116. 117. ſignificat Aegyptiorum ſermone mortiferam, vel mortis poenam infligentem. 117. Erat Tithrambo, vel Iſis irata. 118. 120. Symbolum eius erat aſpis mortifera. 118. 120.

Thoth celebre Aegyptiorum Numen. III. 156. et valde vetuſtum. 159. Eius nomen diuerſimode effertur. III. 156. 157. Graeci eum interpretantur Hermetem vel Mercurium. 157. De eo pleraque valde incerta ſunt. 156. De patria eius diuerſa traduntur. 157. 158. Secundum quoſdam fuit rex Aegypti. 158. 159. a plurimis perhibetur fuiſſe Philoſophus ſapientiſſimus, omniumqne ſcientiarum in ventor. 160. 164-167. Inprimis vero literarum. 161-164. ideoque dictus ter maximus. 160.

Thoth nomen videtur eſſe Myſticum et ſymbolicum. III. 167. 168. Eo Sacerdotes ſcientias omnes, omniaque ſua in ſcientiis inuenta comprehendebant. 168-170. Erat Numen Sacerdotale, quod Sacerdotibus et Collegiis eorum praeerat, ſicuti et eorum ſcientiis et inuentis. 168-170. Numen iſtud re ipſa erat Phthas, Vulcanus. 170. 171. Vocabatur autem Thoth, quia Thoth Aegyptiace ſignificat columnam; columnis autem Scientiae et inuenta Sacerdotum inſcribebantur, quibus Phthas praeerat. 177-181.

Thoth nomen tribus aut certe duobus in Aegypto tribui conſueuit. III. 181-186. Eorum alter literas hieroglyphicas inuenit. et ſcientiarum primordia vidit: alter literas Sacerdotales inuexit, et ſcientiarum maiora incrementa adſpexit. 185. 186. Qua aetate vterque floruerit. 186-190.

Thueris, Typhonis pellex. III. 121. 122. 123. vox illa ſignificat notum, ventum meridionalem. 122. 123. cuius in Theologia Aegyptiorum ſymbolum erat Thueris. 123-125. Eadem dicebatur Aſo, regina Aethiopiae. 125-127. Eius effigies in Tabula Bembina. 127. 128. etc.

Tithrambo Dea Aegyptiorum. I. 103. 104. Dicebatur etiam Ambo. Ibid. ſignificat Deam vehementi ira commotam, et poenam infligentem. 105. 106. a Graecis exponitur Hecate. 103. 108. 109. 110. Eadem cum Nemeſi. 107. Et cum Bubaſti. 107. 120. Eſt Iſis irata. 110. 111. Quae hominibus talia merentibus, coecitatem, aliosue morbos, aut mala infligere credebatur. 111. Vel Luna, hominibus mala tetra immittens, ſiue

effet

eſſet noua, ſiue plena, ſiue decreſcens. 112-115. 120.
Toſorthus, vel Thoſorthrus, Memphitarum rex, cognominatus Aeſculapius, et cur. III. 194-196.
Traditiones Theologiae Aegyptiorum, myſticae, aenigmaticae, ſymbolicae, fabuloſae, ex doctrina arcana Sacerdotum de rerum natura explicandae, in toto Pantheo vbique adferuntur et ſaepiſcule euoluuntur ac illuſtrantur. Eas Graeci raro admodum diuinando aſſecuti ſunt. I. 93-98. 139. etc.
Typhoeus, gigas, Graecorum fabulis celebratus, cum Typhone Aegyptio ſaepiſſime confunditur; ſed ab eo tamen toto Coelo differt. III. 41. 47. 52. 65. etc.
Typhon Oſiridis frater ex Rhea. III. 45. latere matris perrupto, in lucem proſiluit. III. 46. quae fabula explicatur. III. 104. colore rufus et ſubpallidus. III. 44. 45. vxorem habuit Nephthyn, ſororem ſuam. Vide *Nephthys.* ortus eſt, ſemperque vixit in Aegypto. 47. Sedes eius fingebatur Aegyptus inferior. 88. Inimicitias implacabiles et bella geſſit cum Oſiride, Hercule, Iſide, et Horo. 49. 60. 63. Coniuratos aduerſus Oſiridem et Socios habuit numero. 72. III. 60. quae fabula explicatur. 125. 126. Eius interitus et Sepulchrum, 64-66. Vide et *Serbonis.*
Typhon Aegyptiorum Numen, ſed maleficum et odioſum. III. 40. 66. 67. Ideoque animalia ipſi dicata erant impura et inuiſa, crocodilus, hippopotamus, et aſinus. 66. 67-69. Idem a Sacerdotibus vocabatur hippopotamus. III. 68. 69. Sed ad auerruncanda mala placabatur ſacrificiis. 69. Verum et, niſi votis Aegyptiorum reſponderet, contumelia afficiebatur, varia, et verberibus in Templis mactabatur. 72. Credebatur crepitu ſiſtrorum poſſe abigi. 72.
Typhonis nomen eſt Aegyptiacum. 95. 96. 97. diuerſo modo illud a Graecis effertur. 40. 41. Significat Spiritum malignum, Deo bono oppoſitum. 75. 76. 77. Quod variis modis veteres interpretantur. 77-84. Omnium maxime Typhonis nomine ſubinnuitur ventus nocuus et peſtilens, quem ſcriptura vocat Orientalem et vrentem. 84. 85. etc. 91. 92. etc.
Typhonis res quidam ex odio, cum rebus Iudaeorum confundebant. III. 73-75. Quidam in Typhone Moſen quaerunt; ſed perperam. 75. Graeci Typhonem cum Typhoeo ſuo perpetuo confundunt. Vide *Typhoeus.* Iidem finxerunt, deos metu Typhonis ſe in animalia conuertiſſe. 49-59.
Typhonia locus in Templis ſepara-

ſeparatus, vbi Typhon colebatur. III. 71.

Typhonia vrbs. III. 65. Vbi ſita. 106. Vide et *Apopis*, *Bebon*, *Seth*, *Smy*.

V.

Vacca, ſymbolum et ſimulachrum. Veneris Aegyptiorum. I. 4. 25. 27. 28.

Veneris Planeta, cuinam ex Diis maioribus in Aegypto attributus. II. 130. 131.

Venus Aegyptiorum priſco, ſermone ipſorum auito dicebatur Athor. Vide *Athor*. A Graecis etiam nonnunquam dicitur Iuno. Vide *Iuno*. Diuerſa a Venere Graecorum. I. 5. Non vero ita diuerſa ab Orientalium Venere et Iunone. 6. 7. Veneris et Iunonis nomine, Orientales ſaepe intelligunt totam rerum naturam. I. 8. Aegyptiis Venus, ſiue Athor ſignificabat noctem, Chaos, primum principium, paſſiuum etc. Vide *Athor*, et *Nox*. Illius Simulachrum erat Vacca. Vide *Vacca*.

Venus Graeca, vel peregrina, in Aegypto etiam, ſucceſſu temporis, cultum inuenit. I. 28.

Ventorum ſaeua et tyrannica vis. III. 86. 87.

Ventorum pugna cum Sole, in Theologia veterum et Indorum. III. 85. 86. 88. 101, 102.

Ventus damnorum maximorum in Aegypto inferiori cauſa. III. 89-91.

Ventus Orientalis, calidus etiam vrens, in regionibus Orientis terribilis et valde pernicioſus. III. 91-95. Ille Graecis dicitur Τυφων. 94. 95. Et huius proprie apud Aegyptios Symbolum fuit Typhon, malus Spiritus.

Vinum Aegyptii crediderunt rem natura malam, et pro profectam a ſpiritu, Dei inimico. I. 131. Ea etiam erat Orientalium omnium doctrina. 131-134.

Vlna Nili, Nilometrium portatile. II. 240. 241. Vide *Nilometrium*.

Vulcanus Aegyptiorum, lingua ipſorum dicebatur Phthas. Vide *Phthas*. Erat ipſis mens aeterna, cauſa rerum omnium prima, ſiue Opifex. I. 46. 47. 82. (Vide et *Spiritus*.) Ex cuius decreto cuncta penderent. 50. 51. ipſorumque Deorum progenitor. 47. 48. 69. Fingebatur eſſe naturae maſculofoemininae. I. 43. 46. 47. quod ipſi in Theologia Aegyptiorum commune erat cum Neitha. I, 63. 64. Primus omnium in Aegypto rex. 48. 49. Quod tamen eius regnum, non eſt niſi ſymbolicum et allegoricum, vel myſticum. Ibid. Fuit etiam Legislator. 51. Scientiarum etiam et Philoſophorum Praeſes et Numen tutelare. 74. III. 170-173. Dicebatur Nilo eſſe prognatus,

gnatus, quod explicatur. 44. 45. in notis. Et pater Solis. 49. Idem cum Cneph, vel Cnuphi, ſiue Agathodaemone. 93. habebat Memphi Templum ſplendidum. 52. Re ipſa cenſebatur ignis puriſſimus et ſubtiliſſimus aethereus, ſupremam mundi regionem occupans. 50. 52. Idem fere ſignificabat incolis Aegypti ſuperioris, quod incolis Aegypti inferioris Neitha. 53. Et cum Dea hac plurima habuit communia. Vide *Minerua*. Cultus eius, paulatim a plebe neglectus, Philoſophisque relictus fuit. I. 53. III. 173.

Vultur ſymbolum et ſimulachrum Vulcani. Vide *Simulachrum*.



00048710

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 18 July, 2018